R. P. ANTONII RVVIO RODENSIS,

DOCTORIS THEOLOGI SOCIETATIS IESV; Sacræ Theologiæ Professoris,

COMMENTARII

IN LIBROS ARISTOTELIS STAGYRITAE Philosophorum Principis, de Anima: vnà cum dubijs, & quæstionibus hac tempestate in scholis agitari solitis.

Cum duplici Indice, quorum vnus discussas omnes quæstiones, alter res omnes notabiles complectitur.



BRIXIÆ, M.DC.XXVI.

APVD BARTHOLOMÆVM FONTANAM.

Superiorum Permissu.

INDEX CAPITVM, ET QVAESTIONVM,

Quæ in his tribus Libris de Anima accuratè diſcutiuntur.

LIBER PRIMVS.

Quæſtiones Procemiales.

Quæſtio 1. An conſideratio animæ ad naturalem philoſophiã proprie ſpectet. pag. 3.
Quæſt. 2. An ſubiectũ proprium huius operis ſit anima, vel corpus animatum. 12
Quæſt. 3. An ſcientia de anima nobilior ſit ac certior cęteris. 14
Quæſt. 4. de vtilitate huius ſcientiæ. 17
Quæſt. 5. De ordinatione huius tractatus cũ cæteris partibus philoſophiæ. 18
De diuiſione huius operis. 19

CAPVT I.

Expoſitio textus. 20

Quæſtio vnica, quid ſibi voluerit Ariſt. dum dixit dialecticum definire per formam, phyſicum vero per materiam. 22

LIBER II.

CAPVT I.

Expoſitio Textus. 25

Tractatus I. De Anima quantum ad eius eſſentiam. pag 31.

Quæſt. 1. An anima ſit ſubſtantia. 31
Quæſt 2. An anima ſit corpus. 33
Quæſt. 3. An verum ſit animam eſſe actum corporis, vt prima particula definitionis aſſerit. 36
Quæſt. 4. An anima ſit actus primus ſola prioritate naturę, vel etiam prioritate perfectionis. 38
Quæſt. 5. Quid nam per corpus phyſicum, & organicum intelligat Ariſt. 43
Breue dubium circa vltimam particulam eiuſdem definitionis. 45
Quæſtio. 6. An eadem definitio animæ ſit quidditatiua. 46
Quæſt. 7. an hæc definitio animæ ſit vniuoca ad omnes animas. 50
Quæſt 8. an poſterior definitio animæ ſit vna, & conueniat animæ in communi. 58
Quæſt. 9. an eadẽ ſecunda definitio ſit quidditatiua, aut eſſentialis, vel deſcriptiua tantum, & accidentalis. 61
Quæſt. 10. an prior definitio animæ demonſtretur ab Ariſto. per poſteriorem definitionem a priori, vel a poſteriori tantum, 66.

CAPVT III.

Expoſitio Textus. 72

Tractatus de numero animarum, & animatorum, pag. 74.

Quæſtio 1. An tres ſint tantum ſpecies animarum, quatuor gradus animatorum, & quinq; genera potentiarum. 74
Quæſt. 2. An vegetatiuum includatur formaliter in ſenſitiuo, & vtrumq; in rationali, vel eminenter tantum. 79
Dubium, an anima rationalis ſit formaliter corporea. 83
Quæſt. 3. an omnes animæ ſint eiuſdem ſpeciei, & ęqualis perfectionis ſubſtantialis, vel vna ſit perfectior altera, 85

✠ 2 Tra-

Tractatus de modo informandi animas pag. 91.

Quæstio 1. An anima rationalis sit indiuisibilis, pag. 91

Quæst. 2. an animæ plantarum, atque animalium perfectorum sint indiuisibiles 93

Quæst. 3. an animæ sensitiuæ perfectorum animalium sint indiuisibiles, pag. 98

Quæst. 4. Vtrum anima informet omnes partes corporis, vel solum sit in aliqua determinata. 102

Quæst. 5. an anima vegetatiua, & sensitiua reperiantur distinctæ in eodem animali, atque etiam in eodem homine vegetatiua, sensitiua, & rationalis, vel vna tantum sit in vno composito. 105

Quæst. 6. an simul cum vnica anima detur in vnoquoque viuente alia forma substantialis inferior. 110

Breue dubium de generatione cadaueris & distinctione eius. 113

Quæst. 7. an in viuente dentur plures animę partiales in diuersis partib. heterogeneis corporis. 115

Quæst. 8. an anima informet partes fluidas corporis, vt sanguinem, & alios humores 120

Quæst 9. an vngues, & capilli informentur anima. 128

Quæst. 10. an quodlibet viuens habeat propriam animam distinctam ab alio, vel eadem numero anima sit in plurib. 130

Tractatus de potentijs animæ in generali, pag. 135.

Quæst. 1. An potentiæ vitales sint res distinctæ ab anima, vel sola ratione, pag ibid.

Dub. an per potentiam Dei absolutam dari possit creatura quæ operetur immediate per propriam substantiam, pag. 140

Quæst. 2. an potentiæ vitales possint realiter separari ab anima per potentiam Dei absolutam. 141

Dub. an potentia vitalis separata ab anima possit vniri subiecto extraneo per potentiam Dei absolutam. 143

Quæst. 3. An potentia vitalis separata ab anima existeret per modum perseitatis ei superadditum vel per solam actualem existentiam per propria cum negatione actuali inhærentiæ. 144

Quæst. 4. An potentia vitalis separata ab anima per diuinam potentiam esset in statu naturali, aut violento, pag. 150

Quæst. 5. Vtrum potentię vitales oriantur ab anima tamquam à principio effectiuo, pag. 151

Quæst. 6. An potentiæ vitales emanent ab anima per veras actiones distinctas inter sese, & à generatione, vel creatione. 158

Quæst. 7. An vna potentia vel emanet efficienter ab alia. 160

Tractatus de subiecto potentiarum, pag 163.

Quæstio 8. An vnitas, ac distinctio specifica potentiarum vitalium desumenda sit ab actibus, & obiectis earum. 164

Dub. An potentia visiua hominis, & Leonis distinguantur, specie. 167

Quæstio 9. Quonam modo assignari debeat cuiq; potentiæ actus adæquatus propriúque obiectum, per quod distinguatur specie ab alijs, ibid.

CAPVT IV.

Tractatus de potentijs animæ vegetatiuæ, pag. 173.

Quęstio 1. An potentia nutritiua consistat in temperamento primarum qualitatum, aut in solo calore naturali, vel alia sit qualitas superior, ac nobilior primis, & temperamento earum. ibid.

Quæst. 2. An nutritiua, augmentatiua, & generatiua sint tres potentię vitales realiter distinctæ vegetatiuæ animæ, vel vna tantum tria habens officia diuersa. 177

Quæst. 3. Quodnam sit subiectum nutritiuæ ac generatiuæ potentiæ. 182

Dub. De subiecto potentiæ generatiuæ. 183

Quæst. 4 Quidnam sit generatio viuentium propria, & in quo sensu vocata sit ab Arist. naturalissimum opus viuentis. 187

CAPVT V. & VI.

Tractatus de obiectis sensibilibus 193.

Quæst. 1. An sensus sit potentia passiua, ibid.

Quæst. 2. An principium effectiuum sensationis sit sola potentia sensitiua, vel simul etiam cum ea species ab obiecto ei impressa. 197

Dub. An species sit causa principalis sensationis, vel solum instrumentalis, atq; etiā potentia. 199

Quæst. 3. An dentur species per quas obiecta sen-

sensibilia immutent sensum. 200
Quæst. 4. An species sint eiusdem naturæ cũ obiecto. 203
Quæst. 5. An species sint perfectiores obiectis repræsentatis. 204
Quæst. 6. An species sint formales similitudines obiectorum. 205
Quæst 7 Quonam modo fiat vnum ex potẽtia, & specie in ordine ad sensationem. pag. 208
Quæst 8 An speciebus sensibilibus præter divisibilitatem, aut extensionem quam habent à subiecto, sit ei concedenda alia in ordine ad obiectum. 209
Quæst. 9. An species impressa ab obiecto divisibili secundum intensionem sit etiã indivisibilis secundum intensionem. 214
Quæst. 10. An omnes species sensibiles quæ multiplicantur in medio, atque in potẽtia producantur immediatè ab obiecto, vel medijs alijs. 219
Quæst. 11. Quid, & quotuplex sit commune sensibile, & quo pacto immutet sensum, pag. 222
Dub. Quidnam per magnitudinem intelligatur. 224
Quæst. 12 An sensibile proprium indivisibili modo existẽs possit per sensum percipi saltem per potentiam Dei absolutam, pag. 228
Quæst. 13. An præter speciem impressam sit necessaria præsentia obiecti ad sensationem externam. 234
Quæst. 14. An possit sensus sensationem elicere circa obiectum absens, vel non existens, etiam sine specie eius per potẽtiam Dei absolutam. 239
Quæst 15. An sensus errare possit circa proprium sensibile. 241
Quæst. 16. An dum sensus errant operentur per speciem veri sensibilis, ac si non errarent, vel per aliam diversæ rationis. 245

CAPVT VII.

Tractatus de natura, & ratione visiua potentia, pag 250.

Quæst. 1. An color sit distincta qualitas à lumine, & quæ sit ratio propria eius. ibid.
Quæst 2. An lumen sit qualitas naturalis, & physica, vel intentionalis tantum. 254
Quæst 3. An lumen videatur per se sine specie intentionali, vel per speciem à se productam, sicut videntur colores. 257
Quæst. 4 An lumen sit in solo diaphano tam quam in subiecto, vel etiam in corpore opaco. 260
Quæst. 5. An lumen sit necessarium ex parte medij ad videndum quodcumq; obiectũ sensibile. 262
Quæst 6. An lumen non solũ sit necessarium ad videndũ colorem ex parte medij, sed etiam ex parte obiecti. 266
Quæst. 7. An visio fiat per extramissionem alicuius à potentia visiua, vel per receptionem speciei ab obiecto 273
Quæst. 8. An oculus sit sensorium visus, & in qua eius parte resideat potentia visiua, & fiat visio, & an vna sit potentia visiua in vno animali, vel duplex. 276
Quæst. vltima. An quod per reflexionem videtur in speculo, sit species vel imago obiecti aut obiectum ipsum, vel vtrumque pag. 279

CAPVT VIII.

pag. 281

Tractatus de potentia auditiua. 284

Quæst. 1. An sonus sit motus ipse percussionis, vel medij resilientis, vel qualitas à motu distincta permanens, vel successiua. ib.
Quæst. 2. An necessarius sit ad productionẽ soni concursus trium corporum & omnia sint causa efficiens eius. 287
Quæst. 3. An sonus sit in corporibus sonantibus, vel in solo medio. 290
Quæst. 4. An sonus realis perueniat vsque ad auditum, vel solum species intentionales eius. 295
Quæst. 5. Quidnam sit vox, & quid echo, vel reflexus sonus, & quonam modo fiant. 301
Quæst 6 Quodnam sit organum, vel subiectũ proprium auditiuæ potentiæ. 306

CAPVT IV.

Tractatus de sensu olfactus. 310

Quæst. 1. Quidnam odor sit, quomodo gignatur, & in quo sit subiecto. ibid.
Quæst. 2. An sensorium olfactus immutetur ab odore realiter, vel solum intentionaliter. 313
Quæst. 3. Quidnam sit organum olfactus, & in qua potentia tanquam in proprio subiecto resideat. 317

Quæst.

Quæst.4. An olfactus hominis imperfectior sit, quam aliorum animalium. 319

CAPVT X.

Tractatus de gustus sapore, & organo eius pag. 322.

Quæst.1. Quid sapor sit, quot, & quæ species eius, & quonam modo immutet gustū. ib.
Quæst.2. Quod sit organum ad medium gustus. 326
Quæst.3. An sensus gustus distinguatur à sensus tactus. 327

CAPVT XI.

Tractatus de tactu, & tangibilibus. 331

Quæst.1. Quodnam sit organum tactus. ibid.
Quæst. 2. An sensus tactus habeat medium externum, vel saltem internum. 333
Quæst 3. An qualitates tangibiles immutent tactum secūdum esse reale, vel per species intentionales, aut necessario vtroq; 336
Quæst. 4. An tactus solum sentiat excellentias, vel exsuperantias obiecti tangibilis aut gradus etiam æquales, vel inferiores. pag. 340
Quæst. 5. An per tactum sentiatur qualitas tangibilis producta, vel existens in organo, aut ea quę est in obiecto, vel vtraq. 344
Quæst.6. An sensus tactus sit vnus secundum speciem sicut cæteris sensus, vel multiplex. 345

CAPVT XII.

Quæst. vnic. Quomodo sensus lędatur ab excellente sensibili. 349

LIBER III.

CAPVT I.

Quæst.1. An probari possit euidenti ratione quinque tantum esse sensus externos. 355
Quæst.2. An omnes sensus externi perfectiores sint in homine, quam in cæteris animalibus. 357
Quæst 3. An sensibile positum supra sensum sentiatur. 360

CAPVT II. & III.

Tractatus de natura, & ratione, ac numero internorum sensuum, pag. 367.

Quæst.1. Quotuplex sit sensus internus. ibid.
Quæst. 2. An distinguendi sint plures sensus interni distinctione specifica, & essentiali. 374
Quæst.3. An sensus internus cognoscat sensationes externorum. 376
Quęst.4. An sensus internus cognoscant propriam sensationem. 378
Quæst. 5. An sensus internus verum & propriū iudicium habeat de obiecto, vel solā apprehensionem. 382
Quæst.6. An sensus internus cognoscat proprium obiectum, vt præsens, atque etiam vt præteritum & futurum. 385
Quæst.7. Quodnam sit subiectum sensus interni. 387
Quæst.8. An omnibus animalibus concedendi sint omnes sensus interni. 389
Quæst.9. An sensus interni operētur per species intentionales eiusdem rationis cū speciebus externorum sensuum, vel diuersæ, & à quonam eas accipiant. 391
Quæst.10. An sensus interni solum operētur per species sensatas, vel etiam per insensatas. 393
Quæst. vltima. A quanam causa producātur species insensatæ æstimatiuæ, & quonam modo. 395

CAPVT IV. & V.

Tractatus de natura, & modo operandi intellectus agentis. 403

Quæst.1. An detur intellectus agens. ibid.
Quæst. 2. Quodnam sit proprium officium intellectus agentis, ad quod exercendum reputatur necessarius. 405
An intellectus agens illuminet phantasmata. ibid.
Quęst. 3. An & quomodo concurrat phantasma cum intellectu agēte ad productionē speciei intelligibilis. 408
Quæst. 4. An intellectus agens, & possibilis sint potentiæ animæ realiter distinctæ, pag. 412
Dub. vtersit altero perfectior intellectus, agens, vel possibilis. 415

Tractatus de natura actu obiecto intellectus possibilis. 417

Quæst.1. An sit, & quod sit intellectus possibilis. ibid.
Quæst. 2. An necessario sint ponendę species intelligibiles in nostro intellectu ad intelli-

telli-

telligendum. 419

Quæst. 3 An species intelligibiles quæ producuntur ab intellectu agente in intellectu possibili sint repræsentatiuæ rerum singularium, vel vniuersalium. 420

Quonam modo cognoscatur vniuersale ab intellectu nostro. 425

Quæst. 4. An substantia materialis, & accidentia eius non per se sensibilia cognoscātur ab intellectu nostro pro hoc statu per speciem propriam, & directè, ac per se. 426

Quæst. 5. Quonam modo cognoscatur ab intellectu substantia separata; vt Deus, & Angeli. 430

Quæst. 6. Quonam modo anima pro hoc statu seipsam cognoscat. 433

Quæst 7. Quonam modo cognoscat intellectus se, & suos actus habitu atque species, nec non voluntatem, & eius actus, & habitus. 436

Dub. Quodnam sit adæquatum obiectum nostri intellectus probat statu. 441

Tractatus de actu intellectus possibilis. 443

Quæst. 1. Quidnam sit speculari phantasmata, & an necessarium in omni prorsus intellectione pro statu præsenti. ibid.

Quæst. 2. An intelligere consistat in actione aliqua intellectus, vel in sola receptione speciei impressa ab obiecto, aut in sola receptione actus intelligendi. 447

Quæst. 3. An intellectio consistat formaliter in vera, & reali actione intellectus verum & realem terminum habente, vel saltem eam necessario præsupponat. 449

Quæst. 4. An per potentiam absolutam possit intellectio produci à solo Deo, sine vllo concursu effectiuo intellectus. 456

Quæst. 5. An in parte intellectiua sit propria memoria, & tamquam alia potentia distinguatur ab intellectu. 460

CAPVT 6.7.8.9.10 11.12.13.
Tractatus de voluntate, & potentia motiua. 473

Quæst. 1. An voluntas sit potentia realiter distincta ab intellectu, & appetitu sensitiuo. ibid.

Quæst. 2. an potentia motiua vitalis consistat in actu appetitus, vel intellectus practici, vel in executiua virtute in aliqua parte corporis residente. 476

Tractatus de Anima separata, pag. 480.

Quæstio 1. an anima rationalis educatur de potentia materiæ, vel ex nihilo producatur. ibid.

Appendix dub. 482

Quæst. 2. an anima rationalis sit simplex forma purè spiritualis. 484

Quæst. 3. de immortalitate animæ secundum philosophos. 488

Quidnam antiquiores philosophi (& præsertim Aristoteles) senserint de immortalitate animæ rationalis. ibid.

Quæst. 4. Quidnam sentiēdum sit de immortalitate animæ rationalis secundum principia luminis naturalis. 490

Quæst. 5. Quidnam sentiēdum sit de immortalitate animæ rationalis, secundum fidē Catholicam. 493

Quæst. 6. an status separationis à corpore sit naturalis animæ rationali. 495

Quæst. 7. an anima rationalis separata à corpore, habeat naturalem appetitum illud informandi. 499

Quæst. 8. Quænam potentię, qui habitus, quę species, & quinam modi cognoscendi sint in anima separata. 500

Cen-

Cenſura Academiæ Complutenſis.



Ommentarios hos in tres libros Ariſtotelis de Anima, Patris ac doctiſſimi Doctoris Antonij Rubij Societatis IESV ſtudio elaboratos, accuratè, ac ſedulo perlegimus, vt ſupremi Senatus Regij decreto huic almæ Academiæ Complutenſi commiſſum fuerat; de quibus ita cenſemus nihil in primis in eis contineri ſanæ doctrinæ, ac bonis moribus quoquo modo aduerſum: ſed eiuſmodi eſſe, vt in illis vis ingenij maxima, longum, & indefeſſum ſtudim, doctrina non leuis, ſed grauis, ac ſolida, & ad D. Tho. ſcholam egregiè attemperata maximè ſplendeat: ex quo fiet omninò, vt non poſſint non eſſe, & grati omnibus, & in magnum ſcholarum vſum, ſperamuſq; fore, vt ſicut ex alijs libris, quos de re Dialectica, ac Philoſophica idem autor edidit, non vulgarem fructum Complutenſis cepit Academia, ſic iſte quem tanto ſtudio ingenioq; perfecit, non minori vſui futurus. Quare pro certo ducimus opus eſſe dignum, quod prælo mandetur, & in publicam ſtudioſorum vtilitatem prodeat. Datum Compluti menſis Aprilis die decima octaua, anni milleſimi ſexcenteſimi vndecimi.

D. Io. Alphonſus Gutierez, Rector.

Doctor Deminguez Tello.
Doctor Munoz de Benauides.
Doctor Geneſius Martinez.
Doctor Guijarro.
Doctor Salas Manſilla.
Doctor D. Iuande Pereda Gudiel.
Doctor Melchior de Polibar.
Doctor Petrus Capata.



COMMENTARIORVM IN LIBROS ARISTOTELIS Stagiritæ de Anima.

PROOEMIVM.



Em satis per se magnam, & Philosopho dignam, explicationem videlicet animæ nostræ, dignitatisque ac præstantiæ eius, maiorem satis illustrioremque effecit opus hoc Aristotelicum, exquisita ab eo diligentia elaboratum, & in quo ingenium eius pene diuinum se ipsum videtur superasse. Rem per se magnam assero animam nostram, eiusque cognitionem; cum sit veluti summa quædam, seu compendium diuinorum operum, quæ circa totius mundi opificium versantur, quodammodo in se complectens spiritualium, corporearumq; rerum omnium excellentiam, vtpote tanquam medium vtrumque attingens extremum. Philosopho verò dignum eiusdem animæ notitiam inuestigare: quia nihil dignius esse potest homini sapientiæ cupido, atque studioso, quàm in assequenda perfecta notitia propriæ eximiæq; dignitatis ab eadem anima profectæ toto pectore incumbere, per quam viam sibi parat ad comparandam diuinam cognitionem, & ex qua innumerabiles pene vtilitates, commoda, fructus (quos longum nimis esset recensere) ei prou eniunt. Aureum verò opus Aristotelicum, quod miro quodam ordine, ac rerum dispositione naturam, & rationem eiusdem animæ, partes, proprietates, seu potentias, atque operationes nobis tradidit, ex quibus, & in quibus excellentia eius mirum in modum prælucet, non satis, nec pro merito commendari potest. Hoc idem opus nos interpretandum suscipimus,

eiuſdemque commentationem aggredimur, vt aliquam tantæ rei notitiam Philoſophiæ ſtudioſis impertiamur. Cui hæc proœmij loco cenſemus præmittenda, copioſiuſque explicanda gratia commodioris intelligentiæ, quæ Ariſtoteles ipſe in eius proœmio vno, vel altero (vt ſolet verbo attigit, vniuerſalioribus alijs prætermiſſis, huic, & alijs operibus communibus, & iam in noſtris commentarijs dialecticis, & philoſophicis explicatis nempe ad quam ſcientiam propriè ſpectet naturam, & rationem animæ inueſtigare. An opus hoc pro ſubiecto proprio animatum corpus, vel potius eandem ipſam animam ſibi vendicet, an cæteris ſcientijs, vel philoſophiæ partibus nobilior ſit hæc. Quotnam, & quæ ſint vtilitates eius. Quis ei debeatur locus inter cæteras philoſophiæ naturalis partes; ac tandem qualiſnam ſit diuiſio eius. Hæc ſi à nobis explicentur, & ab eiſdem ſtudioſis probè teneantur, non parum emolumenti ad capiendam eiuſdem Ariſtotelici operis doctrinam afferre poterunt.



QVAE-

QVÆSTIO I.

PROOEMIALIS.

An consideratio animæ ad naturalem philosophiam propriè spectet.



Num præsupponit titulus quæstionis, & aliud quærit, supponit quidem animam esse rem talem, de qua possit haberi scientia. Quod euidens est, non solum de anima in communi accepta, prout comprehendit vegetatiuam, sensitiuam, & rationalem, sed etiam sumpta pro rationali: & probari potest hoc discursu. Vt aliquid possit esse subiectum scientiæ, tres potissimum conditiones debet habere requisitas, & sufficientes. Nempe, quod sit in rerum natura, vel saltem sit possibile. Quòd proprietates, & passiones habeat de se demonstrabiles. Et tandem causas, & principia, per quæ possit demonstrari: & per hæc quidem habebitur de illa scientia à priori, per effectus verò ab ea procedentes dabitur scientia à posteriori, nam per eos demonstrari poterũt proprietates, & per has essentia; sed tam anima in communi, quàm rationalis in speciali habet tria hæc; ergo vtroque modo poterit esse subiectum scientiæ. Maior est expressa apud Aristotelem 1. lib. de Posterior. resolution. capite 1 & 15 4. metaphysicæ, cap. 1. & 11 metaphysicæ cap 6 quibus locis easdem conditiones, tanquam necessarias, & sufficientes exigit; & omnes interpretes cum eo. Minorem verò sic probo, de anima vtroque modo sumpta euidens est, saltem à posteriori per suos effectus, & operationes, quod sit in rerum natura, vt idem Aristoteles in hoc 1. lib. textu 19. docuit his verbis. *Animatum igitur ab inanimato, duobus maximè differre videtur, motu, & sensu, accepimus autem & à progenitoribus duo hæc de anima.* Et ita per hos effectus asserit eandem animam cognouisse philosophus: quamuis non omnes eodem modo de natura, vel essentia eius senserint. Nos etiam euidenti experientia cognoscimus easdem operationes vitales procedere à rebus animatis, & non ab alijs corporibus inferioribus, & altiores esse motibus omnino naturalibus, vt in calefactione, in frigidatione, motu sursum, & deorsum, atque etiam circularis, ex quo euidenter colligimus procedere ab altiori principio vitæ, quod est anima: ergo euidenter à posteriori cognoscimus animam, pro vegetatiua, sensitiua, & loco motiua esse in rerum natura.

2 Rationalem verò, non minus euidenter per discursus, & ratiocinationes, liberosque actus voluntatis vsque adeò, vt dixerit August. *Qui se habere animam non cognoscit, nescio an eam habeat.* De proprietatibus verò, seu passionibus euidens est etiam: nam in viuentibus sunt potentiæ, nutritiua, generatiua, & augmentatiua, tanquam veræ proprietates cum eiusdem viuentibus conuertibiles, & ab anima, vegetatiua, & sensitiua procedentes, quas corpora non viuentia non attingunt, aut non in ea proprietate, ac perfectione, quamuis inferiores quasdam, atq; improprias habeant aliquo modo similes. In hominibus etiam sunt intellectus, & voluntas, quas tanquam potentias animæ rationalis proprias, & ab ea procedentes cognoscimus per proprios actus discurrendi, ac liberè volendi, ergo habet anima vtroque modo sumpta veras proprietates de se demonstrabiles. Quod verò habeat causas, & principia, per quæ possint demonstrari, etiam est manifestum; nam principium, & causa, per quæ communiter demonstrantur passiones de subiecto, est definitio: sed anima habet duplicem definitionem designatam ab Aristotele in principio secundo libri huius operis receptam, atque probatam ab vniuersa schola: ergo habet causas, & principia, per quæ possunt de illa demonstra-

ri proprietates enumeratæ.

3 Præsupposito igitur quod anima vtroque modo sumpta, potest esse subiectum scientię, quærit titulus quæstionis, an pertineat consideratio eius ad naturalem philosophiam, ita vt pars sit huius scientiæ? Et de anima vegetatiua plantarum, & sensitiua aliorum animaliũ ab homine, certũ est apud omnes proprie pertinere ad philosophiam; & probatur expressis testimonijs Aristotelis, & euidenti ratione. Aristoteles enim 6 libro metaphysicorum, cap. 1. textu 2. ad philosophum naturalem pertinere, de omni anima dependente à materia disputare, his verbis docet: *De quadam anima speculari naturalis est, quacumque non sine materia, &c.* Anima autem vegetatiua, & sensitiua non solum dependent à materia, in suis operationibus vegetatiuis, & sensitiuis, quas omnes per potentias, atque instrumenta materialia exercent, sed etiam in esse, & fieri: cum notum sit educi de potentia eiusdem materiæ. Et tandem 1. lib. de partibus animalium c. 1. post medium, quamlibet animam præter intellectiuam, esse principium motus, & ideò ad naturalem philosophum pertinere, sic ait; *Non omnis anima principium motus est, neque partibus anima omnibus id tribui debet, sed augendi principium, idem putandum, quod & in plantis est, alterandi vim eamdem, quam sentiendi, deferendi autem aliud quiddam, non vim intelligendi, delationem enim, vel in cæteris esse animalibus nouimus, &c.* Per vim autem deferendi potentiam loco motiuam animæ sensitiuæ propriam intelligit. Sed ratione probatur, quia ad naturalem philosophiam pertinet agere de principijs rerum naturalium intrinsecis, quæ sunt materia, & forma, vt per se euidens, sed anima vegetatiua, & sensitiua sunt veræ formæ, & materiales, vt probant materiales earum operationes vegetandi, & sentiendi: ergo per se pertinent ad naturalem philosophiam.

4 Nec est minus certum apud Aristotelem eisdem locis, & omnes eius interpretes, animã rationalem, vt vegetatiuam, & sensitiuam, per se etiam pertinere ad naturalem philosophiã. Qui licet non educatur de potentia materiæ, & ideò nec dependeat ab ea in esse, & fieri, materiam tamen informat, & est principium intrinsecũ, atq; etiam pars essentialis compositi vere materialis viuentis, atque sensibilis, & materiales habentis operationes, nutritionis, augmentationis, sensationum & motus progressiui, sicut cętera viuentia, & animalia; ergo per se pertinet sub vtroque gradu vegetandi, & sentiendi ad philosophiam naturalem, sicut animę eorum. Probatur consequentia, quia philosophia per se considerat quascunque causas intrinsecas entis naturalis, & quæcunq; principia motus naturalis, & operationum naturalium, ac materialium: cum hæc omnia sub proprio subiecto per se comprehendantur; ergo per se considerare debet animam rationalem, vt principium intrinsecum, ac partem entis naturalis viuentis, ac sensitiui, & motus naturalis eius, ac materialium operationum.

Quæstio igitur ad solam animam rationalem, vt rationalis est, reducitur, hoc est secundũ gradum vltimum, ac sibi proprium rationalitatis consideratam, an pertineat consideratio eius ad philosophiam naturalem, vel potius ad aliam scientiam.

5 Et prima opinio asserit animam rationalem duo habere: primum, esse intellectiuã; in quo conuenit cum Angelis, & sub hac consideratione vniuersalissima non est forma corporis, quia intellectiuum, vt intellectiuum non est forma, alioqui Angelus esset forma: quare nec pertinet ad philosophiam, sicut nec Angelus, sed abstrahit omnino à materia. Habet etiã secundò esse vegetatiuam, & sensitiuam, & hoc modo non abstrahit a materia sensibili, sed eã respicit, & quia philosophia naturalis concernit materiam sensibilem, & metaphysica abstrahit omninò à materia, quamuis propter secundum pertinetet anima ad considerationem philosophicam, & propter primum ad metaphysicam: considerata verò secundum integram, & adæquatam rationem, vtramque comprehendentem, videtur esse in media quadam abstractione à materia, inter philosophicam, & metaphysicam valde simili abstractione mathematicarum disciplinarum, quam mediam vocare solent inter extremas easdem, philosophiæ, & metaphysicæ: quia abstrahunt quidem à materia sensibili, sed respiciunt intelligibilem, nempe quantitatem, vel corpus vt sic: & quia scientiæ diuerso modo abstrahentes à materia distinguuntur genere, vel specie, propterea docent considerationem animæ rationalis, neque ad philosophiam naturalem, neque ad metaphysicam pertinere, sed quandam sciẽtiam mediam per se constituere distinctam ab vtraque. Ita antiquiores interpretes Aristotelis, Boetius in prologo prædicabilium Porphyrij, & Philoponus in primum librum de Gener. Simplicius, & Themistius prologo Physic. quos etiam sequuntur alij. Vnicum fundamentum horum authorum videtur esse: quia si anima rationalis consideretur secundum propriam entitatem, vel substantiam, spi-

spiritualis est, & omninò independens à materia, quare abstrahit ab illa secundum rem, & secundum considerationem, eo ferè modo, quo abstrahunt Deus, & Angeli: sicut ergo Deus, & Angeli pertinent ad abstractionem metaphysicam, ita etiam anima, sed secundum quòd cõmunicat materiæ esse vegetatiuum, & sensitiuum, non abstrahit à materia sensibili, sed eam respicit, & ex consequenti habet abstractionẽ philosophicam, & quia vna, & eadem res habens vtrumque modum abstrahendi à materia non ad duas scientias, sed ad vnam pertinere debet, vna autem scientia vtroque modo abstrahens, nec potest esse philosophia naturalis, nec metaphysica, sed alia inter vtramque media, quæ vocari potest Scientia de anima ab vtraque distincta: ad hanc debet pertinere, & non ad illas.

6 Secunda opinio asserit, animam rationalem secundum omnes gradus, atque etiam secũdum omnes operationes ab eis procedẽtes pertinere ad considerationem naturalis philosophiæ, adeò vt anima etiam rationalis separata à corpore, & omnes operationes, quas in statu separationis habet, ad eandem philosophiam naturalem spectent. Sic Tolet. q. 2. proœmiali, quod hac vnica probat ratione: Anima rationalis semper est forma physici corporis, actu quidem, dum illud informat, aptitudine verò dum ab ea separata est, nam tunc naturalem appetitum habet ad informandum, sed forma physica corporis pertinet per se ad philosophicam considerationem: ergo anima etiam rationalis, quocunque modo considerata, & in quocunque statu sumpta eiusdem considerationis naturalis debet esse. Vnde sequitur quascunque eius operationes in quocunque statu ab ea procedentes ad eandem considerationem naturalem pertinere, siue dependeant à materia, vel à sensibus, siue non: probatur consequentia, quia eiusdem scientiæ est considerare operationem, & principium à quo procedit, sed anima, quæ principium est omnium operationum, per se consideratur naturalis scientia, vt probatum est; ergo etiam considerabit operationes ipsas.

7 Sed huic opinioni addit Tolet. animam rationalem etiam in corpore existentem, quandam habere intellectionem, per quã eleuatur ad contemplationem sublimium rerum nullo modo dependentem ab operatione phantasię, sed hanc omnino suspendi: & de hac operatione probabile esse ait, non pertinere ad philosophiam, neque animam vt principiũ eius, & hoc modo excludi ab Arist. quotiescunq; docet, ad naturalem pertinere disputationem de anima, non tamen de omni, hoc est non de anima hominis, vt principio talis operationis contemplatiuæ. Hanc sententiam omnino probabilem esse asserunt Conimb. 2. lib. de anima, c. 1. q. 2. art. 2. ad primum, quantum ad primum de operatione contemplatiua omnino independenre à phanrasmate. Probantque, quia dependentia intellectus in corpore existentis à phantasmate non videtur propriè necessaria, sed quatenus ob connexionem harum potentiarum, dum intellectus in proprium obiectum fertur, simul phantasia ad aliquod singulare obiter attendit; ergo suspendi potest naturaliter. Quod probari etiam potest, quia in raptu, nec anima egreditur à corpore, nec intellectus ab operatione intelligendi cessat, & tamen videtur omnino suspendi operatio phantasiæ, sicut suspenditur operatio omnium sensuum externorum: quare dabitur tunc operatio in corpore, sine actuali dependentia à phantasmate. Sed probat Toletus esse sententiam Aristot. quòd anima, vt est principium huius intellectionis independentis, non pertineat ad philosophiam, testimonijs eiusdem. Primum habetur 3 lib. de anima text. 35. & 36. postquam enim in priori docuit vniuersaliter intellectũ nostrum in corpore existentem, nihil intelligere sine phantasmate, subdit in posteriori: *Vtrum autem contingat aliquid separatorum intelligere ipsum existentẽ non separatum à magnitudine, an non considerandum est posterius.* 9. autem metaph c 12. tex. 12. vbi videtur soluere hoc dubium, asserit animã nostram esse in potentia ad intelligendas substantias immateriales, non quidem potentia cęcitatis, quasi dicat, non in potentia remota nũquam reducenda ad actum, sicut ea quam videtur habere cęcus ad videndum, sed proxima, & ad actum reducenda, qualis est ea, quam dormiens habet ad videndum colorem. Ex quibus sequitur sentire Aristotelem, quod possit anima in corpore existens intelligere separatas substãtias, per se quidẽ, hoc est, per proprias species, & non solum per accidens, hoc est, per alienas species rerum materialium, nam de hoc nemo potest dubitare. Quod vt clarius ostenderet 2. lib Metaph. c. 1. docuit sic se habere animam nostram ad intelligenda manifestissima omnium (qualia sunt substãtiæ immateriales ex propria natura) sicut oculi vespertilionum, ad vid ẽdum lumen diei: constat autem tales oculos per propriam speciem videre lumen diei, & ideò per se, quamuis imperfectè: ergo eodem modo sentit Arist. animam nostram per se, & per propriã speciẽ intelligere substantias separatas, dũ

est in corpore, & ideo non per species acceptas à sensibus, vel dependentes ab eis, sed habere operationem sibi propriam, est, nullo modo dependentem à phantasmate, & secundum eam non pertinere ad consid rationem philosophicam.

9 Secundum testimonium reperitur in 1. lib. de anima tex. 12. vbi agens de operationibus animæ asserit de quibusdam certum esse, quod sint communes corpori, & ideo non propriæ ipsius animæ, vt de ira, desiderio, ac sensationibus est manifestum, de intellectione verò ait assimilari propriæ operarioni, de qua si verum est esse imaginationem quandam, vel non posse haberi ab anima sine imaginatione, non erit ei propria, & ita nullum habebit propriam; & si nullam talem habet, non erit à corpore separabilis: quia quod non potest vllo modo operari sine corpore, nec sine illo esse poterit, cum esse, sit ordinatum ad operandum. Ex quibus ita arguit Toletus, Aristoteles sentit animam rationalem esse separabilem à corpore, & fides nostra docet in morte separari; ergo sentit habere operationem ita sibi propriam, & nullo modo dependentem à phantasmate exercitium eius; Quod etiam secundum fidem concedendum est, vt separabilis esse intelligatur naturaliter anima, nam mors naturalis est: Probatur consequentia, quia si non habet operationem, quam possit exercere sine corpore, nec poterit sine corpore esse.

10 Tertio loco referri possunt recentiores, ex quibus quidam absolutè negant animam rationalem secundum gradum rationalitatis pertinere ad Philosophiam, sed à Metaphysica considerari asserunt. Alij verò distinctione vtendum esse docent: nam secundum gradum ipsum substantialem rationalitatis, per quem informat corpus, & constituit compositum physicum humanum, ad Philosophiam pertinet, sed secundum intellectum, & voluntatem operationesque eart in potentiarum potius ad Metaphysicam Et tamen alij alio modo distinguunt diuersas operationes animæ, nempe secundum essentiam, aut secundum modum essendi, & modo priori pertinere ad Metaphysicum asserunt, quia spiritualis est, & independens à materia, modo verò posteriori ad Philosophum, quia modum essendi habet in materia. Conueniunt igitur recentiores isti in eo, quòd omnes excludunt animam rationalem à consideratione philosophica aliquo modo.

Quod potest probari expresso testimonio Aristotelis, & efficaci ratione eiusdem: nam 1. Physic. tex 83. asserit de solis formis physicis, & corruptibilibus sibi esse disputandum in reliquis libris naturalis Philosophiæ; ergo non de anima rationali, quæ incorruptibilis est, & 6 Metaphysic textu secundo, ita ait. *De quadam anima speculari naturalis est quæcunque non sine materia*, sed eadem anima rationalis est incorruptibilis, & sine materia; ergo non pertinet ad considerationem naturalis philosophiæ. Sed ex professo 1 lib. de par animalium, cap. 1. post medium, hanc eandem quæstionem de anima intellectiua proposuit, an pertineat ad Philosophiam naturalem consideratio eius: eique respondet his verbis; *Sed quæret quispiam, animaduertens id quod modo dixi, vtrum de anima omni docere naturalis scientia intersit, an de aliqua vna, at si de omni, nulla certè præter naturalem philosophiam relinquetur scientia, intellectus enim siue mens rerum intelligibilium est, itaque rerum omnium notiones naturalis vna tenebit, est enim eiusdem scientiæ, vt tam de intellectu, quam de re intelligibili doceat, si quidem eadem contemplatio omniũ est inter se coniunctorum, sicut etiam sensus, & rei sensibilis, at non omnis anima principium motus est, neque partibus animæ omnibus tribui debet, sed augendi principium idem putandum quod est in plãtis, alterandi vim eandem quam sentiendi, differendi autem aliud quiddam, non vim intelligendi: delationem enim vel in cæteris esse animantibus nouimus, intellectum siue mentem in nullis. Constat igitur non de anima differere omni oportere, quandoquidem non anima omnis natura est, sed aliqua eius pars vna, aut etiam plures, ad hæc, rem à materia abstractam nullam potest scientia naturalis contemplari, cum natura rei alicuius gratia faciat omnia.* Hæc Aristoteles, quibus expresse negat animã sub gradu rationali, vel intellectiuo, atque etiã intellectum, & operationem eius ad philosophiam naturalem pertinere. Probatque his argumentis: Primò, quia anima rationalis secundum hunc gradum intellectiuum non est natura: quia non est principium alicuius motus naturalis.

11 Secundò, quia si naturalis philosophia cõsideraret animam, vt intellectiuam: ergo consideraret per se intellectum, & consequenter obiectum eius: quia ad eandem scientiam pertinet considerare rem, atque potentias, & operationes eius, sed obiectum intellectus est omne intelligibile, & consequenter omne ens: quia intelligibile conuertitur cum ente: ergo consideraret per se omne ens: ex quibus sequitur (ait Arist.) quod non daretur vlla alia scĩetia, præter philosophiam naturalem, quod est absurdũ.

Tertiò, quia philosophia agit de ente naturali, hoc est composito ex materia, & forma, sed

ſed anima intellectiua, vt talis, atque etiam intellectus eius abſtrahunt à materia: ergo non poſſunt pertinere ad conſiderationem philoſophiæ naturalis, Minorem probat: quia nec anima intellectiua, nec intellectus eius dependent per ſe à materia, ſed ab ea poſſunt ſeparari.

11 Pro ſolutione huius quæſtionis duo oportet adnotare.

Primum, quod licet anima rationalis ſecundum ſuam entitatem ſit ſpiritualis, & incorporea, eſt tamen corporea, vt quo: cum ſit conſtitutiua corporis phyſici: & hoc non ſolum habet ſecundum gradum vegetandi, & ſentiendi, ſed etiam ſecundum gradum rationalitatis. Itaque non eſt anima ſpiritualis ſubſtantia, ſicut Angelus: ſed ita eſt ſpiritualis, quod eſſentia, & ſubſtantia eius ſit actus, & forma corporis, & pars intrinſeca, atque eſſentialis compoſiti corporei, & materialis. Quod non ſolum lumine naturali cognoſcimus cum Ariſtotele, ſed etiam ſupernaturali diuinæ fidei, vt in 2. & 3 libro probabitur: cum expreſsè ſit definitum ab Eccleſia, animam rationalem eſſe veram formam corporis, etiam, vt rationalem, vt inferius oſtendemus.

13 Secundò, adnotare oportet animam rationalem duplicem habere ſtatum, primum in corpore, in quo creatur à Deo, ſecundum extra corpus, dum ab eo ſeparatur in morte hominis. Et ratio vtriuſque ſtatus colligitur ex natura, & modo eſſendi eius, in quo duo ſunt: primum, quod anima rationalis ita eſt forma corporis, aut materiæ, vt de potentia eius non educatur, & ex conſequenti, nec ab ea dependeat in eſſe, & fieri, ſed habeat eſſe independens, etiam in corpore. Quod non benè ita intelligitur, niſi in eo habeat propriam ſubſiſtentiam, vt in noſtris commentarijs phyſicis, libro primo, oſtendimus, per hunc igitur modum independens, qui eſt naturalis ſubſiſtentia, poteſt eſſe ſine corpore inquit.

Reperitur etiam ſecundum, nempe quod anima ſit forma, non cuiuslibet corporis, ſed corruptibilis, & naturaliter, ac neceſſariò corrum pendi, quare neceſſe eſt, quod potentia illa ad eſſendum per ſe ſine corpore reducatur aliquando ad actum, & ita ſecundum ordinem naturalem, & abſque vllo miraculo ſit extra corpus, etiam ſine additione alicuius noui modi eſſendi, quia per propriam ſubſiſtentiam, quam habet in corpore, vt 1. lib phyſic. probauimus, ſuſtentatur extra illud independenter à quolibet alio, præter Deum; & ſicut per ſe ſubſiſtit extra corpus, ita poteſt naturaliter habere proprias operationes intelligendi, & volendi, vt dicemus in 3. lib.

14 Quibus præſuppoſitis, tribus aſſertionibus explico meam ſententiam, quarum prima eſt: *Anima rationalis, vt eſt principium intelligendi in corpore, per ſe pertinet ad conſiderationem naturalis philoſophiæ.* Hæc prius declaranda eſt, deinde probanda: Declaratur autem hoc modo, vniuerſaliſſimus gradus intellectualis naturæ hoc ordine deriuatur, aut deſcendit, ad particulares, vt primo conueniat Deo, qui per eſſentiam habet eſſe intellectualem naturam, & per eandem ſuam ſubſtantiam ſe, & omnia intelligit, deinde deriuatur ad Angelos, quibus conuenit per participationem, ſed perfectè in hoc ordine, quia conuenit eis tanquam naturis completis, ad animam verò imperfectiſſimo, atq; infimo modo: quia non tanquam naturæ completæ, ſed incompletæ, hoc eſt tanquam parti, & ideo aliquo modo dependenti à corpore in modo intelligẽdi, ſaltem dum in eo eſt, ex qua dependentia intelligitur, vt proprius modus intelligendi eius ſit per receptionem ſpecietũ à ſenſibus, & ideò vnum poſt aliud, atq; ex alio deducendo, quod eſt intelligere diſcurrendo, aut ratiocinando, & modus iſte intelligendi imperfectiſſimus eſt propter ſucceſſionem, quã non habet Angelus, ſed ſimul intelligit omnia, quæ pertinent ad eandem rem, & quæ ex ea deducuntur, & ideo longè perfectius quam anima, quæ ex ſucceſione intelligendi, & per ſpecies acceptas à ſenſibus alias, vt tardius percipiendi, quæ pertinent ad eandem rem, aut ex ea deducuntur. Et ex his intelligitur ratio ob quam anima dicitur rationalis, & hominem rationalem conſtituit, & non intellectualem ſubſtantiam ſicut Angelum. Aſſertio igitur noſtra ſic explicata affirmat animam, vt principium intelligendi in corpore, hoc eſt cum diſcurſu, pertinere ad conſiderationem naturalis philoſophiæ.

15 Quam probo primò ex eadem doctrina adnotata, hoc modo, anima rationalis, vt principium intelligendi in corpore eſt pars eſſentialis phyſici, ac materialis compoſiti, quod eſt ens naturale, nempe hominis, ſed ad eandem ſcientiam pertinet totum, & partes eſſentiales eius, ergo ſicut corpus humanum vt tale, quia eſt pars materialis talis entis naturalis, pertinet per ſe ad conſiderationem phyſicam, ita anima, vt rationalis, ſecundum ſtatum informandi illud.

Secundò, id quod verè, & propriè eſt natura, per ſe pertinet ad ſcientiam naturalem, ſed

anima, vt rationalis verè, & propriè eſt natura: ergo pertinet per ſe ad ſcientiam naturalem. Maior per ſe eſt euidens. Minorem vero ſic probo: ex definitione naturæ, aſſignata ab Ariſt. 2. lib. phyſicorum: Natura, eſt *Principium motus, & quietis eius in quo eſt*; ſed anima, vt rationalis informans corpus eſt principium motus phyſici hominis, in quo eſt, ergo eſt natura: Minorem probo; quia anima eſt principium riſus, fletus, admirationis, locutionis, qui vel motus phyſici ſunt, vel ſine motu phyſico cauſato ab eadem anima, vt rationali non fiunt, vt per ſe eſt manifeſtum: cum non fiant in brutis. Eſt etiam principium intellectionis dependentis à phantaſmate materiali, quod ſatis eſt, vt ſit motus phyſicus communiſſima ratione, prout ſumitur in definitione naturæ.

16 Secunda aſſertio, *Anima rationalis dum eſt in corpore, nullam habet operationem omnino indepèdentem à phantaſmate, ſiue per ea agnoſcat ſpiritualia, ſiue corporea, aut ſenſibilia, & proinde nullam habet, ſecundum quam non pertineat ad conſiderationem philoſophicam*. Hæc eſt contra Toletum: quam probo primo expreſſo teſtimonio Ariſt. 3. lib. de anima, tex. 39. vniuerſaliter aſſerentis, nihil poſſe intelligere animam in corpore exiſtentem niſi cum dependentia à phantaſmate, his verbis: *Qui non ſentit aliquid nihil vnquam addiſcet; nec intelliget, & cum ſpeculatur neceſſe eſt ſimul phantaſma aliquid ſpeculari*, quæ egregie expendens D. Thom. in Commentariis eiuſdē loci, ait, duo in eis aſſerere Ariſtotelem. Primū, quod nihil poſſit homo addiſcere, niſi cū actuali dependentia à phātaſmate, quod eſt non poſſe ſcientiam acquirere de nouo, imò nihil de nouo cognoſcere, quia addiſcere vtrumq; comprehendit in ſua propria ſignificatione. Secundò aſſerit nihil omnino intelligere, aut ſpeculari poſſe hominem, niſi aliquod ſimul phantaſma ſpeculetur, hoc eſt, niſi phantaſia actu operetur circa idemmet obiectum intelligendum, vel circa aliquid ad ipſum pertinens aut ei ſimile, quod eſt dicere, non ſolùm non poſſe intellectū humanum acquirere ſcientiam ſine actuali dependentia à phantaſmate, ſed neque vti ſcientia iam acquiſita. Vnde infert D. Thom. falſum eſſe quod Auicenna tenuit, nempè quod licet non poſſimus acquirere ſcientiam ſine tali dependentia à phantaſmate, benè tamen poſſimus vti ſcientia iam acquiſita, vtrumque enim negat expreſſe Ariſtoteles: Rationibus verò probabitur ex profeſſo eadem aſſertio 3 libro de anima.

17 Aſſertio vltima, *Anima rationalis à corpore ſeparata etiam pertinet ſimpliciter ad conſiderationem naturalis philoſophiæ, non tamen ſecundum ea, quæ ſunt propria illius ſtatus, ſed ad Metaphyſicam:* quæ tamen commodius tractantur ad hūc huius operis, cum cæteris ad ſtatum corporis pertinentibus, quam in Metaphyſica.

Prima pars huius aſſertionis colligitur ex præcedente, hoc modo: Anima rationalis dum informat corpus, ideo pertinet ad conſiderationem philoſophiæ, quia eſt pars eſſentialis entis naturalis, & principium motus phyſici eius: ſed omnia, quæ habet actu in corpore, habet ſecundum aptitudinem intrinſecam, dum eſt ab eo ſeparata: cum eſſentialiter ſit apta ea exercere in corpore, & ad ea exercenda appetitum habeat; ergo pertinet ſimpliciter ad eandem ſcientiam. Probatur conſequentia: quia hæc præſtare actu, vel habere ad ea præſtanda aptitudinem eiuſdem rationis, & conſiderationis ſunt, vt per ſe eſt manifeſtum.

18 Secundam verò partem quòd ſecundum quæ actu habet ex ſtatu ſeparationis non pertineat ad philoſophiam naturalem, ſic probo, ea, quæ pertinent ad ſtatum ſeparationis, non poſſunt eſſe conſiderationis philoſophicæ, ſed Metaphyſicæ, ergo neque anima rationalis ſecundum illa conſiderata. Euidens eſt conſequentia; & antecedens probatur: quia ad ſtatum ſeparationis pertinent ſubſiſtere per ſe, ſine corpore, & operari ſine miniſterio eius, aut ſine vlla dependentia à phantaſmate, immò & accipere ſpecies infuſas à Deo immediatè, & per eas intelligere, vt cum D. Thoma ferè omnes ſentiunt, ſed modus iſte eſſendi, & operandi, non eſt modus formæ, ſed potius completæ ſubſtantiæ ſpiritualis, nempe Angeli accipientis ſpecies à Deo per infuſionem, & non à rebus ipſis medijs ſenſibus; ergo ad eandem ſcientiam pertinet anima ſecundum ea conſiderata, ad quam pertinent Angeli, quibus valde aſſimilatur, ſed de Angelis conſtat non pertinere ad philoſophiam naturalem ſecundum ſe, ſed ad Metaphyſicam, niſi quadam fortè ratione extrinſeca, vt ſunt motores corporum; ergo pari ratione anima ſecundum propria huius ſtatus, Metaphyſicæ potius, quàm philoſophicæ conſiderationis, cenſeri debet. Itaque in anima ſeparata duo hæc diſtinguenda ſunt, & aptitudo informandi, atque operandi per miniſterium corporis, & modus actualis eſſendi, & operandi ad ſimilitudinem completæ ſubſtantiæ ſpiritualis; & ratione prioris ad philoſophiam naturalem pertinet conſideratio eius; ratione verò poſterioris, non niſi ad Metaphyſicam.

Sed nihilominus dicitur in noſtra aſſertione com-

commodius tractanda esse, quæ pertinent ad hunc statum in præsenti opere, vt benè adnotauit Suarius noster tomo 1. Metaphysicæ disp. 1 sect. 2 nu. 181 quia maior perfectio scientiæ est integram atque completam rationem sui subiecti considerare, quam partem tantum eius partem aliam reijciendo ad distinctam scientiam, etiam si propriè ad eam pertinere censeatur, & propterea peculiarem tractatum de statu animæ separatæ ad finem huius operis subijcimus, ne lectores compellantur cum in metaphysica quærere.

19 Ad argumentum primæ opinionis distinguendum est antecedens, quod anima rationalis secundum propriam entitatem, vel substantiam sit spiritualis: nam vt quod, verum est, vt quo, falsum, quia vtrumq; habet secundũ propriam rationem, & entitatem, & quod non sit corpus, sed spiritus, & quod sit forma corporis intrinseca, & pars essentialis compositi materialis, atq; corporei, nẽpe hominis, & ideò falsum est, quod sit substantia spiritualis sicut Angelus vnde sequitur falsum esse, quod argumentum colligit: nempe animam secundum se, ac simpliciter consideratam pertinere ad considerationem Metaphysicam, sicut pertinent Angeli, sed tanquam essentialis forma corporis potius pertinet simpliciter ad philosophiam, quamuis secundum ea, quę pertinent ad statum separationis, in quibus assimilatur Angelis, spectet ad metaphysicam.

20 Ad primum argumentum ex his, quibus probatur animam in corpore habere aliquam intellectionem, sine dependentia a phantasmate, negandum est antecedẽs; quod dependentia intellectus existentis in corpore ab operatione phantasiæ, non sit per se naturaliter necessaria, cum non sit essentialis: nam licet verũ sit hanc dependentiam ex connexione, & quasi sympathia harum potentiarum prouenire, sed connexio hæc necessaria est necessitate naturali, ita vt naturaliter repugnet operari intellectum, quin simul operetur phantasia circa aliquod singulare pertinens ad obiectum, circa quod operatur intellectus.

Ad secundũ verò de raptu respondet D. Th. 2.2 q 174. art 5. quod anima rationalis duo habet in corpore, nempè aptitudinem ad intelligendum cum dependentia ab eo, & permanente aptitudine suspenditur actualis dependentia diuina virtute supernaturali, per quam rapitur anima ad contemplationem diuinorum, & ideò tunc sine illa intelligit. Ex quo non sequitur, quod possit naturaliter habere operationem independentem, immo oppositum, quod non possit: quia si requiritur virtus supernaturalis, vt intelligente anima in raptu, suspendatur operatio phantasiæ, non potest naturaliter suspendi, & ideò, nec potest intellectus naturaliter vllam habere operationem in corpore sine actuali dependentia a phantasmate: & hæc est expressa sententia Diui Thomæ in eodem loco

21 Ad argumentum secundæ opinionis concedenda est vtraque pars antecedentis, quod anima rationalis semper sit forma actu, vel aptitudine, sed neganda cõsequentia, quod secundum omnia quæ habet pertineat ad philosophiam; nam præter rationem actualem, & aptitudinalem formæ habet aliam, quam non videtur considerasse argumentum, nempe modum essendi, per se sine corpore, & modum operandi sine phantasmate, in quibus valde assimilatur substantijs separatis: vnde quamuis ratione actualis, & aptitudinalis informationis pertineat ad philosophum, non tamen secũdum modum essendi, & operandi, quem habet separata: nam ratione vtriusq; pteci se considerata sic se habet, ac si non esset forma: quare ex his non potest pertinere ad philosophiam: non ergo bene colligit Toletus, quod licet anima habeat quasdam operationes dependentes, alias independentes a phantasmate secundum omnes debet pertinere ad philosophiam: quia omnes procedunt a forma, nã licet omnes procedant ab eo, quod est forma, non omnes procedunt ab eo vt forma, sed independenter procedunt ab anima, vt habet modum essendi, & operandi substantiæ completæ, ac separatæ.

22 Duo priora testimonia Aristotelis, quæ pro se affert Toletus difficultate carent, si consideretur nihil absolutum in eis proferre, sed sub conditione, ac dubitanter loqui nihil determinando, sensus ergo prioris est. Dubium esse, an intellectus noster in corpore existens intelligat substantias immateriales, & quonã modo possit eas intelligere. Cui respondet in alio loco ex metaphysica citato posse eas absq; dubio intelligere, quod verum est, non solum dum est in corpore: sed etiã separata ab eo (si tamen separari potest, quod ibidem non determinat) a corpore quidem per alienas species rerum materialium, extra corpus verò forte etiam modo alio, quem nec ipse determinat: sed vtroq; modo imperfectè, & propterea alio loco in argumento citato explicat vespertilionis similitudine, quia sicut vespertilio non ex directo aspicere potest lumen solis propter oculorũ imbecillitatem, sed quasi ex obliquo, & nimis imperfectè tanquã sibi improportionatum, ita anima

ma in vtroque statu imperfectè cognoscit purè spiritualia, vt Deum, & Angelos tanquam sibi improportionata, propter modum essendi altioris ordinis, quare negamus vnquam dixisse Aristotelem, quod anima in corpore existens intelligat substantias separatas per species proprias, aut sine dependentia à phantasmate.

23 Secundum testimonium non solum sub conditione loquitur de anima rationali, & intellectu eius, sed secũdum totum ambitum suæ virtutis, atq; potentiæ, & ideò sensus illius est, non erit anima separabilis a corpore, si nullo modo potest sine sensu operari, si verò possit sine illo, separabilis erit, & vtriusque conditionalis ratio manifesta est, quia si non potest vllo modo sine phantasmate operari: ergo nec sine corpore esse, vel ab eo separari: si verò aliquam potest habere operationem sine phantasmate, poterit quoque sine corpore operari, & sine illo esse, aut ab eo separari. Sic loquitur in 1. lib. de anima.

In tertio, vbi citatur in argumento afferens necessarium esse intelligentem speculari aliquod phantasma, solum loquitur de anima intelligente in corpore, nihil de modo intelligendi extra corpus (si separari ab eo potest) affirmans, vel negans, & quia intellectus in corpore non dependet a phantasmate, sicut potentia organica dependet ab organo, in quo est, & per quod operatur (quod arbitror sensisse Aristotelem) euidenter ex hoc colligitur, posse animam, & intellectum eius secundum totum ambitum suæ virtutis alium modum operandi habere non alligatum phantasiæ, vt in fine huius operis ostendetur, & consequenter posse a corpore separatam permanere.

24 Argumenta pro tertia opinione obiecta, difficiliora sunt, sed in primis explicare oportet testimonia Aristotelis, & præsertim vltimum, cui innituntur, vt commodius solui possint. Cui respondent recentiores quidam, Aristotelem nõ loqui in eo de anima propriè sumpta pro forma, sed de quadam ratione communissima spiritualis substantiæ communi Deo, Angelis, & animę rationali, & ideò sermonem transferre potuisse ad Deum, vel primam intelligentiam, & hunc sensum tenuisse ostendit ipse paulò inferius, his verbis. *Quamobrem verisimilius dixerim cœlum, & factum esse ab eiusmodi causa si factum est) & magis esse ob eam causam, quam animalia caduca, atque mortalia*. Quæ de sola prima intelligentia vera esse posse constat, & non de anima propriè sumpta. Cui consonant alia testimonia, in quibus loquitur de anima in eadem acceptione communissima, vt 1. lib de anima c. 1. text. 8. vbi assignans exempla animarum, inquit, vt anima equi, hominis, & Dei, per animam Dei intelligens diuinam mentem, vel intellectum, & 2. lib. de cœlo. c. 2. intelligentiam à quo mouetur cęlum vocat animam eius. Et denique Deum, & Angelos solet vocare animalia immortalia.

25 Hæc tamen solutio non potest stare cum antecedentibus verbis eiusdem vltimi testimonij, quæ sic habent. *Si hæc inquam, ita statu debent hominis natura studiosi, sane interest de anima, & disserere, & scire, & si non de omni anima, tamen de ea ipsa, qua tale animal, & quidnam anima, aut certè pars ista anima sit, &c.* & paucis interpositis, *nam ob eam etiam rem, qui de natura agit, eo amplius docere de anima, quam de materia debet, quo materia natura potius per animam quã è contrario est, &c.* Post hæc autem oĩa verba relata, sequuntur immediate verba illa vltimi testimonij in fauorem alterius sententiæ oppositi, quibus quæstionem proponit Aristoteles, an de omni anima disputet naturalis philosophus, vel solum de aliqua, an de omni parte, vel gradu eius, aut tantum de vno, vel pluribus, quare repugnat intelligi de anima, sub communissimo, & improprio conceptu, quo Deum, & Angelos comprehendit: nam anima hoc modo, non est qua homo est animal, nec est pars compositi naturalis; nec dicitur natura perfectior, quam materia, sed necesse est, de anima propriè sumpta intelligi: nã cum necessarium sit quæstionem disputari in eodem sensu, in quo proponitur, non est minus necessarium verba sequentia, quibus disputatur quæstio, intelligi de anima secundum propriam rationem animæ, quam antecedentia, per quæ proponitur, & quæ quasi tituli eiusdem quæstionis formam habent.

26 Ex quibus sequitur, quòd quamuis gratis daremus his recentioribus, Aristotelem alijs locis adductis vti impropriissima illa acceptione animæ, non benè ex eo deduci potest, eadem vti in hoc testimonio, cuius verba relata tam expressè loquuntur de ea secundum proprium conceptum, & rationem partis, nihilominus nec illis locis tali acceptione vtitur, sed etiam propria: nam in duobus primis (vt benè D.Th. in Commentarijs proprijs) per Deos corpora cœlestia, pro Dijs à quibusdam habita intelligit, & per animam eorum, non Deum ipsum, vel intelligentias separatas, sed animam informantem, quam alij quidam philosophi, eisdem cęlestibus corporibus tribuebant.

Vt igitur verum sensum eiusdem testimonij tenere possimus, adnotandum est, quod in anima

ma rationali secundum gradum rationalitatis sumpta tria possumus considerare, nempè, quod intellectiua sit abstrahendo a particularibus modis intelligendi, quemadmodum in Deo & Angelis consideramus eandem rationem cōmunem non considerati distinctè, aut in particulari, specialibus modis intelligendi, ex eo quod intellectiuum, vt sic prædicatum est aliquo modo commune Deo, Angelis, & animæ.

27 Secundò possumus considerare in anima esse intellectiuum per se, hoc est sine ministerio, vel dependentia a corpore, quem modum intelligendi habet separata a corpore, & in quo ac hoc conuenit aliquo modo cum Deo, & Angelis, & aliquo modo distinguitur: conuenit quidem in ratione communi intelligendi per se, & sine dependentia ab alio: distinguitur verò in modo imperfecto intelligẽdi per se, quia Deus, & Angeli habẽt modum completum ita intelligendi, sicut habent modum completum essendi, anima verò in hoc gradu intelligendi, imperfecta est, sicut in modo essẽdi incompleto. Tertiò consideramus intellectiuum per ministerium corporis, vel cum dependentia a phantasmate, & in hoc omninò distinguitur anima a Deo, & Angelis, quibus modus iste omnino repugnat. Anima ergo rationalis ex duobus primis in ea cōsideratis non potest pertinere ad considerationem naturalis philosophiæ, sicut nec Angeli, quibus assimilatur in modo essendi, & intelligendi, atque etiam in modo abstrahendi a materia: nam secundum vtrumq; considerata omnino abstrahit a materia, nec eam omnino concernit: modus autem sic abstrahendi a materia, non potest esse philosophicus, sed metaphysicus, vt ex superioribus est manifestum: pertinet igitur ad philosophiam ratione vltimi, ex quo habet esse actualem formam corporis, dum illud informat, & per ministerium eius intelligit, & dum est separata ab illo, habet saltem aptitudinem, imo, & appetitum ad talem modum essendi, & operandi. Et ex his colligitur germanus sensus verborum Aristotelis, & solutio argumentorum, quæ ab eis deducta sunt in fauorem oppositæ sententiæ.

28 Imprimis enim dum negat Aristoteles, quod anima intellectiua pertineat ad considerationem philosophicam, accipitur ab eo secundum duo illa priora in ea considerata, & non secundum vltimum, ratione cuius præcise de ea agit in hoc opere tanquam de eo, quod per se pertinet ad naturalem philosophum. Et in eodem sensu procedunt de illa argumenta, quibus efficaciter probatur intentum: nam secundum duo illa priora bene probat primum, quod non sit natura, tum nō sit principium motus, sed solius intellectionis, & volitionis abstrahentis à materia, & phantasmate, quo pacto intellectio non est motus physicus, vt per se est manifestum. Secundum etiam probat intẽtum, quia si anima secundum gradum intellectiuæ, vt sic, in quo conuenit cum Angelis conuenientia vniuoca, & cum Deo analogica, pertinet ad considerationem philosophicam, euidenter sequeretur, quod intellectiuum, vt intellectiuum ad eandem pertineret, & consequenter intelligibile vt intelligibile, quod constat cōprehendere omne ens: quare nihil relinqueretur considerandum à metaphysico, & ideò præter philosophiam non esset ponenda alia scientia per se considerans ens vt ens, quod patet esse falsum, cum ad considerandum hoc ponatur vniuersalis scientia, quæ est metaphysica.

29 Tertium argumentum probat animam secundum illa duo priora in ea considerata non pertinere ad considerationem philosophicam, quia vt sic abstrahit omninò a materia, & de abstrahentibus sic a materia, non agit philosophia: de eadem verò anima, vt informante corpus actu, vel aptitudine, atque intelligente per ministerium corporis certum erat apud Aristotelem pertinere ad philosophicam considerationem, ex his quæ docuerat de natura 2. lib. physic. & de forma in 1. & ideo nec verbum de anima rationali, hoc solum modo considerata loquitur in eodem testimonio, quod nunc exponimus: quia de hoc non erat quæstio apud ipsum, sed solum, an eadem anima rationalis secundum omnes gradus vel partes, & secundum omnem eius statum, vel solum secundum aliquos gradus, & statum aliquem ad cōsiderationem naturalis philosophiæ spectet. Cui respondet non secundum omnia, quæ in ea considerari possunt spectare, quod tribus illis argumentis efficaciter probauit. Quod verò post verba eiusdem testimonij a nobis relata asserit, nempè intellectiuum abstrahens omnino a materia non habere finem, cuius gratia operetur, & ab illo factum esse cœlum (si factum est) ideo docet, quia intellectiuum sub vniuersalissima ratione, primam intelligentiam, vel Deum comprehendit, atque etiam Angelos, & animam, & ideò si intellectiuum vt sic haberet finem, prima intelligentia eum haberet, quod est falsum, nam cęlum (si factibile est) fecit propter se, & non propter alium finem: cum non sit finis a se distinctus, cuius gratia operatur.

QVÆ-

QVAESTIO II.

An subiectum proprium huius operis, sit anima, vel corpus animatum.

30 PRopria materia, circa quam versatur scientia, solet vocari subiectum eius, cuius naturam explicare intendit, & passiones, aut proprietates demonstrare, & eandem materiam appellare solent obiectum in quantum quasi scopus est, in quem intentio scientis, & actus atque demonstrationes eiusdem scientiæ diriguntur. Hæc autem materia subiectum atque obiectum vocatur adæquatum: si omnia, quæ in scientia tractantur, & rationes eorum comprehendat, si verò præcipua pars sit eiusdem subiecti comprehendentis omnia, dicitur principale, & non adæquatum. De adæquato igitur subiecto huius operis, vel philosophiæ partis quærimus, an sit anima, vel corpus animatum (de his enim duobus solum potest esse dubium) &

Prima opinio tenet esse corpus animatum. Ita Venetus huius operis principio, & nonnulli ex recentioribus. Probant primò, quia subiectum partialis scientiæ, ita debet contineri sub subiecto totius. vt hoc de illo prædicetur, tanquam vniuersale de particulari: sed subiectum totius philosophiæ, cuius pars est tractatio hæc, non sic prædicatur de anima. ergo hæc non est obiectum eius. Probatur minor, quia hæc non est vera prædicatio anima est ens mobile, vel ens naturale: cum totum non prædicetur de sua parte.

Secundo, subiectum scientiæ est illud, cui per se primò conueniunt proprietates, vel passiones, quę in ea demonstrantur, sed proprietates, quæ demonstrantur in hoc opere, non conueniunt per se primò animæ, sed corpori animato: ergo hoc, & non illa est subiectum. Probatur minor, quia proprietates in hoc opere demonstratæ sunt potentiæ vitales, sensitiuæ, loco motiuæ, & earum actus, qui sunt viuere, sentire, & moueri: sed hæc omnia primò, & per se conueniunt corpori animato, & non animæ: ergo non hæc, sed illud est subiectum. Probatur minor ex Aristotele 1. lib. de anima, textu 64. sic asserente: *Dicere autem irasci animam simile est, ac si quis dicat eam texere vel adificare: melius enim fortassis est dicere, animam non misereri, aut addiscere, aut cogitare, sed hominem anima*. Et ratione, quia potentiæ vitales, ac sensitiuæ, actusque earum, non insunt animæ, sed in organis corporeis sunt, per quæ operatur compositum, vt potentia visiua in oculis, per quos actum videndi exercet animal.

Tertiò quia corpus animatum est vna ex præcipuis speciebus entis naturalis: ergo de illo agere debet alicubi naturalis philosophia: sed nulla est alia pars eius per se intendens cognitionem corporis animati, præter hanc, a qua intenditur, eo ipso quod de anima præcipua eius parte agitur: ergo scopus in quem intentio huius operis dirigitur, est corpus animatū, ad cuius notitiam ordinatur cognitio animæ, & proprietatum eius. Vnde sequitur illud esse obiectum proprium, & adęquatum, animam verò præcipuam eius partem; quare ad summum, potest esse obiectum principale, adæquatum vero nullo modo.

31 Secunda opinio parum a præcedenti differt, nam asserit horum quidem librorum de anima, (si separatim acciperentur) subiectū esse animam, non esse tamen ita accipiendos, sed simul cum libris sequentibus, quæ appellantur Parua naturalia, in quibus magna ex parte disseritur de corpore animato, cuius forma est anima: cum his ergo efficiunt integrum opus, cuius subiectum est corpus animatum, & ideo absolute loquendo subiectum horum librorum non esse animam, sed corpus animatum, ita Apollinaris, q. 4. Proœmiali, Conimb. in proœmio huius operis ad finem, & ex recentioribus plures. Argumenta autem huius opinionis eadem sunt, quæ pro præcedenti attulimus.

Tertia opinio est communis, *quòd subiectum huius operis sit anima, & non corpus animatum*. ita Alexand. Philop. Simplicius, Themist. Albertus Magn. D. Thom. Ægidius, Theopil. Iandun. Caiet. & Ferrar. in proœmio huius operis, & Toletus. q. 4. proœmiali, qui animam, non solum esse subiectum horum librorum, sed etiam Paruorum naturalium censet, supposito, quòd vnum opus efficiant omnes: & hæc mihi videtur ex mente Aristotelis, atque etiam probabilior. Probatur primum ex proœmio huius operis, vbi postquam Aristot. opus hoc appellauit historiam animæ, docet expressè intentum, seu finem eiusdem operis esse contemplari naturam animæ, probareq; passiones eius, his verbis. *Quærimus autem contemplari, & cognoscere naturam ipsius, & substantiam, postea quæcumque accidunt, circa ipsam, quorum alia quidem propria passiones videntur, alia autem communes, & animalibus propter illam inesse*, & statim post verba hæc asserit se inuestigaturum propriam eiusdem animæ definitionem, quæ

de

de solo biecto scientiæ vera esse possunt, & a teri non possunt conuenite: ergo sentit Ari- flotel es esse proprium obiectum, & lib. de sen- su, & seni bilibus in princip io asserit, animam secundum se ipsam in hoc opere esse considera tam his etiam verbis. *Quoniam autem de ani- ma secundum se ipsam determinatum est prius, & de virtutum qualibet secundum partem ipsius.*

33 His testimonijs adeò expressis, nihil re- spondert potest, nisi vnum opus efficere hos li- bros cum Patuis naturalibus, & ideò vnum es- se assignandum subiectum pro omnibus, quod non est anima, licet de ea tantum disseratur in his libris, sed corpus animatum, cuius præcipua pars est anima: vnde licet passiones, quæ hic probantur de anima, conueniant ei, vt princi- pio, corpori tamen animato attribuuntur, tan- quam subiecto, cui adæquatè conueniunt, vt sen tire, moueri, &c. & ideò licet de sola anima hic disseratur, nō potest excludi corpus animatum a consideratione huius operis: cum eadem ani- ma sit eius pars, & quæ de parte disputantur, per se ordinantur ad totum, sicut pars ipsa: qua re per se censetur considerari totum, tanquam subiectum attributionis.

34 Hæc tamen solutio non satisfacit: nā quod hi libri eandem partem philosophiæ naturalis constituant cū Patuis naturalibus, dicitur quidē ad euacuandā difficultatem arg. sed non proba tur, quia non sequitur eandem esse partem: ex eo quod hi libri immediatè præcedūt alios, vel immediatè hos sequuntur: immediata n. conse- cutio non tollit distinctionē partium, vt patet de reliquis. Sed neq; ex eo quod ea, de quib. hic agitur, conueniant corpori animato: cū hic ni- hil protsus de illo consideretur, sed cōueniunt per se primò animę, & eius ratione corpori ani mato, vt docuit expresse Arist. in primo testimo nio: ergo etiā, si vnū opus conficiant omnes, il- les potius ad hos reducere oportet, quā è cōuer so, & ex cōsequenti ad eorum subiectum, quod est anima per se primò, imò solum in eis consi- derata, quę ideò proprium obiectum huius par tis esse debet. Quod probatur ratione, primò, quia licet anima tanquā pars ordinetur ad cor pus animatū secundum esse, quia illud cōponit & ideò passiones, atq; potentię eiusdem animę ei communicentur, & attribuantur, sed cogni- tio harum potentiarum, & passionum, imò, & eiusdē corporis animati, per se primò dependet ab anima, qua cognita, & quibus passionibus, & potentijs de illa probatis, nihil ferè iam supe- rest cognoscēdum, vel probandum de corpore animato, sed solum hæc cognita, & probata ei applicare, atq; explicare, quę illarum natura, & quomodo ei conueniant: nam organizatio etiā ipsius materiæ, per quam denominatur corpus, ab eadem anima ei cōmunicatur, & eius ratio- ne ei conuenit: ergo quantum ad cognitionem pertinet, potius pendet ab anima corpus anima tum, quā è conuerso, & propterea eiusdem ope ris ex vtrisq; libris confecti, subiectū potius est anima, quam corpus animatum, ordinatio verò animæ ad illud, quasi materialis est in ordine obiectiuo: ordinatio verò eiusdem ad animam formalis, & propterea in assignando obiecto, non est habenda ratio illius, sed huius tantum.

35 Secundo, quia præcipua pars, vel species animæ est rationalis, cuius potentiæ, & opera- tiones propriæ, non solum ei conueniunt per se primò, vt principio, sed etiam, vt subiecto, vt intellectus, & voluntas cum suis actibus: anima est enim, quæ per se primò habet intellectum, & voluntatem, atque etiam quæ per se primò intelligit, & vult, imò neq; conueniunt homi- ni, nisi in quantum esse eiusdem animæ ei com municatur, consequenter enim, debent ei com- municari eædem potentiæ, & operationes: er- go cognitio hominis, vt intellectiui, aut ratio- nalis, ex cognitione animæ potius dependet, quam cognitio animæ ex cognitione ipsius: vn de sequitur præcipuum, quod in hoc opere cō- sideratur, non pertinere ad corpus animatum, vt tale, nec contineri sub eo formaliter: quare nec potest corpus animatum esse subiectum hu ius operis, etiam si ex eo, & Paruis naturalibus vnum, & idem conficiatur. Probatur cōsequen tia, quia nec cognitio animæ rationalis, nec ho minis, vt rationalis, potest ad Parua naturalia pertinere, nec ad corpus animatum etiam, vt partis eius, quia anima, vt rationalis non est pars corporis, vt animati, sed vt humani.

36 Probatur tandem, quia si corpus animatū esset subiectum, & non anima, apertè falsum esset, quod docet Aristoteles in procemio, nem pe tractationem hanc nobiliorem esse cæteris, propter eximiam nobilitatem sui obiecti. Pro batur consequentia, quia corpus animatum ge nus quoddam est prædicamenti substantiæ ani mali superius, & propterea illo imperfectius: quia quo superiora sunt prædicata, eo imperfe ctiora. Deinde genus imperfectius longe est suis speciebus: ergo digniores essent tractatus se- quentes de animalibus, imò, & quicunq; alius de qualibet alia specie eiusdem corporis ani- mati, quò species quælibet perfectior est suo genere.

Ad primū argumentum distinguenda est ma ior, quod subiectum partis ita contineri debeat sub subiecto totius, vt hoc de illo prædice-

tur,

tur, tanquam vniuersale de particulari, nam de prædicatione in recto, non est necessarium, vt multis exemplis scientiarum constare potest, sed satis est prædicari in obliquo, & ita prædicatur ens naturale de anima: cum verum sit, animam esse partem entis naturalis, licet falsum in recto, quod sit ens naturale.

37 Ad secundum etiam est distinguenda maior, quod subiecto huius scientiæ debeant conuenire passiones, aut potentiæ, vel earum operationes per se primò, nam dupliciter conuenire possunt per se primò subiecto, nempe vt principio, vel vt principio simul, & subiecto, & vt principio tanquam quo, vel tanquam quod & quilibet modus sufficit: & ideò sufficit conuenire animæ omnia hæc vt principio: sed quædam tantum conueniunt ei, vt principio quo, vt sunt potentiæ, & operationes vegetatiuæ, ac sensitiuæ partis, de quibus intelliguntur verba Aristotelis allata in argumentum alia vt principio quod, simul ac, vt subiecto, vt potentiæ, & operationes intellectiuæ partis conueniunt vtroque modo animæ rationali, de qua verum est intelligere, & velle, vt quod, & has operationes ab ea procedere, tanquam a principio quod, & in ea per se primò recipi tanquam in subiecto.

Ad tertium respondeo, primo negando minorem quod nulla sit pars philosophiæ, in qua differatur de corpore animato, nam in Paruis naturalibus agitur de illo.

Secundò respondeo, non esse necessarium, vt per se differatur de corpore animato, antequam de subiecto, sed sufficit per se agi de anima, & probari de illa passiones, potentias, seu proprietates, tanquam de principio, ratione cuius conueniunt corpori animato: & ita cognitis, atque probatis de anima, satis est eas applicari corpori animato (quod sine vlla difficultate fit) vt cognoscatur natura eiusdem animati corporis.

QVAESTIO III.

An scientia de anima nobilior sit ac certior cæteris.

38 PRæsupposito, quod honorabilis sit tractatio hæc de anima, sicut cæteræ scientiæ, dubitant interpretes, an honorabilior, seu nobilior sit cæteris scientijs propter excellentiam sui obiecti, & certitudinem cognoscendi illud. Hanc autem quæstionem fundari dicunt in verbis eiusdem procemij, quibus videtur Aristot. comparare scientiam hanc cum cæteris, vel saltem cum cæteris partibus philosophiæ, & eam alijs præferre. Sed ne in fundamento ipso errare contingat, certum debet esse, non ita comparasse hanc scientiam cum cæteris, vt omnibus eam prætulerit, imò neque cum cæteris partibus philosophiæ, sed solum inter honorabiles in primis esse ponendam docuit, quod nihil aliud significat, quam inter præcipuas scientias esse numerandam: & non quod cæteris omnibus scientijs, vel philosophiæ partibus præferenda sit. Ecce verba eius, vt euidenter ostendatur talem comparationem nunquam fuisse. *Bonorum, & honorabilium notitiam opinantes, magis autem alteram altera, aut secundum certitudinem, aut ex eo quod, & meliorum, & mirabiliorum est, propter vtraque hæc animæ historiam rationabiliter vtique in primis ponemus*: sine fundamento ergo plures interpretes intellexerunt, Aristotelem comparasse hanc scientiam, cum cæteris omnibus, vel saltem cum cæteris partibus philosophiæ, & asseruisse omnibus alijs esse digniorem, vel saltem omnibus alijs partibus philosophiæ; nequaquam enim docuisse iam constat ex verbis eius, ex quibus solum habetur inter præcipuas scientias esse numerandam, & ideò aliquas habere se inferiores, non tamen omnes, aliquas etiam philosophiæ partes, non tamen omnes. Sed quia ea, quæ inter præcipua alicuius generis, vel ordinis numerantur, quadam saltem confusa ratione comparantur, cum cæteris eiusdem generis, vel ordinis, quæ non vocantur præcipua, occasionem saltem dubitandi tribuunt verba Aristotelis, an verum sit, quòd tractatio hæc de anima sit vna, ex præcipuis scientijs, vel vna saltem pars ex præcipuis philosophiæ, ita vt quasdam saltem alias scientias excellat dignitate obiecti, atque certitudine, licet non omnes, vel quasdam saltem philosophiæ partes: & vt morem geramus interpretibus, vniuersalius dubium proponimus, an dignior sit cæteris omnibus scientijs, vel saltem cæteris omnibus partibus philosophiæ.

39 Et videtur in nullo sensu honorabiliorem vel digniorem esse, & quod non sit honorabilior omnibus alijs, sic probo. Metaphysica agit de re nobiliori, nempe de Deo, & substantijs separatis: ergo ex parte obiecti nobilior est tractatione de anima, & ideo absolutè, quia prima, ac præcipua dignitas scientiæ a subiecto accipitur. Præterea Mathematicæ excedunt eam certitudine demonstrandi, cum notum sit Mathematicas demonstrationes cæteris omnibus esse certiores.

Quod

40 Quod verò nec sit nobilior cæteris partibus philosophiæ naturalis, probatur, quia libri Physicorum, qui primam partem constituunt, agunt de primo motore. Et libri de cœlo de intelligentijs mouentibus corpora cœlestia: ergo vtraque pars nobilior est opere isto. Et si dicant solum de cœlo, & intelligentijs agere in ordine ad motum, contra hoc est, quod de primo motore probant alia attributa, quæ pertinent ad substantiam eius, vt quod sit infinitæ virtutis, quod sit immutabilis, & æternus. Et tandem libri sequentes agunt de corpore animato, atque etiam de animalibus, sed corpus animatum, & animal nobiliora sunt anima: ergo illæ partes nobiliores ista erunt. Probatur minor, quia animal est compositum includens præter animam corpus, & organa sensuum: ergo excedit solam animam de qua agit opus hoc.

41 Plures atque diuersas opiniones referunt circa hanc quæstionem, sed placet omnes ad duas reducere claritatis, ac breuitatis gratia: & Prima sit, quod tractatio hæc de anima excedit omnes scientias, non quidem in illis duobus designatis ab Aristotele, nempe nobilitate obiecti, atque certitudine demonstrandi simul sumptis, ita vt nobilius obiectum cæteris omnibus habeat, atque etiam maiorem certitudinem, quam omnes, sed quasdam in vna, alias verò in alia superet, & ita verum sit absolutè excedere omnes. Ita Simp. Philop. Ægidius, Albert Magn. Paulus Venetus, Linconiensis, atque etiam Thienen. in hoc proœmio. Probant, quia certum est nobilitate obiecti excedere omnes Mathematicas agentes de accidentibus, Metaphysicam verò excedit certitudine, quod multis modis explicatur a prædictis authoribus; nam quidam asserunt scientiam de anima certiorem esse, quia agit de obiecto nobis notiori, & quod certissimè cognoscimus, saltem quantum ad quæstionem, an sit (nam essentia eius secundum se, & a priori difficilis cognitu est,) quia per experientiam operationum, & effectuum qui in nobis ipsis exercentur: quod nulla scientia habet. Ita D. Thom. quæst. 10. de veritate art. 8. ad octauum his verbis. *Secundum hoc scientia de anima est certissima, quod vnusquisque in se ipso experitur, animam habere, & actus animæ sibi inesse: sed cognoscere quid sit anima, difficillimum est, &c.* Quem sequuntur Simplicius, atq; Ægidius.

42 Alij verò ex discipulis D. Thomæ certiorem asserunt esse hanc scientiam cæteris, quia agit de re, a qua omnes habent certitudinem, nempe de anima, in cuius operatione intellectiua reperitur certitudo cuiuslibet scientiæ. Alij denique certiorem esse aiunt, quia demonstrationes omnium scientiarum, etiam Mathematicarum habent certitudinem ex lumine naturali intellectus, per quod cognoscuntur earum principia, & a quibus deriuatur tota certitudo conclusionum; sed lumen naturale intellectus perfectius illustrat principia huius scientiæ, quam aliarum: ergo erunt certiora, & proinde conclusiones ab eis deriuatæ; Probatur minor, quia agens naturale fortius agit in passum proximum secundum se, tanquam in sibi perfectius approximatum, quam in remotum; sed principia huius scientiæ proximiora sunt eidem lumini intellectus, vtpote existentis in eadem anima, & de quo agit etiam per se hæc scientia; ergo certiora erunt omnibus alijs. Et si hæc ratio aliquid probat, absq; dubio conuincit certiorem esse hanc scientiam certitudine demonstrandi etiam Mathematicis.

43 Nostra sententia tribus assertionib. continetur. Prima est, *Tractationem hanc de anima essentialiter esse nobiliorem, cæteris omnibus scientis, quas lumine naturali consequi possumus, præter Metaphysicam.* Probatur hac ratione: Dignitas essentialis, seu honorabilitas scientiarum sumitur ex dignitate subiecti, a quo specificantur, vt docuit expresse Aristoteles in hoc proœmio verbis superius relatis, & admittunt omnes: sed anima, de qua hic agitur tanquam de proprio subiecto, dignior est subiectis omnibus aliarum scientiarum: ergo dignior erit hæc scientia cæteris dignitate essentiali. Minorem probo, quia cæteræ scientiæ agunt de quibusdam accidentibus, vt philosophia Moralis, & Mathematicæ, quæ vero tractant de substantia, vt naturalis philosophia secundum alias partes, corporea quidem, & ideò minus nobilis, quam anima: ergo minorem dignitatem essentialem suscipiunt ab eisdem obiectis.

Secunda assertio, Scientia de anima secundum dignitatem essentialem inferior est Metaphysic. Probatur eadem ratione, quia Metaphys. agit de Deo, & substantijs separatis, non solum secundum rationem communem entis, sed etiam secundum speciales earum: cum secundum eas abstrahat omnino a materia: ergo habet dignius obiectum, quam tractatio hæc, & ideò maiorem dignitatem essentialem.

44 Tertia assertio, *Certitudine demonstrandi exceditur hæc scientia similiter à Metaphysica, & Mathematicis, cæteras vero eadem certitudine excedit ipsa.* Vt autem hanc sigillatim probemus, in memoriam reuocar oportet ex nostris commentarijs super lib. de Posteriori resolutione

cer-

certitudinem scientiæ propriè sumptam conclusionibus scientiæ conuenire, in quibus propria ratio scientiæ consistit: sed à principijs eiusdem scientiæ deriuari ad conclusiones medijs demonstrationibus. Certitudo verò demonstrationis duplex est, vna a priori, hoc est, per causam, alia à posteriori, nempe, ab effectu & illa est maior, atque perfectior, quia certitudo ab effectu innititur cognitioni sensitiuæ: nam effectus cognoscimus per experientiam sensuum: certitudo vero cognitionis a priori, quamuis habeatur medijs sensibus, non tamen innititur cognitioni per sensus habitæ tamquam medio assentiendi, sed naturali connexioni causæ cum suo effectu, & propterea minus longe dependet à sensibus, & ex hac parte minus est fallibilis, quod est esse perfectiorem, atq; maiorem: & cum philosophia naturalis concernat motum, & sensum, procedatque per demostrationem a posteriori, & ab effectu, Metaphysica vero, & Mathematicę procedant per demonstrationes à priori, maiorem, atque perfectiorem habent certitudinem demõstrandi per se pertinentem ad scientiam, & ex consequenti maiorem ac perfectiorem habent certitudinem scientificam.

45 Sed alia est certitudo non demonstrandi, sed demonstrationi præsupposita, & talis est ea, quæ pertinet ad quæstionem, an sit subiectum, quę ideò non solum accidentalis est scientiæ, sed nimis impropria; cum non proueniat ex principijs eiusdem scientiæ, sed quasi eis præsupponatur: certitudo autem propria, atq; scientifica consistat in connexione conclusionum cum principijs media demonstratione: illa ergo certitudine accidentali, atque impropria pertinente ad quæstionem, an sit subiectum, excedit hæc scientia de anima Metaphysicam, atque etiam Mathematicas, & ideò quadam ratione nimis accidentali: à Metaphys. verò ex ceditur certitudine demõstrandi scientiarum propria: Mathematicas etiam excedit ipsa certitudine illa accidentali, a quibus etiam exceditur ipsa certitudine demonstrandi, qui excessus non est essentialis, sed accidentalis. Et ex his assertionibus constat, quonam modo loquendum sit de hac tractatione de anima comparata cum cæteris omnibus scientijs.

46 Sed restat explicare quomodo loquendum de ea sit comparata cum cæteris partibus philosophiæ, & dicimus omnibus esse digniorem, non solum dignitate essentiali, propter maiorem nobilitatem obiecti: nam anima nobilior est corpore animato, atque etiam animali, vt in solutionibus argumentum cõstabit; sed etiam quadam ratione accidẽtali, propter maiorem certitudinem, non quidem demonstrandi, quia hæc certitudo eiusdem rationis est in omnibus partibus philosophiæ: cum omnes cõmuniter procedant per demonstrationem ab effectu, a posteriori, sed illa alia certitudine nimis improprias eas excedit, quia certius nobis est animam esse per operationes circa nos ipsos exercitas ab ea procedentes, quam obiecta aliarum partium, quæ per easdem operationes ab eadem anima procedentes cognoscimus, & ideò prius, atque perfectius animam.

47 Ad primum arg. de Metaphys. & Mathemat. patet solutio ex nostris assertionibus: concedimus enim hanc scientiam non esse dignio rẽ cæteris omnibus, quia Metaphysica dignior est ea, non solum dignitate essentiali propter nobilius obiectum, sed etiam dignitate accidentali, propter maiorem certitudinem demõstrandi. De Mathematicis verò concedimus digniores esse certitudine demonstrandi, sed negamus, quod infertur digniores esse simpliciter Mathematicas, quia dignitas ex certitudine demonstrandi accidentalis est: ea verò, quæ accipitur ex digniori obiecto, essentialis: at cum dignius obiectum sortiatur facultas hæc, vt per se constat, dignior est eis dignitate essentiali, & ideò dignior simpliciter.

48 Ad aliud vero de cæteris partibus philosophiæ, negamus aliquam earum esse digniorem hac ex parte obiecti: nam libri physic. non agunt de primo motore secundum substãtiam, nec etiam de intelligentijs, sed solum in ordine ad motum, vt verbo ipso primi motoris fit manifestum. Quod verò dicitur, alia attributa probari de ipso, quæ pertinent ad substantiã eius, verum est, non tamen vt pertinent ad substantiam, sed etiam in ordine ad motum præcisè; vt, quod sit infinitæ virtutis, per quam possit mouere infinito tempore: quod sit æternus, vt ostendatur, motum quoque æternum esse, hoc est, sine initio, & fine, & pariter de cæteris.

49 Ad vltimum de cæteris partibus sequentibus, distinguenda est minor, quod corpus animatum, vel animal sit nobilius anima: nam secundum entitatẽ nobilius est, sicut totum quodcumque nobilius qualibet eius parte: sed in ordine ad considerationem huius partis, & aliarum, non est nobilius, sed minus nobile. Et huius ratio est manifesta: qua nobilitas præcipua corporis animati, atque etiam animalis secundum esse atque etiam secundum operationes prouenit ab anima, per se considerata vtroque modo in hoc opere, in cæteris verò nihil aliud fere prę︨statur, quam applicare ad corpus, & organa

genæ eius est, quæ in isto tradita sunt de anima & si quid aliud explicatur, etiam prouenit ab anima: quia omninò quidquid perfectionis est in corpore animato, & animali, præter materiam, prouenit eis ab anima: materia verò iam fuit explicata in lib. physicorum, subiectum igitur considerationis scientificę longè dignius habet hæc pars quam sequentes, quamuis entitatiuo, & materiali modo perfectiora sint subiecta earum, & cum dignitas scientiæ non sit accipienda ex subiecto secundum rationem materialem, sed secundum formalem, qua consideratur a scientia, ideò dignior est hæc pars philosophiæ cæteris.

50 Argumenta verò quæ ab alijs opinionib. afferuntur, nihil probant aduersus nostras asser tiones. Nam quod certitudo solum sit in assensibus intellectus, vel animæ, omninò materialis est, & accidẽtalis ratio, ex qua non sumitur dignitas scientiarum, sed ex dignitate, quã habet res, de qua agitur, & ideò non potest esse hæc scientia dignior metaphys. vt probauimus. Et quod tandem obijcit vltimus dicendi modus de lumine naturali intellectus, a quo illustrantur principia omnium scientiarum, eodem modo soluendum est negando minorem, quod lumen intellectus fortius illustret principia huius scientiæ, quam aliarum, & dum dicitur agẽs naturale fortius agere in propinquum quam in remotũ, concedendum est, distinguendum verò, quod additur, nempe principia scientiæ de anima esse propinquiora lumini naturali intellectus, qui est eius potentia, eique inhæret.

51 Nam, propinquitas principiorum respectu luminis duplex est, materialis, & formalis: materialis dicitur illa, quæ respicit lumen ipsum, vel intellectum, vt rem quandam: alia est propinquitas principiorum respectu luminis, vt potentiæ, quæ versatur circa illa tanquam circa proprium obiectum, vel actum, & hæc est formalis, quia accipit lumen vt illustrans, & principia vt illustrata: & de priori propinquitate concedendum est propinquiora esse principia huius scientiæ lumini naturali intellectus, vt est res quædam pertinens ad animam & hanc propinquitatem non habent principia aliarum scientiarum: cum sint de alijs rebus diuersis ab anima & intellectu, sed de propinquitate obiectiua negandum est: nam lumen intellectus eodem modo respicit principia omnia, vt actus proprij, vel vt propria obiecta secundum se intelligibilia, & ideò vel æqualiter ora vel si cum ordine aliquo, perfectiora prius. Illa ergo propinquitas materialis principiorũ respectu luminis, de qua procedit arg. & quam possumus vocare propinquitatem rei, impertiens est ad maiorem, vel minorem illustrationem, & ex consequenti ad maiorem, vel minorem certitudinem eorum; quare ex ea non probatur certiora esse principia huius scientię, nec scientiam ipsam.

QVAESTIO IV.

De vtilitate huius scientiæ.

52 VTilitatem huius scientię proponit Arist. tex. 2. eiusdem proœmij, his verbis, *videtur autem, & ad veritatem omnem cognitio ipsius multum conferre, maximè autem ad naturam est enim tanquam principium animalium*, quibus eam ad duo capita reducit. Primum est vniuersalissimum pro omni veritate cognoscendi. Sic probandum primò, scientiæ omnes oriuntur ab intellectu, qui est præcipua animi potentia, in eo exercentur, in actibus, & habitibus eius consistunt, & in eo tanquam in proprio atque proximo subiecto recipiuntur: sed ad cognoscendum actus, & habitus multum iuuat cognitio vniuersalis principij, & subiecti eorum: ergo valde vtilis censenda est facultas hæc ad omnes alias consequendas.

53 Secundò ex parte obiecti huius scientiæ, quod est anima, maximam affinitatem habẽs cum obiectis aliarum scientiarum, & in primis cum ea quæ agit de Deo, & substantijs separatis: quare cognitio eius viam parat ad Metaphysicã qua considerantur. Deinde ad philosophiam moralem, quia vt Aristoteles docet 1. lib. Ethicor. c. 13. qui de virtutibus agere parat, per notitiã animæ disponi debet propter duo ex proprio fine moralis philosophiæ desumpta: primum est morum ordinatio, atq; compositio, ad quam multum iuuant ea, quæ in hoc opere traduntur, nam cognita dignitate, & immortalitate animæ, facile rebus hisce pereuntibus pro nihilo habitis, ad altiora, sublimia, atq; æterna, sicut anima ipsa, contendit homo pro quibus consequendis virtutis studium complectitur.

Secundum, quia philosophia moralis per se considerat actus, & operationes voluntatis, imò, & intellectus (præsertim practici) atque etiam appetitus sensitiui, quibus medijs componuntur mores: actus autem isti non possunt cognosci sine notitia harum potentiarum, & ipsiusmet animæ, ad quam pertinent.

54 Multum etiam confert notitia animę,& potentiarum eius ad studium, & notitiam sacræ Theologiæ,quæ non solum de vltimo fine hominis,qui est beatitudo supernaturalis,sed etiã de medijs per se ordinatis ad illam differit,nẽpe de gratia,charitate, cęterisq; virtutibus supernaturalibus, atque etiam de supernaturalibus auxilijs,per quæ eas homo consequitur,& exercet, eorumq; exercitio meretur eandẽ beatitudinem: sed horum omnium notitia maximè dependet ex eo,quod cognoscatur natura, atq;capacitas animæ rationalis,de cuius potentia obedientiali educuntur supernaturales habitus, anima ipsa per proprios actus sæpe concurrente,ad quos eliciendos eleuantur potentię per supernaturalem concursum Dei,ergo non parum iuuat tractatio hæc ad sacram doctrinã capiendam. Secundum caput ad quod reducit Aristoteles vtilitatem huius scientiæ particulare est respectu aliarum partium subsequẽtium eiusdem naturalis philosophiæ, in quibus agitur de animalibus, & plãtis, quorum naturam constituit anima,&quorum operationum principium est: multum ergo iuuare necesse est cognitionem eius ad notitiam eorum consequendam,quod adeò verum est,vt habita plena notitia huius tractatus,nihil ferè aliud in reliquis agatur,quam potentias,& operationes animæ cognitas applicare ad corpus, & organa eius, in quibus resident,& per quæ etiã exercentur.

QVAESTIO V.

De ordinatione huius tractatus cum cæteris partibus Philosophiæ.

55 Circa Ordinationem huius operis cum reliquis partibus philosophiæ vnum est apud omnes certum,& aliud dubium;Certum quidem est, primum locum tenere inter omnes partes libros physicorum, cum in eis differatur de communibus principijs entis mobilis,aut naturalis. Secundum vero libros de cęlo,& mundo;cum in eis disputetur de ente mobili secundum primam speciem motus,qui est ad vbi, vel locum. Tertium verò libros de generatione,cum in eis differatur de eodem ente mobili secundum alias species motus ad formam,nempe generationem,augmentationem & alterationem: istæ enim tres considerationes entis mobilis secundum principia,& secundum omnes species motus vniuersaliores sunt, ex quibus omnes alię tanquam particulares dependent,& ideò ordine doctrinæ debent præcedere. Sed statim eas consequitur in quarto loco methcororum opus agens de generatione quorundam mixtorum imperfectorum,quorum consideratio vniuersalior est etiam cæteris,quę sequuntur de rebus animatis,ac sensibilibus,generatione, & partibus animalium. Has vero quatuor partes statim sequeretur consideratio mineralium,de quibus librum edidisse Aristotelem refertur, sed non extare inter opera eius.

56 Hoc igitur ordine tanquam certo præsupposito, potest esse dubium ad ordinem huius operis cum cęteris partibus pertinens An statim post librum methcororum sequatur in 5. loco ante tractationem Paruorum naturalium si ab eis distinguitur, vel si idem opus cum eis conficit,ante libros de animalibus, & plantis.

Et prima opinio tenet non esse collocandũ opus hoc in 5.loco, sed in vltimo post cæteras omnes partes, ita Auerro. 1.metho. comment. 1. Philoponus in proœmio huius operis, & Alex. in suo 1. lib. de anima cap.1.Probant 1. quia notiora sunt prius explicanda,sed composita sunt nobis notiora suis partibus:ergo prius explicari debet corpus animatum, animal, & planta,quę sunt composita ex anima tanquam ex parte,quam anima ipsa,quæ est pars Secundò, quia materia est subiectum formæ: ergo prius debet explicari, quam forma, vt ex illa possit cognosci hæc: sed corpus organicum, eiusq; organa sunt quasi materia, in qua recipitur anima,& per quæ definitur:dum dicitur esse actum corporis physici, & organici: ergo prius debet explicari corpus organicum,quam anima, alioqui definietur anima per aliquid confusum,atque incognitum.

57 Secunda opinio *tribuit huic tractatui inter omnia opera Aristotelis, quæ extant, quintum locum statim post libros metheororum*. Ita D. Th. & omnes alij interpretes Aristotelis in hoc proœmio,& ita tenendum est. Probatur ratione D Tho quia ordine doctrinæ vniuersaliora sunt prius explicanda tanquam nobis notiora, & ex quorum cognitione dependet cognitio particularium,vt docet expresse Aristoteles 1. lib.physic.in principio, sed anima est commune principium animatorum omnium, & animalium,ex cuius cognitione tanquam ex principio formali, & primo ab intrinseco dependet cognitio eorũ: ergo ordine doctrinæ prius est tradenda notitia animæ.

58 Ad primum,concessa maiori, distinguenda est minor, quod totum sit notius suis partibus: nam quoad nos, verum est, sed ex natura

rei

re' falsum : nam sicut entitas compositi fit ex partibus, ita per partes ex natura rei cognoscenda est : vnde licet ordine doctrinæ respiciente prius notiora nobis, explicanda essent animalia, & plantæ, sed ordine naturæ, quem aliquando sequi oportet alio relicto, prius fuit tradenda notitia partis præcipuæ, quam compositi. Ita respondet Toletus. Sed melius respondere possumus, distinguendo eandem minorem, quod compositum sit nobis notius: nam cognitione confusa notius nobis est non distincta, sed per distinctam cognitionem partium deuenimus in distinctam totius: per scientiam verò traditur distincta cognitio obiecti : ergo ordine doctrinæ procedendum est in scientijs tradendis a partibus ad totum : quod præsertim verum est de partibus actualibus respectu totius actualis, qualis est anima respectu corporis animati, vel animalis: prius ergo non solum ordine naturæ, sed etiam doctrinæ tradenda fuit scientia de anima, quam de corpore animato, vel animalibus, & ideò opus hoc in 5 loco collocandum post libros metheo. & ante libros Paruorum naturalium, ac de animalibus, & plantis.

59 Ad secundum, negari in primis posset, quod notitia materiæ prius tradenda sit, quam notitia formæ : nam forma est actus, materia verò pura potentia, non cognoscibilis, nisi per actum qui est forma, vt 1. libro Physic. ostendimus: vnde prius tradenda est notitia formæ, quæ licet a materia aliquo modo dependeat, sed cum sit actus, est etiam secundum se cognoscibilis. Sed dato, quod prius esset explicanda materia, quam forma, negāda est minor, quod corpus organicum, vel organa eius sint materia animæ, sed potius sunt instrumenta ad exercendas operationes animæ ordinata, imò, & organa ipsa ab anima proueniunt tanquam a constituente: quare prius cognoscēda est, quam organa ipsa, vel organicum corpus, per quod verum est definitam esse ab Aristotele, sed ad notitiam definitionis satis est confusa quadam ratione cognoscere corpus organicum, cum non sit pars definitionis animæ, sed solum in ea ponatur tanquam extrinsecum additamentum, sine quo non potest explicari essentia animæ: additamenta verò extrinseca satis est confusè cognoscere, quamuis necesse sit, partes definitionis cognoscere distinctè.

De diuisione totius operis.

DVabus diuisionibus vti possumus ad tradendam notitiam eorum omnium, quæ in hoc opere traduntur ab Aristotele de anima. Prior diuisio vniuersalis est, per quam in duo tantum membra ipsum diuidere possumus, nā primò agit Aristoteles de anima secundum substantiam, vel essentiam, tam secundum opinionem antiquorum philosophorum : quam secundum propriam. Deinde copiosè explicat omnes potentias animæ, tam vegetatiuæ, quam sensitiuæ, & rationalis. Secunda diuisio specialis potest esse in tres libros iuxta partitionem eiusdem Aristotelis, in quorum primo agit de substantia animæ iuxta veterum opiniones, & in duobus primis capitibus lib. 2. ex propria sententia eam definit, & explicat in reliquis vero eiusdem libri tria explicat, nempè potentias animæ in communi, atque etiam in speciali potentias animæ vegetatiuæ, & ex potentijs sensitiuis solum sensus externos. In tertio autem libro explicat in primis internas potentias eiusdem animæ sensitiuæ in tribus primis capitibus. In sequentibus verò vsque ad nonum, agit de intellectu agente, & possibili, quæ sunt potentiæ animæ rationalis, in reliquis verò motum, & quasdam alias proprietates exponit animatis omnibus communes.



ARISTOTELIS

STAGIRITÆ De Anima.

LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

TEXTVS ARISTOTELIS.

Bonorum, & honorabilium scientiam opinantes, &c.

BREVIS EXPOSITIO Textus.

1 Liber hic primus in duas partes diuiditur: in prima, quam continet primum caput, proponit Arist. dignitatem, vtilitatem, atque difficultatem totius tractationis, & plura ex dicendis in ipsa vniuersaliter enumerat, in quibus præcipuè consistit difficultas eius: In 2. enumerat opiniones antiquorum Philosophorum de natura animæ, easque impugnat, quod præstat per reliqua quinque eius capita.

Caput igitur hoc primum, quasi proœmium est, vel exordium totius operis, in quo Aristoteles Philosophum simul, atq; optimum agens Rhetorem tria præstat, ad quæ exordium ordinatur, nempè auditores beneuolos, dociles, atque attentos efficere. Et beneuolos quidem efficit proponendo dignitatem, & vtilitatem huius scientiæ: dociles verò, proponendo methodum, atque modum, & ordinem procedendi, quem seruaturus est in eadem scientia tradenda. Attentos vero ostendendo difficultatem eius, propter quam attentionem animæ assiduamq; applicationem intellectus ad res capessendas postulat.

2 Hanc igitur scientiam honorabilem esse asserit, & inter honorabiliores connumerandam, & vtrunque probat. Primum quidem quod honorabilis sit hoc modo: Id quod est per se bonum, & per se appetibile, est per se honorabile, nam bona honesta honore afficiunt habentes, sed quælibet scientia (præsertim speculatiua) est bonum per se appetibile, quia omnes homines naturaliter scire appetunt, vt experimur: ergo quælibet scientia est etiam per se honorabilis

3 Secundum verò sic probat: Vna scientia est honorabilior altera propter maiorem dignitatem subiecti, de quo agit, & maiorem certitudinem demonstrandi passiones de illo, sed hæc scientia agit de anima, quæ inter digniora obiecta connumeratur, & demonstrationes eius connumerantur inter certiores: ergo scientia ipsa inter digniores, & honorabiliores connumerari debet.

Deinde plures variasque vtilitates huius scientię ad duas reducit, priorem quidē vniuersalem, atq; comprehendentem oēs scientias, ad quas valde vtile esse ait studium sciētiæ de anima, in cōe quidem, quia & ab anima proficiscuntur scientiæ omnes tanquam a principio, & in ea recipiuntur tanquam in subiecto, in particulari verò, quia habet etiam anima affinitatem cum omni genere scientiarum: cum Metaphysica quidem propter maximam similitudinem animæ cum substantijs separatis, de quibus agit Metaphysica, cum Mathematicis etiā abstrahētibus a materia sensibili, quam abstra-

ctionem

& ioas licet non habeat hęc scientia, quia pars est naturalis philosophiæ concernentis materiam sensibilem, docet tamen quonam modo abstractio fiat ab intellectu. Cum morali verò philosophia agente de virtutibus, quæ in habitibus, & actibus potentiarum animę consistunt & vtrosque producit anima per suas potentias intellectum, voluntatem, & appetitum easque perficiunt. Cum dialectica tandem, quæ versatur circa directionem operationum intellectus, qui est potentia animæ. Posterior vtilitas huius tractationis est ad cæteras partes philosophiæ, eas præsertim, quæ agunt de animatis, & animalibus, quorum omnium principium formale est anima. Proponit deinde methodum procedendi simul cum difficultate rerum, quarum cognitio in hac scientia tradenda est, nam difficultas non solum in his explicandis, sed etiam in inuenienda methodo, per quam debeant explicari, consistit, quia difficile inquirere est, an methodo definiendi procedendum sit ad inuestigandam essentiam animæ, vel methodo diuidendi, aut syllogizandi, vel demonstrandi, & si definitione vtendum sit, an prius sit definienda anima in communi, deinde procedendum ad definitionē partium, vel specierum eius, nempe vegetatiuæ, sensitiuæ, & rationalis, quarum cognitio in hac scientia tradenda est. Vbi obiter profert propositionem illam difficilem aduersus Platonem, *animal enim vniuersale, aut nihil est, aut posterius est*. Ne aliquis existimaret, eū ponere res vniuersales realiter separatas a singularibus sub idearum nomine, ex quarum participatione fierent singulares in natura rerum, & ideò priora essent vniuersalia, tanquam efficientes causæ singularium, quare sensus eiusdem propositionis est animal vniuersale, (& pariter reliqua vniuersalia) nihil reale est separatum a singularibus, vt asserebat Plato, sed si aliquid est (vt absq; dubio est) nō separatum a singularibus, sed in eisdem existens, & operatione sola intellectus ab eis abstractum: vel fortè inquit non esse procedendum methodo definiendi ad inuestigandā definitionem animę, sed per accidentia a posteriori cognoscendam prius, nempe per suas passiones eas demonstrando a priori per essentiā, vel definitionem, nam definitionem per passiones aliquando cognoscimus *Quia accidentia (in quit) multum conferre solent ad cognoscēdum quod quid est*. Nempe substantiam, vel essentia.n. Difficile deinde asserit esse circa substantiam animæ decernere, an sit diuisibilis in partes integrantes, sicut diuisibile est corpus, vel omnino indiuisibilis nullas habens tales partes, sicut indiuisibilis est Angelus. Circa passiones verò, vel operationes animæ valdè difficile in primis esse ait, inuestigare, an habeat aliquam sibi propriam, hoc est, non communem cum corpore, vel communes sint omnes corpori: esse autem communes corpori potentias, & operationes non est aliud quam esse in organo corporeo, & per ipsum exerceri, sicut potentia visiua est in oculo, & ita actus videndi per oculum exercetur.

Organum vero corpus est, vel certè pars quædam corporis ex anima, & materia composita, & ideò omnis potentia existens in organo (quæ ideò vocatur organica) & omnis operatio per organum exercita, non sunt animæ propriæ, sed communes cum corpore, nec animæ insunt tanquam subiecto, sed composito ex corpore, & anima; potentiæ vero, aut operationes animæ propriæ vocabuntur illæ, quæ non recipiuntur in organo corporeo, nec exercentur per illud, sed potentiæ immediatè insunt animæ, & actus non exercentur per organum, sed immediatè ab anima per easdem potentias in se existentes. Asserit ergo Aristot. valde difficile esse inuestigare, an anima habeat aliquam operationem sibi propriam, & non communem cum corpore, vel nullam, sed omnes communes cum eo; sed hāc inuestigationem valde vtilem, quia ex ea dependet cognitio proprij modi essendi ipsius, & animæ, nam si habet operationem sibi propriam, & non communem cum corpore, poterit separari a corpore, & extra illud existere, quia modus operādi sequitur modum essendi: ergo si potest operari sine corpore, poterit etiam sine illo esse, & si talem operationē propriam non habet, sed omnes cōmunes cum eo nō poterit ab eo separari, & de passionibus seu operationibus animæ vegetatiuæ ac sensitiuæ certum esse asserit, quod communes sint corpori, & nō conueniant soli animæ, nam videmus homines quosdam ex leui causa irasci, alios verò non irasci magna etiam occasione oblata: imò eundem hominem diuersis temporibus, quod non potest prouenire nisi ex diuersa dispositione corporis: ergo necesse est has passiones ei esse communes: nam si a sola anima procederent, & non a corpore: cum anima non recipiat in se varias dispositiones, non posset esse tanta variatio in eisdem operationibus. Sed dubitat ad quemnam artificem pertineat eiusmodi passiones animæ definire. Et respōdet tribus modis definiri posse, videlicet per formam vel per materiā, vel per vtranq; simul, vt si passio iræ definiatur, quod sit *appetitus vindictæ*,

per solam formam definietur, quia hæc est ratio formalis eius in ordine ad finem considerata, potest etiam definiri per solam materiam si dicatur: *Esse ascensionem sanguinis circa cor*, ex hac enim materiali alteratione sanguinis insurgit in appetitu actus desiderandi vindictam. 3. per vtramque rationem materialem, & formalem definiri potest hoc modo: *Est appetitus vindictæ ex ebullitione, vel ascensione sanguinis circa cor*, & primo modo definiri eam per solam formam (air) pertinere ad dialecticum, qui res definit per formas: alijs vero duobus modis ad solum philosophum naturalem. Quod hac inductione probat, Tria sunt genera scientiarum, sub quibus comprehenduntur omnes: quædam abstrahentes à materia sensibili, vt Mathematicæ, aliæ a materia sensibili, & intelligibili, vt metaphysica, aliæ denique non abstrahentes vllo ex his modis, sed concernentes materiam sensibilem, & solum abstrahentes a materia singulari, vt passiones animæ vegetatiuæ, & sensitiuæ: nulla verò est scientia, vel ars, quæ consideret omnia, quæ pertinent ad materiam sensibilem, & vniuersaliter omnes passiones animæ communes corpori præter philosophiam naturalem: ergo ad hanc solum pertinet vniuersaliter definire res per materiam, vel per materiam simul, & formam, quia tam materia, quam forma materiæ inhærens sunt principia entis mobilis, & ideò per se pertinet ad philosophiam naturalem. Plura alia enumerat Arist. difficilia, ex his quæ tractanda sunt in hoc opere, vt ostendat difficultatem eius, quæ consultò prætermittemus, quia hæc a nobis explicata sunt præcipua.

QVAESTIO VNICA

Quid sibi voluerit Arist. dum dixit dialecticum definire per formam, physicum verò per materiam.

DOcens Arist. quomodo passiones animæ, quas habet cum corpore communes definiantur a naturali philosophia: asseruit per materiam ab ea definiri, vel simul per materiam, & formam. Nam per solam formam definiuntur a dialecticis: videtur autem vtrumque falsum.

Primum quidem: quod dialecticus definiat per formam, nam forma non est min[illegible] natura, quam materia, sed magis, vt 1. lib. physicorum ostendimus, quia præcipua pars est entis naturalis: ergo definite per formam ad philosoph. per se pertinet, non ad Dialecticum. Secundum verò, quod physicus definiat per materiam, non est minus falsum: nam definitio debet explicare integram essentiam rei: sed sola materia non potest explicare integram essentiam rei, ergo nec potest assignari definitio per solam materiam, quod docuit Arist. 7 lib Metaph textu 34. in principio. 2. definitio traditur ad manifestandam naturam definiti, ergo debet assignari per aliquid notius definito: sed materia est quid confusum, & sua natura ferè incognitum, nisi per formam cognoscatur, vt idem Aristot. docuit 1. lib. Physicorum ergo non potest definitio per eam tradi Vnde nec Aristoteles definiuit vnquam per solam materiam: sed præcipuè per formam, Circa primum de modo definiendi Dialectici per formam, Prima opinio distinguit duplicem formam, vnam, quæ est pars compositi, vt anima est pars hominis, aliam quæ non est pars compositi, sed prædicatum superius, & vniuersale, quod etiam suo modo dicitur forma subiecti, vt animal dicitur forma hominis. Quando ergo asserit Aristot. Dialecticum definire per formam, non accipit formam pro parte definiti, sed pro prædicatis essentialibus, quæ sunt genera, & differentiæ, vt hominem per substantiam corpoream, viuentem, sensitiuam, & rationalem. Ita Albertus Magnus tractatu 1. cap. 7 super primum librum de Anima, Apollinar. in Procemio horum librorum quæst 9. Iandu. q. 12 Thien. cap. præsenti. Ferrariensis q. 5. huius lib. Secunda opinio tenet Dialecticam per Logicam docentem tradere regulas definiendi per genus, & differentiam, quæ quidem sunt prædicata essentialia desumpta a tota natura ex materia, & forma composita, & ideò non solam formam, sed etiam materiam dicunt, præcipuè tamen formam, tum quia forma est præcipua pars totius naturæ, tum etiam quia sunt prædicata superiora, quæ respectu inferiorum dicuntur forma, sed definitiones per genus, & differentiam in materijs particularium scientiarum sola ipsa Logica non constituit, sed simul cum habitibus illarum scientiarum, vt in philosophia naturali [illegible] cum habitu eius definit motum, naturam, & cætera, sicq; de reliquis scientijs, & definitiones ipsę formales vocantur, quia genus, & differentia præcipuè dicunt formam, attribuuntur verò potius Logicæ, quam alijs scientijs, quia com-

cōmmunia omnium ſcientiarum pertinentia ad modos ſciendi, nempe ad definitionem, diuiſionem, & demonſtrationem Logicæ attribuentur per ſe conſidetanti eoſdem modos ſciendi. Ita Tolet. q. 7. huius capitis: vtraque hæc ſententia contra Ariſt. & contra rationem eſt. Primum probo ex text. 11. huius capitis, vbi definitiones Dialecticas appellat vanas, ſed definitiones quæ dantur per genus, & differentiam, non ſolum vanæ non ſunt, ſed omnium optimæ, vt per ſe eſt manifeſtum: ergo dum aſſerit Ariſtoteles Dialecticum definire per formam, non poteſt talem ſenſum renere, quod definiat per genus, & differentiam, niſi primum eius dictum, quod definitiones Dialecticæ vanæ ſint, apertè ſit falſum. Nec aliquid valet ſolutio eiuſdem Toleti ad 3. eiuſdem quæſtionis, aſſerit enim vanas dici poſſe tales definitiones licet dentur per genus, & differentiam, quia nō perfectè exprimunt formam, quam explicare intendunt, cum a materia dependeat, nec exprimunt materiam, & ideò non poſſunt perfectè explicare formam. Probatur autem hoc eſſe falſum ex eadem eiuſdem Toleti doctrina: nam ipſe aſſerit tales definitiones Dialecticas etiam aliqua ratione omnibus ſcientijs eſſe cōmunes, quia in omnibus reperiuntur, & ideò non procedere a nuda Logica docente: ſed ab habitu etiam cuiuslibet ſcientiæ cum ea concurrente ad diffiniendum in propria materia: ſed repugnat habitum philoſophiæ naturalis concurrere cum Logica ad definiendum in propria materia eiuſdem philoſophiæ, & definitionem procedentem ab vtraque non reſpicere materiam: ergo non ideò explicabunt minus perfectè formam, quia non exprimunt materiam. Probatur minor, quia philoſophia naturalis per ſe reſpicit materiam ſenſibilem: ergo repugnat ab ea abſtrahere in ſuis definitionibus, & neceſſarium eſt reſpectum ad eam exprimere. Secundò probatur ratione falſitas eiuſdem ſolutionis in omnibus ferè definitionibus philoſophicis, quas Dialecticas vocari aſſerit Toletus, quia a Logica docente procedunt ſimul cum philoſophia: ſed euidens eſt exprimere materiam, ergo falſum eſt, quod dicitur eam non exprimere, & ideò vanas appellari: minorem probo in definitione naturæ, motus, & animæ exprimentibus materiam. Et tandem probatur in definitionibus proprijs eiuſdem Dialecticæ, vt enunciationis, ſyllogiſmi & demonſtrationis, quæ ſimul aſſignantur per genus, & differentiam, & materiam ex qua componuntur, exprimunt, nempe terminos, & propoſitiones.

Verus igitur ſenſus Ariſt. quem tenuit aſſerens Dialecticum definire per formam, ex verbis eiuſdem capitis textu 11. colligendus eſt, quæ ita habent. *Quare ſecundum quaſcumque definitiones non contingit accidentia cognoſcere, ſed neque coniectari de ipſis facile manifeſtum, quod Dialectica dicta ſunt, & vana omnes.* Vt autem intelligantur melius, adnotare oportet Dialecticam hoc loco pro ſola parte Topica ex probabilibus differente accipere Ariſtotelem, & non pro tota ipſa Logica docente, vt ſolet aliquando, quod patet ex 1. lib. de poſt. reſolur. cap. 2c. & 25. & ex 2. lib. cap. 8. atque etiam ex 4. lib. Phyſic. cap. 11. imò ex verbis eiuſdem loci relatis fit manifeſtum. Dialecticus verò ex probabilibus differens faciliora quædam, & veriſimiliora deſumit ad definiendum, & ſæpè vniuerſaliores effectus, vel rationes, & ideò remotiores a ratione particulari, & propria ſubiecti, vel proprietatibus eius, vt ex illis vtcunque rem explicet, & ex eius explicatione probabile poſſit ducere argument. & quia notiora ſunt ea, quæ ex parte formæ ſe tenent, quam quæ ex parte materiæ, & vniuerſaliores rationes ex parte accidentium deſumptæ modum formæ habent reſpectu ſubiecti, proprerea dicitur per formam definire, & alia genera cauſarum, & quia tales definitiones eius ex vniuerſalioribus ac remotioribus, & aliquando etiam ex accidentibus, vel rationibus deſumptæ, ſæpe non attingunt proprietates ſubiecti, & ideò ex eis non poteſt propria eius eſſentia, vel ratio certò cognoſci, ſed ſolum veriſimilis fieri, ideo Ariſtot. vanas appellauit tales definitiones, quaſi ſine fructu, & quæ finem ad quem ordinatur exacta definitio, non conſequantur. Quod frequenter, & non ſemper intelligendum eſt, & quantum eſt ex modo ipſo probabiliter differēdi, quare non tollit, quin aliquando exactam definitionem aſſumat, & non ſolam formam attingentem, ſed etiam materiā, & finem. Hoc autem per accidens ſe habet ad proprium finem differendi ex probabilibus, qui ſolum eſt rem, vel problema, de quo diſputatur, veriſimile, aut probabile efficere, & iſte eſt ſenſus prioris loci iuxta communem interpretum ſententiam. Ex quo deduximus ſenſum alterius de modo definiendi per formam, Dialectico proprio; & ex ſenſu vtriuſque conſtat non eſſe Ariſtotelem ſibi contrarium.

Secundum verò de modo definiendi philoſophi naturalis per materiam facilius eſt, quia non vult Ariſt excludere, quin per formam, & alia genera cauſarum definiat, imò neque

quod definiat aliquando per genus,& differentiam: sed sensus eius est, quod philosophus naturalis sicut ex suo modo procedendi non abstrahit a materia sensibili, sed eam respicit, sic ex proprio modo definiendi,siue per formã definiat rem aliquam, siue per finem, vel efficientem, aut quouis alio modo, semper exprimit ordinem ad materiam sensibilem.

Ad primum argumentum,concesso antecedente,distinguendum est consequens: nam per formam, vt est pars entis naturalis respiciens materiam, vt alteram eius partem, vel vt est forma accidentalis subiecti sensibilis, ad physicum pertinet definire, & non ad Dialecticum,nisi in sensu iam explicato.

Ad secundum concedendum est,quod infert videlicet per solam,vel nudam materiam, aut materialem causam nihil posse definiri, nisi verbum aliquod adiungatur, quo simul cum materia explicetur vno, vel alio modo integra ratio definiti, cum certum sit, quamlibet bonam definitionem cõuerti cum definito Quod non potest habere, si nudam materiam contineat: quod ergo vult Aristoteles, dum ait, philosophum definire per materiam, non est quod per nudam materiam, sed hoc tantum, quod proprius modus definiendi eius, siue per hoc, vel illud, aut per plura genera causarum definiat,sit,materiam, vel respectum ad illam exprimendo in definitione.Secundum vero ex adnotatis solutum est.

Cætera capita huius libri non iudicamus exponenda,quia in eis solum refert;& reijcit Aristoteles quædam antiquorum philosophorum placita circa naturam animæ,& adeò absurda & vera philosophia aliena, vt nec recitanda putemus.



COM-



COMMENTARIORVM IN SECVNDVM LIBRVM Aristotelis Stagiritæ de Anima.

Breue Procæmium.

NEcesse fuit aliorum sententias de natura, & ratione animæ referre Aristotelem, priusquam ex propria loqueretur; propter duo: primum quidem, quia vt admonuit ipse in 1. lib. textu 19. multi atque sapientes multa de illa dixerunt, ex quibus vera oportet accipere ad eius naturam inuestigandam, & si quæ reperiantur falsa, refutare. Vtrumque autem præstitit in 1. lib. & ideò vniuersalis scopus huius secundi, est quid de eadem sentiat ipse ostendere. Potest autem diuidi in duas partes, in priori docet, quid sit anima in communi, & quę sint communes eius facultates, vel potentiæ per tria priora capita. In posteriori verò ex tribus animæ speciebus duas priores explicat, nempe vegetatiuam, & sensitiuã cum suis facultatibus, aut potentijs; per reliqua quæ supersunt capita, explicaturus in 3. lib. animam rationalem, & potentias eius.

LIBRI SECVNDI ARISTOTELIS Stagiritæ de Anima,

CAPVT I.

TEXTVS ARISTOTELIS.

Quæ igitur à prioribus tradita de Anima, sint prius diximus.

Breuis expositio Textus.

1 INtentum huius primi capitis, est explicare quid sit anima. Diuiditur autem in tres partes: In prima pręmittit Aristoteles quatuor diuisiones ad inuestigandam definitionem animę. In secunda colligit ex eis definitionem, eiusque partes explicat, & probat. In postrema corollarium quoddam ex eadem definitione infert.

Agens Aristot. de modo inueniendi definitionem cuiuscumque, 1. lib. Post. cap. 14 asserit quærendum in primis esse prædicamentum, sub quo res illa collocatur, eoque inuento diuidenda esse genera in species per proprias differentias quousque inueniatur propria eiusdẽ rei, ex qua simul ac genere, constituatur congrua definitio eius. Hoc igitur Arist præcepto à se tradito vtitur capit. præsenti ad inueniendam definitionem animæ, assignans quatuor diuisiones, quarum prima est vniuersalissima entis in decem genera suprema, seu prædicamenta, nempe substantiam, quantitatem, qualitatem, & reliqua.

2 Secunda diuisio est substantiæ, non quidem in tota sua latitudine prædicamentali, sed pro sola substantia Physica, seu materiali, prout abstrahit à totali, & partialibus, ex quib. essentialiter componitur. Diuisio igitur talis est. *Substantia Physica, alia est materia, alia forma, alia essentialiter ex his composita.* Vt materia (inquit Arist.) non est hoc aliquid, hoc est, nō est aliquid determinatum ad certam speciem, & indiuiduum, sed pura potentia determinabilis ad vtrumque per formam, forma verò est, hoc aliquid, quia cum sit actus, determinata est ad certam speciem, & indiuiduum, non ita vt speciem, vel indiuiduum ipsa sola consti tuat, sed quia informans materiam, & tribuēs ei esse determinatum ad talem speciem, & indiuiduum constituit cum ea compositum in ta li specie, & indiuiduo.

3 Tertia diuisio est, actus vnus vocatur primus, & alter secundus, estque generalis diuisio actus in tota sua latitudine iuxta communem expositionem interpretum, non particularis, ita vt solus actus substantialis qui est substantialis forma, diuidatur. Actus igitur primus est forma, aut potentia, per quam res potest operari, actus vero secundus operatio ipsa, vt grauitas lapidis est actus primus respectu motus deorsum, motus vero ipse actus secundus, & vniuersaliter loquendo omnis actus secundus procedit ab aliquo actu 1. & omnis actus primus est principium alicuius act is secundi.

4 Vltima diuisio sic habet, corpora naturalia quædam viuunt, nempe illa, quæ à principio intrinseco nutriuntur, & augentur, vt plantæ; alia vero vita carent, vt lapides. Vitam itaque vocat vitalem operationem procedentem à principio substantiali viuente, quibus verbis insinuat, vitam duobus modis accipi, nempe pro vita accidentali, quæ est operatio nutritionis, vel augmentationis, & pro vita substantiali, à qua accidentalis ipsa procedit tanquam à principio, vt nutritio est vita accidentalis; sed substantia ipsiusmet plantæ composita ex materia, & anima vegetatiua est vita substantialis, à qua eadem accidentalis vita procedere constat. Ex quo infert, quod omnia corpora viuentia sunt substantiæ compositæ ex materia, & forma, probat que hoc argum. Omne corpus naturale est compositum ex materia, & forma, sed omne corpus viuens est corpus naturale, cum habeat in se principium motus naturalis: ergo est substantia composita ex materia; & forma. Et hæc in hac prima parte.

5 In secunda constituit definitionem animæ, & primò asserit esse actum, & formam corporis, quod sic probat; anima est substantia sed non est corpus: ergo est forma, & actus corporis. Maior euidens est, quia si viuentia sunt substantiæ compositæ ex materia, & forma, cū viuant ratione animæ, per quam distinguūtur ab inanimatis, ac non viuentibus, sequitur animam esse aliquid intrinsecum substantiæ viuētis, & ideò esse substantiam. Minorem autem sic probat, corpus non est in alio tanquam in subiecto, sed potius est subiectum, & quasi materia, in qua aliud recipitur, sed anima est in alio tanquam in subiecto, hoc est, in corpore viuente, quia corpus viuens est, quod habet animam: ergo anima non est corpus, & ex consequenti erit actus, & forma corporis. Euidens est consequentia, siue per corpus intelligatur in minori altera pars viuentis, quæ est materia, vt voluit D. Thom. quem sequuntur Ægidius, & alij, siue intelligatur totum viuens cō positum ex corpore pro materia, atque ex anima, vt voluerunt Themistius, Simplicius, atq; Philoponus hoc loco, quia ex eo quod anima est in subiecto, vtrumq; sequitur, videlicet, & quod non sit corpus pro altera parte viuentis, quæ est materia, & quasi subiectum, in quo forma recipitur, atque etiam, quod non sit corpus pro integro viuenti, quia neutrum est in alio tanquam in subiecto, vt per se est manifestum.

6 Quo supposito, eo ipso quod probauit Arist animam non esse corpus sumpto corpore pro parte, quia non est in subiecto, consequenter probauit, quod non sit corpus pro cō posito. Ex quo euidens fit consequentia à sufficienti diuisione, quod anima sit actus, & forma corporis. Deinde asserit animam non esse actum secundum, sed primum; quod sic probat; actus secundus est operatio, sed contingit animam esse in corpore non operante, vt patet in dormientibus. ergo cum anima sit actus corporis, non erit secundus, sed primus. Quod verò obijci posset de nutritione, à qua operatione dormientes non cessant; difficultate caret, quia tanquam certum præsupponit Arist. posse ex parte animæ cessare viuentia ab opere nutritionis, quod ab extrinseco alimento dependet: quare si hoc deficiat (vt possibile est naturaliter) deficiet quoque nutritio permanente anima in corpore.

7 Tertio asserit animam esse actum primū corporis, non cuiuscumque, sed physici, atque organici: hoc est, naturalis: vt distinguatur ab artificiali, & habente partes diuersæ conditionis, & figuræ, quæ vocantur organa, seu instrumenta

menta pro diuersis operationibus exercendis, vt distinguatur corpus viuens à non viuente; cu ius partes eiusdem rationis sunt, quia non ordi nantur ad exercendas varias, seu diuersas operationes, vt lapis non habet partes diuersæ rationis, aut figuræ, sed eiusdem, quia nec habet operationes diuersas, sed eandem: quare homogeneum corpus vocatur, hoc est, habens partes eiusdem rationis; corpus autem viuens, cuius actus est anima, partes habet diuersas pro diuersis operationibus exercendis, & propterea vocatur heterogeneum, hoc est, habens partes diuersæ rationis, ideò longè nobilius est corpore non viuente, & maiorem hanc nobilitatem habet ratione animæ, quæ nobilior forma est: & propterea maiorem ornatum postulat ex partium varietate consurgentem.

8 Sed probat iam Arist. eandem particulā hoc modo; anima vegetatiua infima inter omnes animas est actus corporis organici; ergo reliquæ omnes animæ, nempè sensitiua, & rationalis erunt actus talis corporis. Euidens est consequentia, cum sit argumentum à maiori: & antecedens probat euidens experientia, nam vidimus in planta radices, truncum, folia, & in his venulas quasdam: quarum partium diuersitatem, non ex sola figuræ diuersitate, sed ex diuersis officijs colligimus: nam radices se habent quasi in animali os, quia succum seu alimentū capiunt, & quasi sugere seu attrahere dicuntur, quod per folia, ramos, ac venulas distractum nutritioni totius corporis deseruit, & harum partium diuersitas notior est ad sensum in cœteris viuentibus, vt in brutis, atque hominibus. Ex his igitur colligit Aristot. quod si definitio aliqua animæ constitui potest omnibus animabus communis, talis erit. *Anima est actus primus corporis physici, & organici*, nec est necessarium addere alias particulas nempe, *Potentia vitam habentis*, vt D.Thom & expositores alij adnotarunt, quia per corpus organicum significantur; quare si aliquando adduntur, maioris, tantū explicationis gratia fieri censendum est.

9 Ex definitione verò colligi posse (ait) solutionem cuiusdam dubij, quod posset aliquis sic proponere. Corpus, & anima sunt res diuersæ: ergo non possunt efficere vnum compositū, nisi vniantur, sed non possunt vniri, nisi per aliquid aliud à se distinctum, vniens verò est quasi forma vnitorum, quia videtur ea continere: ergo anima non habet rationem formæ, vel actus, sed illud potius, quo vniuntur anima, & corpus, quia cum aliqua vniuntur, tanquam actus, & potentia, non indigent re alia, per quā vniantur, vt vnum efficiant, sed se ipsis, atq; immediatè vniuntur, & ideò se ipsis, & non per rem aliam à se distinctam efficiunt vnum, per se quidem, & essentialiter, si sint actus essentialis potentia, per accidens verò, si sint actus accidentalis, & accidentalis potentia. Et rationem reddit, quia actus, & potentia in quocunque genere immediatè se respiciunt: ergo sine vlla alia re media apta sunt se coniungere, & vnum constituere, sed corpus & anima sunt actus, & potentia substantialis, vel essentialis: ergo sine vlla alia re media se coniungere apta sunt, & per immediatam coniunctionem vnum per se substantiale, seu essentiale constituere. Non tamen vult Arist formam, & materiam, vel corpus, sic immediatè vniri, vt excludatur modus vnionis (vt intelligitur, ac docent aliqui, quod 1. lib. phys. ostendimus falsum) sed immediatā vnionem solum voluit excludere rem aliā mediam, quia nec possibile est sine modo vnionis coniungi, nec modus iste substantialis immediatam vnionem tollit.

Proposito ac soluto dubio confirmat, atque explicat simul Aristot. definitionem animæ assignatam duob. exemplis: quorum primum est ab arte desumptum.

10 Nam sicut se habet forma securis ad securim ipsam per artem confectam, sic suo modo se habet anima ad corpus animatum, quia sicut à forma artis accipit securis esse specificum rei artificialis, ita ab anima accipit corpus esse animatum, & viuens: si verò securis esset res naturalis, figura illa artificialis esset actus, & forma naturalis eius: ergo cum corpus animatum sit res naturalis, anima erit actus, & forma eius. Aliud exemplum naturale est ex partibus eiusdem corporis viuentis desumptum. Oculus est quid compositum ex organo, & potentia videndi in eo existente, si autem oculus ipse animal esset, absque dubio eius anima esset potentia videndi, quia dum eam habet, verè, & propriè oculus est, ea vero amissa non est oculus, nisi æquiuocè; sed ita se habet anima respectu animalis: ergo verè, & propriè est actus, & forma eius.

11 Probatur minor, quia sicut ex organo, & potentia videndi constituitur oculus, qui est principium huius operationis vitalis, quæ dicitur visio, ita ex anima, & corpore constituitur animal, quod est principium operationum vitalium, ac sensitiuarum, & sicut sublata potentia videndi non permanet oculus, nisi æquiuocè, ita sublata anima non permanet corpus organicum, aut viuens nisi æquiuocè, sicut animal vel homo pictus. Corpus autem organicum, cuius actus & forma est anima, ait Aristotil.

idem

idem esse, ac habens vita in potentia, non quidem in potentia excludente actum, sicut semen dicitur viuens in potentia, non habens actu principium vitæ, aut vitalis operationis, quod est anima, sed potens habere vtrumque; sed corpus organicum habet vitam] in potentia sicut oculus dormientis dicitur esse actu oculus, & potentia videns, ita corpus organicum dicitur habere vitam in potentia, hoc est, vitalem operationem: quam vocamus vitam: sed principium eius habet actu nempe animam Et vt vno verbo rem explicemus, corpus organicum habet vitam accidentalem in potentia, vitam verò substantialem non potentia, sed actu.

12 In vltima tandem parte capitis ex tota definitione animæ tanquam corollarium infert, quod anima non sit omninò separabilis à corpore, sed ex parte sit separabilis, hoc est, secundum aliquas partes, quæ sunt actus corporis; ex parte verò inseparabilis, hoc est, secundum partes alias: quæ non sunt actus corporis.

Quid verò per partes intelligat, & quid per partes separabiles, & inseparabiles, non eodem modo exponitur, sed in quæstionibus explicabitur.

Concludit Aristotiles sententiam huius capitis dicens, quod licet definita sit anima in communi per actum, & formam corporis, & definitio sit communis omni animæ, hoc est, vegetatiuæ, sensitiuæ, & rationali: cum quo stat, quod aliquot partes eius sint separabiles, quia nullius corporis, hoc est, nullius organi corporei sunt actus, vt intellectus; nondum tamen esse probatum contra Platonem, quod anima sit forma informans corpus, vel solum ei assistens ad motum, & operationes eius efficiendas, eo modo quo nauta dicitur assistere naui ad motum.

CAPVT II.

TEXTVS ARIST.

Quoniam autem ex obscuris quidem manifestioribus fit certum, &c.

Breuis expositio textus.

13 INtentum Arist. in hoc 2. c. est, aliam definitionem animæ assignare, per quam clarius, atq; distinctius explicetur natura eius, & aliquo modo causam prioris definitionis cõtineat: & ideò per eam prior ipsa probari possit certa, atque euidenti demonstratione. Diuiditur autem caput in quatuor partes; in quarum prima propositis diuersis modis procededi in tradendis scientiis, ac definitionibus rerum, distinguit quatuor genera vitalium operationum, ex quorum explicatione colligit definitionem animæ intentam. In 2. p. comparat easdem operationes vitales cum principio, a quo procedunt: nempe anima, & cum subiecto in quo recipiuntur: quod est corpus, vel aliqua pars eius, docetque, quomodo distinguantur ex parte vtriusque, atque inter sese. In tertia duobus propositis, ac solutis dubijs constituit demonstrationem: per quam ex hac posteriori definitione priorem colligit, ac demonstrat. In vltima tandem occasione desumpta ex vtraque definitione animæ, antiquiores quosdam philosophos laudat, quia benè locuti sunt de modo se habendi animæ in ordine ad corpus, alios verò reprehendit, quod diminuta quadã ratione de eodem senserint, repetitq; priorem animę definitionem, quasi ex posteriori probatum sit bene fuisse assignatam.

14 Duplicia sunt notiora, à quibus in tradendis disciplinis procedi potest, vt 1. lib physicorum copiosè tradidit Aristot. quædam sunt notiora natura, nobis verò minus nota, & hæc absque dubio sunt entia nobiliora; alia ex opposito sunt notiora nobis, minus verò nota secundum naturam: qualia sunt propinquiora sensibus, vt corpora sensibilia. Deinde definitio tribus modis assignari solet. 1. per formam, vel materiam, aut per vtranque simul; quæ sunt partes essentiales definiti, vt docet idem Arist. 1. lib Post cap 7. Per materiam assignatur, dum dicimus, *Domus est compositum ex lignis, & lapidibus, cæterisque materiæ partibus.* Per formam si dicamus, *Hominem esse compositum physicum anima rationali praditum*. Per materiam verò, & formam simul dabitur, si dixeris, *Hominem esse compositum physicum corpore, & anima rationali constans.* Et definitiones istæ essentiales simpliciter vocantur, quia per solas partes essentiales formalem, & materialem designantur. Alię verò dicuntur causales, quæ dantur per causam finalem, aut efficientem: per finalem quidem, vt si dixeris. *Domus est compositum artificiale ad conseruandum hominem factum*, per efficientem verò, *Eclipsis est interpositio terrę inter Solem, & Lunam* 3. modo assignatur per vtrumq; simul, videlicet per materiam & formam, & per causam finalem, vel efficientem, vt dum dicimus.

Homo

Homo est compositum physicum corpore, & anima rationali constans ad beatitudinem conditum. Ex his autem tribus definitionibus, prima vocatur conclusio, quia demonstrari potest per secundam, & ideò secunda dicitur medium demonstrationis, quia per illam demonstratur prima. 3. verò vocatur ab Arist. demonstratio positione differens, demonstratio quidem, quia cum contineat primam, & secundam, continet totã demonstrationem, per quam vna demonstrat alteram; positione verò differens, quia non habet modum demonstrationis, nempe dispositionem in figura, & modo, quæ dispositio cum resultet ex positione, & situ extremitatum, meritò vocatur positio. Et per carentiam huius positionis dicitur tertia hæc definitio à demonstratione differre. Et exempla hæc manifesta sunt, per quæ intelligi debet aliud quod ab Aristot. affertur in mathematicis figuris, nempè quadrangulo, & quadrato, quod propter eius obscuritatem mitto.

16 In tali autem definitione assignanda à notiorib. nobis se progressurum asserit ad notiora naturæ, nobis verò ignota, & hoc præstat procedens à corpore animato ad animam: nam corpus animatum notius nobis est saltem cognitione confusa, (à qua in scientijs tradendis procedendum est) cum sit totum, & anima pars eius, totum verò notius nobis sit eodem genere cognitionis. Corpus verò animatum ab inanimato differre docet per vitam, nam illud viuit, hoc vero vita caret. Quo relicto, in corpore viuente vniuersaliter sumpto quatuor sunt genera vitalium operationum: quæ etiam vitæ genera vocari solent, nempè vegetatiuo, sensatio, motus progressiuus, & intellectio. Et de vegetatione ait omnibus viuentibus conuenire, satisque esse eam habere corpus, vt viuere dicatur, etiam si reliquis careat, ideò plantæ viuere dicuntur, quia vegetantur. Vegetari verò non est aliud, quam à principio intrinseco nutriri, & augeri per intussumptionem.

17 Ex his autem quatuor generibus vitalium operationum colligit quatuor species, seu gradus vitæ. Primus est eorum, quæ solum nutriuntur, & augentur, vt plantæ. Secundus eorum, quæ non solum vegetantur, sed etiam sensu prædita sunt, vt omnia bruta animalia.

Tertius eorum, quæ præter vegetationem, & sensum, motum progressiuum habent, vt perfectiora animalia.

Quartus aliorum, qui præter hos tres gradus vitæ alterum habent eis longè perfectiorem, nempe intelligendi, vel ratiocinandi, vt sunt homines. Ex quibus colligit definitionem animæ hoc modo. Animatum distinguitur ab inanimato per opus vitæ ab anima procedens tanquam à principio, sed quatuor sunt genera viuentium, quatuor generibus vitalium operationum distincta; ergo bene definitur sic anima. *Anima est principium, quo primo viuimus, & sentimus, & mouemur, & intelligimus.* Addit autem primo, ad excludendam vitalem operationem, qua non primo, sed secundo viuimus.

18 Constituta definitione animæ, duo proponit, ac soluit dubia, vt eam magis explicet.

Primum est, an quodlibet horum, nempe vegetatiuum, sensitiuum, locomotiuum, & intellectiuum sit anima ipsa talis speciei, vel non nisi pars animæ, hoc est, potentia eius. Gratia exempli, an vegetatiuum sit potentia animæ vegetatiuæ concessa ei à natura ad exercenda opera vitæ, vel sit anima ipsa vegetatiua, à qua eadem opera vitæ procedunt.

Secundum dubium supposito, quod non sint diuersæ animæ, sed solum diuersæ partes, seu potentiæ eiusdem, an ratione seu definitione distinguantur, vel loco tantum seu subiecto? nam quidam hoc modo eas distinguentes appetitum in hepate, sensum verò in cerebro collocarunt. Et primo soluit dubium hoc secundum, asseritque euidens in primis esse, quod quatuor istæ potentiæ distinguantur ratione formali, aut definitione, quod probat hoc argumentum

19 Potentiæ sunt propter actus, cum pro eis eliciendis datæ sint viuenti à natura, ab eis ergo desumere debent specificam distinctionem, sed actus harum potentiarum diuersi sunt; ergo etiam erunt potentiæ specie diuersæ. Minorem probat, quia sentire, & opinari, seu intelligere diuersi sunt actus propter diuersa obiecta in quæ tendunt. Distinctio verò earundem potentiarum secundum subiectum dupliciter considerari posse ait Aristot. aut in eodem animali, ita vt omnes sint in eadem parte eius, vel diuersæ in diuersis, aut in diuersis animalibus, ita vt in quolibet sint omnes, vel quædam in vno, aliæ vero in alijs.

Et respondet in quibusdam animalibus, facile esse hoc indicare, nempe in his omnibus, quorum partes abscissæ viuunt, qualia sunt reptilia ferè omnia, in quibus vita, sensus, & motus simul reperiuntur in eadem parte, & ideò, nec loco, nec subiecto separantur, nam tales partes viuere manifestum est, & ideò potentias habere vitales, moueri

verò

verò experimur, atque etiam ſentire, quia ſi cuſpide pungantur, refugiunt: quod ſignum doloris eſt, dolor verò ſine ſenſu tractus fieri non poteſt.

20 Ex quo intelligimus, quod ſicut anima plantarum extenſa eſt per omnes partes eius, quia in eis abſciſſis, ac viuentibus reperitur, & ideo vna eſt actu in quolibet corpore, & plures in potentia: eodem modo anima horum animalium extenditur per totum corpus, & omnes eius partes, & vna eſt actu, in toto corpore, plures verò in potentia. De ſola verò potentia intellectiua dubium eſſe poſſe inquit, an ſit in aliqua parte determinata, vel organo corporis, an verò organica non ſit, ſed independens ab organo, ac proinde in ſingulis, & omnibus partibus corporis æqualiter reperta, ab omnib. partibus etiam, & ſingulis, a totoque corpore ſit ſeparabilis. Sed reſpondet ipſe, potentiam intellectiuam alterius generis eſſe à cæteris potentijs vitalibus, quia non eſt organica, nec ab organo dependet ſicut ſenſitiuæ, ac ſeparari poſſe à corpore: vnde in omnibus, & ſingulis partibus eius æqualiter reperitur. Conſideratæ verò potentiæ vitales in diuerſis viuentibus diſtinguntur ſubiecto, & ſeparari poſſunt, ita vt in diuerſis ſubiectis reperiantur hoc modo, vt cum quatuor ſint gradus potentiarum, nempe vegetatiuum, ſenſitiuum, loco motiuum, & intellectiuum; inferiores reperiri poſſint, & reperiantur ſæpe ſine ſuperioribus, quamuis ſuperiores ſine inferioribus, nec reperiantur, nec reperiri poſſint. Gratia exempli, in plantis reperitur vegetatiuum ſine ſenſitiuo, & in quibuſdam imperfectis animalibus ſaxis perpetuo affixis reperitur ſenſitiuum ſine loco motiuo, in animalibus verò perfectis ab homine diuerſis reperiatur loco motiuum ſine intellectiuo, & tandem intellectiuum in ſolo homine: ſed in nullo animali reperitur ſenſitiuum, ſine vegetatiuo, nec in homine intellectiuũ ſine loco motiuo, & vegetatiuo.

Primum dubium facile ſolui poſſe cenſuit Ariſtot. ex his quæ docuit in ſolutione ſecundi dubij, & propterea prius voluit ſoluere ſecundum. Solutio autem eius ex duobus conſtare poteſt, primum eſt vegetatiuum, ſenſitiuum, loco motiuum, & intellectiuũ, dupliciter ſumi poſſe, formaliter quidem, hoc eſt, pro principijs formalibus, vegetationis, ſenſus, motus, & intellectionis, vel radicaliter pro principijs ſubſtantialibus, à quibus potentiæ ipſæ emanant.

21 Partes animæ, duobus etiam modis accipi poſſunt, nempe pro partibus ſubiectiuis, aut pro partibus poteſtatiuis.

Partes ſubiectiuæ dicuntur ſpecies reſpectu generis; vt homo, equus, & leo ſunt partes ſubiectiuæ animalis.

Partes verò poteſtatiuæ ſunt potentię reſpectu ſubſtantiæ, à qua emanant, & quæ per illas operatur, vt intellectus, & voluntas ſunt partes poteſtatiuæ animæ rationalis. His igitur duobus præſuppoſitis, quærebat primum dubium, an quatuor illa ſint diuerſæ ſpecies animæ, vel ſolum diuerſæ partes? Et reſpondet Ariſt. non eſſe ſpecies diuerſas, ſed partes, aut potentias, hoc eſt, non eſſe partes ſubiectiuas, ſed poteſtatiuas. Quod veriſſimum eſt, quia ſecundum propriam, ac formalem ſignificationem denotant principia formalia operationum vitaliũ, quæ ſunt potentiæ. Nihilominus ſi accipiantur pro principio radicali earundem potentiarum, & operationum, (vt ſuo modo accipi poſſunt) vocari poſſunt partes ſubiectiuæ, hoc eſt, diuerſæ ſpecies animarum, quæ non ſolum proprijs definitionibus diſtinctæ ſunt, ſed realiter ſeparatæ in diuerſis animalium ſpeciebus.

22 His dubijs propoſitis, atque ſolutis, iam in 3. par. capitis contendit demonſtrare priorem definitionem animæ traditam in 1. ca. per poſteriorem traditam in hoc 2. quod vt præſtet, præſupponit duo, Primum quòd ſicut duobus dicimur ſcire, nempe ſcientia tanquam forma, & anima tanquam ſubiecto, & duobus dicimur ſanari, ſanitate vt forma, & corpore tanquam ſubiecto, vel aliqua eius parte: ita duobus dicimur viuere, altero vt forma, altero vt materia. Secũdum præſuppoſitum eſt, quòd forma, & actus recipiuntur in proprijs ſubiectis, vt ſanitas in animali, aut parte eius: & ita id quo viuimus, vel forma erit in proprio receptiuo, vel materia: hoc ſuppoſito conſtituit hanc demõſtrationem. Id quo primo viuimus, ſentimus, loco mouemur, & intelligimus, eſt actus primus corporis phyſici, & organici: ſed anima eſt id quo primò viuimus, ſentimus, loco mouemur, & intelligimus: ergo anima eſt actus primus corporis phyſici atque organici. Minor eſt 2. definitio animæ, & concluſio eſt definitio prima, & ideò vtraq; eſt per ſe euidens: ſolum reſtat maior probanda, in qua prima definitio prædicatur de ſecunda, quam ſic probat, & ſimul explicat.

23 Tria ſunt in viuente quocumque, nempe corpus, anima, & compoſitum, ſed compoſitum non eſt, quo viuimus, ſed quod viuit, nec etiam quo viuimus, eſt corpus, aut materia, quæ ſolum eſt potentia, & potentia non viuimus: cum nec per illam diſtinguamur à non viuenti-

uentibus nec vita consistat in potentia, sed in actu: ergo solū forma, & actus potest esse quo viuimus, sentimus, mouemur, & intelligimus, & per conuersionem simplicem, id quo viuimus, sentimus, mouemur, & intelligimus, erit actus primus & forma corporis physici, & organici: quare euidens est etiam maior eiusdem demonstrationis.

In vltima tandem parte capitis, occasione sumpta ex definitionibus animæ assignatis, laudat quosdam philosophos, qui bene locuti sunt de anima, dicentes animam non esse corpus, non tamen esse sine corpore, vt est actualis forma eius. Sed esse aliquid corporis, nempe actum, & formam corporis, non cuiuscumque, sed talis, hoc est, physici, & organici. Alios verò reprehendit, quia licet admitterent esse actum, & formam corporis: nihil de corpore determinatè, cuius actus est, dixerunt; ideò diminuta quadam ratione locuti sunt.

TRACTATVS PRIMVS.

De Anima quantum ad eius essentiam.

24 EO ordine procedit Aristot. in hoc tractatu de anima, quo ipsemet docuit procedendum esse in tradēdis scientijs rerum omnium 1. lib. de Poster. resol c. 1. videlicet, vt de subiecto scientiæ in primis præsupponatur, quod sit, & quid sit. Propterea Arist. acturus de anima in hoc tractatu tanquam de proprio eius subiecto, ab eius substantia incepit, & ideò duplicem definitionem eius statim assignauit. Quod verò anima sit in rerum natura præsuppoluit, nec vllo modo probauit, quia satis per se erat manifestum. Pro rudioribus verò possumus id ostendere à posteriori ex operationibus, hoc modo; animata distinguuntur ab inanimatis per quasdam operationes sibi proprias, quibus carent inanimata, vt plantæ, & animalia à lapidibus, & lignis per operationes vitæ, & sensuum: ergo prius distinguuntur ab eisdem per animam, à qua habent, quod animata sint, & tales operationes elicere possint: quare necesse est fateri, quod animam habent, & ex consequenti, quod anima sit in rerum natura Eodem igitur ordine procedemus nos in his nostris Commentarijs, vt primo ea, quæ pertinent ad substantiam animæ discutiamus, quare primum tractatum de his instituimus, & prima quæstio eius erit, an anima sit substantia; quo constituto, aperietur nobis via ad examinandam vtramque definitionem ab Aristotele traditam, alijs quæstionibus eiusdem tractatus.

QVAESTIO I.

An Anima sit substantia.

25 DE anima in vniuersali nunc agimus cum Aristotele, acturi postmodum de vegetatiua, & sensitiua in particulari in hoc 2. lib & de rationali in 3. Propterea titulus quæstionis vniuersaliter quærit, an anima sit substantia? Et fuit prima positio antiquorum Philosophorum asserentium animam esse harmoniam; seu consonantiam quandam: mouebantur verò ad id asserendum, quia tanquam certum præsupponentes nihil præter corpora esse in rerum natura, videbant omnia sub lunaria corpora ex contrarijs qualitatibus esse composita ad certum quendam gradum attemperatis, ex quo habent in eo naturalem quandam proportionem, & quasi consonantiam, quam harmoniam vocabant, desumpta fortè metaphora ex proportione sonorum, aut vocum, ex quibus harmonia quædam causatur in musica.

26 Talem ergo harmoniam naturalis corporis decepti cogitarunt esse animam, & cum ex contrarijs qualitatib. quæ sunt accidentia, constaret, vel fieret: existimasse videntur animam non esse substantiam, sed accidēs. Quam positionem tribuit Arist. Empedocli in 1. libro tex 54. sed ipsimet Aristot. hoc ferè idem attribuit Cic. 1. lib. Tusculanarum quæstionum, propterea quod in prima definitione docuerit animam esse actum corporis, pro actu verò habeatur in textu Græco (Entelechia) quæ non est aliud, (vt asserit idem Cicero) quàm continuata quædam motio, motionem vero accidens esse constat: & propterea imposuit Aristoteli, quod posuerit animam non esse substantiam, sed accidens, & eadem fortè ratione dictus Nemisius, libro de natura hominis cap. 2. putauit etiam Aristotelem sensisse animam non esse substantiam, sed Gregorius Nissenus hoc idem tribuit cuidam Narcho libro 2. de philosoph. vt refert D. Thom. 2. contra gentes, cap. 64.

27 Secunda positio non multum diuersa à præcedenti, fuit Galeni in libro qui inscribitur, ***Quod mores animi corporis temperamentum sequantur.*** cap. 3. & 4 & lib. 3. de locis affectis cap. 6.

cap 6. afferentis animam non esse aliud, quàm temperamentum primarum qualitatum, quod constat non esse substantiam, sed accidens, quãuis re meliùs considerata lib. 2. de vsu partium ca. 8. fateatur se ignorare, quid sit anima. Sed probat esse temperamentum in duobus primis locis, 1. quia anima est id, quo pereunte, moritur animal, sed constat dissoluto temperamento corporis statim perire animal; ergo temperamentum est anima. 2. quia anima est principium, à quo oriuntur diuersæ passiones, & affectus, vt odium, amor, ira, cum cæteris: sed experientia notum est has diuersas passiones procedere ex diuerso temperamento; nam melancholici proni sunt ad tristitiam, & colerici ad iram; ergo anima non est aliud, quàm temperamentum corporis ex contrarijs qualitatibus constans: & ideò non substantia, sed accidens.

28 In tertio loco potest connumerari sententia Platonis, qui in Timæo docuit animam præsertim rationalem esse numerum quendã, vel etiam circulum, vt Aristot testatur in libro 1. cap. 3. constat autem numerum, & circulum ad quantitatem, & qualitatem pertinere, quæ accidentia sunt, ideò significare videtur animam non est substantiam, sed aliquod ex his accidentibus: quamuis D. Thom. in Commentarijs primi libri, lectione octaua, in principio adnotet morem Platonis fuisse per quædam symbola, & figuras de rebus loqui, & ideò sæpè diuersum longè tenuisse sensum ab eo quem verba ipsa videntur significare, vnde numerum se mouentem vocasse animam credendum est propter multitudinem diuersarum operationum, quales sunt vegetatio, sensatio, intellectio, atque volitio, quas viuentia corpora exercent virtute animæ, vel anima ipsa, non quidem mota ab aliquo extrinseco principio, sed vt se mouens. Circulum quoque vocauit animam rationalem propter reflexas operationes, quas habet, & per quas se ipsam, proprias potentias, & operationes earum cognoscere, & amare potest.

Nihilominus Aristotelem, ait Diuus Thomas, merito illum reprehendere, non propter sensum, sed propter verba, quibus occasionem errandi vulgo ignoranti sensum ab eo intentum præbuit.

29 Veritas huius rei est, quod anima non sit vllo modo accidens, vt videntur tres istæ sententiæ asserere, sed substantia. Ita Aristoteles in his duobus capitibus, & omnes eius interpretes. Atque etiam vniuersa schola Theologorum cum D. Thom. in quæst. de anima, art. 1, 2. lib. contra gentes ca. 64. & 1. par. q. 75. artic. 1. & 2. & sæpe alibi; quare necessarium non est nominatim quemcumque referre.

A multis verò probatur rationibus parui momenti, vt bene Toletus, quæst. 1. huius 2. libri. Sed ipse etiam plures affert, ex quibus vix vnã, vel alteram efficacem reperies. Probari autem potest duplici argumento satis efficaci à priori, & à posteriori. Et primum præsupponit duo principia, ex se euidentia Primum est, præter diuinam substantiam in se simplicissimam, creatas omnes esse realiter compositas: de quo nemo sanę mentis dubitare potest, nisi velit diuinam, ac summam Dei simplicitatem, atque excellentiam puri actus creaturis tribuere.

30 Aliud principium est res omnes naturales, atque corporeas, tam viuentes, quàm vitæ expertes, substantias esse: quamuis plura accidentia habeant ad earum ornatum pertinentia, vt lapis, & lignum præter quantitatem, & qualitates, quibus ornantur, veram substãtiam continent per se subsistentem, hoc est, independenter ab alijs, nullique inhærentem, vt per se est manifestum. His duobus principijs præsuppositis, sic procedit primum argumentum.

Omnis substantia præter Deum essentialiter est composita; ergo si corporea sit, habet partes essentiales intra se, ex quibus realiter componatur; vna est materia, vel corpus, quam omnes admittitur, præter quam non est alia excogitabilis, nisi forma: ergo datur forma substantialis in his rebus, quæ vera sit substantia partialis, ex qua simul cum materia componatur: sed forma substantialis rerum viuentium est anima; sicut rerum non viuentium est quæuis alia forma inferior, vt lapidis, atq; ligni: ergo anima est forma substantialis componens cum corpore integram rem viuentem; & ideo vera substantia. Probatur minor, quia substantię animatæ distinguuntur specie ab inanimatis, tanquam longè perfectiores, vt euidenter ostendunt perfectiores operationes earũ, sed distinctio specifica, & substantialis non est per materiam: cum hæc sit omnibus æq; communis, ita vt materia illarum sæpe transeat ad istarũ formas, atq; è conuerso: ergo distinguuntur specie substantiæ istæ per animam quæ proinde erit vera substantia.

31 Secundum argumentum à posteriori sumitur ex operationibus hoc modo: Natura cuiuscunque rei est substantia eius, (nam accidentia non sunt natura rerum, sed ad naturæ ornatum pertinent, in qua inhærent, & à qua sustentantur, & ideò entia secundum naturam, & nó

na-

naturalia vocantur,) sed natura est principium intrinsecum motus, & cuiuscunq; operationis naturalis, vt patet ex definitione tradita ab Arist. 2 li. Physic. ergo motus, & operationes naturales procedunt à substantia naturalium rerum, tanquā ab intrinseco principio: vlterius res naturales viuentes habent operationes perfectiores essentialiter, quam non viuentes, vt patet de nutritione, sensationibus, intellectionibus, & volutionib longè perfectioribus motu lapidis, & ligni; ergo naturam, & substantiam perfectiorem essentialiter, non ratione materiæ, aut corporis, cum illa sit communis: ergo ratione animæ, quare hæc erit pars substantialis, per quam sunt perfectiores substantialiter: & ideo erit vera substantia, & nullo modo accidens.

32 Argumentum Ciceronis nullius momenti est, quia innititur falsæ interpretationi illius vocis (entelechiæ) non enim significat continuatam motionem, sed cum nouū sit vocabulum, & ab Aristotele inuentum, cuius interpretationem postulat ex mente eiusdem Aristotelis eliciendam, & præsertim ex eiusdē capitis contextu, vbi de quidditate animæ loquitur; propria igitur significatio (entelechię) est actus perfectus, & quasi consummatus, quem constat esse primum, substantialem, & specificum, à quo res quasi absoluitur, & completè perficitur in propria specie, & talem docuit esse animam.

33 Sed nec argumenta Galeni aliquid probant: nam ad primum distinguenda est maior, quod anima sit id, quo deficiente moriatur animal, duobus enim deficientib moritur animal, vel homo, altero tanquam forma substantiali, à qua recipiebat esse, altero tanquam dispositione, qua conseruabatur eadem forma in materia, vel corpore, & tēperamentum quidem dispositio necessaria est ex parte corporis, vt in eo introducatur, atque conseruetur anima; quare eo dissoluto perit anima, vel desinit informare corpus, & moritur homo, vel animal, quia mors non est aliud, quam separatio animæ à corpore, & ideo alterum, ac præcipuum, quo deficiente animal moritur, est anima. Maior ergo vera est de eo, quo deficiente, vt forma, animal moritur, hoc enim solum potest esse anima: non est autem vera de eo, quo deficiente tanquam dispositione necessaria ad conseruationem formæ in materia moritur animal, & cum tale sit temperamentum, nō benè probatur esse animam.

34 Ad secundum respondet D. Thom. 2. contra gentes, cap. 64. distinguendo etiam maiorem hac distinctione. Passiones atque operationes diuersæ duobus modis attribuūtur alicui, vel tanquam principio, & causæ principali, à quo non solum secundum rationem materialem, sed secundum formalem procedunt, & hoc est anima. Alio modo attribuuntur alicui, tanquam disponenti materiam, & hoc est temperamentum, ex cuius variatione variantur quidem passiones, vel diuersæ procedunt, quia variata dispositione alio modo se habet anima in corpore, & variata ratione materiali passionis, variatur etiā formalis ratio eius, & omnino procedit alia diuersa (non est enim sermo de passionibus quæ oriuntur ab essentia specifica, sed ab indiuiduali natura, quæ ex tali temperamēto tanquam ex complexione ac dispositione dependet:) exemplum assignat D. Thom. in passione iræ, quæ pro materiali dicit feruorem sanguinis circa cor, & hoc modo attribuitur temperamento cholerici hominis, tanquam disponenti ad illum: pro formali verò dicit appetitum vindictæ, quo pacto animæ potius, quàm temperamento attribuitur, quamuis etiam attribui possit tēperamento, tanquam remotæ dispositioni, quia in quantum proximè disponit ad feruorem sanguinis, ex consequenti iuuat quadam ratione materiali, & quasi remota ad appetitum vindictæ, sed vtroque modo desumpta passione procedit ab anima tāquam à præcipua causa media potentia existente in organo corporis.

QVAESTIO II.

An Anima sit corpus.

35 MVlti ex antiquioribus Philosophis putantes ex vna parte animā esse substantiam, vt quæstione præcedēti aduersus plures alios probauimus; ex altera verò nihil esse in natura rerū, quod non esset corpus, subtilius quidē, vel crassius secundū maiorem, vel minorē perfectionē propriæ naturæ (quod aliquādo sensit D. Aug. vt fatetur

5.lib.confess.cap.13.& lib.6 cap.1.in principio, ł.e inquiens: *Cogitare aliquid substantia, nisi tale non poteram, quale per hos oculos videri solet*) dixerūt animam esse corporeum quid, vt Zeno, Hippassus, & Parmenides ignem quendam Anaxagoras, Anaximenes, & Anaximander, aerem, Democritus, Leucippus, & cum his Pythagorei, putauerunt esse minutissimas quasdam atomos in aere per fenestram ingredientes, radijsque solaribus illuminato relucentes.

36 Empedocles verò sanguinem esse voluit, & Critias mixtum quid ex humore, & sanguine. Plures denique alij corpoream omnino eam posuerunt, à quibus forte non longe fuit Tertullianus in suo libro de Anima, & libro etiam de carne Christi, quamuis D. August. in bonum sensum eum interpretetur in libro de hæresibus, hæresi 56. & D. ipse August. lib. 22. de Ciuitate Dei, affirmat Arist sensisse cum his philosophis, quod anima sit quintum corpus præter quatuor elementa, eisque longè perfectius Quòd potest probari ex 2. libro de generatione animalium, cap.3 ad medium, vbi ita ait: *Sed enim omnis anima, siue virtus, siue potentia corpus aliud participare videtur, idque magis diuinum quàm ea quæ elementa appellantur, verum prout nobilitate, ignobilitateve anima inter se differūt, ita, & natura eius corporis differt.* Alij verò tenuerunt animam esse particulam quandam diuinæ substantiæ, seu diuinæ mentis, quasi à Deo ipso genitam: pro qua sententia refert D. Irenæus, lib. 1. aduersus hæreses, Carpocratem, & D Theodoretus in lib de diuinis Decretis, Cerdonem, & D. August. Gnostic. Manichæos, & Priscillianistas lib. de hæresibus hæresi 46. & 70 de quibus asserit D. Hieronymus in epistola ad Marcellinum, existimasse, quod anima hominis fuerit genita ex Dei substantia.

37 Hæc tamen positio non est diuersa à prima, si originem eius intelligamus, quam egregiè tradidit Diuus Thomas 1. par. quæst. 90 art. 1. asserens ex duplici alio errore ipsorum processisse: nam primo multi eorum credebant, non solum res omnes creatas corporeas esse, sensuq; perceptibiles, sed Deum ipsum esse quasi primùm corpus, à quo cœtera omnia procedunt, præsertim anima omnium perfectissima; quare necesse est corporeum quid esse ab eadem substantia primi corporis deriuatum.

Vnde, & Manichæi dixerunt, Deum esse lucem quandam corpoream, animam vero huius lucis partem quandam corpori alligatam. Alij vero ex eis crediderunt animā quidem quid in corporeum quodam modo esse, non tamen à corpore separatum, sed corporis formam, ita vt Deus esset quasi anima totius mundi, eum intuitu, & ratione gubernans; partes verò huius totalis animæ esse animam hominis, & aliorum animalium, sicut homo ipse, & animalia partes sunt totius mundi, quod præcipuè sensit Varro, vt testatur Augustin. 7. lib de Ciuit. Dei, c.5.6 & 10 Anima igitur totalis Dei, diuisibilis erit, atque corporea.

38 Et ecce omnes isti sicut priores animam dixerunt esse corpoream, licèt alia via processerint.

Veritas huius rei est, *quòd anima non sit corpus, & contrarium euidenter falsum.* Probatur primo ratione vniuersali præsupponente principium hoc. *Animatum differt ab inanimato sensu, & motu progressiuo,* quod tanquam per se notū recepit antiquitas Philosophorum, vt testatur Aristot. lib. 2. de anima, tex. 19. his verbis: *Animatum igitur ab inanimato duobus maximè differre videtur, motu, & sensu, accepimus autem à progenitoribus ferè duo hæc de anima,* & euidens experientia omnibus efficit manifestum. Ex quo ita arguo; corpora animata habent in se principium sensus, & motus progressiui; cum ex propria virtute sentiant, & moueantur ad omnem differentiam loci, ergo vel habent principium effectiuum horum motuum, vt corpora sunt vel vt alia corpora, distincta ab inanimatis.

39 Primum non potest esse verum, quia iam quodcumque corpus moueretur tali motu, atque sentiret, quod patet esse falsum; ergo secundum est necessarium, quod vt talia corpora habeant principium motus, & sensus, hoc est, vt animata: nam per hoc, quod animata sunt, distinguuntur ab inanimatis: sed non distinguntur per materiam, nec per eam sunt principia effectiua talium motuū, quia materia non est ratio agendi, sed recipiendi, nec principium distinctionis, sed cōuenientiæ, cum omnibus sit communis, per actum igitur sunt talia corpora distincta ab inanimatis, quia ratio talis corporis est ratio actus: ergo corpus animatum habet, quod sit principium effectiuum sensus, & motus per actum proprium; sed actus iste est anima; ergo

go habet tales operationes ab anima, tanquam ab actu proprio. Probatur minor, quia operationes istæ conueniũt corpori animato, vt animatum est, siquidem per eas distinguitur ab inanimato; sed est animatum per animã; ergo anima est actus corporis, à quo procedunt, & non corpus.

40 Probatur secundò alia ratione, speciali, quod anima non sit corpus, ex eo, quod sit particula quædam diuinæ substantiæ corporeæ; quam colligere possumus ex D. August. in libro de origine animæ, cap. 2 & D. Thom 1. par. quæst. 90. art. 1. hoc modo. Tria habet anima, quæ à nemine possunt negari, quia euidenti experientia sunt nota, nempe quod sciẽtiam acquirat ex rebus ipsis; quod eam nõ habeat actu ante acquisitionem, sed solum sit in potentia ad eam habendam, & tandem, quod postquam illam habet, non semper ea vtatur, nec semper sit actus sciẽs, vt in homine dormiente est manifestum. Et tria alia his opposita conueniunt Deo ex cõmuni consensu omnium, videlicet, quod sit purus actus, & ideo pugnet cum infinita perfectione eius, non habere aliquando scientiam. Quod omnibus modis sit in se infinitus, & propterea nihil possit accipere, vel mendicare à creaturis ab eo potius accipientibus, quæcunque habent. Et tandem, quod sit immutabilis, & ideo non possit mutari de sciente in potentia, ad sciẽtem in actu, quod manifestam dicit imperfectionem. Ex quib. euidenter sequitur, animam non posse esse partem diuinæ substantiæ, cui repugnant, quæ conueniunt animæ.

41 Ad argumentum verò illorum philosophorum ex cognitione desumptum, distinguendum est antecedens, nempe cognitionem fieri per similitudinem, vel assimilationem rei cognitæ ad cognoscentem, nam cognoscens, & cognitum duobus modis considerari possunt, videlicet in esse rei, vel in esse cognoscibilis, & cognoscentis: & sub priori consideratione non opportet esse similia, sed etiam si diuersam omnino naturã habeant, potest vnũ cognoscere aliud, quod constat euidenter in sensibus; nam visus, & color res sunt valde diuersæ, & tamen visus cognoscit colorem: solum ergo est necessaria similitudo, vel assimilatio cognoscentis ad cognitum sub posteriori consideratione, quo pacto accipiuntur in esse intentionali, sub quo solum potest esse verum quod cognitum sit intra cognoscentem; nam secundum esse naturale sæpe extra illud est, talis autem assimilatio fit per species intentionales sensibiles, vel intelligibiles, quæ ab obiectis imprimuntur intellectui, vel sensui, nã per illas repræsentatur obiectum extra existens potentiæ cognoscitiuæ. & ratione huius repræsentationis habet esse cognoscibile actu, vel in prima potentia, & ratione eiusdem speciei dicitur esse intra cognoscentẽ. Et dum actu cognoscitur, per speciẽ expressam productam à potentia actu cognoscente, fit cognitum actu, & vnitur cognoscenti, fitque quodammodo vnum cum eo. Ad formam igitur argumenti, negamus animam cognoscentem corpora eis assimilari secundum propriam entitatem naturalem, sed solum fit eis similis secundum esse intentionale, atque intelligibile per species eorum intelligibiles in se receptas, quare nõ oportet, quod anima sit corpus, sed spiritalis cũ sit, potest corpora cognoscere.

43 Ad D. Augustin. dicendum est, illud desumpsisse ex Cicerone, qui 1. lib. Tuscul anarum quæstionum, imposuit Aristoteli, quod senserit animam nostram ex quinta quadam essentia corporea esse, sicut etiam, quod docuerit esse continuatam quandam motionem. Sed ne forte putet aliquis occasionem dedisse Aristotelem loco illo, & verbis in arg. citatis, Respondeo, quod si verba illa, & contextus, vel mediocri diligentia expendantur, constat planè, nihil tale ex eis deduci posse, non enim asserunt animã corpus esse vel corpore constare secundum suã substantiam, sed eius virtute potentiam quãdam corpoream deriuari in corpus longè perfectiorem omni virtute elementorum, & hanc dicit esse calorem naturalem; qui instrumentum est potentiæ vitalis, seu vegetatiuæ, potens ex alimento partem substantiæ viuentis producere ad nutriendum viuentia corpora, & semini plantarum, & animaliũ, atque hominum fœcunditatem quandam tribuere ad organizandum corpora, & vt instrumentum sit eiusdem viuentis ad generandum aliud sibi simile, quod non habet calor ignis: cum non possit illo medio ignis producere rem viuentem.

QVAESTIO III.

An verum sit, animam esse actum corporis, vt prima particula prioris definitionis asserit.

44 Prior Definitio animæ, quam 1. c. huius primi libri tradit Aristoteles, ita habet: *Anima est actus primus corporis physici, organici, potentia vitam habentis*, præsupponit verò duo tanquam certa, & iam a nobis euidenter probata, nempe, quòd anima sit substantia, & quòd non sit corpus, quib. præsuppositis, titulus huius 3. quæstionis proponit primam partem eius examinandam, videlicet, an anima *sit actus corporis.* Videtur enim falsa, quod probo 1. ex verbis eiusdem Arist. c. 1. huius li. textu 11. quibus distinguit diuersas partes, seu species animæ, & de quibusdam asserit manifestum esse, quod non sint separabiles à corpore, quales sunt anima vegetatiua, & sensitiua, idque probat, quia sunt actus eiusdem corporis, & actus alicuius nō videtur separabilis ab eo. De alijs verò vt de intellectu, vel intellectiua anima concedit, quod sit separabilis à corpore, cuius ea, inquit, est ratio *Quia nullius corporis est actus.* Negat igitur animam intellectiuam esse actum corporis: ex quo ita arguo; Definitio, & quælibet eius pars, debet conuenire definito, & quibuscumque sub eo contentis, sed esse actū non conuenit omni animæ ex mente Aristotelis, cum non conueniat rationali: ergo falsum est, quod anima in communi (quo pacto hic definitur) *sit actus corporis*, vt asserit hæc prima pars definitionis.

45 Sed ratione hoc idem probatur, quia intrinsecum est cuicumque actui siue primo, vel secundo actuare rem cuius est actus, & ideo constituere eā in actuali esse: ergo nullo modo potest conuenire ei ratio actus, si aliquando cesset ab officio actuandi, quantumlibet actuare possit, sed animæ rationali non semper conuenit actuare corpus, cum naturaliter sit ab eo separata: quo tempore separationis constat non actuare illud, licet actuare possit; ergo non conuenit ei esse actū. Et si respondeatur verba in definitione non dicere actum, sed aptitudinem, & ideo satis esse animā pro statu separationis aptā esse ad actuandum corpus. Contra hoc est, quod dum verba definitionis ex propria significatione dicunt rationem actualem, non possunt accipi pro sola aptitudine, sed necessariò pro actu, alioqui non explicabū essentiam definiti, vt si definiamus fortem, quod à fortitudine talis est, nō sumitur fortitudo pro ea, quæ denominare potest fortem, sed pro denominãte actu, alter quilibet homo posset denominari fortis, licet fortitudine careret, ex eo solū, quòd possit eam habere, quod patet esse falsum; ergo falsum erit animam separatam vocari posse actum corporis, ex eo quod actuare ipsum potest: cum actus ex propria ratione dicat actuationem, & ideo non possit pro potentia, vel aptitudine ad illam sumi.

46 Veritas huius rei est, *quod anima sit actus corporis*, vt prima pars definitionis Aristotelicæ asserit. Et ita in primis tenent omnes interpretes antiqui, ac recentiores, in expositione eius. Et probatur euidenti ratione: primò, quia animata distinguntur specie ab inanimatis, ut equus à lapide, sed nō distingūtur per materiam, vel corpus, in quib. conueniunt potius omnia sublunaria; ergo distinguntur per animā, a qua viuentia habēt esse animata, & per carentiam eiusdē animæ cætera dicuntur inanimata: sed euidens est actū esse qui distinguit, & non potentiam: cum hæc sit ratio conuenientiæ potius, quam distinctionis: ergo anima est actus substantialis distinguēs specie animata ab inanimatis.

47 Secundò, quia animata sunt viuētia, & ex eodem sunt viuētia ex quo animata: ergo anima est principiū vitæ, & operationū vitalium in eis, sicut est primum principiū animatorum, vt sint animata, sed primum principium vitæ, & vitalium operationum non est materia, quæ solum habet esse potētiam receptiuam, & non effectiuam motus, vel operationis, vt per se est manifestū; ergo primum principium vitæ est anima; principiū autem effectiuum, vt tale, est actus: cum euidēs sit omnia agere, vt sunt in actu, & nihil prorsus in quantum est in potentia; ergo euidens est animam esse actum. Ad testimoniū igitur Aristotelis respōdeo, per diuersas partes animæ non intelligere diuersas partes subiectiuas eius, quæ sunt diuersæ species animarum, nempe vegetatiuam, sensitiuam, & intellectiua, sed diuersas partes potentiatiuas,

quæ

quæ sunt diuersæ potentiæ, & ita sentiunt D. Thom. & grauiores alij interpretes, vt in expositione textus primi capitis adnotaui. Probaturque efficaciter hunc esse sensum eius ex vtraque definitione animæ, in qua expressè docet se definire omnem animam, rā intellectiuam quàm sensitiuam, & vegetatiuā, ideò enim dixit in posteriori, *Animam esse principium, quo viuimus, sentimus, mouemur, & intelligimus*, sed in hac definitione priori, quam modo examinamus, asserit animam esse actum corporis; ergo euidens est ipsum sentire, quod omnis anima, etiam intellectiua sit actus corporis.

48 Probatur consequentia; quia ex eo probat animam esse actum corporis, quia est principium viuendi, sentiendi, mouendi, & intelligendi, sed in hoc antecedenti continetur omnis anima, etiam intellectiua: ergo etiam in consequenti, in quo dicitur, quod anima sit actus corporis. Vnde infero euidēs esse, quod in prædictis verbis eiusdem capitis, in quo assignauit priorem definitionem, non negauerit, quod anima intellectiua sit actus corporis, nisi velis in eodem capite sibi esse apertè contrarium.

49 Negandum igitur est, quod ex mente Aristotelis, non omnis anima sit actus corporis, nam illis verbis in argum. oppositis non negat hoc de anima intellectiua, sed de quadam potentia eius, quę est intellectus, de quo verum est non esse potentiam organicam, sicut sensus, & ideo nullam partem corporis informare: hoc enim significauit Aristoteles, dum dixit intellectum nullius corporis esse actum, hoc est, nullius partis corporis. Cuius pulchram rationem reddidit, nam si esset actus alicuius partis corporis (inquit) separari non posset ab ea, vt constat de potentijs sensitiuis, i. hęret igitur intellectus in anima immediatè tanquam in proprio, & adæquato subiecto: & cum anima informet omnes, & singulas partes corporis, verum est, ac necessarium in omnibus, & singulis partibus eiusdem corporis esse intellectum, quia repugnat non esse intellectum, vbicumque est anima: cum sit naturalis potentia eius: in nulla tamen parte est per immediatam inhærentiā, sicut sunt potentiæ sensitiuæ in partib. determinatis, quæ appellantur organa earum.

50 Pro solutione secundi argum. adnotandum est actum primum, & secundum in duobus differre (vt quæstione sequenti copiosius ostendetur) in priori quidem quia actus primus habet modum formæ permanētis; cum tribuat esse subiecto per veram informationem: actus verò secundus, cū sit operatio quædam, habet potius modum statim transeuntis. Secundò differunt, quia actus primus est res quædam, secundus vero potius habet rationem modi, vnde fit, vt actus primus naturaliter vel etiam supernaturaliter possit separari à subiecto, & sine illo consistere, & actu etiam separetur, vt patet de anima rationali.

51 Actus verò secundus non possit consistere separatus ab agente, & suo modo, nec à subiecto, & termino: nam respectu horum trium rationem modi habet, quamuis diuersam, egreditur enim ab agente, quod est fieri termini, aut effectus, & recipitur realiter in subiecto, eiusq; ratione dicitur idem subiectum taliter se habere: modus vero nequit esse sine eo, cuius est modus. Et ex vtraq; differentia sequitur rationem actus primi posse conuenire formæ, etiam actu non informanti, habenti tamen intrinsecam aptitudinem; & inclinationem ad informandū, vel actuandum subiectum. Et ita sicut forma dicitur illa, quæ actu informat, vel apta est informare materiam, sic actus primus est, qui actuat subiectum, vel potentiam, aut talis est naturæ, vt actuare possit. Sed actus secundus cum sit quasi actualis dependentia alicuius effectus ab agēte, & egressio ab illo, non potest ratio eius saluari, nisi actu ab eo egrediatur, & eo ipso, quod intelligitur non esse actualem egressionem ab eo, intelligitur non esse operationem, nec in natura rerum consistere. Ex quib. ad formā arg. distinguenda est maior, quod ratio intrinseca cuiuscumq; actus, tam primi, quam secundi posita sit in actuatione, nā diuerso modo conuenit vtriq; actuatio, secundo quidē, vt exercita, primo verò tantum vt concepta, & qua exerceri saltē possit: vel clarius; actui secundo conuenit ab intrinseco exercitium actuationis: cū sit modus, primo verò conuenit tanquam formæ permanenti, & ideo actu exercenti officium informandi, vel potenti saltem exercere.

52 Et dū dicitur verba in definitione aliqñ non solā aptitudinē, sed actū importare, concedendū est: Qñ verò importent solū actum, vel ēt aptitudinē, ex natura definiti iudicandū est; nā si hæc cōsistit in sola rōne actuali vt patet in exēplo aducto de forti, actū dicūt de-

definitionis verba: si verò natura definiti non in solo actu, sed in actu, vel aptitudine consistat, verba definitionis eius vnum, vel alterum importare censendum est. Et cùm ita se habeat actus primus (vt ostendimus) dum in definitione animæ ponitur, non solum actualem coniunctionem cum potentia importat; sed hanc quidem, vel naturalem inclinationem ad illam, quam patet habere animam rationalem separatam à corpore; quare sicut in tali statu separationis non admittit rationem formæ, ita nec rationem formalem actus primi.

QVAESTIO IV.

An Anima sit actus primus sola prioritate naturæ, vel etiam prioritate perfectionis.

53 PRæsupponit Titulus quæstionis distinctionem illam actus primi, & secundi positam ab Aristotele in hoc primo capite, tex 5. vbi actum primum dicit esse, vt scientiam, secundum verò, vt speculationẽ. Et ideo habitus habet se, vt actus primus, speculatio verò ab eo procedens est actus secundus. Asserit verò differre actum primũ, & secundum, sicut differunt vigilia, & somnus; quasi dicat habitum (cum sit res permanens) perseuerare in anima dormientis, etiã si eo tempore non operetur, operationem verò, vel speculationem solum haberi in vigilia, & statim transire. Hoc supposito asserit in 2. par definitionis ita se habere animã informantem corpus, sicut habitum, ipsumque actuare quasi modo habituali, ac permanente, & ideò non solùm in vigilia, dum operatur, sed etiam in somno dum ab operatione cessat: & præterea vocari actum primum, operationem verò ab eo procedentem solum haberi in vigilia, nec permanere, sed statim transire. Ita sentiunt omnes interpretes antiqui, & recentiores, quod etiam tanquam certum præsupponit titulus quæstionis.

54 Quærit autem, an anima sit actus primus prioritate naturæ tantum, vel etiã prioritate perfectionis: Quod enim primus sit prioritate naturæ per se est manifestum; & hac etiam ratione probari potest, euidens est prius natura rem habere esse per formã substantialem: quam operetur, & eius virtute operari, & animata prius esse talia per animam, quàm opera vitæ habeant, & virtute eiusdem animæ, tanquam primo principio vitæ vitales elicere operationes: ergo euidẽs etiam erit animam prius actuare corpus, quã operationem, & proinde animam esse actũ primũ prioritate naturæ. Solùm ergò potest esse dubium, an sit etiam actus primus prioritate perfectionis, ex eo, quod actus primus perfectior sit actu secundo, vel non dicatur hoc modo actus primus anima, quia actus primus imperfectior est secundo, sed solum sit primus prioritate naturæ.

55 Et prima opinio est Caietan. q. 3. de anima, vbi dupliciter ait sumi posse actum primum, & secundum, materialiter quidem, aut in esse rei, hoc est, pro ipsismet entitatib. eorum; vel formaliter in ratione actus. Et sub priori consideratione nobiliorem esse actum primum: cum sæpe sit substantia, actus verò secundus cum sit operatio, semper accidens: sub consideratione verò posteriori sem per esse perfectiorem actum secundum: & cum constet Aristotelem in definitione non sumere actum primum materialiter, sed formaliter potius sub ratione actus, quia verba in definitione formaliter sumi debent, sequitur non intellexisse, quod anima sit actus primus prioritate perfectionis, sed naturæ tantum. Probat hoc argumento; actus qui nullã habet admistam rationem potentiæ, purior est, atque perfectior eo, qui aliquam rationem potentiæ habet admistam, sed actus secundus qui est operatio, nullam habet admistam rationem potentię, sed est vltima actualitas rei, nam dum res iam operatur, nihil ei potentiæ, neque actus superest, sed actus primus, qui est forma, aliquam habet rationem potentiæ amistam, nam postquam res per formam substantialem est in actu primo, ad huc est in potentia ad operationem, tãquam ad actum secundum.

56 Vnde sequitur, quod licet actuet subiectum imperfectè tamen, quia illud relinquit in potentia ad vlteriorem actum; perfectior igitur est actus secũdus, quam primus: quod adeò verum esse ait, vt Arist. 1. Metaph. tex. 51. dixerit, quod si Deus nõ esset in actu secundo, hoc est, in actuali operatione, nihil nobilitatis ha beret.

57 Secundo probari potest, quia finis nobilior est ijs, quæ ordinantur ad ipsum, sed actus primus ordinatur ad secundum, tanquam ad finem, quia vt docet Arist. 2. lib. de cælo, textu 15. quælibet res producta est à natura, propter aliquam operationem propriam; ergo perfectior est primo. Et idem Arist. 1. lib. ethic. c. 11. & lib. 10 c. 6 docet beatitudinem hominis consistere in contemplatione altissimarum rerum, quæ operatio, & actus secúdus est, ergo perfectior est actu primo. Probatur consequétia, quia beatitudo est summa fœlicitas hominis, ergo debet consistere in actu perfectissimo eius. Probatur tádem, quia vnus actus perfectior est alio, quo minus dependet ab eo, nam maior depéden tia maiorem denotat imperfectionem, sed actus secundus minus dependet à primo vniuersaliter loquendo quàm primus à secundo, ergo perfectior est illo. Minorem probo in habitibus, & actibus, qui sunt actus primi, & secundi; nam primus actus, per quem producitur habitus scientiæ, vel virtutis acquisitæ, habetur sine eodem habitu per virtutem solius potentiæ; ergo non dependet ab habitu, qui actus primus est, & tamen habitus ipsi non habentur sine aliquo actu, imò nec vlla anima potest naturaliter esse sine vlla operatione; nam etiam in somno exercet aliquam operationem, & nutritionem habet semper.

58 Secunda opinio quorundam recentiorum duo asserit, & in vno à Caiet. recedit in altero verò cũ eo consentit, dicit enim primò, actum primum non solum materialiter, vel in esse rei; sed etiam sub formali ratione actus simpliciter esse nobiliorem secundo, quod negat Caiet. deinde docet actum secúdum quadam ratione, aut secundùm quid nobiliorem esse primo, in quantum illum perficit, & quasi actuat, in quo cum Caiet. sentit. Sed probant hoc secundũ, in quo est difficultas, hoc arg. actus vt actus est nobilior potentia, vt potentia: cũ illa sit perfectibilis, & iste eam perficiat, sed actus primus vt actus primus est, se habet ad secundum, tanquam potentia ad actum; ergo nobilior est secundus.

59 Probatur minor, quia actus primus perficitur per secundum, vt patet in re quacunque, cuius esse quod habet à forma, & actu primo, perficitur per operationem, quæ actus secundus est; ergo actus primus se habet ad secundum, tanquam perfectibilis ad perficientem, sed perfectibile, vt tale, se habet vt potentia, & perficiens vt actus, ergo actus primus se habet ad secundum, tanquam potentia ad actum.

Tertia opinio est aliorum, qui hoc modo distingunt actum primum, nempe vnus est, qui primo, & proximè ordinatur ad secundum, & huiusmodi sunt potentiæ, & habitus & hunc dicunt minus nobilem esse, quam actum secundum, quia omnino est propter illum, tanquam propter finem, finis verò nobilior est ijs, quæ sunt propter finẽ. Alter actus primus est, qui non ordinatur primo & proximè ad actum secundum, sed ad esse rei, cõsequenter verò actum secundum, qui est operatio, & tales sunt formæ substãtiales, & præcipuè omnes animæ, quas docuit Aristot. in hac definitione esse actum primum prioritate, non solum naturæ, sed perfectionis.

60 Hanc sententiam ex parte sequitur, Ricar. in 4. d. 49. art. 1. q. 4. Sot. ibidem art. 2. Med. 1. 2. q. 3. art. 2. in quantum asserunt quẽlibet habitum etiam supernaturalem imperfectiorem esse actu à se elicito, & cum habitus computetur inter actus primos, & actus inter secundos: vniuersaliter sentiunt inter hos actus primos, & secundos illos esse imperfectiores, & perfectiores istos. Quod probant vnico argumento de lumine gloriæ, & actu visionis beatificæ ab eo elicito, nam talis visio summæ perfectionis est inter omnes quos potest habere creatura; ergo longè nobilior est habitus luminis gloriæ, à quo elicitur. Probatur consequentia, quia lumen gloriæ non est vltimus actus, nec facit hominem beatum sine actu visionis.

Nostra sententia his assertionibus explicatur. Prima, *actus primus substantialis* (qualis est substantialis forma, & præsertim anima) *non solum sub ratione materiali entitatiua, vt asserit Caiet. sed etiã sub formali ratione actus perfectior est actu secundo, non solum simpliciter, vt asserit secunda sententia iuniorum, sed etiam secundum quid, & sub quacunque consideratione.*

61 Prior pars huius assertionis probatur contra Caiet. ex perfectione informandi animæ hoc modo; Propria, ac formalis ratio actus est actuare, atq; perficere: ergo ille actus erit perfectior sub ratione formali actus, qui perfectius actuat, sed actus primus substantialis, qualis est anima, perfectius actuat, quã operatio, quæ est actus secundus; ergo habet perfectiorem rationem formalem actus, & ideo erit actus perfectior, non solum perfe-

entione entitatiua, & quasi materiali (quod Caiet. asserit) sed perfectione formali actus (quod negat.)

62 Probatur minor, quia actus primus substantialis actuat substantialiter tribuens corpori esse specificum, & substantiale, non solum propter suam entitatē, sed etiam propter modum actuandi primarium, ac substātialem, operatio verò solum tribuit subiecto esse accidentale, non solum propter entitatē accidentalem, sed etiam propter modum actuandi secundarium, & accidentalem ordine naturæ præsupponentem substantialem actum, cum suo modo actuandi substantialiter; ergo etiam sub ratione formali actus, primus est perfectior secundo.

Posterior vero pars eiusdem assertionis, quod actus secundus, non sit perfectior primo, etiam secundum quid neque vllo alio modo; probatur. Actus secundus sub ratione formali actus secundi est accidentalis, & etiā si sit vltimus, est vltimus accidētalis, actus autem primus, qui est forma substantialis; est etiam substātialis actus; ergo sub ratione primi actus substantialis perfectior est actu secundo, sub quacunq; ratione consideráto.

63 Probatur consequentia, quia quæcunque ratio actus accidentalis est inferioris ordinis, & perfectionis, quacunque ratione actus substantialis, sicut ratio accidentis est inferioris ordinis, & perfectionis respectu substantiæ, vt per se est manifestum.

64 Itaque ratio actus primi vt talis, hoc est, vt determinata ad actum primum substātialem, perfectior est quocunque actu secūdo sub quacumque ratione actus secundi, siue actus secundi, vt secundi, siue vt talis actus secundi, quia actus secundus sub quacunq; ratione communi actus secūdi, vel particulari, accidentalis est, & sub nulla ratione etiā particulari, potest esse substantialis: actus vero primus, vt talis actus primus est, substantialis esse potest, & verè est actus primus substantialis anima sub ratione animæ, & sub ratione talis actus primi, & ideò Aristot. egregiè docuit animam esse actum primum, non solum prioritate naturæ, sed etiam prioritate perfectionis, quia de actu primo substantiali loquitur: cum tanquam per se notum præmiserit animam esse substantiam, & ideò substantialem formam, & substantialem actum.

65 Assertio secunda, *Omnes actus primi, siue sint potentiæ naturales, vel supernaturales habitus, sunt etiam perfectiores actibus secundis ab eis elicitis.*

Hæc est contra Ricard. Sotum, & Medinam, & probatur efficaciter de potentijs; nā potentiæ naturales sunt actus quidam substantiæ permanentes, & radicati in ea, a quibus tanquam a causis efficientibus æquiuocis producuntur actus statim transeuntes, & producuntur quidem ab eis secundum substantiam, vel entitatem, & non solum secundum modum, vt actus procedentes ab habitibus acquisitis, nec ipsi producuntur ab eisdem actibus secundis vllo modo; ergo isti actus primi sunt nobiliores omnibus secundis ab eis procedentibus; Probatur consequentia, quia causa æquiuoca nobilior esse debet proprio effectu, & permanentia perfectior successiuis.

66 Sed respondéri posset potentias non esse causas totales, & completas suorum actuum, sed simul cum obiectis concurrentibus per species intentionales tanquam partiales causas eos producere.

67 Hoc tamen solum in primis verum est in potentijs cognoscitiuis, non in alijs, quæ totales sunt causæ suorum actuum, Præterea in agnoscitiuis adhuc efficaciter probat argum. quia licèt verum sit solam potentiam non esse causam eorum, sed obiectum etiam concurrere, per speciem, nihilominus propter intrinsecam causalitatem, quam potentiæ habent tanquam virtutes substantiarum ad eosdem actus eliciendos eis concessæ à natura, propter modum quoq; essendi permanentem, atque intrinsecum, proximeque radicatum in eadem substantia, perfectiores longè sunt suis actibus, qui quasi extrinsecum modum habent, & statim transeuntem, nec virtutem habent vllo modo producendi potentias.

Probatur deinde eadem assertio dè habitibus supernaturalibus, de quibus communis sententia Theologorum tenet esse supernaturales secundum entitatem, vel substantiam: Et præterea in prima sui productione, non produci ab actibus: sed à solo Deo eos infundente, proprios verò actus efficienter producere, non solum quantum ad modum connaturalitatis, sed etiam quoad entitatem, sed substantiam eorum, nec solum vt instrumentales causæ, sed vt præcipuæ, ac proportionatæ, atque etiam sunt qualitates permanentes.

68 Actus verò statim transeunt: ergo longe perfectiores sunt actibus secundis. Et si respondeas habitum non esse causam totalem actus, sed simul cum potentia, hoc nihil obstat, quominus perfectior sit habitus, quia licet simul cum potentia concurrat ad elicien dum actum, eam tamen eleuando ad esse supernaturale, & virtutem ei tribuendo, vt possit concurrere ad productione actus: iste autem modus causandi euidens signum est maioris perfectionis, quam habet supra proprium actum.

Assertio tertia, *Habitus acquisitus imperfectior est suo actu, & cum habitus habeat rationem actus primi, perfectior est in his actus secundus primo*; & quantum ad hos actus, & habitus assentiut Ricar. Scot. & Med.

Ad probandam hanc conclus. præsuppono, quod habitus acquisitus non est causa sui actus quantum ad entitatem, vel substantiam eius, sed solum quantum ad modum facilitatis, promptitudinis, ac delectationis, vt docet sæpe Aristoteles, & tenet cum eo ferè vniuersa schola; quantum ad substantiam verò, a sola potentia producitur actus, vt constat de primo actu, quem non producit vlla ratio ne habitus, sed sola potentia, quia non excedit virtutem eius, sed proportionatus illi est, vt constat de actu scientiæ. Et hoc supposito ita arguo: actus est causa habitus secundum entitatem, aut substantiam eius, quem illo medio producit potentia, & non producitur actus iste secundum substantiam ab habitu, sed secundum solum modum: ergo entitas habitus inferioris ordinis est respectu entitatis actus, cum non possit eam attingere, & entitas actus ordinis superioris, cum eam vt causa æquiuoca causet: erit ergo in his actus secundus perfectior primo. Itaque vt bene fiat comparatio quorumcunque extremorum, vtrumque debet sumi tanquam denudatum omnino, atque distinctum ab altero, hoc est, ita vt nec illud includat, nec necessario præsupponat.

70 Et huius ratio est manifesta; quia comparanda sunt extrema secundum proprias, ac præcisas rationes, ita vt neutrum sumat aliquid ab alio, aut ex necessaria præsuppositione eius: nam illud quod hoc modo desumpserit ab alio, non erit sibi proprium, & propterea etiam si ratione illius excedat aliud, ex quo illi prouenit: non dicetur illud excedere, sed potius dicetur vnum extremum adiuncto sibi altero excedere se ipsum. Vt ergo actum primum qui ex forma substantialis, vel accidentalis, & actum secundum, qui est operatio, bene cōparemus in ordine ad potentiam ad quam constituendā, & perficienda ordināntur, vtrumque debemus sumere, & neutrum, vt includens alterum, sed propria tantum eius, quæ habet ex propria ratione formali, consideranda sunt, vt ita concipiatur, ac si non præsupponeret alterum, vel illud includeret.

71 Vt si comparemus animam vegetatiuā, quæ est actus primus corporis viuentis, cum nutritione, quæ est actus secundus eius, solum debemus considerare in eadem actione perfectionem operationis vitalis, aut viuentis corporis, nihil de ratione, aut perfectione actus primi, nempe animæ, vt actus primus est, concipientes, quamuis consideretur operatio vitalis, cum ordine ad animam, vt est principium vitale, atque efficiens eius.

72 Secundò notandum est, quod actus primus perficitur per secundū accidētaliter, nō quidem tanquam potentia passiua, sed tanquā actiua, hoc est, tanquā principium actiuum radicale, vel formale eius, vnde nec perficitur per ipsum ratione intrinseca, sed extrinseca tantum, quia actio, vt actio nō respicit subiectum, sed principium, a quo egreditur, & terminum, vel effectum, qui ea media præcedit, ac dependet ab eodem principio. Itaque actus secundus, vt talis solum comparatur per se cum primo, vt tali, tanquā cū principio actiuo, & extrinseco eius, & ideò solum potest perficere eum extrinseca ratione. Et cum principium actiuum, vt tale, perfectius sit omni actu ab eo procedenti, vt probauimus, quia sua virtute illum continet, atque efficienter producit, sequitur actum secundum, etiam vt illud quadam ratione extrinseca perficientem minus nobilem esse, præsertim cum actus ipse primus, vt est principium secundi ratione intrinseca eum perficiat, tribuens ei totum esse, quod habet, vt per se est manifestum.

73 Ex his facile respondetur ad argumentum Cajet. concessa maiori, quod actus ille sit perfectior, qui minorem habet admistam potentiam, sed distinguēdo maiorem, quod actus secundus nullam habeat admistam rationē potentiæ: nam ratione sui præcisè hoc non habet, sed in quantum præsupponit actum primum, quem si nō præsupponeret, nō posset constituere rem in actu perfecto, nec

ex-

rationem: sed cum maiori absq; dubio eam relinquere.

74 Itaque si actum secundum cōsideremus præcise, ex his quæ habet, vt est operatio, non excludit a subiecto nisi carentiam actus, ac perfectionis accidentalis, & actus etiam primus excludit maiorem, nempe carentiam actus ac perfectionis substantialis, vel accidentalis permanentis, & operatione perfectioris, quod euidens erit, si intelligamus per impossibile rem cum actu secundo, & sine primo, sic enim intellecta carebit actu ac perfectione substantiali, vel accidentali permanenti, quam habere potest, hanc ergo carentiam longè maiorem non tollit actus secundus, sed minorem, nempe actus ac perfectionis accidentalis, ac transeuntis: ergo euidens est magis, & melius actuare primum ex se, quam secundum ex se, quia maiorem carentiam melioris actus tollit a subiecto, licet melius actuet secundus præsupposito primo, quod ex præsuppositione primi præstat, cum ab eo accipiat suum esse, & totam nobilitatem, quam habet: non ergo ex se, vel ex propria ratione nudè considerata, quare solum potest argument. concludere, quod actus secundus simul cum primo præsupposito nobilior sit accidentaliter, quam primus ipse sine secundo, non tamen ex propria ratione nudè considerata.

75 Ad Aristotelem verò dicimus, in Deo non esse distinctionem realem actus primi, & secundi: sed vtrumque pertinere ad simplicissimam substantiam eius; vndè eo ipso, quod non haberet actum secundum, nec habere illum posset: nam in his, quæ ex propria natura æterna sunt, vt docet idem Aristot 1. lib. de cœlo, cap vlt idem est esse, & posse: si autem haberet primum, & non posset habere secundum, idem actus primus imperfectissimus absque dubio esset, sicut anima, si non posset esse principium alicuius operationis vitalis: & ideò bene loquutus est Aristoteles, dicens, si Deus non esset in actu secundo, sed solum in primo, paruam certè, vel nullam haberet nobilitatem, ex quo non sequitur nobiliorem esse actum secundum, ex proprijs tantum consideratum, sed solum quod simul cum primo, quem necessariò præsupponit, & a quo accipit nobilitatem, quam habet, in statu perfectissimo constituat rem.

76 Ad confirmationem concessa maiori, neganda est minor, quod res sit propter operationem tanquam propter præcipuum finem, sed cum operatio ipsa sit medium, per quod res consequitur suam perfectionem, finis in quem res per operationem ordinatur, est ipsamet per operationem perfecta, quare neque actus primus ordinatur ad secundum, tanquam ad finem, sed ad se ipsum perfectum per secundum. Ad aliud verò de contemplatione rerum altissimarum, vel clara visione Dei, in qua consistit summa fœlicitas hominis.

Respondeo operationem animæ non habere rationem beatitudinis ex maiori, vel minori perfectione actus secundi, sed ex eo præcisè, quod est assecutio summi boni, & quia hæc ratio assecutionis reperitur in operatione intellectus, & non in operatione voluntatis, docuit D. Thom. & cum eo maior Theologorum pars in clara visione Dei consistere beatitudinem nostram, potius quam in amore, vel fruitione Dei. Et ad hunc sensum reducitur dictum Aristotelis de contemplatione rerum altissimarum: sed ex hoc non sequitur actum secundum esse perfectiorem primo, quia clara visio Dei comparata cum habitu supernaturali luminis gloriæ, a quo elicitur, minus nobilis est, vt probauimus in secunda assertione.

77 Circa vltimum argumentum, multa congerunt Caiet. & alij varij afferentes distinctiones de actu primo separabili, vel inseparabili a secundo, de quibus nihil curādum est, quia ad præsentem quæstionem nihil prorsus referunt: nam siue actus primus sit naturaliter separabilis ab omni actu secundo, vel solum ab aliquo, vel etiam a nullo: cum certum sit distingui ab omnibus, & singulis realiter, & essentialiter, & eos excellere omnibus titulis in 1. & 2. assertione enumeratis, necesse est nobiliorem illis esse, & cum de hac sola maiori nobilitate procedat quæstio, nihil prorsus refert ad illam separatio realis, vel inseparabilitas ab eis. Ad formam verò argumen. concessa maiori, distinguenda est minor, quod in habitibus plus dependeat habitus ab actu, quam è conuerso: nam in supernaturalibus, vel infusis falsa est, cum habitus isti non producantur effectiuè ab actibus: sed a solo Deo immediatè infundantur, actus verò in virtute eorundem habituum contineantur, & ab eisdem tanquam ab efficientibus eliciantur. De solis

ergo

ergo habitibus acquisitis vera esse potest, quos concessit tertia assertio nostra minus nobiles esse, quam actus, & ideò in his nobiliores esse actus secundos primis.

78 Ad argumentum secundæ opinionis distinguenda est maior, quod actus, vt actus sit nobilior, quam potentia, vt potentia: nam duplex est potentia, ad quam comparari potest actus, nempe actiua, & passiua, & de actiua falsa est, quia cum ad illam comparetur tanquam ad principium actiuum, a quo egreditur tanquam a causa æquiuoca, & in cuius virtute continetur, necesse est minus nobilem illam esse, & propterea actus secundus, vt talis comparatus cum primo, vt talis, imperfectior est, quia comparatur ad illum, non tanquam ad potentiam passiuam, sed tanquam ad principium actiuum a quo procedit, & a quo longe nobiliori modo perficitur ipse, quam idem principium actiuum ab eo, vt ostendimus.

Argument. 3 opinionis parum momenti habet, ad formam tamen eius distinguẽdum est antecedens, quod clara visio Dei perfectissimus actus sit omnium, quos habere potest creatura: nam comparata ad omnes alios actus secundos, quos habere potest, verum est: comparata verò cum actibus primis, & præsertim cum eo, a quo procedit, qui est habitus supernaturalis luminis gloriæ, planè falsum, vt probauimus.

QVAESTIO V.

Quidnam per corpus physicum, & organicum intelligat Arist.

79 Explicatis duabus primis partibus definitionis, quibus dicitur, animam esse actum, & esse actum primum, sequuntur duæ aliæ, nempe *corporis physici, organici*; de quibus potest esse dubium, quidnam intelligat Aristoteles, per *corpus organicum*. Et circa sensum huius particulæ duas sententias reperio, primam afferentem, *per corpus organicum* intelligere Aristotelem, materiam primam non nudam, sed vt connotantem distincta, atque conuenientia organa pro diuersis operationibus vitæ exercendis: ita Gregor in 2. dist. 16. q. 2. Argentinas in 4 dist. 13 quæst. 1. art. 1. & alij. Ita etiam D Thom. ad text. 4 huius lib. & in quæstione de spiritualibus creaturis, art. 3. ad 2. & Conimb. cap. 1. q. 1. art. 1. Connotare verò organa dicitur, quia licet ea actu habeat, non tamen pertinent ad naturam vel entitatem eius, sed addunt supra illam qualitates, & alia accidentia, per quæ formantur, ac distinguntur, & ideo non tam significantur organa, quam connotantur.

Videtur hæc sententia expressa ab Aristotele textu 4. huius lib. vbi probans animam non esse corpus, sed actum corporis, sic ait; *Corpus non est eorum, quæ in subiecto sunt, sed magis sicut subiectum, & materia*, & textu 7. docet ex anima, & corpore fieri vnum per se. Ex vtroque autem simul sumpto ita arguo: corpus cuius actus est anima habet se tanquam subiectum, & materia respectu illius, & ex vtroque fit vnum per se, tanquam ex actu per se, & potentia per se, sed proprium subiectum animæ, propriaque potentia in qua recipitur, quam informat, & cum qua constituit vnum per se, est materia organizata: ergo hæc intelligitur ab Aristotele in definitione nomine corporis organici.

84 Probatur deinde ratione. 1. quia actus importat ordinem intrinsecum ad propriam potentiam, quam aptus est informare: ergo per illam definiri debet, sicut etiam potentia ipsa per proprium actum, quem respicit: sed anima est actus informans, vt in definitione dicitur: ergo per se, & ab intrinseco respicit propriam potentiam, hęc est materia prima organizata, & nihil aliud: per hanc ergo definita est ab Aristotele, & hæc debet intelligi in definitione eius nomine corporis organici.

85 Secundò per corpus organicum non potest intelligi compositum ex materia, & anima: ergo sola materia organizata debet intelligi. Probatur antecedens, 1. quia corpus organicum ponitur in definitione tanquam primum subiectum animæ, cuius actus vel forma dicitur esse: sed compositum ex materia, & anima non potest esse subiectum animæ, quia subiectum formæ, vt tale non includit formam, sed condistinctum est ab ea, & forma ipsa extra rationem eius: alioqui non possent vnum aliquid componere realiter: cum componentia debeant se excludere: ergo nec potest per corpus organicum

nicum in definitione intelligi. 2. quia si nomine corporis organici intelligeretur corpus animatum, sequeretur non definiri animam per aliquid prius, & notius se, sed per posterius, & minus notum cōtra præceptum definiendi per priora, & notiora traditum ab Aristotele 3 lib. Top. cap. 3. & lib 6. cap 3. loco 1. Probatur consequentia, quia corpus animatum constituitur per animam, & effectus eius: ergo posterior atque ignotior illa.

86 Prima opinio tenet per corpus organicum intelligere Aristotelem, non corpus incompletum, quod est materia organizata, sed completum ex eadem materia organizata, & anima constitutum, ita vt sensus definitionis sit, Anima est actus primus substantialis corporis animati, potentia vitam habentis, & hæc sententia eadem est cum sententia Caiet & Scoti nuper citati à nobis circa sensum particulæ præcedentis, videlicet, *corporis physici*, & asserente per corpus physicum intelligi ab Arist. compositum ex materia, & anima, vt tribuit ei esse corporeum præcisè, ita enim asserit hæc secunda opinio, per corpus organicum intelligi non solum materiam organizatam, sed cōpositum ex ea simul, & anima, secundum rationem formalem animæ, nempe vt tribuit ei esse animati, aut viuentis, & eisdem rationibus probatur vtraq;, quam tenet expressè D. Th. in quæst. de ani. art 1. ad 15. & 1. par. quæst. 76. art. 4. ad 1. his verbis: *Dicendum, quod Aristoteles non dicit animam esse actum corporis tantum, sed actum corporis physici organici potentia vitam habentis, & quod talis potentia non abijcit animam: vnde manifestum est, quod in eo, cuius anima dicitur actus, etiam anima includitur, eo modo loquendi, quo calor est actus calidi, & lumen est actus lucidi, non quod seorsum sit lucidum sine luce, sed quia lucidum est per lucem, & similiter dicitur, quod anima est actus corporis, quia per animam, & est corpus, & est organicum, & est potentia vitam habens.* Hæc eadem fuit sententia antiquorum interpretum Aristotelis in commentarijs huius loci, Themistij, Simplicij, & Philoponi, quos sequitur Toletus super textum 4. & Caietan. quæst 4. Probatur expresso testimonio Aristotelis, textu 10. huius lib. vbi explicans, quid intelligat in hac definitione animæ illis verbis, corporis physici organici potentia vitam habentis, sic ait: *Non est autem quod abijcit animam potentia existens, vt viuat, sed quod habet: semen autem, & fructus potentia huiusmodi corpus est.* Et colligitur etiam ex textu 8. vbi dixerat, animam esse, quod quid erat esse corporis, per quod definitur, sed certum est, quod anima non est, quod quid erat esse materiæ, nec materiæ organizatæ, quæ animam non includit, sed ab ea distinguitur, vt potentia ab actu: est autem eadem anima, quod quid erat esse corporis animati: cum tribuat illi esse specificum, & definitionem: ergo id intelligit Aristoteles nomine corporis organici, & non solam materiam organizatam.

1 Sed probatur deinde ratione, quia essentialis ratio cuiuslibet formæ sumitur ab eius effectu formali, quem tribuit subiecto, vel tribuere potest, vt essentialis ratio albedinis est esse constitutiuam albi, & lucis esse constitutiuam lucidi: ergo essentialis ratio animæ erit esse constitutiuam corporis animati: per hunc igitur effectum formalem, quem tribuere apta est corpori animato, definiri debet, potius quam per materiam organizatam: nam licet media informatione tribuat eum, sed corpus ipsum animatum est ipsemet effectus formalis eius, sicut albedinis corpus album, melius ergo definienda fuit anima per corpus animatum tanquam per effectum formalem, quam per materiam organizatam.

In hac re tria: mihi videntur dicenda. Primum, *benè posse vtroque modo definiri animam, videlicet per materiam organizatam, & per corpus animatum.* Quod efficaciter probant argumentum vtriusq; opinionis.

Secundum, *melius definiri per corpus animatum, quam per materiam organizatam.* Quod primo probo ex fine proximo, in quem constituta est a natura quælibet forma, & consequenter anima hoc modo. Perfectius definitur res per proprium, atque proximum finem, quam per medium, quicum que finem tandem consequitur, cum clarius, atque distinctius constet essentialis ratio eius ex illo quam ex hoc: sed finis proximus in quem constituta est a natura anima, est constitutio corporis animati potentis habere operationes vitæ, informatio vero materiæ organizatæ solum est medium ad eundem finem consequendum, eo enim tendit informatio materiæ, vt constituatur compositum, ergo exactius definitur per corpus animatum quá

per materiam organizatam. Hoc etiam pro bat efficaciter ratio posterioris sententiæ de effectu formali.

2 Tertium quoad assero est, *probabilius esse quod Aristoteles definierit animam per corpus animatum, nomine corporis organici intellectum, vt asserit secunda opinio, quam per materiam organizatam per idem corpus organicum intellectam*, vt asserit prima. Quod efficaciter probant testimonia Aristotelis a nobis adducta, & rationes ex eis deductæ.

3 Ad vtrumq; testimonium Aristotelis pro opposita opinione adductum simul cum arg. ex eis elicito concedenda est vtraque pars antecedentis; sed neganda consequentia, quod materia organizata intelligatur ab Arist. in definitione, nomine corporis organici, quia corpus organicum, vt Aristoteles ipse se explicans asseruit, non dicit nudum subiectum animæ, sed anima ipsa vestitum, aut informatum: sic ergo dicit materiam organizatam, vt non excludat, sed includat ipsammet animam, includens autem animam idem est, ac animatum, per quod tanquam per effectum formalem definiri debuit anima, potius quam per nudum subiectum, quod est materia organizata, quia non potest ratio formæ melius explicari, quam per proprium effectum formalem.

4 Ad primum argumen. concedendum est primum antecedens, quod actus importet ordinem intrinsecum ad propriam potentiam quā aptus est informare, sed addendum, non solum importare ordinem ad potentiam, sed etiam ad proprium effectū formalem, nempe ad compositum, quod cum ea constituere aptus est imò hunc ordinem præcipuè importare, quia talem effectum respicit, vt proprium, ac proximum finem, potentiam verò aut subiectum solum tanquam medium ad eundem finem consequendum, & cum materia organizata sit nudum subiectum animæ, & corpus animatum per eam constitutum proprius effectus formalis, proximusq; finis, cuius gratia aptus est eandem materiam informare, per talem finem nomine corporis organici intellectum ab Arist. potius definiri debuit, quam per materiam organizatam.

Ad 2 argumen. negandum est antecedens, quod per corpus organicum non possit intelligi compositum ex materia, & anima. Et ad primam probationem eius, neganda est maior, quod corpus organicum ponatur in definitione tanquam subiectum animæ, sed ponitur potius tanquam quid constitutum formaliter per ipsam, & ideò tanquam corpus animatum, atque completum includens eandem animam, sicut album positum in definitione albedinis, non significat subiectum eius, sed quid constitutum ex subiecto, & eadem albedine, quod effectus formalis est.

Ad secundam probationem eiusdem antecedentis neganda est consequentia, quia licet animatum sit effectus formalis animæ, & ideò in genere causæ formalis posterius, & secundum naturam in eodem genere ignotius nihilominus cum ex alia parte sit etiam finis proprius, ac proximus eiusdem animæ, cuius gratia facta est a natura in genere causæ finalis (potissimum inter causarum genera) prius natura est, quam eadem anima, & consequenter notius ipsa: quare benè potuit per illud definiri tanquam per natura prius, & notius. De mente etiam D. Tho dubitare non licet, cum tam expressa sint verba vltimi testimonij, & maioris authoritatis, quam alia; quare eis standum est.

Breue dubium circa vltimam particulam eiusdem definitionis.

6 VLtima particula huius definitionis est, *Potentia vitam habentis*, de cuius sensu dubitamus, quem vt explicemus, distinctio illa vitæ in expositione textus a nobis insinuata repetenda est.

Vita duobus modis sumitur ab Aristotele diuersis suæ doctrinæ locis, pro vita substantiali, quæ radix est potentiarum, & actuum vitalium, & ideò quasi radicalis vita potest vocari, & hoc modo accipit ipse vitam lib. 2. de anima textu 36. dum ait. *Viuere viuentibus, est, esse*. Hoc est substantia ipsa, per quam dicuntur esse per se. 2. modo sumitur pro operatione vitali, cuius eadem vita substantialis radicale principium est, & formale potentia vitalis proximè emanans ab eadem vita substantiali, vt nutritio, & augmentatio, & cum operatio vitalis non sit substantia, sed accidens, vita accidentalis appellari potest. Qua acceptione vitæ vsus est Aristoteles textu 3. huius lib his verbis: *Vitam autem dicimus, quæ per ipsum fit, alitionem, augmentationem, & diminutionem, &c.* Hoc supposito ad propositum dubium.

Re-

7 Respondeo de sensu huius particulæ, *Potentia vitam habentis*: iuxta sensum præcedentis, videlicet, *Corporis organici*, iudicandum esse.

Vnde si corpus organicum accipiatur pro composito ex materia, & anima, non potest sumi habens vitam in potentia pro vita substantiali.

Probatur euidenter, quia compositum includens animam, consequenter includit vitam substantialẽ, cuius formale principium est anima ipsa, ergo non potest verum esse de illo, quod habeat eandem vitam substantialem in potentia, sed eam habet actu: sumitur ergo pro habente vitam accidentalem in potentia, quæ est vitalis operatio procedens à vita substantiali tanquam a radice.

8 Et in hoc sensu sine dubio sumitur ab Aristotele. Probatur 1. ex particula *Corporis organici*, quam probauimus ex verbis eius sumi pro corpore animato; & ideo habente vitam substantialem actu, non in potentia, 2. quia idem Aristoteles in hoc eodem cap. 1 textu 3. tradens eam doctrinam, ex qua statim colligit hanc definitionem, expressis verbis a nobis nuper relatis docet se accipere vitam pro operatione vitali nutritionis, & augmentationis, ita ergò eam in definitione accipit, & ideò de hac, & non de vita substantiali intelligit vltimam particulam eiusdem definitionis, *Potentia vitam habentis*. Iuxta aliam verò opinionem accipientem præcedentem particulam, *corporis organici*, pro sola materia organizata non potest benè intelligi, *potentia vitam habentis*, de vita pro operatione vitali.

Intelligitur ergo de vita substantiali, ad quam materia organizata est in proxima potentia, sicut ad recipiendum animam, quæ formale principium eiusdem vitæ substantialis est, nam ad operationem vt talem, solum est in potentia remota.

9 Tandem vltima particula, *potentia vitam habentis*, idem continet ac præcedens, nempè *corporis organici*, sed aliquantulum magis explicatum, & ideò solum videtur posita maioris explicationis gratia.

Integram igitur definitionem animæ hoc modo declarare possumus: *Anima est actus primus corporis physici, organici, potentia vitam habentis*. Genus huius definitionis est actus, communis quidem animæ cum cæteris formis specie diuersis, per quem censetur exclusa potentia, seu materia, vel corpus; cæteræ particulæ habent rationem differentiæ, & per primam excluduntur omnes actus secundi, per secundam nempe, *corporis*, excluduntur Angeli, qui licet actus sint, completi tamen, ac per se subsistentes, quare nullius corporis sunt forma, vel actus: per particulam *physici*, excluduntur corpora mathematica prædicamenti Quantitatis, atque etiam artificialia.

10 Et per particulam *organici*, omnia corpora naturalia homogenea, vt elementa.

Atque etiam omnes formæ substantiales eorum, quæ licet sint actus corporis physici, homogenei tamen, & non heterogenei habentis partes diuersæ rationis, quæ vocantur organicæ. Vltima verò particula *potentia vitam habentis*, nihil excludit: cum solum maioris explicationis gratia addita sit.

QVAESTIO VI.

An eadem definitio animæ sit quidditatiua.

11 Exposita definitione priori, duo restant circa qualitatem eius inquirenda, videlicet, an essentialis, vel quidditatiua sit, aut accidentalis, seu descriptiua, postremum an sit vniuoca ad omnes animas, vel quasdam ratione vniuoca, alias verò per quandam tantum analogiam comprehendat, & primum agitabitur in hac quæstione, postremum in sequenti.

Prima igitur opinio tenet, definitionem hanc non esse quidditatiuam, sed descriptiuam, vel accidentalem pro qua citantur Auicenna 6. lib. naturalium, Scotus in 2. dist. 16. quæst. vnica, & alij, sed Scotus in eadem quæstione oppositum potius sentire videtur, vt statim dicemus.

12 Videtur autem hanc sententiam tenere Caiet. quæst. 4. de anima, vbi distinguit duos modos sumendi *corpus organicum*, in definitione animæ positum; Primo accipi posse ait pro materia, quãtitate, qualitatibus, aut temperamento affecta, talique situ habente, ex quibus tamquam materialibus resultat organicum.

Secundò accipitur pro forma, a qua habet rationem organici, aut talis organici, & hæc

for-

formæ est potentia vitalis in eo residens, vt forma oculi est potentia visiua. Et si modo priori accipiatur definitio, tradita erit per corpus organicum tãquam per aliquid prius anima ipsa, quia dispositiones tempore præcedunt animam in materia, sicut quamcumque aliam formam substantialem.

Si verò accipiatur modo posteriori, definietur anima per quid posterius se, nempe per suas potẽtias, aut facultates, per quas diuersa organa corporis constituuntur formaliter, sed vtroque modo descriptiua erit censenda definitio.

13 Probatur hæc sententia primò, quia anima secundum essentiam absoluta est: cum sit substantia, ergo quicunque ordo ad aliud est ei accidentalis, præsertim si per eum tendat in accidentia, definitur autem per ordinem ad corpus, & ad corpus organicũ, quod tale est per accidentia, nam diuersa organa distinguuntur in corpore animato ratione quantitatis, temperamenti, figuræ, & aliarum qualitatum: ergo non potest definiri quidditatiuè.

14 Secundò, definitio quidditatiua assignari debet per priora, & notiora definito secundum naturam, & non per notiora tãtum quo ad nos, nam hæc semper sunt accidentia vel proprietates, aut effectus, per quæ repugnat rem definiri essentialiter: sed hæc definitio animæ quomodocumq; accipiatur, nõ traditur per priora, & notiora naturæ, sed solum per priora, & notiora nobis: ergo essentialis esse non potest. Probatur minor, quia quomodocũmq; accipiatur corpus organicum, est posterius natura anima ipsa, ergo non potest per illud definiri essentialiter: euidens est consequentia, & probatur antecedens: nam si corpus sumatur pro sola materia, posterior natura est anima; cum forma sit prior materia, sicut actus prior potentia in eodem genere.

15 Si verò accipiatur corpus organicum pro materia disposita, vel organizata, accidentia includit: quod sufficit, vt sit natura posterius, & minus notum, quam anima.

16 Et si tandem excogitetur accipi pro materia organizata organizatione substantiali, vel pro composito ex eadem materia, & anima prout tribuente illi esse organicum substantiale, vel esse animatum, non minus sequitur per quid posterius definiri, & extra essentiam eius, quia tale esse organicum, vel animatum est effectus formalis animæ, sed effectus formalis est posterior, & extra essentiam eius, ergo non potest per eum quidditatiuè definiri.

17 Secunda opinio affirmat eandem definitionem essentialem esse, quam insinuauit D.Thom.1.parte, quæst.75. art.1. vbi disputans de natura, & essentia animæ, docet non esse corpus, sed actum corporis, sed per hanc definitionem dicitur esse actum primum corporis: ergo sentit essentialem esse.

18 Idem etiam insinuat Scotus vbi supra, concedens animam secundum suam essentiã esse actum corporis, quod explicat per hoc, quod sit principium formale vitæ: quare sen sit per actum corporis organici habentis vitam in potentia essentialiter definiri. Ita Buridanus 3.lib. de anima, quæst 4. & omnes, qui asserunt definitionem hanc a posteriori demonstrari per sequentem, quos citabimus quæst. sequenti, & est iam ferè communis inter recentiores, longeque probabilior, & magis consona verbis, & sensui Aristotelis. Probatur hoc secundum ex primo capite huius libri, cuius intentum in principio proponens ait, duo esse in eo determinãda, nempe, quid sit anima, & quæ sit communissima ratio eius.

19 Post assignatam verò definitionem asserit vtrumque esse in ea explicatum, quod nec verum esset, nec propriè dictum, si descriptio tantum esset, & non quidditatiua definitio, quia per descriptionem non explicatur, quidnam res sit, sed solum traditur medium quoddam extrinsecum, per quod quidditas eius aliquo modo possit a posteriori cognosci, sentit ergo Aristotel. quidditatiuam animæ definitionem se tradidisse

Et cap. 2. hanc eandem definitionem referẽs, posterioremq; assignare volens ita ait, *Non enim solum ipsum quod sit, oportet definitiuam rationem ostẽdere, sicut plures definitionem dicunt, sed & causam inesse, & apparere*, quibus verbis apertè docet per hanc definitionem se explicuisse, quid sit anima, per posteriorẽ verò causam nobis notiorem eiusdem quidditatis animæ se tradere velle, per quam nobis appareat, hoc est, melius cognoscatur.

20 Probatur deinde ratione: primò, quia definitio quidditatiua est, quæ continet proprium genus, & propriam differentiam definiti, sed hæc definitio continet proprium genus, & differentiam animæ: ergò est quidditatiua

ditatiua. Probatur minor, quia anima est forma physica, sed propria ratio formæ est esse actum materiæ, sicut propria ratio materiæ est esse potentiam receptiuam formæ: ergo ratio actus intrinseca est animæ, & cuicumque alteri formæ substantiali, & est communis quibuscumque formis: ergo est ratio generica comparatione earum. Per cæteras verò particulas explicatur habitudo, seu proportio animæ ad determinatum corpus: cui tribuit esse specificum, ei quoque essentialis, & per quam distinguitur a cæteris formis: ergo continent veram differentiam eius.

21 Secundò, habitudo, seu proportio alicuius rei cum suo fine proprio, cuius gratia producta est, intrinseca est ei, atque essentialis, vt ostendit capacitas hominis ad beatitudinem; ergo essentialiter definietur per illam: sed finis cuius gratia producta est anima, est constitutio corporis animati simul cum materia: ergo definitio absq; dubio essentialis est.

22 Probatur tandem, quia essentialis ratio partium sumitur ex habitudine, quam habent ad totum (cuius ex propria natura sunt constitutiuæ) atque etiam inter se se, & ideò Aristoteles 1. lib. physicorum definiuit materiam per ordinem ad compositum physicum: quod apta est constituere dicens. *Materia est primum subiectum ex quo fit aliquid, cum insit, &c.* sed anima ex propria natura, & essentia est pars constitutiua corporis animati simul cum materia, & definitur per proportionem ad idem corpus animatum, & ad materiam: ergo essentialiter definitur.

23 Vt autem nostra sententia melius intelligatur, & argum. in cōtrarium commodius solui possint: adnotandum est, quod esse actum primum corporis, vel ipsum informare dupliciter sumi potest, aut pro actuali exercitio informandi, vel actuandi, aut pro aptitudine ad exercendum illud. Et si 1. modo accipiatur, nō potest esse essentiale animæ, sed accidentale, non quidem in eo sensu, vt intelligatur actuationem ipsam esse accidentalem, sicut est actuatio accidentalis formæ, quia dum anima actuat corpus, substantiali modo id præstat, & actuatio eius substantia lis est: sed eam præstare dicimus accidere animæ, quia sine actuatione potest saluari essentia eius, quemadmodum saluatur essentia accidentis sine actuali informatione, vel inhæsione in subiecto.

24 Sicut ergo verum est ad essentiam accidentis nō pertinere actualē informationem vel inhæsionē in subiecto, sed aptitudinalem actualē verò extra essentiā eius esse, ita prorsus intelligendum est ad essentiā animæ non pertinere actualem informationem, sed aptitudinalem, quæ aptitudo non minus ei conuenit, si a corpore separetur, quā cū informat ipsum, & de hac aptitudine informandi, & actuandi corpus intelligimus definitionem, dum affirmamus esse quidditatiuam, non de informatione, vel actuatione.

25 Vnde sequitur, quod quemadmodum est essentialis accidenti respectus transcendentalis ad subiectum, quod informare aptū est, ita est essentialis animæ transcendentalis respectus, aut secundum dici ad corpus, quod informare apta est, nec solum in sua essentia importat hunc respectū essentialem ad corpus in cōmuni, sicut reliquæ formæ substantiales, sed ad speciale corpus, nempe organicum: quare sicut accidens non potest definiri, nisi per subiectum, quia respectus ille non potest, nisi per subiectū explicari, ita anima non potuit definiri, nisi per corpus, & organicum corpus, quia essentialis respectus, quem importat ad illud, explicari non potest, nisi eo posito in definitione eius.

26 Adnotandum est secundo, quid nomine organi intelligatur, vt ex hoc declarari possit, quid intelligat Aristoteles per corpus organicum. Organum idem ferè significat, quod instrumentum, & accōmodatum ad corpus animatum, idem ferè significabunt organa eius, ac instrumenta ad exercenda opera vitæ, vt oculus erit quasi instrumentum ad videndum. Includit verò organum duo, vnum tanquam dispositionem, aliud tanquam formam, pro dispositione quidem includit certam quātitatem, aut magnitudinem, certum temperamentum primarum qualitatum, certam densitatem aut raritatem, certamque figuram, & hæc omnia accidentia certa vocamus, quia iuxta naturam potentiæ vitalis, ac vitalis operationis ab eadem potentia vitali elicienda determinatur magnitudo organi, temperamentum eius, densitas, atque figura, nam in quocumq; genere rerum tale debet esse instrumentum, qualis est operatio, ad quam efficiendam ordinatur.

26 Exemplum sumere possumus in corde, & cerebro, nā illud postulat tēperamentum calidū in certa intēsione: hoc verò frigidum

de-

& terminatæ etiam intentionis, cor postulat talem figuram, cerebrum vero diuersam, cor certam magnitudinem, & non maiorem cerebrum vero diuersam, sicque de cæteris. Secundum quod includit organum, est forma, & hæc est potentia vitalis, cuius proprius actus est vitalis operatio per idem organum tã quam per instrumentum exercenda, vt forma oculi est potentia visiua, vnde eo ipso quod potentia deficit, non permanet organum, nisi æquiuoce, quemadmodum deficiente, vel separata anima non permanet idem corpus organicum nisi æquiuocè, vt cadauer, vel corpus organicum depictum.

27 Vnde si organum vt corpori animato accommodatum definire volumus, dicemus: *Organum, est pars animati corporis certa magnitudinis, temperamenti, densitatis atque figura potentia vitali informata, ordinataque ad exercendam operationem vitalem iuxta exigentiam eiusdem potentiæ*, & corpus organicum erit, *quod partibus huius conditionis constat*, Aristoteles ergo in hoc lib 2. textu 6. corpus ipsum organicum appellauit instrumentale, sicut organa ipsa appellauit instrumenta, siue instrumentales partes, & organizationem hanc vocat accidentalem, quia præter substantiam earundem partium corporis in qua organicę conueniunt cum homogeneis, addit accidentia. Hæc vero organizatio accidẽtalis magis, vel minus perfecta est secundum maiorem, vel minorem perfectionem animæ, atque etiam organa ipsa perfectiora, atque plura.

28 Præter eam vero plures (præsertim Iuniores) ponunt aliam substantialem, seu radicalem, quam dicunt formalem animæ, & quam dari colligunt a posteriori ex eadem organizatione accidentali explicata, hoc modo Anima postulat diuersas partes corporis diuersis accidentalibus dispositionibus, ac potentijs vitalibus informatas: ergo diuerso modo substantiali indiuiduali vnitur his partibus materiæ, ac alijs, ita vt si diuisibilis sit eadem anima: partes habeat diuersas secundum maiorem, vel minorem perfectionem substantialem indiuidualem, quarum ratione postulat diuersas dispositiones, & accidentia in eis, diuersasque potentias vitales producit, quas non producit in alijs, sicut nec adeò diuersa accidentia pro dispositionibus exigit: si vero anima sit indiuisibilis, diuerso modo substantiali magis, aut minus perfecto, aut diuersis vnionibus partialibus vnitur eisdem partibus, & iuxta hos diuersos modos vnionis diuersum esse substãtiale partiale, ac indiuiduale tribuit eisdem partibus: quod constat non habere formas substantiales inferiores, quæ easdem postulaut dispositiones in omnibus partib. corporis, quia omnes partes earum sunt eiusdem rationis.

29 Vnde inferunt, quod etiam si per potentiam Dei absolutam auferantur a corporeanimato accidentia omnia, adhuc permanebit organicum organizatione substantiali, quamuis non organizatione accidentali: vtramq; autem organizationem includit corpus organicum in definitione animæ positũ. Sed de hac substãtiali, quia non est certa, sed in opinione posita (quamuis semper a me approbata) copiosius dicetur inferius, vbi de differẽtia partium corporis organici ex professo disputabitur.

30 His prænotatis non erit iam difficile argumenta opposita soluere, & ad primum distinguendum est antecedens, quod anima sit ens absolutum: cũ sit substantia, nam absolutum ens est, prout distinguitur contra relatiuum prædicamentale, cuius totum esse est referri ad aliud, sed nõ est absolutum: prout distinguitur a relatiuo transcendentali, vel secundum dici, cuius quidem præcipuum esse absolutum est, & ad se, & ideò ens absolutum simpliciter vocatur, importat tamen respectum quendam intrinsecum, per quem ratio eius essentialis absoluta completur: & respectus iste eiusdem conditionis, & speciei est cum absoluto, quod cõplet, ita vt si illud substantia sit, substantialis etiam censeatur respectus, si qualitas eodem modo, & ad idem genus, atque speciem pertineat, vt patet de materia respectum intrinsecum importante ad formam, & substantialem, sicut materia ipsa substantia est, ad speciemque substantialis potentiæ referendum, & talis est anima, cuius entitas absoluta quidem est, & ideo res absoluta simpliciter vocatur, sed incompleta, & partialis, aptaque coniungi cum materia ad constituendum compositum animatum, & ex hoc importat intrinsecum respectum, ac substantialem ad vtrumque, per quem completur essentia eius, & propter talem respectum appellatur relatiuum secundum quid, hoc est transcendentale, vel secundum dici, non tamen simpliciter, vel prædicamentale.

31 Quia relatiuũ prædicamẽtale nihil ha

bet absolutum, sed totum suum esse, est ad aliud referri. Negandum igitur est ad formã argumenti, quod talis respectus ad corpus organicum, per quod definitur anima, sit ei accidentalis, sed intrinsecus, & essentialis est, quamuis anima sit entitas simpliciter absoluta, quia incompleta est, & per talem respectum substantialem completur. Quod autem additur talem respectum in quantum est ad corpus organicum necessariò esse accidentalem; cum organizatio fiat per accidentia, forma cuiuscumque organi sit potentia vitalis, de qua certum est esse accidens.

33 Sic soluendum est, vt intelligamus duobus modis comparari animam ad organa corporis, formaliter, aut virtualiter, seu radicaliter, & de comparatione formali, vel actuali non potest esse dubium, quin sit per accidentalem respectum, comparatio verò virtualis, aut radicalis, non est respectus ipse, sed fundamentum eius, quod non est aliud, quam animam esse talis naturæ, vt postulet in corpore talem varietatem dispositionum & organorum, quę quidem accidentia, ac dispositiones ab illa emanant tanquam a prima radice. Quare talis comparatio licet fit ad accidentia, non est accidentalis, nec respectum accidentalem dicit, sed quid substantiale, aptumque fundamentum accidentalis respectus.

34 Ad secundum, distinguenda est maior, quod semper res sit definienda per priora, & notiora natura: nam duobus modis contingit vnum definiri per alterum, vel tamquam per aliquid sibi essentiale, & tunc verum est, prius, & notius esse debere illud, per quod definitio quidditatiua assignatur, quia partes essentiales definiti notiores eo sunt semper in ordine ad notitiam distinctã eius. Sed alio modo contingit vnum definiri per alterum, non tanquam sibi essentiale, sed tanquam extrinsecum quoddam additamentum, sine quo non potest explicari essentialis habitudo, quam habet ad illud, per quam habitudinem tanquam per quid notius, ac prius in ordine ad cognitionem distinctam potest explicari definitio quidditatiua, & hoc modo potest definiri anima per materiam, vel corpus, quę licet non pertineant ad essentiã animæ, & sint posteriora, & minus nota secundum naturam: proportio tamen ad illa essentialis est, & quia non potest eadem proportio explicari, nisi per illa, propterea ponuntur in definitione eius tãquam additamenta extrinseca, non tanquam priora, & notiora.

35 Si verò per corpus organicum intelligatur compositum ex materia, & anima constitutum, quod vocamus animatum, aut viuens, concessa maiori, neganda est minor argum. quod non definiatur anima per prius, & notius secundum naturam, quia animatum finis est, ad cuius constitutionem ordinata est a natura anima, finis verò prior natura, & notior est ijs, quæ eius gratia fiunt tanquam potissima causa naturalis, quare benè potuit quidditatiua definitio animæ per illum assignari.

QVAESTIO VII.

An hæc definitio animæ sit vniuoca ad omnes animas.

36 Triplex tantum genus, vel species animæ posuit Aristoteles vegetatiuam, sensitiuam, & rationalem. Et de rationali diuerso modo loquuti sunt antiquiores philosophi; vt autem variæ eorum sententiæ intelligantur, distinguenda in primis est duplex forma, atque etiam duplex anima, vnam vocant informantem, & alteram solum assistentem, forma, vel anima informans vocatur illa, quæ vnitur materiæ, vel corpori vera ac reali vnione, qua media tribuit ei proprium effectum formalem, & constituit cum eo compositum per se, & substantialiter vnum quod notum est habere animam sensitiuam, aut vegetatiuam, atque etiam omnes formas substantiales inferiores

Forma verò, seu anima assistens est substantia quædam mouens aliquod corpus, absque informatione, sed per solam applicationem suæ virtutis ad ipsum, & talis est quilibet Angelus, aut intelligentia destinata a Deo ad mouendum corpus aliquod cœleste determinatum.

37 Et propterea vocantur animæ assistentes, quia assistunt corporibus ad motum. Qua distinctione præsupposita, certum est apud omnes, quod hæc definitio animæ sit vniuoca ad vegetatiuam, & sensitiuam, quia vtraque existimatur ab omnibus vera forma informans corpus, & cum eodem modo

do ad illud se habeant, necesse est vniuocam esse vtrique rationem formæ, vel actus corporis

38 Propter solam igitur animam rationalem diuisi sunt authores: Quidam eorum existimantes non informare corpus, sed solum ei assistere ad motum, vt nauta naui, & propterea non posse vniuocam rationem habere cum cæteris animabus, quæ per hanc definitionem potuerit explicari: sed quadam ratione analogica ei conuenire per attributionem, vel similitudinem ad animas sensitiuas ac vegetatiuas. Et hæc est prima sententia negans hanc definitionem esse vniuocam ad omnes animas, quia rationalis non est forma informans corpus, sed solum vocatur anima, vel forma assistens ad motum, quia vnitur ei ad varios motus, quare non conuenit illi, quod sit actus primus eius, nisi per similitudinem ad cæteras animas informantes. Ita Simplicius ad text 7. huius lib. & Philop. ad text 11 Alexand in principio libri de sensu, & Sensi. & Iandunus quæst. 3. huius libri existimantes quodlibet corpus habere suam animam sibi assistentem distinctam ab anima alterius.

39 Pro hac sententia citat Toletus D. Gregor. Nyssænum 1. lib. de anima cap. 5. libros tamen de anima non edidit, sed disputationem quandam de resurrectione, & anima, quam ego legi, nec verbum in ea reperi, quod clare doceat animam intellectiuam nō informare corpus, sed ei solum assistere, quin potius paulò ante medium illius docet expressè animam intellectiuam esse partem huius humanitatis, quod non potest esse verum, nisi eam constituat cum corpore tamquam vera forma eius.

Quare dubitandum non est, quin veram formam informantem esse censuerit.

40 Ad prædictam verò sententiam breuitatis causa referendæ sunt aliæ, quæ licet in quibusdam ab ea differant, in hoc tamen conueniunt, quod negant animam rationalem esse formam corporis, sed ei vniri sentiunt ad motum tantum.

Et in primis sententia Platonis in Alcibiade, & in Phædone, quibus locis ita sentit

41 Vt etiam D Thom. retulit 2. lib. contra gent cap. 57 deinde sententia Themistij in suo lib. 2. de anima cap 27. vsque ad 32. vbi docet hominem non esse compositum substantiale ex corpore, & anima rationali, sed substantialiter consistere in sola anima, quæ vocatur intellectus, hanc verò vniri corpori tamquam motorem mobili, & vnam numero esse in omnibus hominibus mouens omnium corpora, quia suam virtutem motiuam applicat ad omnia, Auerroes vero 3. lib. de anima, comment. 5. præter animam vegetatiuam, & sensitiuam videtur ponere in homine altiorem aliam intra gradum sentiendi; quam cogitatiuam vocat, & de potentia materiæ educi affirmat, corrumpique in morte hominis: præter has vero tres animas ponit intellectiuam, non informantem, sed solum assistentem, & vnam numero in omnibus hominibus ante generationem singulorum factam, & post mortem eorum permanentem, sed per eam non distingui hominem specie a brutis, sed solum per animam cogitatiuam, per quam singularia tantum cognoscit, vniri verò concedit intellectiuam animam (quam vocat intellectum) singulis corporibus, non per informationem, sed ad intelligendum per phantasmata, in quantum ipsemet intellectus vtitur phantasmatibus existentibus in phantasijs singulorum corporum, tanquam instrumentis ad producendas species intelligibiles, & in se recipiendas, per quas intelligit, & quia phantasmata concurrunt hoc modo ad intellectionem, quam ipse elicit, & eadem phantasmata sunt in corporibus, & ab eis producuntur, & ideo attribuitur homini ex corpore, & anima cogitatiua composito intellectio & in communi modo loquendi dicitur intelligere.

42 Iuxta hanc igitur sentētiam horum omnium philosophorum, si definitio Aristotelis comprehendit omnes animas, non potest esse vniuoca, sed analoga; quia communis ratio animę respectu informantium, & assistentium analoga est.

43 Vniuersale fundamentum horum omnium philosophorum quadruplex fuit. Primū quia materia, & forma, ex quibus fit compositum, debēt pertinere ad idem genus, vel ad eundem modum essendi, imò ad eandem speciem: quia compositum vnius tantum speciei debet esse, ad quam necesse est pertinere partes eius, sed materia pertinet ad genus substantiæ corporeæ, intellectus verò, aut intellectiua anima ad genus substantiæ spiritualis, ergo repugnat hanc esse formam illius, &

componere cum eo eandem rem vnius eiusdemq; speciei.

Secundum procedit ex perfectione animæ rationalis in tribus consistente, quæ pugnare videntur cũ imperf. ctione formæ. Primum est, quod non sit educta ex potentia materiæ nec ab ea dependeat in suo esse, sed per creationem ex nihilo facta a solo Deo: forma autem corporis: cum sit actus eius, vt potentiæ, in qua recipitur, & quam informat, ex eo educi debet, ab eoq; dependere: ergo pugnat ratio formæ cum perfectione animæ rationalis.

Tertium est animam esse spiritualem, & incorpoream, & ideo immaterialem: ergo non potest informare materiam, quia potentia, & actus debent proportionari: sed potentia materiæ est materialis, & corporea: ergo non potest informari ab anima spirituali, alioqui constitueret hominem spirituale compositum.

44 Vltimum procedit ex perfectione essendi, & operandi: nam anima rationalis est per se subsistens, cum sit per se creata, & creatio fit rei subsistentis: ergo repugnat ei ratio formæ. Probatur consequentia, quia informatio fit per inhærentiam: pugnat vero inhærentia cum substantia per se: de operatione vero intellectiua eius, docet Aristoteles textu 11. huius libri quod nullius corporis actus sit: ergo neque anima ipsa erit actus corporis, vel forma eius.

45 Secunda sententia nõ omnino excludit animam intellectiuam a ratione formæ, sed realiter informare concedit, formaliter vero denegare ei videtur rationem formæ.

46 Vnam enim animam tantum ponens in homine, concedit vt vegetatiuam, sensitiuã informare quidem corpus, non tamen vt rationalem, sed quia eadem entitas realis, & indiuisibilis est, ideo eo ipso quod secundum duos inferiores gradus informat, censetur anima intellectiua realiter informare, non enim potest secundum illos informare, quin tota ipsa eius entitas sit in corpore illud informans, nihilominus si ratione vltimi gradus præcise consideretur, negat esse formam, & cõsequenter negat, quod sit forma in quantum intellectiua.

Ita sentiunt Ferrar 2. libr. contra gentes cap. 58. non longe a fine §. *ad primum horum dicitur, quod ratio illa procedit*, Calet. 1. p. q. 76. art. 1. circa solutionem primi argumenti, & iuxta hanc sententiam videtur etiam definitionem animæ non esse vniuocam ad omnes animas formaliter sumptas, quia intellectiua, vt intellectiua non erit actus primus corporis, nisi forte secundum solam assistẽtiam, quod est eandem animam præcise vt intellectiuam, aut rationalem esse formam secundum rationem analogam.

47 Et probari potest, quia intellectus non alligatur corpori, nec alicui eius parti, imò neque operatio eius per corpus exercetur, vel in corpore recipitur: quare forma corporis non est, ergo nec anima intellectiua, vt intellectiua, cuius est potentia ab ea sub tali gradu accepta emanans, erit forma: deinde anima rationalis, vt intellectiua non est principium alicuius operationis corporis, ergo vt intellectiua non est actus primus, vel forma eius: antecedens probo, quia intellectio est operatio solius animæ, & non corporis, cum nec verum sit corpus, aut aliquam eius partem intelligere per se immediatè, sed ad summum per accidẽs, & remotè, quia intelligit anima: ergo anima non est principium alicuius operationis in corpore.

48 Secundo si anima non solum est forma corporis, quia sensitiua est, sed etiam formaliter vt intellectiua, euidenter sequitur, quod etiam si non esset sensitiua, sed intellectiua tantum, esset forma corporis: probatur consequentia, quia si esse formam haber ex gradu intellectiuo, quamuis eum solum haberet, per eum informaret corpus, sicut quia anima vegetatiua vt talis est forma, informat vt corpus in plantis per solum gradum vegetandi, quem habet in eis, sed si anima intellectiua non esset sensitiua, non posset esse forma: ergo non habet esse formam, vt intellectiua, sed solum quia sensitiua est.

49 Probatur minor, quia si non esset sensitiua, non esset anima: ergo non esset forma, quia non potest esse forma inferior anima, sed probatur antecedẽs, quia si non esset sensitiua, non esset actus corporis organici, nam sublatis sensibus auferuntur organa, sed si non esset sensitiua, non postularet organa sensuum, imò nec habere posset, cum hæc organa constituantur per potentias sensitiuas tamquam per formas: ergo non esset forma corporis.

50 Vera sñia tribus assertionib. explicanda est, & sit prima. *hæc definitio animæ nõ conuenit vllo*

ullo modo animalibus, vel formis assistentibus: hoc est, neque ratione vniuoca, neque analogica, sed solum conuenit animabus, vel formis informantibus: ideo si anima rationalis solum est forma corporis assistens, & non informans (vt asserit prima sententia) non conuenit ei vllo modo definitio. Probatur primo ex duobus, quæ docuit expresse Aristoteles statim post assignatam definitionem animæ: primũ est, non esse quærendum cur ex anima, & corpore fiat vnum per se, quia sunt actus per se, & potentia per se, & ideo per se vniuntur, & per se efficiuntur vnum, sed hoc non potest conuenire formæ assistenti: ergo nec definitio. Probatur minor, quia forma assistens solum vnitur accidentaliter corpori per potentiam motiuam, & in ordine ad motum localem: quod est solum ei vniri accidentaliter, non ergo per se, sicut vnitur anima, quam definit Aristoteles.

51 Secundum quod asserit est, animam a se definitam sic se habere ad corpus quod constituit, vt sit quod quid erat esse eius, hoc est pertinens ad eius essentiam, & constituens ipsum in tali specie, sed forma assistens non potest sic se habere ad corpus, quod mouet, quia cum non informet ipsum, non potest ei tribuere aliquem effectum formalem intrinsecum, pertinentem ad quidditatem, & essentiam eius, nec proinde potest ei tribuere speciem: cum solum se habeat modo quodam extrinseco ad illud, sicut nauta ad nauim: ergo non conuenit ei definitio: Probatur deinde ratione, ex definitione ipsa afferente, animam esse, *actum corporis physici, & organici*: anima assistens non necessariò postulat corpus organicum, ergo non conuenit ei definitio: Probatur antecedens in intelligentijs mouentibus orbes (quas vocant assistentes formas) nec enim corpora cœlestia organis prædita sunt, & quamuis essent, non minus moueri possent ab eisdem intelligentijs, quam si nulla haberent.

52 Secũda assertio: *Anima rationalis est vera forma informans corpus* Hæc imprimis veritas est iam fidei catholicæ post definitionem Ecclesiæ in Clement. prima de summa Trinitate, & fide catholica edita in Concilio Vienensi a Clemente V. vbi sic dicitur, *Quisquis deinceps asserere, defendere, seu tenere pertinaciter præsumpserit, quod anima rationalis, seu intellectiua non sit forma corporis humani per se, & essentialiter tanquam hæreticus censendus sit.*

Quam definitionem repetit, & approbat Concilium Lateranense 3. sessione 8. propterea opposita sententia illorum philosophorum asserentium solum esse assistentem, & non informantem error est in fide. Probatur deinde expressis testimonijs Aristotelis, quæ penè innumera sunt, in quibus docet animam intellectiuam esse formam informantem corpus, ex quibus tria tantum selegi.

53 Et primum habetur 1. libro de anima textu 90. vbi citat sententiam Platonis ponentis triplicem animam in eodem homine iuxta triplicem operationem vitalem, ita vt per vnam animam vegetetur, per alteram sentiat, & per alteram intelligat, & hanc sententiam reijcit tanquam falsam, affirmans omnes has operationes prouenire in eodem homine ab eadem anima; quod patet esse impossibile, nisi anima intellectiua sit vera forma.

Probatur planè, quia euidens est nutritionem, & sensationem prouenire ab anima informante; cum sint operationes vitales, quæ non possunt prouenire, nisi a principio intrinseco rei, sed ab eadem anima prouenit intelligere, quod est operatio vitalis, ergò anima intellectiua a qua prouenit, est forma informans.

54 Secundum testimonium sumitur ex 1. lib. ethico. cap. 7. non longè à principio, vbi quærens Aristoteles in quo consistat summa fœlicitas, aut beatitudo hominis; Respondet in aliqua operatione eius esse ponendam, non quidem in ea, quæ communis sit ei cum brutis: & ideò non in operatione vegetatiua hæc sensitiua, sed in aliqua sibi propria, per quam distinguatur ab eis, & hanc dicit procedere ab anima intellectiua eius, per quam est homo, & distinguitur a brutis: sed nõ potest esse homo per animam intellectiuã nec distingui a brutis, si solum sit forma assistens, quia esse hominem, est esse substantiam, anima verò assistens non potest tribuere corpori, vel homini esse substantiale, cum solum assistat ad operationem, quæ est accidens: ergò necesse est, quod constituatur in esse substantiali hominis per eandem animam intellectiuam informantem, & media informatione tribuentem ei esse substantiale hominis.

Vltimum testimonium egregium profectò est, continetur que 12. lib. metaph. text. 16 & 17 vbi hoc discrimen ponit Aristoteles inter causas efficientes, & formales, quod

illæ naturaliter possunt antecedere secundū tempus suos effectus, formales vero non, sed simul semper sunt cum suis effectibus forma libus, vt sanitas cum sano, & albedo cum albo. An verò post eosdem effectus permanere possint? Plures esse ait formales causas nō permanentes, sed aliquam dari permanentem, vt animam intellectiuam extincto homine, hæc sunt verba eius. *Causæ itaque mouentes, tanquam antea ortæ existunt, quæ vero vt ratio, simul sunt: cum enim sanus fit homo, tunc etiam sanitas est, & forma anea sphera simul atq; anea sphera, si autem aliquid posterius permanet, considerandum est, in quibusdam enim nihil prohibet, veluti si anima talis sit, non omnis, sed intellectus, omnem namque fortassis impossibile est.*

56 Probatur deinde eadem assertio euidenti ratione; 1. quia euidens est hominem esse substantiam, atq; substātialem speciem in eo prædicamento. Euidens quoque est secundò disti ngui specie ab equo, & leone sub genere animalis. Euidens est 3 hominē ex sua specie, atque essentia esse animal rationale.

57 Euidens tandem est distinctionem specificam nō esse per potentiam, sed per actū, & ideo non esse per materiam, quæ potentia est: sed per formam quę est actus, quia potentia non potest esse ratio distinctionis: sed conuenientiæ, distinctio verò per actum fit: ergo euidens erit distingui hominē ab equo. & leone per formam, sed distinguitur, quia est rationalis: ergo euidens est distingui per formam rationalē, quæ est anima intellectiua, & ideo euidens erit, animam intellectiuam esse formam informantem, & non solum assistentem, quia forma assistens nō pertinet ad essentiam eius, cui assistit, nec vnitur ei essentialiter, sed solum accidentaliter in ordine ad motum: quare nō potest distinguere illud essentialiter ab alijs: 2. quia primum principium vitæ in rebus corporeis est anima: nam per animam distinguuntur viuētia a non viuentibus: ergo primum principium vitalis operationis quæ vocatur vita, est eadē anima, sed secundum diuersos gradus vitalium operationum distinguuntur diuersi gradus vitæ, & ideo dicimus animalia perfectiorē gradū vitæ habere, quā plantas, quia perfectiorē habent operationē vitalem, nēpe sensationem, sed intelligere est operatio vitalis perfectissima, & propria hominis, qui experitur se intelligere, sicut se sentire, & vegetari, ergo principiū efficiens huius vitalis operationis eius est aīa rationalis, aut intellectiua: repugnat aūt esse principiū per sola assistentia: quia operatio vitalis debet esse à principio intrinseco, assistens verò, vt tale extrinsecum est: ergo debet esse principium per vetam informationem, & ita erit vera forma.

58 Probatur tandē euidenter contra Auerroem, quia euidenter experitur homo se intelligere, & hanc operationem esse sibi propriam, sed repugnat vllo modo ei conuenire per solam assistentiā intellectus: ergò necesse est, quod conueniat ratione animæ informantis. Probatur minor, quia per assistentiā intellectus solū hoc fieri asserit ille, quod est eundem intellectum vt i phantasmatibus animæ cogitatiuæ (per quam constituitur homo in esse hominis, & distinguitur a brutis) ad producendum species intelligibiles eorundem phantasmatum, & recipiendas in se, sed ex eo, quod phantasmata hominis producant cum intellectu speciem intelligibilem repræsentantem eadem phantasmata, non sequitur hominem intelligere, quia productio specierum non est intellectio, quemadmodum ex eo, quod color illuminatus producat speciem visibilem in oculo se repræsentantem, non sequitur, quod color ipse, aut lumen videat, sed oculus tantum videt eliciens visionem post productionē speciei: ergo nec per talem vnionem intellectus assistentis potest vllo modo attribui homini intellectio.

59 Assertio vltima. *Anima rationalis non solum inquantum sensitiua, & vegetatiua, sed in quātum rationalis est vera forma in formans corpus, aut* (quod idem est) *secundum gradum rationalitatis verè informat ipsum.* Hęc in primis sequitur efficaciter ex verbis Clementinæ ci tatis, quibus decernitur, *Animam rationalem per se atque essentialiter esse formam corporis.* Quod sic probo. Id quod conuenit rei per se & essentialiter conuenit ei, in quantum talis est, sed esse formam informantem conuenit illi in quantum rationalis est: ergo in quantum rationalis, est vera forma informans corpus, & non solum, vt vegetatiua, & sensitiua iuxta definitionem Ecclesiæ.

60 Ideo videtur mihi sine periculo erroris non posse omninò negari, quod anima rationalis, vt rationalis est, informet corpus, etiam si dicatur informare, vt vegetatiua, & sensitiua, quia si solum informaret secundum

hos

hos gradus inferiores, non esset verum, quod anima rationalis informaret per se, & essentialiter, sed solum materialiter, & quasi per accidens, in quantū eadem entitas realis animæ informantis, vt vegetatiuæ, & sensitiuæ est rationalis.

61 Sed probatur ratione; primo, quia animam sensitiuam, aut vegetatiuam, vt talem informare corpus non est aliud, quam tribuere corpori per veram informationem gradum sentiendi, ita vt verum sit animal esse formaliter sensitiuum, & plantam formaliter viuentem: ergo animam rationalem, vt rationalem, vel (quod idem est) secundū gradum rationalitatis esse formam corporis, nō erit aliud, quam tribuere corpori gradum rationalitatis per veram informationem, ita vt verum sit hominem esse rationalem formaliter: sed euidens est id præstare: ergo euidens, quoq; erit, vt rationalem esse veram formam informantem corpus.

Probatur minor, quia eodem modo verum est hominem esse rationalem formaliter, ac esse formaliter sensitiuum, & viuentem: ergo non minus anima rationalis, vt rationalis est vera forma, quam anima sensitiua, & vegetatiua, nec ipsamet minus est forma secundum gradum rationalitatis, quam secundum gradum sensitiuum, & vegetatiuum.

Secundò, homo distinguitur specie substantiali a plantis sub genere viuentis, atque etiam a brutis, vt ab equo, & Leone sub genere animalis, sed distinctio specifica est per formam, quia materia non distinguit, sed potius est ratio conueniendi: ergo distinguitur per formam, & consequenter per animam; cum omnia hæc sint animata, sed non distinguitur per animam, nisi vt rationalem, ergo vt rationalis est vera forma.

62 Vt autem veritas nostrarum assertionum clarius pateat, & argum. opposita commodius solui possint: Notandum est primò, animā rationalem (vt copiosius dicetur inferius) vna numero, & sola cum sit in homine, continere sua virtute gradus inferiores sentiendi, & vegetandi, quos continent anima sensitiua, & vegetatiua, eosq; continere non tanquam efficientem causam, sed tanquam formalem.

63 Ita tamen omnes continet vt non sint distincti realiter in ea, sed eadem entitas realis indiuisibilis potens eos tribuere eidē corpori, non minus quam distinctæ animæ eos tribuerent eidē homini, si in eo forent distinctæ. Secundò notandum est, animam rationalem nō solū formaliter continere hos tres gradus vitæ, vegetatiuæ, sensitiuæ, & intellectiuæ, sed per se, atque essentialiter, ita vt si eos nō contineret, non foret vllo modo anima rationalis, imò nec omninò esset anima.

64 Quod probari potest, præsupposito, quod præter ipsam non dantur in homine aliæ animæ sensitiua, & vegetatiua, quod ex fide, & ratione naturali euidenti probabitur inferius, sed solum sit in eo anima rationalis.

65 Probatur hoc supposito 1. quia anima est, *actus primus corporis physici, & organici*, sed anima rationalis est anima: ergo debet esse actus corporis organici: quare ab intrinseco & formali postulat corpus organis distinctū sed non dantur nec excogitabilia sunt organa in corpore, nisi ad exereendas operationes sensitiuas, & vegetatiuas: ergo hæc eadē organa postulat ab intrinseco anima rationalis, vel non est anima.

66 Minorem probo, quia potentiæ animæ rationalis, quæ sunt intellectus, & voluntas, nec sunt organicæ, nec operationes eorum exercentur per organa corporea. vt per se est manifestum, vnde sequitur, quod anima rationalis essentialiter, atque formaliter sit sensitiua, & vegetatiua, quia organa sensuum sub formali ratione organorum constituuntur per potentias sensitiuas tanquā per proprias formas, sed potentiæ sensitiuæ oriuntur ab anima sensitiua, vel a gradu substantiali sentiendi tanquam propriæ eius, ergo anima rationalis continet essentialiter gradum sentiendi, a quo proueniunt: cum nō sit in homine alia anima sensitiua, a qua possint prouenire, & nisi eum contineret, anima nō esset, quia nec esset forma corporis organici 2. anima rationalis essentialiter est constitutiua hominis, sed homo ab ea constitutus essentialiter est animal, viuens, corpus, & substantia: cum ex his prædicatis, & earum differentijs constituatur essentialis definitio eius: ergo anima rationalis essentialiter est constitutiua hominis, animalis, & viuentis, & consequenter essentialiter continet hos tres gradus vitæ, nempe vegetatiuæ, sensitiuæ, & rationalis, eosq; tribuit corpori.

67 Quibus ita constitutis soluenda sunt in primis argument philosophorum, & pro solutione primi adnotandum est vulgare illud

in schola receptum, quod supremum infimi generis attingit infimum generis supremi, & è contra, quia se habet tanquam medium inter supremum, & infimum genus, & propterea debet participare vtroque extremo. Exemplum est in operationibus sensitiuis, in quarum genere supremum quid est, hoc est, perfectissimum operatio phantasiæ, & phantasma ipsum per eam productum, & supremum hoc sensitiui generis attingit infimum generis superioris, nempe intellectionem humanam, ad quam aliquo modo concurrere certum est, intellectio autem humana infimum quid est sub genere intellectionis, cum sit imperfectissima, & hæc eadem tanquam infimum supremi attingit supremum infimi, nempe eandem operationem phantasiæ, vel phantasma ipsum a quibus aliquo modo dependet.

68 Iste autem modus attingendi in eo cōsistit, quod cum anima sit principium intelligendi imperfectissimum ex propria natura, & essentia, quia partiale, ordinatur etiam essentialiter ad intelligendum media alia parte, ad quam dicit intrinsecum ordinē. hoc est medio corpore per species medijs sensibus mēdicatas a rebus. Vnde sequitur, quod cum esse ordinetur ad propriam operationem, & modus propriȩ operationis sit iuxta modum eiusdem esse animæ in sua natura importās intrinsecum ordinem ad corpus: nata sit ei vniri propter perfectionem propriæ operationis, hoc est, vt medio corpore assequatur species ad intelligendum modo connaturali formæ. Hęc autem vnio cum corpore non potest esse per solam assistentiam extrinsecam, sicut vnitur Angelus corpori cęlesti ad motū sed per informationem, vt probatum est.

69 Et hinc intelligitur, quod licet anima rationalis sit spiritualis secundum propriam entitatem, ita vt nihil entitatis corporeæ, vel materialis permixtum habeat, nō est tamen purè spiritualis, sicut Angelus, sed aliquo modo corporea, quia hæc eius entitas spiritualis, partialis est, & ab intrinseco habet ordinem ad materiam, cui tribuit esse substantiale corporeum, & ideò est corporea tanquam quo aliud est corpus ab ea in tali esse corporeo constitutum, quod non posset constituere nisi per informationem, quare ita anima spiritualis est, vt sit vera forma corporis.

70 Sed posset aliquis contra hunc nostrum discursum ita arguere, licet anima rationalis essentialiter sit pars, & ideò forma, & actus alicuius potentiæ, non tamen potentiæ corporeæ, quæ est materia, vel corpus, sed potentia spiritualis, quam non repugnat dari, sicut datur spiritualis actus: huic ergo potentiæ spirituali posset vniri, & constituere cum ea compositum spirituale ex potentia, & actu spirituali. Vnde sequitur non probari efficaciter ex eo, quod anima sit substantia spiritualis imperfecta, & partialis, quòd apta sit vniri materiæ corporeæ, & ideò cōstitutiua compositi corporei: nec etiam quod sit aliquo modo corporea tanquam, quo, hoc est tanquam forma corporis, & apta constituere compositum corporeum, sub cuius genere, vel specie ponatur.

71 Respondetur tamen impossibilem esse talem potentiam in genere substantiæ spiritualis, cui vniretur anima ad componendum cum ea compositum spirituale, propter duo: primum, quia talis potentia non esset organi capax, nam diuersitas organorum non est excogitabilis, nisi propter diuersitatem operationum: tale autem compositum non posset habere diuersas operationes, sed solum intelligere, & velle, & has non per species acceptas a rebus: cum non sit excogitabilis modus accipiendi species a rebus nisi per sensus. Vnde sequitur, quod cum tali potentia spirituali non posset anima constituere compositum heterogeneum, sed homogeneum tantum, quod est contra rationem animȩ intrinsecam, vt patet ex definitione prima animȩ, & contra dignitatem eius, quia compositum homogeneum, vt tale infimæ conditionis est etiam si sit spirituale. Secundum, quia cum tali potentia spirituali non posset anima cōstituere compositum rationale, hoc est, intelligens ratiocinando, ac discurrendo, quod pugnat cum natura eius distincta ab Angelis per infinitum modum intelligendi cum discursu.

72 Sed probatur antecedens, quia ideo anima apta est intelligere cum discursu, quia per species acceptas a sensibus, per quas tāquam imperfectissimas in genere intelligibili non potest simul omnia cognoscere, sed vnum ex altero, & post alterum, in quo consistit imperfectio discurrendi, sed sine organis sensuum non posset species a rebus accipere: ergo nec esset intellectiua cum discursu. Et ex hac doctrina duo intelliguntur.

Pri-

73 Primum, quod anima rationalis non pertineat ad genus spiritualis substantiæ, sed corporeæ: quia licet sit spiritualis substantia, incompleta tamen, & partialis, tanquam vera forma apta vniri corpori ad cōstitutionem compositi, & ideò pars essentialis compositi corporei. Secūdum, quod licet anima sit substantia spiritualis, vt quod est, corporea tamen, vt quo aliud est, hoc est, vt forma eius, sed hoc modo concurrit cū materia ad compositionem totius; ergò compositum, quod ex vnione eius cum materia resultat, corporeum est, & non spirituale; Probatur consequentia, quia compositū accipit speciē à formā, vt tali, ergo à forma corporea, vt tali speciem corporis, ad quā constat pertinere animam, tanquam partem intrinsecam eius, nā partes ad speciem totius pertinent. Et ex his patet, solutum esse primum argumētum pro philosophis: nam ad formam eius concessa maiori, neganda est minor, quod anima non sit sub genere corporis, sed sub genere spiritus; oppositū enim efficaciter probatum est.

Tria alia argum. contendebant probare animam non esse formam ex tribus; ex primo quidem, quia non educitur ex potentia materiæ, cui respondeo hoc nō pertinere ad rationem formæ, sed ad imperfectionē, quare solum sequitur ex eo, quòd anima non sit forma imperfecta, sicut interiores. Ex 2. verò, quia anima non est corporea, sed spiritualis; cui respondeo, spiritualem esse, sed infimam in hoc genere, atque imperfectissimā quia incompleta, & partialis, ex quo habet attingere supremū infimi, nempe corporis, cui vnibilis est, & ideò corporea, vt quo, quia constitutiua corporei compositi per informationem materiæ. Vltimum ex quo probabatur, erat, quòd sit subsistens; cui respondeo, hoc non esse incompossibile cum ratione formæ perfectissimæ, & talem esse animam, simul subsistentem subsistentia partiali, & etiam informantem corpus.

74 Ad primum argum. 2. sententiæ facile respondetur intellectum emanare ab anima intellectiua, vt tali, & in ea recipi; deinde intellectum non esse formam corporis, vel alicuius partis eius, quod verò eodem modo se habeat vtrumque ad corpus, negamus, sed anima proximè, & tanquam actus substātialis, & primus, intellectus verò non respicit per se ita immediatè corpus, sed per animā, cuius potentia est, & propterea remotè, & tanquam actus accidentalis respicit corpus; quare licet intellectus forma non sit, malè infertur, quod anima intellectiua non informet, quia actus primus, & substantialis corporis proximè actuans potentiam substantialem eius, vera forma est.

75 Itaque anima est forma, quia tanquā actus substantialis immediatè respicit potētiam substantialem corporis, vel materiæ, & ideò actuat per se illam, quod est proprium munus formæ; intellectus vero, nec respicit corpus nisi per animam, & propterea præsupponit ordine naturæ eam informantem, quare non potest immediatè inhærere corpori, sed remotè tantū media anima, & consequenter, nec potest esse forma totius corporis, nec alicuius partis, quia ratio formæ est proximè actuare materiam.

76 Ad confirmationem concessa maiori, negāda est minor, quod anima, vt rationalis non sit principium alicuius operationis in corpore, nam licèt corpus, vel aliqua pars eius non dicatur intelligere, dicitur tamē homo intelligere per animam, tanquā per formam, qua constituitur in esse hominis; vnde verum est, quod anima sit principium, quo homo intelligit. Intelligere itaque est operatio solius animæ, vt proximè intelligentis, sed cum anima sit forma constituens hominem in esse specifico rationalis, simul communicat ei consequenter propriam potentiam, & operationem, & ideò licèt anima primo intelligat, propriùs dicitur homo intelligere per animam, sicut propriùs dicitur esse rationalem de homine, quam de anima

77 Ad secundum concesso antecedente, quod anima vt intellectiua sit forma corporis, neganda est prima consequētia; quod etiamsi non foret sensitiua, esset forma corporis, quia esse sensitiuam non est minus essentiale ei, quàm esse intellectiuam, vt probaui. Itaque non est putandum, quod anima rationalis ita contineat hos tres gradus vitæ, nempe vegetatiuę, sensitiuæ, & intellectiuæ, vt duos priores quasi pro genere habeat, aut materialiter tantùm, & gradum intellectiuum dumtaxat contineat formaliter, & tanquam differentiam, sed formalissimè continet omnes, & tanquam in proprio, atque indiuisibili gradu suæ differentiæ essentialis, intellectiuum quidem

for-

formaliter, & vt quod suo modo, vt quo; sensitiuum, & vegetatiuum, non nisi, vt quo, vt inferius explicabitur.

79 Ad exẽplum verò de pluralitate animarum in eodem homine, Respondeo, naturaliter saltem esse impossibile, vt euidenter ostendetur inferiùs. Et si forte possibiles essent plures animæ in eodem homine, nẽpè vegetatiua cum rationali per potentiã Dei absolutam, non propterea sequeretur, quod rationalis non esset forma corporis organici, sed absque dubio foret, non minus, quam modo, dum sola est in eodem homine; concedendum tamen esset in casu eosdem gradus vegetandi, & sentiendi continere, sicut nunc continet, atque etiam, quòd duo isti gradus tribuerentur eidem corpori à duplici, aut triplici forma, quod an possibile sit, vel contradictionem inuoluat, suo loco explicabitur.

80 Et si aliquis quærat, an 2. opinio aliqua censura digna sit? Respondeo, duo asserere; Primum, quod si anima rationalis non esset sensitiua, non esset forma corporis, & hoc verum est, vt ostendi. Secundo asserit, animam rationalem, vt animam rationalẽ, vel intellectiuam, non esse formam, quod non solum est falsum: sed periculosum in fide, vt probauimus.

QVAESTIO VIII.

Circa posteriorem definitionem animæ.

An posterior definitio animæ sit vna, & conueniat animæ in communi.

SEcunda definitio animæ his verbis traditur ab Arist. c. 2. text. 24. anima est, *Principium quo primo viuimus, sentimus, mouemur, & intelligimus.* De qua inquirimus, an sit vna sicut de prima dictum est, vel multiplex, ita vt pro singulis animabus singulas definitiones contineat, pro vegetatiua vnam, pro sensitiua alteram, & alteram pro loco motiua, aliamque pro rationali.

81 Prima opinio quorundam recentiorum negat esse vnam, aut multiplicem definitionem pro omnibus, aut singulis animabus, quia negat esse definitionem, nisi addatur hæc particula, tanquam actu, & forma, dicaturque, *anima est principium quo primo viuimus, & intelligimus, tanquam actu, & forma.*

82 Probat testimonio Arist. tex. 24. 2. c. ante verba huius definitionis, vbi expressè docet duo esse principia, quo viuimus, sentimus, & intelligimus, nempe corpus, seu materiam, vt subiecto, & animam, vt forma: sicut duobus principijs sani sumus, nempe sanitate, vt forma, & corpore, aut parte eius, vt subiecto, & duobus alijs sumus scientes, ergo dum in definitione dicitur, animam esse principium, quo viuimus, &c. pro duob. potest sumi principium, nempe pro subiecto, & forma, aut pro corpore, & anima; vt ergo reijciatur corpus, necesse est addere verbum hoc, *Tanquam actu, & forma*, quia si non addatur, conueniet integra definitio non soli animæ, sed etiam corpori, & ideo non erit bona.

83 Hæc tamen sententia apertè falsa est, & contra mentem, & verba Arist. Et ad probandam falsitatem eius sic arguo.

84 Primum, quo distinguuntur viuentia à non viuentibus, est anima, in corpore enim, seu materia conueniunt, ergo primum principium vitæ est anima, sed corpus, seu materia, aut pars eius non potest esse primum principium vitæ; ergo eo ipso, quòd Aristoteles in definitione dixit, animã esse principium, quo primo viuimus, exclusit corpus, & quamlibet eius partem, quia idem est esse principiũ, quo primo viuimus, & esse primum principium vitæ; bona igitur est definirio vt iacet; nec oportet ei addere particulam, *Tanquam actu, & forma*, vt asserit hæc sententia, nisi vt vitiosa efficiatur. Probatur minor, quia licet corpus, vel pars eius, vt, cor, sit principium vitæ, hoc tamen non conuenit illi, nisi ratione animæ, à qua habet, quod viuat, & consequenter, quod sit vitę principium; ergo neque corpus, seu materia, neque aliqua pars eius potest esse primum principium vitæ, sed sola anima, cui soli eo ipso definitio conuenit.

85 Et Arist. solum attulit exempla sanitatis, & scientiæ, vt hoc idem ostenderet, nẽpe, quod sicut corpore, vel parte eius non sumus primo sani, nec primo scientes per animam,

mam, sed per sanitatem, & scientiam, quæ sunt actus primi, atque formæ, ita non viuimus primo per corpus, vel per partem eius, sed per animam, quæ forma corporis est tribuens ei vitam. Et his non solùm constat hanc sententiam esse cōtra Aristotelem, sed satisfactum est testimonio eiusdem Aristotelis. Hac igitur exclusa sententia.

86 Asserit opinio 2. esse quidem definitionem, & vnicam, non tamen conuenire animæ in communi, & ideo neque omni animæ, sed rationali dumtaxat. Ita Simplicius 2. lib. de anima, cap. 2. textu 24. quod probat sic: Omnia, quæ ponuntur in definitione, debent conuenire definito, sed omnia, quæ ponuntur in hac definitione, non conueniunt animæ in communi, neque alicui particulari præter rationalem, ergo hæc sola est definitum: & cùm sit vna secūdum speciem, vnica erit definitio, & non multiplex, cuius definitum eadem rationalis anima erit, & nihil aliud.

87 Probatur minor, quia esse principiū quo viuimus, sentimus, mouemur, & intelligimus, non conuenit animæ in communi, alioqui conueniret singulis, quod patet esse falsum; quia nec vegetatiua, nec sensitiua sunt principium omnium illarum operationum, solùm ergo restat, quod conueniat animæ rationali, quæ illarum omnium principium est in homine.

Tertia opinio tenet non esse vnam definitionem, sed quatuor, ita vt singulas definitiones contineat pro singulis animarum speciebus, vt pro vegetatiua vnam his verbis solum contentam anima vegetatiua est, *Principium quo primo viuimus*, sicque tres alias, ita vt in singulis solum ponatur propria operatio vtriusque, cuius potest esse principium.

88 Has autem omnes definitiones asserit hæc sententia breuitatis studio ad formā vnius redegisse Aristotelem. Ita tenet Ægidius ad eundem tex. 24. cap 2. & cum eo alij. Probatur hac ratione, ex contextu secundi capitis colligitur euidenter voluisse Arist. iterum definire omnem animam, sicut semel per priorem definitionem fecerat, alioqui, si hæc posterior definitio non esset ita vniuersalis pro omni anima, sicut prior, non posset per illam demonstrari prior, (vt per se est manifestum) sed si hæc posterior sit vnica definitio, non potest cōuenire omni animæ; ergo vt omni conueniat, multiplex censenda est, & cuique speciei animæ applicanda secundum distributionem accommodam.

89 Probatur minor, quia non omni animæ conueniunt omnes partes definitionis; ergo nec integra definitio.

Quarta opinio duo asserit, primum, *quod definitio sit vna, & non multiplex*: secundum, *quod non definiatur per illam aliqua species animæ in particulari, sed anima in communi sit adæquatum definitum eius, sicut prioris definitionis*. Ita Toletus 2. lib de anima, q. 3. conclus. 1. & est iam ferè communis inter recentiores, & probabilior. Probatur autem vtrunq; ab ea assertum ex verbis Aristotelis in principio secundi capitis, tex 12. vbi duo asserit: primum se intendere iterum definire animā eandem prius à se definitam; ergo idem est definitum vtriusq; definitionis apud ipsum, sed in prima definitione docuit expresse ca. præcedenti se definire animam in communi; ergo eandem voluit definire in hac 2. definitione, & non aliquam speciem eius in particulari.

90 Asserit deinde se velle assignare aliam definitionem notiorem prima, per quā cognosci possit: & tandem quæ aliquo modo reddat causam eius, quę vera esse nō possunt, nisi vtraque definitio sit eiusdem rei, atque eodem modo sumptæ, alioqui quo modo poterit secūda definitio esse ratio cognoscendi primam, vel causam eius reddere, si de eadem prorsus re non tradatur? Et hinc sequitur esse vnam sicut primam, nam si idē est definitum vtriusque: cum definitum prioris sit vnum, erit etiam vnum definitum posterioris, & ideo vtraque definitio vna.

91 Vt autem veritas hæc melius intelligatur, & proprius sensus definitionis clarius pateat; Adnotandum est rationem communem animæ, sicut quamlibet aliam genericam dupliciter sumi posse; vel vt in se tantum consideratur abstracta à suis speciebus eis non consideratis; vel in ordine ad easdē species, in quantum ad illas se extendit, & per eas contrahi potest, quo pacto diximus nos, & concedunt omnes sumi ens mobile, vel ens naturale, in quantum est obiectum vniuersale totius philosophiæ naturalis, videlicet in quantum partes, vel species respicit, quas singulæ partes eiusdē philosophiæ naturalis considerant, nempe ens mobile ab vbi, ad formam, & reliqua: & hoc modo sumitur anima in communi, vt est definitum

hu-

huius posterioris definitionis, nempe vt se extendit ad suas species, vt ad animam vegetatiuam, sensitiuam, & rationalem, quam extensionem explicare voluit Arist. per proprias operationes in eadem definitione positas. Sed sub consideratione priori, hoc est, sine vllo ordine extensionis ad easdem species accipitur eadem anima in communi in prima definitione, & propterea nihil in ea ponitur, per quod talis extensio significetur.

92 Secundo notandum est hanc vniuersalem extensionem ad species per operationes significatam duobus modis sumi posse. Primo secundum sensum purè disiunctiuũ; ita vt sensus totius definitionis sit, anima in communi est principium, quo primo viuimus, vel quo primo sentimus, vel quo primo mouemur, aut quo primo intelligimus. Et sensus iste ad mentem Arist. esse non potest; quia easdem operationes vitales copulatim in definitione posuit. Secundo modo sumi potest extensio ad species per operationes significatas copulatim, ita vt sensus sit; anima est principium, quo primo viuimus simul, ac sentimus, mouemur, & intelligimus. Et neque hoc modo potest intelligi definitio, quia nec posset conuenire animæ in communi: cum præter animam rationalem nulli speciei eius conueniat esse principium omnium illarum operationum copulatim sumptarum: ergo neque animæ in cõmuni. Probatur consequentia, quia nihil potest conuenire animæ in communi, quod repugnet particularibus, vt per se est manifestum.

93 Ideo potest sumi eadem extensio vniuersalis copulatiuè, vt sumitur in quacumque propositione subiecti communis signo vniuersali affecti, hoc est, secundum sensum distributiuum, quasi dicatur animam in cõmuni, & quamlibet in particulari esse principium omnium illarum operationum, vt dum dicimus, omnis homo disputat, sensus est, omnes, & singulos homines disputare. Et neque hoc modo intelligitur definitio: quia secundum hanc distributionem absolutam non conuenit singulis speciebus; quare neque animæ vniuersaliter sumptæ secundũ extensionem ad operationes, & species conuenire potest. Solum restat alter sensus, distributiuus quidem, atque copulatiuus, non secundum distributionem absolutam, sed accommodam, secundum quam sensus definitionis copulatiuus erit: anima est principium, quo primo viuunt omnia, quæ habent vitam, quo primo viuunt, & sentiunt omnia, quæ habent vitam vegetatiuam, & sensitiuam, & quo primo viuunt, sentiũt, & mouentur omnia, quæ habent vitam, sensum, & motum: & quo primo viuũt, sentiunt, mouentur, & intelligunt omnia, quæ habent vitam vegetatiuam, sensitiuam, motum, ac vitam rationalem; quo pacto definitio conuenit animę in communi, & singulis speciebus in particulari.

94 Et hunc sensum tenuit absque dubio Aristotil. in hac definitione, quia iuxta eum vtrumque verum est, quod eum docere probauimus, nempe animam in communi definiri, & vnica definitione.

95 Verum præterea est tertium, quod insinuauit cap 2. text. 1. 7. 8. nempe definitionem primam animę à se assignatam esse cõmunem, & viuersalem, quasi vellet dicere, secundam quam assignare intendebat, esse specialem, aut particularem, non quod per eam aliqua species animæ adæquatè definiatur, sed quia licet definiatur anima, etiã in vniuersali, explicato tamen ordine ad species, aut particulares animas, & ideo quodam modo simul in communi, & in particulari.

Adnotandum est vltimò, viuere prout significa t operationem vitæ, dupliciter sumi: primo, prout significat communem rationem omnibus operationibus vitalibus, nempe vegetatiuis, sensitiuis, & intellectiuis, quarum quælibet est quoddam viuere.

96 Secundo, pro speciali operatione animæ vegetatiuæ, & hæc est proprijssima acceptio eius: dum ergo in definitione dicitur, *animam esse principium, quo primo viuimus*, nõ sumitur sub communi ratione (vt Caietan. voluit putans his solis particulis contineri totam definitionem, quia cum viuere sit cõmune ad opus vegetatiuum, sensitiuum, locomotiuum, & intellectiuum, hæc omnia comprehendit, & ideo sufficienter explicat rationem animæ; cæteras verò particulas solum addi ad magis explicandas aliquas operationes vitales sub eadem particula contentas.) Dico autem non ita sumi ab Aristotele particulam viuimus, propter duo; primum, quia Aristoteles voluit hac definitione explicare animam per operationes, vel per ordinem

dinem ad illas: ergo necessarium fuit eas ponere distinctè in definitione, quia si sub illa tantum particula eis communi ponerentur, confusè tantum essent assignatæ, & ideò cõfusa solùm ratione possent explicare animam, & non distinctè, vt oportet explicari per definitionem; falsum ergo in primis est, quod dicitur non esse necessariò additas ad integritatem definitionis reliquas particulas.

97 Deinde si adduntur ad explicandas alias operationes speciales præter operationem vegetandi, quia confusè continebantur sub particula *viuimus*; eadem ratione addenda fuit alia particula, per quam distinctè explicaretur opus vegetandi, quia non nisi confusè continetur sub eadem particula, *viuimus*, sumpta pro ratione communi vitalis operationis.

Dicendum igitur est, eandem particulam *viuimus*, in definitione non sumi ab Aristotele pro ratione communi omnibus operationibus vitalibus, sed pro speciali, & prima operatione animæ vegetatiuæ, quæ propriè dicitur viuere, nam sic sumpta, clara, atque perspicua permanet definitio, distinctè, & clarè explicat rationem animæ in communi, & cuiuslibet speciei eius per proprias operationes. Ex quibus argumenta aliarum opinionum facilè solui possunt. Nam ad argumentum primæ, & secundæ opinionis eodem modo respondetur concessa maiori vtriusque, & negata minori, quod si hæc definitio sit vnica, non possit conuenire omni animæ.

98 Et cum dicitur non omnes particulas conuenire cuilibet speciali animæ, distinguendum est; nam secundum sensum copulatiuum, & absoluta distributione, verum est, neque oportet sic eis conuenire; vt ostendimus, sed satis est eis conuenire secundum distributionem accommodam iam explicatam, ex qua conuenientia satis explicatur vniuersalis ratio animæ, quæ est adæquatum definitum.

QVAESTIO IX.

An eadem secunda definitio animæ sit quidditatiua, aut essentialis, vel descriptiua tantum, & accidentalis.

99 Prima opinio tenet hanc definitionem esse quidditatiuam. Ita Alb. Magnus, lib. de anima, tit. 1. c. 4. quem refert & sequitur Caiet. q. 7. huius libri, vbi duplicem sensum eiusdem definitionis distinguit hoc modo, animam esse principium quo viuimus, sentimus, mouemur, & intelligimus, dupliciter sumi potest, aut pro actuali principio, aut pro potentiali, seu aptitudinali, etsi pro actuali accipiatur, non est dubium, quin accidentaliter conueniat animæ, quia naturaliter contingit non esse actuale principium animam rationalem, dum separatur à corpore, & per diuinam potentiam possunt cœteræ animæ ab eo separari, & tunc cessabit in eis ratio actualis principij, quare nulli animæ potest essentialiter conuenire.

100 Si verò accipiatur principium pro eo, cui debitum est, actuale principium illorum omnium esse, essentiale est animæ in communi, & cuicumque in particulari, quia licet non pugnet cum essentia earum cessare ab actuali ratione, aut exercitio principij, pugnat planè nõ esse eis debitum, quod actuale principium earum potentiarum, & operationum sint. Accepta igitur hæc definitio animæ de principio actuali potentiarum, & operationum vitalium (inquit Caietan.) non potest esse quidditatiua, sed descriptiua. Si verò accipiatur de principio quasi aptitudinali, erit essentialis. Aristoteles verò hoc secundo modo eam accepit, & propterea essentialem esse voluit Et ita etiã videntur tenuisse Themistius, & Philoponus 2. cap. huius lib. atque etiam Apollinaris ibidem, q. 4.

101 Probat Caiet. testim. Arist. & ratione. Arist. enim in principio 2. c. asserit se intendere assignare aliam definitionem continentẽ causam prioris, & talẽ causam asserit con-

continere posteriorem hanc definitionem. Ex quo ita arguit: Omnis causa debet esse prior suo effectu, sed esse actuale principiũ operationum vitalium, non potest esse prius quam animam esse actum corporis, quin potius ordine naturæ præsupponit animam vnitam corpori; ergo ex mente Arist. non sumitur *principium quo viuimus* in definitione, pro actuali, sed pro aptitudinali; sed esse hoc modo principium est essentiale animę; ergò definitio ipsa essentialis reputatur ab Arist. Probatur minor, quia anima talis est naturæ, siue informet corpus, vel non, vt debitum ei sit esse actuale principium, & sine hoc debito nec esse, nec intelligi potest, essentiale ergò erit ei.

102 Probat deinde ratione, quia illud, per quod primo constituitur res in ordine essendi cum cæteris, est ei essentiale, vt illud per quod constituitur primo, substantia in ordine essendi per se, est essentia eius: sed anima constituitur primò in ordine essendi formarum substantialium per hoc, quod est esse vitæ principium: nam per hoc habet superiorem modum essendi respectu aliarum formarum inferiorum; ergo hoc pertinebit ad essentiam eius, sed hoc idem est, quod definitio continet, ergò quidditatiua erit. Hāc vltimam minorem probat, quia dum dicitur animam esse principium, quo viuimus, non sumitur viuere pro operatione vegetatiua, sed in communi pro gradu essentiali vitæ incluso in specialib. quare sufficeret pro integra definitione dixisse, *Anima est principium quo primo viuimus*, in hoc enim verbo intelliguntur cæteri omnes gradus vitę speciales, qui additi sunt, vt magis explicarentur. Vnde sequitur definitionem continere, quod anima sit talis naturæ, cui debetur esse principium, à quo primo habent vitā quæcunque viuunt, quod patet essentiale esse animæ, quare essentialis erit definitio.

103 Secunda opinio est opposita, afferens hanc posteriorem definitionem non esse quidditatiuam, sed descriptiuam, & accidentalem. Ita D. Thom in his commentar. lect. 3. Ferrar. q. 4 Conimb. ca 2. huius lib. q. vnica artic. 2. & omnes ferè recentiores, hi præsertim, qui tenent primam definitionem demonstrari ab Arist. à posteriori per secundam. A quib. hac ratione probatur; effectus non possunt pertinere ad essentiam causæ, neque operationes ad essentiam eius, à quo procedunt tanquam à principio. Sed anima definitur hac definitione per operationes, quarum principium est, & consequenter vt causa efficiens per proprios effectus: ergò definitio non est essentialis, sed descriptiua, & accidentalis.

Vt huic quæstioni plenè satisfiat, duo sūt decernenda; Primum, qualis sit hæc definitio, vt ab Arist. tradita, quidditatiua, an descriptiua Secundum an possit esse in sensu aliquo quidditatiua, vel in quocumque sit descriptiua

104 Et quantum ad primum, placet mihi posterior sententia, quod descriptiua sit in eo sensu, quo ab Arist. traditur, quam præter D. Thom. & alios pro ea citatos tenet Tolet. c. 2. huius lib. q. 3 com. 2. Probatur testimonio eiusdem Arist. in eodem principio 2 ca. asserentis se definisse prima definitione animam ex obscuris: & ideò iterum definiēdā esse ex manifestioribus, ita vt posterior definitio contineat aliquam causam prioris, quæ nobis appareat.

105 Ex quibus sic arguo; Posterior definitio traditur per notiora, non secūdum naturam; ergò per notiora nobis, sed notiora nobis sunt effectus, & accidentia per quæ cognoscimus substantiam: ergo per hæc voluit Arist. definire animam posteriori definitione, quare accidentalem ac descriptiuam putauit se tradere definitionem, non quidditatiuam Probatur antecedens, quod per hanc definitionem non sit definita anima per notiora natura, sed solum per notiora nobis ex eisdem verbis Arist. quibus asseruit hanc posteriorem definitionem tradere aliquam causam prioris: *Per quam sit, & appareat*: nam apparere respectu nostræ cognitionis intelligitur, vt per se est manifestum.

106 Et si dicatur non repugnare, quod tradatur definitio per notiora natura, & nobis, quia contingit notiora natura esse etiam nobis notiora. Contra hoc est, quod definitio traditur per operationes, quæ siue secundum actum, siue secundum potentiam accipiantur, hoc est, vt virtute continētur in potentia actiua animæ, non possunt esse notiora secundū naturam eadem anima: cùm sint operationes, & accidentia eius, sed solū quo ad nos; ergo per notiora nobis, & minus nota secundū naturam traditur definitio, quod est esse accidentalem, & descriptiuam.

107 Probatur deinde ratione, quia per

hoc

hoc definitur anima, quod est esse principium, quo primo viuimus, sentimus, mouemur, & intelligimus, sed siue principium harum operationum sumatur secundum actuale exercitium, siue secundum aptitudinē, quam habet anima, vt possit esse principiū earum, iuxta distinctionem Caietan. est accidens respectu animæ; ergò per aliquod accidens sibi proprium definietur, & ex consequenti definitione descriptiua. Probatur minor, quia anima nec est actuale principium earundem operationum, neque habet potentiam, vt sit principium earum, nisi medijs potentijs accidentalibus sibi superadditis; ergo non solum esse actuale principium, accidentale est ei, sed aptitudo, ideo siue actuali principio, aut aptitudinali intelligatur definitio, accidentalis, seu descriptiua erit.

108 Circa secundum verò, an eadem definitio possit intelligi in alio sensu, in quo sit quidditatiua, adnotandum est, animam esse principium operationum vitalium, vt in definitione expressit Aristot. tribus modis intelligi posse, actu quidem, vel aptitudine: & rursus esse principiū aptitudinale adhuc duobus modis formale aut radicale, formale principium potest esse per potentias quibus medijs elicit easdem operationes, radicale vero, & remotum est per propriam entitatem, vel essentiam, à qua tanquam à radice oriuntur potentiæ proximè elicientes eas dem operationes.

109 Hoc supposito certum videtur, quod si duobus modis prioribus sumatur principium, nempe pro actuali, vel aptitudinali, non possit conuenire essentialiter animæ, vt probatum est contra Caiet. quia cum anima nec sit actuale principium operationum, nec nisi per potentias, quæ sunt accidentia, neutrum potest ei, nisi accidētaliter conuenire. Quod verò sit principium radicale, habet in quantum ab ea emanant immediatè potentiæ, a quibus eliciuntur operationes; & ideò hoc modo sumpto principio, non videtur repugnare, quod essentialiter per illud definiatur. Et de hoc tantum sensu procedit dubium præsens.

110 Circa quod est prima opinio quorundam recentiorum, qui asserūt, nec in hoc sensu non posse quidditatiuè definiri. Quorum totum fundamentum est, quia anima est quidem primum principium radicale potentiarum, & operationum vitalium per suam entitatem, non per suam essentiam, sed per aliam rationem formalem posteriorem essentia, & ideò animæ, vt sic non essentialem. Probantq; quia sæpe contingit aliquid conuenire alicui per suam entitatem, & nō per suam essentiam, vt substantiæ esse susceptiuam contrariorum. Præterea quælibet essentia est immediatum principium suarum passionum, & tamen hoc non est ei essentiale.

111 Et substantiæ corporeæ conuenit, ex se habere partes integrantes, iuxta sententiam probabilem, & ferè communem, & tamen non conuenit illi ratione essentiæ, quæ consistit in indiuisibili, sed solum ratione entitatis: ergò benè potest intelligi, quod potentiæ vitales sequantur ex entitate animæ tanquam ex prima radice, & non ex essentia, & ideò etiam si principium operationū accipiatur in hac definitione pro radicali, non erit essentialis.

112 Secunda opinio est aliorum recentiorum, quibus prædicta distinctio non placet, sed fatentur animam per suam essentiā esse principium radicale potentiarum vitalium, operationum verò non esse principiū per suam essentiam, sed per potentias ipsas, quæ accidētia eius sunt. Vnde per potentias posset definiri essentialiter, tanquam radicale principium earum, non per operationes: & cum definiatur vt principium operationum, non potest esse definitio essentialis, sed descriptiua, desumpto etiam principio pro radicali.

113 Si verò alia definitio assignetur, non per operationes, sed solum per potentias vitales, talis definitio poterit esse essentialis. Conueniunt itaque duæ istæ opiniones recētiorum in vno, & differunt in altero; conueniunt quidem in eo, quod animæ non sit essentiale esse primum principium radicale operationum vitalium, & ideò nec posse definiri essentialiter vllo modo per easdem operationes, & ex consequenti, neque definitionem hanc quidditatiuam esse posse vllo modo, quia per operationes vitales assignatur.

114 Et vtraque hoc negat eadem ferè ratione; nam prima dicit non esse animæ essentiale, quod sit primum principium radicale operationum, quia non est principium earum per suam essentiam, sed per suam entitatem essentia posteriorem. Secunda vero

afferit non esse hoc animæ essentiale, quia non conuenit ei immediatè per essentiam, sed medijs potentijs, quæ accidentia sunt, & ideò ei accidentale. Differunt tamen in eo, quod prima opinio etiam negat esse animę essentiale, quod sit primum principium radicale potentiarum vitalium, quia putat non conuenire ei per essentiam suam esse radicē earum, sed per suam entitatem essentia posteriorem secundùm rationem formalem. Secunda verò hoc non negat, immo concedit, quod si definiatur per solas potentias, tanquam primum principium radicale earum, & non per operationes; talis definitio erit essentialis, quia potentiæ, sicut & passiones sequuntur naturam animæ ratione essentiæ, & non solum ratione entitatis, & ideò essentiale est ei esse radicem earum

115 Nostra vero sententia contraria est vtrique, quam hac vnica assertione explico: *Per suam essentiam immediatè conuenit animæ esse primum principium radicale potentiarum vitalium, & operationum earum, & ideò per vtrasque potest definiri essentialiter, si sumatur tanquam primum principium radicale earum*, quare essentialis esset definitio posterior, si animam esse *Principium quo primo viuimus, sentimus, mouemur, & intelligimus*, de primo principio radicali accipiatur. Quam conclusionē de potētijs, & operationibus tenent omnes citati pro sententia Caiet. atque etiam omnes alij recentiores præter paucos, qui has duas singulares sententias inuenerunt: & eā nos sigillatim probamus aduersus vtramq; opinionem.

116 Primò aduersus priorem, quia quidquid sit de distinctione entitatis rei ab essentia eius (quam statim explicabo) falsum est, quod non sit animæ essentiale esse primam radicem potentiarum, & operationum; quod sic probo. Diuersis animabus secundum speciem conueniunt diuersæ potentiæ vitales, & diuersæ operationes secundum speciem, sicut quibuscunque rebus specie diuersis conueniunt diuersæ passiones, seu proprietates secundum speciem, vt euidenti inductione constat; ergò euidens est emanare à principijs specie distinctis: sed asserit hæc sententia emanare à diuersis entitatibus rerum: ergo euidens est emanare ab eis, vt specie distinctis. Vlterius, entitatis diuersarū rerum non possunt distingui specie, nisi ratione diuersorum prædicatorum essentialium; sed passiones, & potentiæ, cum sint specie distinctæ, & vt tales emanent à diuersis rebus, emanant ab eis, vt à diuersis secundum speciem; ergo si potentiæ emanant ab entitatibus animarum, euidens est emanare ab eis, vt diuersis per diuersa prædicata essentialia; & de primo ad vltimum, sequitur emanare à diuersis rebus ratione diuersarum essentiarū, quia diuersa prædicata essentialia diuersas essentias constituunt, quia ratione suorum prædicatorum essentialium id habent.

117 Secundò, quia essentiale est animæ talis esse naturæ, cui per se debeantur tales passiones, vel potentiæ, sed hoc est esse principium radicale earum; ergò esse hoc modo principium, erit etiam ei essentiale. Maiorē sic probo. Differentia essentialis hominis est esse rationalem: sed rationali, vt tali, debita est potentia ad ratiocinandum, quæ est intellectus; ergo rationalitas est principium radicale eius, sicq; de cæteris potentijs aliarum animarum suo modo conuincitur.

118 Vt autem nostram assertionem probemus contra secundam opinionem, explicare prius oportet, quidnam sit animam esse primum principium radicale operationum, aliud est enim esse primum principiū formale earum, & aliud primum principiū radicale. Esse principium formale est esse principium proximū eliciens per se ipsum immediatè operationem: esse verò principium radicale est esse radicem, à qua emanat idem principium proximum eliciēs per se immediatè operationem. Et cùm anima sit prima radix, à qua emanant per se ipsas immediatè potentiæ, quæ sunt principia proxima, ac formalia operationum, sequitur esse principium radicale, tam potentiarum, quam operationum, sed illarum proximum harum vero quasi primum, & remotum. Potentias vero solum esse principia formalia operationum.

119 Quo supposito probatur primo assertio nostra aduersus secundam sententiam hoc modo, anima per suam essentiam est principium radicale potētiarum, & medijs potentijs est principium operationum; ergò essentiale est ei esse radicale principiū, tam operationum, quàm potentiarum, harū quidem immediatum, illarum verò primum. Probatur antecedens, quia esse principium radicale earum non est aliud, quàm debitas esse essentiæ eius tales potentias, & operationes,

rationes, sed animæ per suam essentiam debitum est vtrumque, nempe potentia, & operatio suo ordine, potentia quidem proximè, operatio verò quasi remotè, vnde illa per se immediatè oritur ab essentia, hæc vero media potentia; ergo per suam essentiam est radicale principium vtriusque.

120 Secundo, etiam ratione probatur, quia euidens est potentias animæ esse proprietates, aut passiones proprias eius, sed euidens est etiam proprias passiones conuenire cuilibet rei per suam essentiam, ab eaque emanare: ergo euidens est potentias animæ conuenire ei per suam essentiam, ab eaque emanare. Maiorem probo ex duplici definitione propriæ passionis, seu proprietatis traditæ à Porphyrio, & ab Aristotele, & etiam a nobis capite iam citato de proprio in prędicabilibus, vna est talis. *Proprium est quod conuenit omni, soli, & semper*, altera, *Proprium est, quod non indicat quid est esse rei, soli autem inest, & conuersim prædicatur*, sed intellectus, & voluntas conueniunt omni animæ rationali, & ei soli, ac semper: & præterea, non pertinent ad essentiam eius, & prædicantur de illa reciproca prędicatione; ergo sunt propriæ passiones, seu proprietates eius. Et pariter potentiæ corporeæ conueniunt eidē animæ, & cuicumq; alteri tanquam radici à qua emanant, & ab ea sola, & semper, prædicanturq; reciproca prędicatione; ergo omni animæ conueniunt per suam essentiam proprię potentiæ, & ab eadem eius essentia emanāt. Vlterius propriæ passiones cuiuscunq; rei emanantes ab essentia eius continentur in ea, tanquam in virtute, & radice earum, à qua pullulant, aut emanant, ut risibilitas, & admiratio in essentia hominis; ergo potentiæ animæ, quæ sunt proprietates, aut passiones eius continentur in essentia eiusdem. Et tandem operationes procedunt ab eisdem potentijs, tanquam à virtutibus animæ: ergo etiam continentur virtute in eadem essentia animæ, à qua habent potentiæ, quod eas eliciant: & ideo procedunt ab eadem essentia animæ, tanquam à prima radice, in qua virtute continentur Quod hoc exemplo euidēter ostendo, nam euidens est flores, & fructus contineri in virtute seminali arboris, tanquam in principio radicali, cui per se debentur, & nihilominus est verum, non produci fructus à virtute seminali, nisi medijs floribus.

121 Ratio huius est, quia licet vnum horum producatur medio altero, vel per alterum, non producitur per illud, tanquam per aliquid alienum, vel extraneum ab eodem semine, sed tanquam per aliquid eius in eo contentum: vnde sequitur, quod sicut potentia, per quam elicitur operatio cum omnibus, quæ habet, atque etiam cum concursu, per quem eam elicit, continetur virtute in essentia animæ, ita etiam operatio elicita, quamuis illa proxime, hæc remotè. Et consequenter tam operatio, quam potentia debita est animæ ratione suæ essentiæ, & principium radicale vtriusque essentialiter dicēda est. Quod verò ex hac nostra sententia inferri posset, videlicet animam habere plures definitiones quidditatiuas, si vtraq; eius definitio quidditatiua esse potest, contra prędceptum Arist. 6. lib. Topic. ca. 1. loco 17 vniuersaliter statuentis, quod res quælibet vnicam definitionem essentialem habere potest & non plures, quia cùm definitio explicet essentiam, & essentia sit vna, tantum potest esse vna definitio essentialis, hoc, inquā, difficultate caret, quia solum intelligitur in eadem scientia, vel in eodem modo definiendi, sed si definiatur eadem res per diuersa genera causarum, quæ respicit, multis definitionibus definienda est, atque etiam si definiatur physicè, & metaph. sed omnes vocari possunt vna, & eadem, in quantum eandem essentiam explicant, & solum plures ex parte modi eas assignandi, sed sub quolibet modo vnicam habere debet, & iste est sensus Aristot Quem hoc verbo explicare possumus, vna res non potest habere nisi vnicam definitionem sub vna ratione formali, vel sub vno genere causæ explicata, plures verò, si sub diuersis rationibus formalibus consideretur, vel in ordine ad diuersa genera causarum.

122 Ad argument. primę opinionis concedendum est, quod possit aliquid alicui conuenire ratione entitatis, & non ratione essentiæ, vt qualitati conuenit intensionem suscipere ratione entitatis, quæ verè crescit per intensionem: cùm intensio fiat adueniēte noua parte graduali, quæ noua entitas est, sed non conuenit ei ratione essentiæ, quia per intensionem non augentur prædicata essentialia. Et quod possit conuenire ratione entitatis, & non ratione essentiæ, patebit, si intelligatur quonam modo aliqua etiā ratione

distinguátur entitas,& essentia rei,nam entitas realis rei est,quam habet essentia extra causas,& in qua fundantur essentialia prædicata realia,& actualia,in quibus essentia ipsa consistit,& hinc est, quod ex aliqua causa potest res acquirere plus entitatis,non tamē plus essentiæ,quia essentia consistit in indiuisibili, entitas verò latitudinē habet, & ideò dum res nutritur nouam entitatem acquirit, & plus entitatis realis habet post nutritionem,quam habebat prius,non tamen habet plus essentiæ, nec nouam essentiam per nutritionem acquirit, sed nouam entitatem eiusdem essentiæ.Negandū tamen est,quod passiones, vel potentiæ conueniant animæ ratione entitatis,& non ratione essentiæ,immo euidens est conuenire potentias ratione essentiæ,easdem verò potentias reales,& actuales ratione essentiæ realis extra causas existentis,& in entitate reali,& actuali fundatæ. Quidquid ergo sit de illis exemplis in argument. adductis, nihil probatur aduersus nostram sententiam.

123 Ad argumentum secundæ opinionis concedendum est, quod operationes conueniāt animæ medijs potentijs: quæ sunt accidentia eius, sed negandum, quod esse radicem earundem operationum non sit ei essentiale, quia sicut potentiæ continentur in essentia animæ tanquam in prima radice, ita etiam operationes,quas eliciunt per propriā entitatem,& virtutem cōtentam in eadem essentia animæ, quare sicut essentia est radix potentiarum proxima: sic & operationum prima, vt exemplum florum, & fructuum à nobis iam adductum conuincit.

Testimonium verò Aristotil. quod pro se affert Caiet. explicari potest de causa finali, in quo genere causæ operationes prius conueniunt animæ,quàm vniri corpori, aut esse actum eius, quia gratia operationum vnitur corpori,ergò rationem finis habent operationes respectu informationis,& ideò definiens Aristoteles animam per operationes tradidit causam prioris definitionis, per quam notior fit, & hoc habere possunt operationes, etiam si sint effectus ex illo communi pronuntiato ab Aristotele, Quælibet res est propter suam operationem, vt exemplo sanitatis probari potest, quia licet sit effectus omnium medicamentorum ac totius curationis in genere causæ efficientis, & ideò in hoc genere posterior, est tamen causa finalis eorundem, & ideò absolutè prior, quia finalis causa est omnium prima.

124 Ad argumentum eiusdem Caietan. concessa maiori, distinguenda est minor, quod anima constituatur in ordine essendi formarum substantialium per hoc, quod est esse principium vitæ: nam si intelligatur de vita substantiali,verum est, sed falsum quod de hac intelligatur ab Aristotele definitio posterior:sed intelligitur de vita accidentali,pro vitalibus operationibus. Sic autem accepto principio vitæ adhuc distingui debet, nam si pro radicali, atque remoto accipiatur,concedendum est,quod sit animæ essentiale, esse principium radicale vitalium operationum; sed negandum, quod sic accipiatur in definitione, sed accipitur pro principio formali,& proximo,quod non habet anima per suam essentiam, sed per potentias; ideò non definitur ab Aristotele per essentialia,sed per accidentia, vt ostendimus. Posset tamen definiri per principium radicale operationum essentialiter,& quantum ad hoc cum Caietan. sentimus, vt ex superioribus constat.

QVAESTIO X.

An prior definitio animæ demonstretur ab Aristotele per posteriorem demonstratione à priori, vel à posteriori tantùm.

125 Vnum præsupponit titulus quæstionis,& quærit aliud; præsupponit quidem priorem definitionem,per posteriorem demōstrati ab Aristotele,quod ex principio, & fine secūdi capitis manifestum est; nam in principio præsupponit tanquam certum,definitiones quasdam continere, & tradere causas aliarum,& ideò quasdam se habere ad alias,tanquam conclusiones,per eas, tanquam per principia demonstrabiles. Et iuxta hoc præsuppositum asserit se intendere aliam definitionem animæ tradere, quæ possit esse medium probandi priorem.

126 Hoc autem quod in principio se intendere ait, adimplet in fine textu 24. sic pro-

probans priorem definitionem per posteriorem; omne illud quod est principium, quo viuimus, sentimus, mouemur, & intelligimus primo, est actus primus corporis physici organici potencia vitam habentis: sed anima est principium, quo viuimus, sentimus, mouemur, & intelligimus primo; ergo est actus primus corporis physici, & organici potentia vitam habentis, & intelligeretur se id voluisse demonstrare, concludit secundum caput hisce verbis. *Quod igitur quidam actus est, & ratio potentiam habentis, vel huiusmodi, manifestum ex his*, vnde sequitur contra mentem, & verba Aristotelis atque etiam contra omnes interpretes loquutum esse Auerroem in commentarijs eiusdem capitis asserentem, nullam talem demonstrationem fecisse Aristotel. ad probandam priorem definitionem ex posteriori.

127 Præsupposito igitur, quod prior definitio demonstratur ab Aristotele per posteriorem, quęrit titulus quæstionis, quonam modo demonstretur, videlicet à priori, hoc est tanquam per causam, vel à posteriori, tāquam per effectum?&

Prima opinio asserit à priori per causam demonstrari, ita Philoponus, & Themistius cap. 2 huius lib. Albertus Magnus 2. libro de anima tract. 1. cap. 5. Caietan. cap. 2. quæst. 4. Apollin. cap. 2. eiusdem libro, & Toletus quæstione 3. atque ex recentioribus non pauci. Sed eam non omnes defendunt eodem modo: nam Caietan. ad eam defendendam præsupponit vitere dupliciter sumi posse.

Primo pro gradu substantiali vitæ communi plantis, animalibus, & hominibus.

128 Secundò sumitur pro speciali gradu vitæ vegetatiuæ, quo distinguuntur plantæ ab animalibus. Et in definitione posteriori asserit modo priori sumi, non posteriori, & sensum eiusdem definitionis esse, Anima est principium, quo viuunt quæcumque habent vitam. Quibus verbis sufficienter esset explicata anima in communi, sed addit Aristoteles speciales gradus vitæ, vt communis ratio animæ magis explicaretur.

129 Secundò præsupponit dupliciter etiam intelligi posse, quod anima sit primum principium vitæ, vel de principio secūdum se, hoc est, abstrahente ab actuali, & aptitudinali, vel de principio actuali, & in eadem definitione posteriori non sumi hoc modo posteriori, sed priori tantùm.

130 Quibus suppositis probat priorem definitionem demonstrari à priori per posteriorem, testimonio Arist. qui in initio 2. cap. proposuit se velle tradere aliam definitionem animæ continentem causam prioris, quia prior, inquit solum dicit, quòd est, nempe, quòd anima est actus corporis oportet autem reddere causam propter quam sit actus corporis, quod præstabit, inquit, definitio posterior; ergo cum per hanc demōstretur illa, sequitur sentire Aristotelem, quod per causam, & à priori demonstretur.

131 Probat deinde ratione, quia prius est, quod res aliqua sit in se, & secundum se talis, & per tale esse, quod in se habet, habeat talem sedem, & ordinem cum alijs in hoc modo, quā quod sit perfectiua alterius rei, sicut prius est, quod cœlum per suum esse sit supremum corpus in mundo, quā quod per idem esse proprium sit perfectiuum inferiorem corporum, sed anima habet duo, vnum est, quod sit principium, seu ratio totius vitæ, aliud, quod sit actus corporis, & illud constituit etiam in tali ordine rerum, hoc est in primo loco, & sede formarum, quia ex eo, quod est primum principium vitæ, superat omnes inferiores formas, & primum locum perfectionis inter eas obtinet: per hoc verò, quod anima est actus corporis solum habet esse perfectiuum alterius, nempe materiæ actuando illam, ergò ratio principij totius vitæ prius conuenit animæ, quā ratio actuādi materiam; sed hæc explicatur per priorem definitionem, & illa per posteriorem; ergò hęc secunda definitio continet priorem rationem animæ, prima verò posteriorem, & ex consequenti à priori demōstrabitur per posteriorem prior.

132 Cæteri verò omnes citati pro illa, & præter illos Conimb. c. 2 huius li q. vnic. art. 2. alio modo longè diuerso eam defendunt, præsupponentes ex mente, & verbis Arist. quod posterior definitio assignata sit per operationes vitales, quas dupliciter considerari posse aiunt, tanquam effectus eiusdē animæ, deinde tanquam finem cuius gratia informat corpus. Certum namque est animam ideò informare corpus, vt per illud operetur, aut in illo habeat operationes vitales, & licet considerata ratione effectus in operationib. posteriores sint anima ipsa, eiusque informatione, sed considerata ratione

finis sunt priores, quia cum gratia earum informet corpus, finis informandi, & actuandi sunt, & in genere causæ finalis priores.

133 Quod præsertim verum est; cum finis non solum sit causa, sed omnium causarũ prima, ideò asserunt secũdam definitionem per operationes vitales traditam continere causam finalem primæ, & proinde eam à priori demonstrare. Probant testimonijs Arist. qui 2. lib. de cœlo, & mundo, textu 17. vniuersaliter docet, quamlibet rem factam esse, & tali modo factam propter aliquam operationem, vt cœlum tale factum est, vt tales habeat operationes circa hæc inferiora; imò & homo ipse rationalis est, vt sit capax beatitudinis, quæ operatio quędam eius est, in qua vltimus finis eius consistit. Ex quibus colligunt animam esse actum corporis, ipsumq; informare, vt tales operationes in illo, aut per illud habeat; ergò operationes ipsæ respectu informationis, imò respectu ipsiusmet animæ rationẽ finis habent, & consequenter secunda definitio per eas assignata causam finalem primæ continet, quæ per actuationem, seu informationem traditur, & a priori eam demonstrabit.

134 Secunda opinio asserit Aristotelem demonstrasse priorem definitionem animæ per hanc posteriorem, non tanquã per causã, neq; à priori, sed à posteriori. Ita D.Th. lect. 3. & plures etiam ex recentiorib. quod probant ex verbis eiusdem Arist. in eodem principio 2.c. asserentis talẽ esse sibi tradendam definitionem secundam, quæ contineat causam primæ, per quam appareat, quasi dicat, per quam à nobis cognoscatur: nam apparere aliquid solum dicitur respectu nostrę cognitionis; ergo solũ intendit definire animam per notiora nobis, qualia sunt operationes, & effectus, & consequenter tali definitione quæ solum sit prior quo ad nos, solumq; demonstret primam à posteriori. Textu etiam 36. & 37. huius secundi libri expressè docet, & probat animam in triplici genere esse causam, videlicet in genere causæ formalis, in quantum est forma, & essentia animatorum corporum, in genere causæ efficiẽtis, in quantum est principium vnde motus, id est, à quo operationes vitales procedũt, & in genere causæ finalis, in quantum ad eam non solùm operationes ipsæ: sed corpus, in quo, & per quod exercentur, ordinatur: nam gratia animæ corpus est; & gratia eiusdem animæ fiunt operationes per ipsum, & in ipso, repugnat ergo apud Arist. quod operationes sint causa formalis animæ, & consequenter quod definitio per eas tradita contineat causam finalem alterius definitionis, per quã definitur anima tanquam actus corporis, & consequenter repugnabit, quod hæc demonstretur per illam à priori per causam finalẽ.

135 Probant deinde ratione, quia secunda definitio traditur per operationes, vt cõcedit prima opinio, sed operationes sub quacunque consideratione sunt posteriores anima ipsa, atque actuatione, seu informatione eius; ergo secunda definitio per eas assignata nullo modo potest demonstrare primam à priori, sed omnibus modis à posteriori. Probatur minor, quia duob. tantùm modis possunt considerari operationes vitales, vel tanquam effectus, & hoc modo constat esse posteriores anima, & informatione eius, vt aduersarij concedunt; vel per modum finis, & hoc etiam modo sunt posteriores, quod sic probo, substantia est finis accidentium, sed operationes sunt accidentia animæ; ergo est finis earum, & ideò erũt posteriores eadem anima in eodem genere finalis causæ. Probatur antecedens, quia accidentia quæcunque sunt propter substantiam: cum sint aliquid eius, & ad ornatum proprium sint ei concessa à natura, ergo finis eorum est. Probatur secundo etiam in particulari ex eisdem operationibus secundum se, quia compositum, & anima operantur, vt per operationes se perficiant, & non propter easdem operationes secundum se acceptas, ergo licet proximè ordinetur vtrunque ad operationes, sed operationes ipsæ ordinantur ad perfectionem vtriusque: vnde sequitur animam, & compositum per operationes sunt, & in genere finalis causæ, tam ipsam, quam compositum priora esse natura eisdem operationibus; repugnat igitur, quod per operationes possit demonstrari à priori anima, vel informatio eius in genere finalis causæ, neque vllo alio modo, nam finis debet esse perfectior his, quæ ordinantur ad ipsum.

136 Nostra sententia tria asserit: Primum, *quod si operationes in definitione animæ sumantur vt effectus, non sit demonstratio primæ definitionis per secundam à priori per causam, sed solum à posteriori per effectum, in quo conueniunt omnes.*

Et

Et probatur hoc argumento: esse est prius natura, quam operari: ergo animā esse principium essendi prius natura est, quàm esse principium operandi, quamuis de principio radicali intelligatur. Et ideò prima definitio priorem rationem animæ continebit, secunda verò posteriorem (etiam si vtraque dicatur quidditatiua) & prima non potest demonstrari per secundam à priori, sed à posteriori quasi per effectum.

137 Asserit secundo nostra sententia contra Caietan. *quod etiam si viuere accipiatur in secunda definitione pro gradu substantiali vitæ, communi vitæ vegetatiuæ, sensitiuæ & intellectiuæ, non potest demonstrari per eam prima definitio à priori, sed solum à posteriori.*

138 Probatur efficaciter hoc argumento. Ita se habent duo hæc in anima, videlicet esse actum primum, & esse principium vitæ substantialis, vt substantialis vita sit effectus formalis animę, quem corpori tribuit esse autem formam, vel actum corporis sit causalitas, per quam eadem anima eundem effectum vitæ tribuit, nam esse actum primum corporis idem est ac informare illud, aut illi vniri per informationem, informatio verò, vt in primo libro Physicor. ostendimus, est causalitas formæ: sed per causalitatem constituitur forma causa formalis in actu, & causa formalis in actu, est prior suo effectu, cum procedat ab ea, vt constituta in actu causandi; ergo informatio, vel quod idem est, animam esse actum primum corporis, prior est effectu vitæ, cuius anima est causa formalis, & ex consequenti prius erit animam esse informatiuam corporis, quàm esse principium vitæ eiusdem, & secunda definitio explicans animam, vt principium vitæ substantialis (secundum Caiet.) continebit posteriorem rationem animæ, per quam demonstrabitur prima à posteriori.

139 Tertium quod asserimus est, *Operationes vitales in definitione animæ accipi posse per modum causæ finalis, & si ita accipiantur, continebit eadem definitio aliquo modo causam finalem prioris, & in hoc sensu demonstratio prioris per posteriorē erit à priori per causam.* Quod prius declarandum est, deinde probandum.

Pro declaratione igitur adnotandum est, operationes vitales duo habere, & quod sint effectus animæ informantis, & quod sint accidentia eius, aut totius compositi per eam constituti, & secundum vtramque rationem euidens est, non solum quòd posteriores sint eadem anima, vel composito in genere causæ efficientis, & materialis, absque dubio ex mente Aristotelis, sed etiam in genere causæ finalis, vt in posteriori testimonio citato pro secunda opinione docuit idem Aristotil. & si hæc duo tantum consideranda essent in eis, vera esset eadem secunda sententia, & argumenta in fauorem eius præiacta conuincerent, quod demonstratio primę definitionis per secundam non esset vllo modo à priori per causam, sed à posteriori per effectum.

Sed quia aliud considerari potest, & debet, uidelicet animam informantem corpus, & compositum ab ea constitutum duplicem statum habere, prior est imperfectus, vt sumuntur solum secundum rationem substantialem nondum perfectam per operationes; posterior verò perfectus, vt considerantur iam perfecta per easdem operationes vitales, & quamuis perfectio hæc sit accidentalis, est tamen maxima, quia si substantiā consideremus nudam omni accidente, imperfectissimum habebit statum.

140 Quod ergo anima sit actus primus corporis, ordinatur tanquam in finem, non quidem vltimum atque totalem, sed proximum ad constitutionem substantialem compositi. Quod verò sit principium operationum vitalium per potentias vitales, ordinatur ad idemmet compositum, vt per eas perfectum, imò ad esse proprium eiusdem animæ per easdem operationes perfectum in corpore tanquam ad finem vltimum.

141 Itaque finis vltimatus, atque completus animæ, imo & compositi est compositum ipsum, & anima ipsa, vt vtrumque sumitur, vt habens statum perfectum per operationes, hic autem finis completus componitur ex fine cuius, & fine cui, finis cui sunt anima informans, atque compositum secundum statum imperfectum considerata, finis verò cuius sunt operationes vtrumque perficientes, quæ respectu compositi, & animæ sub eodem statu imperfecto, ratione potius mediorum, quàm finis habent, & ideo posteriores sunt in genere causæ finalis, nihilominus sunt aliquid totius completi finis, qui ex anima informante, aut composito, & eiusdem operationibus constat: & cum tam anima informans, quàm compositum per informationem constitutum secundum statum im-

imperfectum ordinentur ad eundem completum finem, consequenter ordinantur aliquo modo ad operationes vitales, tanquam ad aliquid eiusdem completi finis, & ideò sub hac ratione formali, qua aliquid sunt eiusdem completi finis, rationem habent finalis causæ comparatæ ad animam informantem, & compositum, vt in statu imperfecto consideratum, & ideo aliquam rationem prioritatis: & prior quidem definitio solùm explicat essentiam animæ, vt in statu imperfecto, quia solum dicit informationem corporis, & constitutionem substantialem eius, nihil continens de operationibus, per quas tam ipsa, quàm compositum perficiuntur, statumque perfectum comparant.

142 Definitio verò posterior explicat essentiam animæ, vt perfectam per operationes, ad quam ordinatur eadem ipsa anima, vt in statu imperfecto considerata, atque explicata per priorem definitionem tanquam ad finem, cuius aliquid sunt operationes ipsæ, nempe complementum accidentale, & ideò ex parte earum aliquid finalis causæ continet posterior definitio respectu prioris, quod satis est, vt eam à priori demonstret.

Et ex hac doctrina, non solùm vera, sed necessaria, (quam absque dubio non sunt assecuti Iuniores illi qui sequuntur secundam sententiam) ratio satis efficax contra eam, & pro nostra formari potest hoc modo.

143 Animam esse actum primum, vel formam corporis, qua ratione explicatur per priorem definitionem, ordinatur ad cōpositum secundum statum imperfectū sumptum, hoc est, nondum perfectum per operationes tanquam ad finem, & eadem informatio animæ, idemque compositum vt considerantur nondum perfecta per operationes vitales; ordinantur ad semetipsa, vt perfecta per easdem operationes, ita vt compositum perfectum per operationes sit, completus finis compositus ex fine cuius, qui sunt operationes, & ex fine cui, qui est compositum ipsum, & anima ipsa informans secundum statum imperfectum considerata; ergo operationes vitales pertinent ad finem completum, immo sunt quasi complementum eius, in quem finem completum ordinatur anima informans secundū statum imperfectum, hoc est, nondū perfecta per operationes: quo pacto explicatur per priorem definitionem, & compositum, vt ab ea constitutum, etiam secundum eundem statū imperfectum: ergo ordinantur ad operationes in quantum sunt aliquid eiusdem finis completi: sed operationes explicantur per posteriorem definitionem: ergo prima definitio ordinatur ad secundam tanquam ad finem: & ideò demonstratur per illam ab Arist. vt per causam finalem, & à priori in hoc genere causæ.

144 Probatur secundo ratione Theologica, quia negari non potest, quod beatitudo supernaturalis sit finis vltimus hominis: sed beatitudo consistit in operatione elicita ab anima, & ideò vitali: ergo negari nō potest, quod operatio vitalis sit finis animæ, vel aliquid saltem completi finis eius, si ponatur tanquam finis completus anima ipsa, vt perfecta per beatitudinem: bene ergo demonstrabitur definitio hominis, nempe, *animal rationale*, per aliam, quod sit *capax beatitudinis*, & à priori quidem secundum genus causæ finalis, licet contineat operationem eiusdem hominis, quæ est formalis beatitudo; pari ergo ratione demonstrabitur à priori definitio prior animæ per posteriorem, quamuis operationes eiusdem animæ contineantem.

Ad fundamentum Caietan negandum est primò, quod Arist. sumat in definitione *viuere*, pro gradu essentiali vitæ communi vegetabilibus, sensitiuis, & intellectiuis, sed sumit pro operatione vegetandi in speciali, vt ex contextu eiusdem loci, immo ex toto 2. c constat.

145 Secundo respondetur, quod etiam si *viuere* accipere pro gradu substantiali vitæ quibuscunque viuentibus communi, adhuc non probaretur hac via, quod demonstratio esset à priori, quia prius est animam informare corpus, aut esse informatiuam, quam esse actum formalem substantialis vitæ communis, vt probatum est à nobis in 3. assertione nostra.

146 Ad testimonium Aristotelis, quod pro se attulit Caiet. iam respondimus q. præced. quod loquitur Arist. de causa, non formali, sed finali, quam tradidit per secundam definitionem, per quam à priori demonstrauit primam prioritate eiusdem causæ finalis, non formalis.

Ad

147 Ad argumentum eiusdem Caiet. distinguenda est maior, quod prius sit reũ esse talem, & habere talem ordinem cum cæteris in mundo, quam quod sit perfectiua alterius: nam in rebus completis verum est, quia tantum possunt perficere alia accidentaliter hoc est, per suam operationem, & prius est, quod in se sint completę per proprium esse, quam quod operentur, & operando perficiant alia, in rebus verò essentialiter incompletis, & partialibus, non est verum, quia per propriã essentiam sunt perfectiuæ alterius, quare in his simul est, & nullo modo prius habere talem ordinem cum alijs reb. in mũdo per proprium esse, & per idemmet esse perfectiua aliorum, & talis est anima, cùm sit per essentiam propriam pars alterius, & forma perfectiua materiæ ad componendum cum ea compositum; quare falsum est, quod prius sit in se, & per se principiũ totius vitę, per quod tenet primum locum inter formas substantiales, quàm quod sit perfectiua materiæ, aut corporis, quod est esse actum primum eius, imò cum eius esse sit incompletũ, & perfectiuum alterius, non potest intelligi, quod per illud sit principiũ totius vitæ, quin intelligatur eo ipso, quod sit actus, & forma alterius, & ideò perfectiua illius, imò cum per informationem, & nõ aliter tribuat corpori effectum formalem vitæ, prius est, quod sit informatiua corporis, quàm principium vitæ eius, vt in 2. conclusione efficaciter probatum est contra eundem Caiet. propterea non potest hac via defendi, quod prima definitio demonstretur per secundam à priori.

104 Ad primum testimonium, quod pro se affert 2. sententia, respondeo operationes vtrumque habere diuerso modo consideratas, & rationem effectus, & rationem finis, & sub ratione effectus priores, & notiores sunt, quoad nos, & propterea Arist. duo promisit se ostẽsurum de prima definitione per secundam, videlicet causam eius in esse, & apparere, & vtrumque præstitit definiendo animam per operationes, quæ vt sunt finis eiusdem animæ, causam essendi continent: & vt sunt effectus causam cognoscendi tantum, & ideo demonstratio primæ definitionis per secundam, causam eius tradit, simulque facit eam nobis apparere, in quantum eadẽ ipsa causa alia ratione est effectus, non enim repugnat vtramq; rationem simul concurrere in causa fin. vt ostẽdimus 2. li. physic.

Vt autem intelligatur sensus alterius testimonij, adnotandum est, operationes vitales respectu animæ, & compositi duplicẽ rationem habere diuerso modo consideratas: nã & ad animam, & compositum ordinantur tãquam ad finem, & finis etiam eorum sunt, in quantum enim per illas anima informãs atque compositum tendunt in propriam perfectionem media sunt, per quæ eam consequuntur, anima verò & compositum in cõsideratione hac habent rationem finis earũ, sed in quantum sunt complementum totalis finis, videlicet eiusdẽ animæ, atque eiusdẽ compositi, vt per operationes perfecti, ratio nem causæ finalis habent, cuius gratia anima informat corpus, & corpus ipsum per eam constituitur, quare posterior definitio explicans animam, habet perfectam rationem.

Ad primum argumentum eiusdem sentẽtiæ neganda est minor, quod operationes vitales sub quacunq; consideratione sint posteriores anima, & informatione eius; & cũ dicitur esse accidentia animæ, concedẽdum est, quod verò ex hoc infertur, in genere causæ finalis esse posteriores, quia substantia est finis accidentium, distinguendum: nam in quantum per accidentia, quæ sunt operationes, consequitur propriam perfectionem, verum est, sed in quantum eędem operationes sunt aliquid completi finis, videlicet eiusdẽ animę, vt per eas perfectæ, rationem finalis causæ habent comparatæ ad eandem animã sub imperfecto statu tendentem ad huiusmodi completum finem, & ideò secunda definitio tradita per eas ita consideratas, causam finalem continet primæ traditæ per informationem quæ imperfectum statum animæ continet, nondum per operationes perfectæ.

149 Ad 2. concedenda sunt omnia, quæ in antecedente sumuntur, nempe animã, & informationem eius esse propter compositũ atque etiam animam, & compositum operari, vt assequantur propriam perfectionem, & ideò in hoc sensu, esse finem, in quem ordinãtur operationes, & operationes media, per quæ eandem perfectionem assequuntur, sed eædem operationes sunt aliquid eiusdẽ completi finis. Anima sub vna ratione finis est operationum vitalium, & sub alia eas habet pro fine, non totali, & completo, sed pro fine cuius, hoc est, pro ratione, & complemento, quo constituitur completus finis,

ex fine cui, & cuius, vt iam fuit à nobis expositum

130 Aliud verò, quod additur in eodem argument. nempe operationes esse imperfectiores anima, & composito concedendum est, sed negandum, quod infertur nullo modo posse esse finem eius: quia vt aliquid sit finis principalis, vel completus, necesse est, quod sit perfectius re illa cuius finis est, vt autem sit aliqua ratio, vel complementum eiusdem finis, non est necessarium, sed satis est si sit aliqua perfectio eius, licet eo simpliciter imperfectior. Et ratio eius est, quia id quod perfectius est, potest aliquo modo perfici per aliquid minus perfectum, vt substātia perficitur per accidentia sibi propria: & ita anima, & compositum per proprias operationes. Nec D.Thom. aliquid sentit contra nostram sententiam, quia operationes vitales in definitione animæ solum accipit tanquam effectus eiusdem animę iuxta primam assertionem nostram, quare in fauorem potius nostræ citari potest, quàm pro sententia opposita.

CAPVT III.

TEXTVS ARIST.

Potentiarum autem animę quæ dictę sunt, alijs quidem insunt omnes, &c.

Breuis expositio Textus.

1 INtentum Arist in hoc cap. 3. est distinguere gradus potentiarum vitalium, & consequenter operationum, vt intelligatur ordo, quo de illis in particulari sibi agendum sit in consequentibus. Diuiditur autem c in tres partes; in prima enumerat potentias vitales, & comparat eas cum viuentibus, quibus conueniunt, atque ex vtroq; colligit numerum graduum viuentium. In secunda comparat species animarum, quarū sunt omnes potentiæ vitales ad definitiones animæ duobus capitibus pręcedentibus designatas. Et tandem in vltima magis in particulari enumerat gradus viuentium.

2 Potentiæ vitales (inquit Arist.) quinque sunt, videlicet, vegetatiuum, sensitiuum, appetitiuum, loco motiuum, & intellectiuum, sed principia quibus emanat, & quorum dicuntur esse propria, quæ sunt viuentia ipsa, tantum sunt quatuor, quia appetitiuum, & sensitiuum non separantur, sed necessariò coniuncta sunt in eodem. Primus itaque gradus viuentium est vegetatiuus, à quo emanat prima potentia vitalis, quæ nutritiua vocatur. Secundus gradus est sensitiuus, à quo duæ potentiæ vitales emanant: in eoque necessariò coniunguntur, nempe sensitiua, & appetitiua, propterea appetitiua nō distinguit nouum gradum viuentis, sed ad eundem gradum sensitiuum pertinet: quod probat duplici ratione, præmissa tamen diuisione appetitus in sensitiuum, & rationalem, rationalis est, qui sequitur cognitionem intellectus; sensitiuus, qui sequitur cognitionem sensus; omnis enim appetitus præsupponit, ac sequitur aliquam cognitionem, quia appetitus est potentia cæca, quæ per modum inclinationis fertur in bonum, quare necessariò indiget, vt ei proponatur per potentiam cognoscitiuam idem bonum, & si cognitio per quam proponitur sit intellectiua, appetitus vocatur rationalis, & est voluntas, si sensitiua, dicitur appetitus sensitiuus, & iste est, qui coniungitur necessariò cū potentia sensitiua, & pertinet ad eundem gradum vitæ sensitiuæ.

3 Habet autem duplicem partem, videlicet concupiscibilem, per quam tendit in bonum, ipsumque amplectitur, & irascibilem, per quam impedimenta tollit, quæ se offerunt in prosecutione eius.

Quibus præsuppositis, probat 1. quod appetitiuum necessario coniungatur cum sensitiuo hoc modo: Omne sensitiuum, vt minimum habet sensum tactus, quamuis cæteris careat, sed sensum tactus sequitur necessariò appetitus: ergò duæ istæ potentiæ necessariò coniunguntur in eodem gradu sentiendi. Maiorem sic probat, & explicat, alimentum est necessarium ad conseruandam vitam, ergò cum omne sensitiuum viuat, & ducatur in suis operationib. sensu, necessariò debet cognoscere, ac discernere alimētū sibi cōueniens, vt ita illud sibi sumere possit, sed per sensum tactus illud discernit; ergò hunc saltē necessario habere dēt, etiā si cæt. careat & propterea vocatur tactus sensus alimenti,

4 Minorem verò probat, quia experientia
constat tangendo nos sentire dolorem, aut vo
luptatem, qui sunt actus appetitus, & propte
rea appetitus ipse necessario, & per se coniun-
ctus est cum sensu Quod rursus probat, quia
qualitates propriæ alimenti, vt calidum, fri-
gidum, humidum, & sic cum sunt obiecta ta-
ctus: ergo per tactum discernitur alimentũ:
Deinde, quibus conuenit sensus alimenti,
conuenit fames, & sitis, quæ circa idem ali-
mentum versantur: ergo cuicunq; animali
inest fames, & sitis, quæ sunt appetitus cibi,
& potus; quare necesse est cuicunq; animali
inesse appetitum, & ideò appetitiuum non
distinguit alium gradum viuentis à sensitiuo.
Tertius gradus viuentium est eorum, qui vl-
tra vegetationem, sensum, & appetitum ha-
bent potentiam, qua possunt se mouere mo-
tu progressiuo: hoc enim non inest omnibus
animalibus: nam quædam sunt, quæ non mo
uentur motu progressiuo, sed perpetuo sunt
lapidibus affixa, quamuis motum dilatatio-
nis, & constrictionis habeant viuentibus
proprium.

Quartus gradus est eorum, quæ præter prædicta omnia habent cogitatiuum, & intellectiuum, hoc est, intellectum discurrentem, & simpliciter intelligentem, & ad hunc gradum pertinent homines (inquit) Aristot. & si quid est aliud altius, aut melius homine: quod addit propter quosdam existimantes, cœlos esse animatos, & intelligentias esse corporeas, ideò habere intellectum in corpore. Sed dubitare potest aliquis, quonam modo se habeant prædictæ definitiones animæ assignatæ ad omnes hos gradus animatorum, an definiatur per illas aliqua ratio cõmunis animæ, & consequenter omnibus his animatis, vel non.

5 Et respondet non definiri aliquid commune realiter separatum ab speciebus animarum, quia nec datur, nec dari potest, sed a solo Platone falsò fuit excogitatum, & alijs locis ab eodem Aristot. impugnatum: sed definitur communis ratio animæ sola ratione distincta ab speciebus animarum, & in eisdem realiter existens

Enumerat tandem magis in particulari gradus, vel species animarum, atq; animatorum, docens, quonam modo se habeant inter se se, quod explicat exemplo figurarum sic se habentium, vt posteriores sint perfectiores prioribus, easq; includant quadam ratione virtuali, sicut pentagonus perfectior est tetragono, & trigono, & eas includit, atque etiam tetragonus perfectior est trigono: eúque includit, trigonus verò sicut est prior, sic est imperfectior, & in duobus posterioribus includitur. Ita ait se habere gradus animarum, nam vegetatiua est prior, & ideò imperfectior: sensitiua perfectior, eamq; virtute includens: cum euidens sit præstare operationes eius, & tandem intellectiua vtraque perfectior, & vtramq; includens: cum præter operationes sibi proprias omnes operationes vtriusq; præstet.

6 Et ideo asserit considerandum esse qualiter sit anima in vnoquoq; viuente, nam in plantis est sola vegetatiua, nihil aliud includens: in animalibus sensitiua virtute includens vegetatiuam, & in hominibus rationalis, virtute continens vtramque.

6 Et licet tres sint tantum species animæ, consideratis tamen operationibus, & potentijs vitalibus, & modo, quo separatæ possunt reperiri, quinq; gradus viuentium posse distingui asserit, licet solum hucusq; enumerauerit quatuor. Primus est vegetatiuus, de quo cõstat reperiri in plantis separatum ab alijs. Secundus sensitiuus admodum imperfectus, vt minimum habens sensum tactus, sed continens virtute vegetatiuum. Tertius sensitiuus perfectus habens alios sensus præter tactum. Quartus eorum animalium, quæ præter sensus omnes habent motum localem progressiuum. Vltimus eorum quæ præter prædicta omnia intellectum, & rationem habent: & tale animal est homo. De his omnibus viuentium gradibus tandem docet, quod posteriora a prioribus non separantur bene tamen priora a posterioribus: & ratio est manifesta, quia posteriora includunt priora, & propterea repugnat ab eis separari; priora vero non includunt posteriora, & ideo necesse est separari ab eis.

✠

TRA-

TRACTATVS
DE PLVRALITATE Animarum, & animatorum.

QVÆSTIO I.

An tres ſint tantum ſpecies animarum, quatuor gradus animatorum, & quinque genera potentiarum.

7 ARiſtoteles in præſenti cap. Tres diuiſiones conſtituit, animarum vnam, potentiarum vitalium alteram, & animatorum tertiam.

Prima autem diuiſio talis eſt: anima in communi ſumpta alia eſt vegetatiua, quæ repetitur in plantis: alia ſenſitiua, quæ reperitur in animalibus, & alia rationalis, quæ reperitur in hominibus.

Secunda diuiſio ſic habet, potentia vitalis in communi ſumpta alia eſt vegetatiua, alia ſenſitiua, alia appetitiua, alia loco motiua, & alia intellectiua.

Tertia diuiſio animatorum eſt: aliud eſt vegetatiuum, vt plantæ: aliud ſenſitiuum habens ſenſum, & appetitum tantum, vt animalia imperfecta lapidib. affixa: aliud loco motiuum habens præter ſenſum, & appetitum aliam potentiam vitalem, per quam moueri poteſt motu progreſſiuo: aliud tandem rationale, vt homo.

Has autem diuiſiones ſigillatim examinare, atque explicare oportet.

7 Et circa primam diuiſionem poteſt eſſe dubium de anima vegetatiua, & ſenſitiua, an ſint veræ animæ: nam de rationali ſuperius probauimus eſſe veram formam, veramque animam. Fuit igitur ſententia Stoicorum, quam referunt Plutar. lib. 5. de placitis philoſophorum cap. 26. Clemens Alex. 8. lib. Stromatum, & Galen. in lib. naturalium facultatum, negantium plantas viuere, quia appetitu carent, & ideò ſolum ponentium duo animarum genera, nempe ſenſitiuam, & rationalem, quia vegetatiua non ſeparatur a ſenſitiua, & ideò non diſtinguit aliud genus animæ.

9 Et huius ſententiæ non ſolum meminit D. Auguſt ſed eam videtur ſequi lib. de ſpiritu, & anima cap. 8. & 13. & lib. 7. ſuper Geneſim ad literam cap. 16. & 17, vbi explicans verba illa, *Inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ* (ita ait) *ſi nobis tantum in eſſet motus plantarum, non diceretur homo factus in animam viuentem.*

Sentit ergo animam vegetatiuam plantarũ non eſſe veram, Ex oppoſito vero Plato in Timæo non ſolum viuere, ſed ſentire docuit plantas, vt etiam teſtatur Theodoretus lib. 5. de curandis Græcis affectionibus, & ſolum differre ab animalibus, quia hæc quaſi acutiorem, ac vigilantem ſenſum habeant, plantæ vero obtuſum, & quaſi dormien-

miëntem. Imò Empedocles, Anaxagoras, atq; Democritus non solum sensum, sed mentem seu intellectum videntur eis tribuere, vt refertur 1. lib. de plantis cap. 1. Ab hac verò sententia Platonis non multum videntur dif serre Pythagorçi, qui non solum sensum, sed appetitum quoque tribuebant perfectioribus plantis.

Fundamentum Platonis fuisse dicitur, quia plantæ videntur distinguere vtiles succos ab inutilibus: nam illos attrahunt, hos verò porius respuunt, vt varijs experientijs intelligi potest.

10 Præterea arbores quædam cernuntur, quæ fructu omninò, imò omni prorsus fecunditate carent, nisi situm in certa distantia habentes, à qua mutuo se respiciant, & proptereà nominibus maris, ac fœminæ designantur. Pythagoræi verò ita videntur sensisse, quia arbores quædam, si pugnantur, vel secentur lachrymas quasdam videntur effundere, quod videtur eis propter dolorem accidere, dolor vero actus appetitus est, & ideo sensum suum videntur ostendere. Vtramq; nihilominus sententiam referens D. August. in lib. de quantitate animæ ca. 35. eam rusticanam impietatem vocat propter Manichæorum errorem, qui, vt testatur ipse in libro de hęresibus, hæresi 46. non solū plantis sensum tribuebant, sed etiam rationalem animam, contra quem errorem copiose scripsit lib. 2. de moribus Manich, c. 17.

Hæc tamen triplex positio error est in philosophia.

Probatur, quia euidens est distingui res quæ viuunt a non viuentibus, quia illæ sunt animatæ, hæ verò non habent animam, sed aliam formam ordinis inferioris, vt lapides: sed euidens est plantas viuere: ergo euidens est habere animam: deinde euidens est non habere sensum, nec appetitum: ergo euidens est dari aliquam animam, quæ non sit sensitiua, nec rationalis, & hæc dicitur vegetatiua constituens primum genus animatum.

11 Probatur prior pars minoris aduersus Stoicos, quod plantæ viuant. Primo ex verbis sacræ paginæ, nam primæ ad Corint. 15. inquit Paulus. *Quod seminas non viuificatur, nisi prius moriatur.*

Et Ioannis 12. *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, &c.* Vnde non solum communis consensus philosophicę scholæ id tenet cum Arist. 2. lib. de anima text. 6. & 2. lib. de partibus anim. cap. 10. Sed etiam scholæ Theologicæ cum D. Dionys. cap. 6 de diuinis nominibus, & D. Aug. 11. lib. de Ciu. Dei cap. 16. Vnde, quod alio loco citato afferit, vel eius nō est, sicut nec liber ille, vel dum vitam negat plantis, de sensitiua intelligit, quæ nomine vitæ intelligi solet.

Probatur deinde ratione: nam viuentia distinguuntur a non viuentibus, vt euidens experientia docet, quia viuentia nutriuntur propriè, & augentur, hoc est, per intussumptionem, & secundum omnes partes: nam alimentum, quod est succus terræ, per radices attrahunt, & sua virtute intrinseca per omnes partes proprij corporis distribuunt, & in omnibus, & singulis propria etiam virtute conuertunt in propriam substantiam, quod constat non habere corpora inferiora: ergo euidens est plantas viuere, & habere animam, & eis id negare error philosophicus.

12 Probatur posterior pars eiusdem minoris aduersus Platonē, & Pythagoreos, quod non habeant sensum, nec appetitum: quia euidens experientia docet nullum esse animal quantumlibet imperfectum sensum, & appetitum habens, quod si pugnatur, non tribuat aliquod doloris signum se contrahendo vel alio modo se mouendo, vt spongia, & coclea ostendunt.

Plantæ verò, etiam si scindantur, nihil horum ostendunt: ergo nec intelligi potest vitam sensitiuam, & appetitum habere: merito ergo docuit Aristot. 3 lib. de anima, c. 12. textu 66. plantarum naturam admodum terrestrem esse, & proptereà ineptam prorsus ad sensum.

Prætereà experientia docet in omnibus sentientibus dari vigiliam, & somnum, quibus carere plantas videmus, & ideo non est minus euidens carere anima sensitiua.

Argumentum vero, quæ pro eisdem positionibus obiecta sunt, difficultate carent: nā quod vtiles succos attrahant, & inutiles reijciant, non prouenit ex aliqua cognitione sensus, sed ex virtute vitali, ac naturali attrahente illos, & expellente hos.

13 Prosequutio verò circa salutaria, & fuga circa noxia quæ eis in esse videtur, ex interna, ac naturali antipathia, & sympathia oritur, & suo etiam modo fœcunditas, quam iuxta posita habent, aut sterilitas quam ad maximam distantiam incurrunt, & propte-

reà

reà nomina maris, & fœminæ penitus sunt translatitia, tanquam certum igitur debet esse, dari animam vegetatiuam separatam a sensitiua, & intellectiua, vt c. præsenti docet Arist. & cum eo omnes.

Sed adhuc qui eam admittunt, non omnes recipiunt eandem primam diuisionem animæ in tria genera tantum, sed quidam aliud genus animæ addere debuisse Aristotelem putant, ita vt quatuor genera animarum distingueret, nempe vegetatiuæ, sensitiuæ, atq; intellectiuæ: sicut distinxit quatuor gradus animatorum. Ita Ægidius, & Gaietanus capite præsenti. Quod ita probant: animatum constituitur per animam: sed quatuor gradus animatorum ponit Arist. ergò quatuor genera animarum distinguere debet. Quod enim potentia loco motiua distinguatur ab alijs, non sufficit ad distinguendum quartum gradum viuentium, cum ab eodem genere animæ sensitiuæ oriatur, nam ab eodem oriuntur omnes potentiæ sensitiuæ, & diuersum gradum viuentium non constituunt, quare si distinguit diuersum, a diuersa anima oriri debet, & ita distinguentur quatuor genera animarum, vel non erunt distinguendi quatuor gradus animatorum.

14 Secunda opinio ex opposito tenens tria tantum esse animarum genera, consequenter asserit tres solum distinguendos esse gradus viuentium. Ita Viguerius tractatu 1. de anima.

Probat, quia sola separatio potentiæ loco motiuæ a cęteris, nō sufficit distinguere quartum gradum animatorum, supposito, quod ab eadem anima sensitiua oriatur, sicut potentia sensitiua, nam gradus animatorum ab eisdem animab. accipiunt vnitatē, & distinctionem specificam: ergo non potest distingui quartus gradus animatorum, nisi distinguatur quartum genus animarum, sed tria tantum distinguuntur genera animarum ab Aristotele: ergo tres solum gradus animatorum debuit distinguere.

15 Tertia sententia *distinguit tria tantum animarum genera, potentiarum quinque, & gradus animatorum quatuor in principio quæstionis enumerata*. Ita Arist capite præsenti, D.Th. ibidem, atque etiam 1 parte, quæst. 78. articulo 1. & cum eo cæteri expositores, & hæc est vera, & tenenda. Quæ probari potest præsertim quantum ad primam diuisionem, quæ fundamentum aliarum est ex vtraque defini-tione animæ ab Aristot. assignata cap. 1. & 2. huius libri, & a nobis explicata.

Nam anima vegetatiua plantarum distinguitur specie ab anima sensitiua brutorum vt euidenter ostendunt operationes specie diuersæ vtriusque. Ex quibus etiam probatur euidenter, quod anima rationalis sit specie distincta ab anima brutorum, & plantarum, & quęlibet harum animarum datur realiter seperata a cæteris, vt patet in plantis, brutis, & homine: ergo tria sunt distinguenda animarum genera.

Sed cum ea distinguimus generè, vel specie, de incompleta specie, vel genere, ac partiali intelligi debet, non de completa, ac totali, quia cum anima sit pars, non potest completam speciem constituere, sed solum esse partem speciei, vel generis.

Sed neo genere habente sub se plures species, cum constet animam rationalem esse speciem atomam.

Sed tria genera animarum solum significant tres rationes vniuersales animæ, quæ sunt principia trium modorum operandi diuersorum: ita vt sub quolibet contineantur omnes species animæ eodem modo operantes. Sufficientia autem huius diuisionis diuersis modis sumitur, ac explicatur a diuersis. Sed hic modus eam sumendi a nobis excogitatus videtur breuior, clarior, & comprehendens omnes alios, continetur autem hoc discursu.

16 Anima ex sua propria ratione habet esse principium internum, ac radicale vitalis operationis, sed tribus tantum modis vniuersalibus est principium omnium operationum vitalium: ergo tria tantum distingui debent animarum genera.

17 Maiorem probo: nam primo modo, cognitione quidē inferiori est principium internum vitalis operationis, per modum naturæ ad multiplicandam, conseruandam, & augendam vitam per se ordinatum, in his. n. trib. operationib. videlicet generatione sibi similis, per quam multiplicantur viuētia, nutritione per quam conseruantur in eadē vita accepta per generationē, & augmentatione, per quam augentur, euidens est operari animam sine cogitatione, & ideò modo simili, quo operantur cæteræ formæ ac res naturales inferiores, quamuis aliquo modo altiori, quia vitali.

Anima igitur in communi, quę hoc modo infi-

infimo est principium radicale, & internum vitalium operationum, constituit primum genus, ad quod pertinent omnes species animæ: a quibus hoc modo procedunt operationes vitales. Secundum genus constituit anima in communi considerata, in quantum est principium radicale, atque internum operationis vitalis per modum cognitionis imperfectæ, hoc est, sensitiuæ, vel cognitionem sensitiuam consequentis, vt comprehendatur operario appetitus sensitiui ab eadem anima procedens, atque etiam motus progressiuus, qui media eadem cognitione, & appetitu sensitiuo fit. Tertium genus constituit anima, quæ est principium vitalis operationis per modum perfectæ cognitionis, non elicitæ per organum corporeum, nec per potentiam in eo existentem, sed immediatè ab eadem anima, & hæc est sola anima rationalis.

18 Hunc ferè modum sufficientiæ attulit D.Th.1.p.q.78 art.1.explicans eas per diuersos modos operandi animæ secundum maiorem, vel minorem eleuationem a rebus naturalibus non viuentibus, quod idem ferè est, & pariter alij modi ab alijs adducti ad eundem possunt facile referri, sed quia clarior, atq; distinctior, & ideo facilior est hic noster eas omittemus.

Vt autem explicetur diuisio graduum viuentium adnotandum est duobus modis sumi posse viuentia præcisè secundum essentiales gradus vitæ ad inuicem separatos, & hoc modo euidens est tres tantum distingui posse, supposito quod tria tantum distinguuntur genera animarum. Secundo modo sumuntur gradus animatorum non ex solis essentialibus, sed in ordine ad subiecta, nempè animata, in quibus diuersum genus potentiæ vitalis reperitur sine alijs, vel ab eis realiter separatum.

19 Itaq; ex separatione reali distinguuntur ab Aristotele, & alijs expositoribus, vt patet ex principio huius capitis, vbi probauit Arist. appetitiuum nō esse distinctum gradum animatorum a sensitiuo, quia licet potentia appetitiua diuersa sit a sensitiua, non est tamen ab ea separabilis: & propterea ad eundē gradum viuentium cum ea pertinet. Et meritò quidem, quia vitam in his capitibus 2. libri semper sumit pro vita accidentali, nempè pro vitali operatione, vt superius exponētes posteriorem definitionē animæ ostendimus cōtra Caiet. ergo gradus vitæ, seu viuentiū, vel animatorū, qui idē omninò sunt) in ordine ad operationes vitales desumi debuerunt, & nō ex sola ratione essentiali. Quo supposito facile est ostendere quatuor esse, ita vt nec plures sint, nec pauciores, etiā si genera animarū tria tantū sint, & potentiarū quinq;.

20 Ostenditur autē hoc modo: gradus animatorū in quibus reperiuntur potentiæ vegetatiuæ, hoc est, generatiua, nutritiua, & augmentatiua sine sensitiuis, & intellectiuis est infimus, & ideò primus. Secundum verò gradum constituunt animata illa, in quibus reperiuntur potentiæ sensitiuæ cū appetitiua, siue loco motiua, & huiusmodi sunt sensitiua imperfecta, & vocatur gradus sensitiuus. Tertium cōstituit potentia loco motiua separata ab eodem gradu sensitiuo, atq; etiam sine intellectiuo reperta in animalibus perfectis, & quartū potentia intellectiua separata à cęteris in homine. Diuisio tandem potentiarum in quinq; genera, nempe in vegetatiuam, sensitiuam, appetitiuam, loco motiuam, & intellectiuam, ab omnibus recipitur, & ideo a nobis recipienda est. Sumitur autem sufficientia eius non ex ordine ad idem, vel diuersum subiectum animatum: cum euidens sit in eodem reperiri plura, ac diuersa genera potentiarum valde diuersa secundum maiorē perfectionem animę, per quam constituitur, sed sumitur ex eodem modo, vel diuerso operandi, ita vt omnes potentiæ habentes eundem modum operandi constituant idē genus, & diuersum ab eis aliæ habentes diuersum modum operandi, sed quinq; tantum sunt modi operandi diuersi potentiarum vitalium: ergo quinque tantum genera earum distinguenda sunt, sub quibus collocantur omnes.

21 Probatur minor, nam omnes potentiæ vegetatiuæ habent eundem modum operandi sine cognitione, ac per modum aliarū potentiarū inferiorū: ergo cōstituunt primū genus. Et secundum oēs potentiæ sensitiuæ habentes eundem modū operandi imperfectæ cognitionis per organū corporeū, & potentiam in eo existentem, ac per species intentionales ab obiecto sensibili procedentes exercitæ, in quo modo operandi cōueniunt omnes potentiæ sensitiuæ. Potentia verò appetitiua etiam si sit necessariò coniuncta cum sensitiua in eodem animato, diuersissimum habet modum operandi ab ea, nam sensitiua cum sit cognoscitiua, operatur per modum

attrahendi ad se obiectum, quia iste est modus cuiuslibet cognitionis: appetitiua vero non est cognoscitiua, sed operatur per modum inclinationis in bonū sensibile, & propterea distinctum genus potentiarum constituit à sensitiua, atq; etiam ab intellectiua, quod vocatur tertium, comprehendens sub se tam appetitum sensitiuum, quam rationalem, quia licet specie distinguantur, inquantum sensitiuus tēdit in bonum sensibile, hoc est cognitum per sensum, & rationalis in bonum cognitum per rationem, vt intellectum & propterea appellatur voluntas, habent tamen eundem modum operandi per modum inclinationis, & ideo idem genus potentiæ vitalis constituunt.

23 Quartum genus est potentia loco motiua, cuius modum operandi diuersum esse a modo operandi potentiarū sensitiuarum euidens est, nam motum progressiuum efficit anima præcedente operatione sensus, & appetitus per potentiam motiuam in membris ipsis, per quæ mouetur corpus, existentem. Quemadmodum nec habent sensitiuæ potentiæ, nec appetitiuæ: merito ergo distinguit potentia motiua quartum genus potentiarum ab vtroq; diuersum Quintum atq; vltimum genus constituit potentia intellectiua, quia licet in genere cognoscitiuæ potentiæ conueniat cū sensitiuis, longè diuersum modum operandi habet, cum non sit potētia organica, nec actus eius exerceatur per organum corporeum, nec omnino per corpus: quare nec cum dependentia ab eo, nisi quantum ad subministrationem specierum, & obiectorum.

24 Omnis autem sensitiua cognitio actus est alicuius organi corporei, quo dissoluto repugnat operari animam, etiam si per diuinam potentiam permaneret (naturaliter nāque statim corrumpitur:) & hinc procedit aliud discrimen maximum, quod potentiæ sensitiuæ operantur per species materiales, & corporeas, per quas non possunt attingere cognitionē rerum spiritualium, imò nec materialium in vniuersali, sed res tantum sensibiles, & singulares: intellectus vero omnia, & omnibus modis cognoscit, & ideo sensus non sunt scientiarum capaces sicut intellectus. Et ex eodem modo vniuersalissimo cognoscendi, sibi proprio, habet intellectus, quod sit radix, & origo totius libertatis, quod est maxima perfectio eius indicans distinctionem eius a modo operandi sensuum. Et ideò aliud genus a potentijs sensitiuis.

25 Ad argumentum Caiet. & Ægidij concedenda est maior, & minor, sed neganda consequentia, quod quatuor genera animarum distinguere debeat Arist. sicut distinguit quatuor gradus viuentium: nam diuerso modo sumuntur ab eo genera animarum, & gradus viuentium: illa quidem ex solis essentialibus, hæc vero potius ex ordine ad subiecta, hoc est, ad animata, inquantum vnum reperitur in eis separatum ab alijs. Et cum quatuor sint animata, in quibus diuersum genus potentiarum reperitur separatum, licet tria sint animarū genera, quatuor distinguuntur gradus viuentium. Et eodem modo respondetur ad arg. 2. opinionis, nam eadem ferè fuit deceptio vtriusq; putarunt namq; authores isti ex solis essentialibus distingui ab Arist. gradus animatorum, sicut distinguuntur diuersa genera animarum: ex quo intulit secunda opinio, quod cū genera animarum solum sint tria, tres tantum distinguendi sint gradus animatorum, aut viuentium. Caiet. verò & Ægidius ex opposito, ex quatuor gradibus animatorum intulerunt quatuor genera animarum: deceptos igitur esse dicimus eodem modo, quia putauerunt omnes æqualem debere esse numerum animarum, & animatorum, quod apertè falsum est, quia ex diuersis sumuntur iam explicatis, quæ cum sint inæqualia, etiā oportet inæqualem esse numerum animarum, & animatorum.

26 Ad argumentum verò contra diuisionē potentiarum in quinque genera respondeo, non distingui genera potentiarum per ordinem ad subiecta, in quibus inueniuntur separata, sicut gradus viuentium, sed per diuersos modos operandi iam explicatos: nam iste est modus proprius distinguendi genere potentias, vt in alijs controuersijs est manifestum, & cum potentia visiua conueniat in eodem modo operandi cum cæteris sensibus, & generatiua cum cæteris potentijs vegetatiuæ animæ, non cōstituunt diuersa genera potentiarum, licet separatæ inueniantur ab eis, sed sub eisdem generibus continentur, generatiua quidem sub genere vegetatiuarum, & visiua sub genere sensitiuarum.

QVAESTIO II.

An vegetatiuum includatur formaliter in sensitiuo, & vtrumque in rationali, vel eminenter tantùm.

27 Vegetatiuum, & sensitiuum duobus modis accipiuntur: primo pro potentijs vegetandi, & sentiendi, secundo pro gradibus vitæ vegetatiuæ, & sensitiuæ: a quibus tales potentiæ tanquam a radice procedunt, & de eis primo modo sumptis non procedit quæstio: quia certum est potentiam sensitiuam non includere vegetatiuam: cum sit certum non posse illo modo actum eius præstare, sed cum ordinentur ad actus specie diuersos, ita vt vnum non includat alterum, sic ipsæ se habent, vt nullo modo se includant. De solis igitur gradibus substantialibus quærit titulus quæstionis, an ita se includant, vt sensitiuus vegetatiuum, & rationalis vtrumque contineat.

28 Sed adhuc gradus isti dupliciter considerari possunt, vel in cōmuni, ita vt gradus vitæ vegetatiuæ consideretur quasi abstractus a particularibus differentijs plantarum, brutorum, & hominis, vel in particulari, vt determinatus per propriam differentiam plantarum, quam negatione illa explicamus, dicentes plantam habere gradum vitæ vegetatiuæ tantum, hoc est, non sensitiuæ. Et quæstio procedit de eis vtroque modo consideratis.

Sed adnotare oportet secundò; illud dici continere aliud formaliter, quod habet in se formaliter esse eiusdem rationis, per quod potest illud producere, vel operationes eius præstare, vt calor vnus, qui producit alterum dicitur continere illum formaliter Eminenter vero continere aliud est, per aliud esse diuersæ rationis, & ideò perfectius, quod in se habet posse illud producere, vel saltem perfectius præstare, quidquid illud præstare potest, vt lux dicitur continere calorem eminenter, quia per esse perfectius diuersæ rationis, quod in se habet, potest eum producere.

29 Quibus explicatis conueniunt omnes in eo, quod gradus essendi vegetatiuus, siue in genere accipiatur, siue in specie, continetur in sensitiuo formaliter, aut eminenter. Quod probatur euidenter, supposito, quod in vno viuente non detur nisi vna anima, quod inferius ostendetur.

Nam euidens est animalia omnia non solum esse sensitiua, sed etiam vegetatiua, cum euidens sit habere operationes vegetatiuas generationis, & nutritionis, & euidens sit id habere ab anima sensitiua, cum neq; a materia habeant, nec ab anima vegetatiua ab ea distincta: ergo euidens est, quod anima sensitiua eorum sit principium radicale operationum vegetatiuarum, & consequenter principium, quo viuunt vita vegetatiua, quod est esse animam vegetatiuam, & ideò illam cōtinere formaliter, aut eminenter: & quod de sensitiua probatur respectu vegetatiuę, simul de rationali respectu vtriusq; probatum censetur.

30 Solum potest esse quæstio circa modum specialem continendi, an videlicet continentia hæc sit formalis, ita vt anima sensitiua cuiuslibet bruti sit formaliter vegetatiua, & rationalis formaliter sensitiua, & vegetatiua, vel solum virtualiter, aut per eminentiam, ita vt sensitiua solum sit vegetatiua eminenter, & rationalis quoque sensitiua, & vegetatiua.

Et prima opinio asserit virtualiter, aut eminenter contineri vegetatiuam in sensitiua, & vtramque in rationali, non tamen formaliter. Ita Iauellus 2. lib. de anima, Caiet. 1. parte, quæst. 75. art. 4. & magis ex professo cap. præsenti, quæst. 1. Petrus Martinez 2. lib. de anima, cap. 2. Toletus quæst. 3. & 7. eiusdē libri, & idem videtur sentire D. Thom. 1. p. quæst. 76. artic. 4. vbi ita ait: *Nulla alia forma substantialis est in homine, nisi sola anima intellectiua, & ipsa sicut virtute continet animam sensitiuam, & nutritiuam, ita virtute continet omnes inferiores formas, & facit ipsa sola, quidquid imperfectiores formæ in alijs faciunt, & similiter est dicendum de anima sensitiua in brutis, & de nutritiua in plantis, & vniuersaliter de omnibus perfectioribus respectu imperfectarum.*

31 Probatur testimonio Aristotelis, & ratione, Aristoteles enim cap. præsenti asserit sic se habere vegetatiuum, sensitiuum, & intellectiuum, sicut figuras priores, & posteriores, ita vt sicut priores includuntur potentia

in

in posterioribus, vt trigonus in tetragono, & vterque in pentagono, aut triangulus in quadrangulo: ita vegetatiuum includatur in sensitiuo, & vterque in rationali potentia, sed includi in potentia solum est includi virtualiter, & non formaliter: ergo ex mente Arist. solum includitur vegetatiuum in sensitiuo, & vterq; in rationali virtualiter, aut eminenter, non formaliter.

Quod ex modo inclusionis eorundem numerorum constat: nam triangulus secundum propriam rationem formalem, qua tres tantum angulos æquales duobus rectis habere dicitur, non continetur actu, & formaliter in quadrangulo plures habente, sed solum in potentia, in quantum ex posteriori figura potest effici prior: ergo nec vegetatiuũ includit in sensitiuo, vel vterque in rationali, nisi in potentia, in quantum posterior gradus, vel anima præstare potest, quidquid potest prior & longè perfectius, quod est eminenter contineri, non formaliter.

32 Probatur deinde ratione, 1. quia differentia Metaphysica licet sumatur a tota natura Physicæ speciei, formaliter tamen sumitur a sola forma, vt differentia rationalis ab anima rationali, sed differentia inferior non includit formaliter superiorẽ, sed falsum est dicere, rõnale formaliter est sensibile, vel rõnalitas est sensibilitas: ergo nec anima posterior includit formaliter priorem: sed falsum erit dicere, anima sensitiua formaliter est vegetatiua, & rationalis formaliter est sensitiua, & vegetatiua.

Secundò vna species non potest vllo modo includi formaliter in alia: nec prædicari formaliter de illa, vt patet de homine, & leone, sed anima vegetatiua, & sensitiua distinguuntur specie salte n partiali, & pariter distinguitur vtraque a rationali: ergo repugnat vnam includi in altera formaliter.

33 Tertiò probatur specialiter de anima rationali, quod non includat formaliter vegetatiuum, & sensitiuum, quia si ea includit, maximè, quia posterior est, aut inferior, & in essentialiter subordinatis posteriora includunt formaliter priora, sed si hæc ratio alicuius momenti esset, sequeretur animam rationalem includere cæteras formas substantiales inferiores, & ita sicut dicitur vegetatiua, & sensitiua formaliter, dicetur quoque formaliter corporea, quod est absurdum, cum sit formaliter spiritualis, & incorporea secundum propriam entitatem.

34 Secunda opinio duo asserit. Primum; *quod anima sensitiua formaliter includit gradum vegetandi in communi acceptum, & rationalis gradum sentiendi, & vegetandi: secundum, quod anima sensitiua includit formaliter animam vegetatiuam in speciali, & anima rationalis animam vegetatiuam, & sensitiuam, ita vt qualibet anima sensitiua sit formaliter anima vegetatiua, & anima rationalis sit formaliter anima vegetatiua, & sensitiua,*

35 Hæc est iam communis sententia inter Recentiores, & tanquam probabilior a nobis tenenda. Sed quia non eodem modo intelligitur ab omnibus, explicare eam oportet.

[Et pro explicatione duo sunt prænotanda. Primum, quod essentialiter subordinata duplicia sunt, quædam completa; vel per modum naturæ completæ significata, vt genera, & species, ex quibus linea prædicamentalis constituitur: talia sunt substantia, corpus, viuens, in prædicamento substantiæ.

36 Alia sunt incompleta, quia eorundem completorum partes sunt vel formæ, & tales sunt formæ substantiales in prædicamento substantiæ, vt forma lapidis tribuens esse substantiæ, & corporis, post quam sequitur anima plantarum, & post hanc anima sensitiua animalium, & tandem anima rationalis constituens hominem, & Petrum, & cum necessarium sit priora, ac superiora includi in inferioribus ac posterioribus, dupliciter id contingere manifestum est, nempe tanquam id, quod continetur in alio, & tanquam ratio contenta in alia, quod proprijs verbis explicari solet, dum dicitur vnum includere, vel continere aliud, tanquam id, quod continet illud, aut tanquam quo, hoc est, tanquam ratio inferior continet superiorem, & modo priori includuntur priora, aut superiora cõpleta in inferioribus, & hæc dicuntur continere illa, vt substantia in corporeo continetur, & vtrumque in viuente; formæ verò aut gradus non possunt continere alia, vel includi in alijs hoc modo, quia nõ sunt, quod est tale, sed quo, seu ratio constituendi aliud tale, vt anima sensitiua bruti, non est id quod sentit, sed quod aliud sentit.

37 Vnde sequitur, quod anima rationalis non continet sensitiuam, & vegetatiuam, tanquam id quod per se vegetatur, & sentit, sed solum tanquam ratio formalis constituens

tuens

ruens vegetatiuum, & sensitiuum, & propterea Aristoteles definiens animam non dixit, esse corpus, sed actum corporis, hoc est, formam eius, per quam constituitur in esse organici atque viuentis,& in posteriori definitione non dixit animam esse, quod viuit, quod sentit, quod mouetur, & intelligit, sed esse, *Principium, quo viuimus, sentimus, mouemur, & intelligimus.* Dum ergo asserimus animam sensitiuam continere formaliter animam vegetatiuam & animam rationalem continere vtramq; animam,de continentia formali loquimur, modo posteriori explicato,non priori.

Secundo notandum est dupliciter contingere,quod vnum contineat alterum formaliter.

Primo in gradu eiusdem speciei, & ordinis.

Secundò in gradu diuersæ speciei, & ordinis. Exemplum modi prioris est calor potens producere alium calorem, vel præstare,quod ille præstat,qui propterea illum dicitur continere formaliter,sed in gradu eiusdem speciei,& ordinis.

38 Exemplum posterioris modi est animal continens perfectionem vegetatiuam plantæ, quia proprias operationes eius præstare potest secundum rationem vnivocam, per virtutem quam habet in se formaliter, & nobiliori modo,quam ipsa,& modus iste continendi formaliter dicitur etiam modus continendi eminenter: cum sit in gradu altiori, ac eleuatiori,& verissimum sit eminentius continere animal vegetatricem virtutem,quam plantam. Vnde fit duplicem esse quoque modum continendi eminenter, vnum quidem in superiori gradu formaliter tali, alio modo in superiori gradu non formaliter tali,sed solum virtualiter,quo pacto forma solis continet calorem.

39 Animal verò continet eminenter virtutem vegetatiuam plantæ in virtute quadam alia superiori: sed formaliter tali, & continere eminenter hoc modo, potest coincidere in eadem re, cum continentia formali posterioris modi iam explicati, vnde dicere possumus aliquid esse, quod continet aliud formaliter tantum, nempe illud, quod in gradu eiusdem rationis,& ordinis formaliter tali illud continet, vt calor calorem, aliud vero esse, quod continet alterum formaliter simul, & eminenter, si illud contineat formaliter in gradu superiori: nā quatenus continet illud in gradu formaliter tali,dicitur continere illud formaliter, quatenus vero in gradu superiori continet eminenter. Quibus prænotatis.

40 Asserit nostra sententia, *animam sensitiuam continere gradum vegetandi, atq; etiam animam vegetatiuam,formaliter quidem,atque etiam eminenter, & eodem modo animam rationalem vtrumque gradum,& vtramq; animam, ita vt sit anima vegetatiua, & sensitiua formaliter simul, & eminenter.* Quod in primis probo ex vtraq; definitione animæ hoc modo: Quęcumq; anima bruti est actus primus substantialis,constituens illud formaliter,& essentialiter vegetatiuum,non minus quā sensitiuum,& anima rationalis est actus primus substantialis constituens hominē formaliter & essentialiter vegetatiuū,& sensitiuū,non minus quā formaliter, & essentialiter rōnalē:ergo nō minus est illa formaliter,& essentialiter vegetiua, quam sensitiua,& rationalis non est minus formaliter vegetatiua, & sensitiua,quam rationalis: quare ex definitione priori euidenter colligitur vtramq; continere formaliter inferiores animas.

41 Euidēs etiam experientia docet, in animali esse opera vitæ vegetatiuæ formalia, vt generationem sibi similis,nutritionem& augmentationē:ergo supposito quod nō sint plures animæ in eodem animali,euidēs erit operationes has procedere ab vnica anima sensitiua,& hanc esse principium formale, quo viuit animal,& actū primum tribuentē eidem animali esse substantiale vegetatiuum,& ex consequenti esse animam vegetatiuam formaliter.

Præterea homo est formaliter, & essentialiter animal, & viuens formaliter, & essentialiter, & vtrumque etiam prædicatum formale pertinet ad essentialem definitionem eius, quia definito conuenit formaliter, & essentialiter definitio, sed non potest esse formaliter animal, & viuens, nisi a forma vtrumque gradum ei tribuente, & non habet aliam formam substantialem præter animam rationalem, vt supponitur: ergo ab ea tanquam a forma tribuitur homini vterque gradus essendi, sed quod tribuit forma per informationem, continet formaliter, quia tribuit illud in genere causæ formalis, & consequenter tanquam effe-

effectum formalem: ergo anima rationalis vtrumque gradum, & animam sensitiuam, ac vegetatiuam continet formaliter: & pariter anima sensitiua gradum, & animam vegetatiuam, Nam idem argumen.ei applicari potest, vt consideranti patebit.

Quod vero eosdem gradus, & animas etiam contineat eminenter probatur, quia continet in gradu superiori, atque eminentiori.

42 Nunc ad argum. primæ opinionis respondendum est, & ad testimonium Arist. de figuris respondeo, exemplum figurarum adductum esse ab Aristotele, vt per similitudinem earum aliquo modo explicari posset ordo animarum atque graduum earum, quos diuersis viuentibus conferunt, similitudo vero non potest tenere in omnibus, alioqui iam esset identitas: tenet ergo 1. in eo quod sicut in posteriori figura includitur prior, ita in posteriori aĩa includitur prior, vt in sensitiua, vegetatiua, & vtraq; in rationali. Sed in modo inclusionis valde differũt, nam in primis quantũ ad animas ipsas pertinet, inferiores includunt formaliter, & essentialiter superiores, vt sensitiua vegetatiuam. Figuræ vero solum se includunt materialiter, in quantum ex angulis vnius componitur altera, non tamen ex ratione formali eius, sicut anima inferior componitur ex ratione formali superioris (saltem nostro modo intelligendi:) & ideò verum est animam sensitiuam esse formaliter vegetatiuam, nõ tamen figuram, tetragonam esse trigonam, quamuis includat materiales angulos eius.

43 Differunt 2. quia animæ, & earum gradus habent rationem formarum, & ideo media informatione præstant quæcunq; præstare possunt: & cum informatio sit genus causæ formalis, necesse est per modum formarum se includere, & ideo formaliter, & non solum eminenter, imò nec eminenter, si modus eminentiæ excludat formalem, sed eminenter formaliter ratione iam explicata: figuræ verò non habent per modum formarum, sed specierum.

Aristot. igitur solum attulit similitudinem figurarum, vt explicaret inclusionem priorum animarum in posterioribus asseruit autem potentia, vel virtute includi, non tamen eodem modo, sed particularem modum inclusionis iuxta naturam vtriusque extremi intelligendum esse, quæ cum sit adeò diuersa, valde diuersus est: nam in figuris solum potest esse potẽtialis, aut virtualis secundum materiã earũ: in animabus vero cũ sint veræ formæ, materialis esse nõ potuit, sed necessariò formalis, & cũ posteriores includãt priores in gradu nobiliori, ac ordinis superioris, simul debet esse per eminentiam formalem iam a nobis explicatam. Nec vnus, vel alter modus materialis, aut formalis aliquid referebat ad intentum Aristotelis, quod solum fuit ostendere posteriores gradus, posterioresq; animas includere priores virtute, aut potentia iuxta propriam conditionem, & naturam: quare non potest ex eo probari inclusionem graduum, vel animarum non esse formalem.

44 Ad primum argumentum concessa maiori, & minori, neganda est consequentia, quod anima posterior non includat formaliter priorẽ, quia diuersa est ratio de anima, ac de differentia: nam anima est forma physica, differentia vero conceptus realis ab ea desumptus: ab eadem autem forma physica possunt desumi plures differentiæ, quia includit formaliter plures gradus essendi, vt ab eadem anima rationali desumimus vnã differentiam distinguentẽ hominem a planta sub genere viuentis, & aliam distinguentem eum a brutis sub genere animalis, quia eadem forma physica potest esse fundamentum, a quo intellectus sumat plures conceptus formaliter diuersos, quales sunt differentię: vnde licet eadem anima includat plures gradus essendi ratione distinctos, qui de ipsamet prædicantur, non sequitur, vnam differentiam desumptam ab ea, includere aliam, quia iam differentiæ istæ sunt conceptus simplices desumpti ab eadem forma, prout includẽte determinatum gradum essendi, quæ licet sumpta secundum suam integram rationem includat omnes gradus, si tamen sub conceptu limitato concipiatur, vt includens vnum, non includit alterum: vt si anima rationalis præcisè accipiatur sub gradu rationali, non erit sensitiua, nec vegetatiua, & vt concipitur præcisè, vt dat corpori esse sensitiuum, & est principium radicale sentiendi, non est vegetatiua.

45 Vnde cum differentia inferior desumatur ab eadem anima præcisè prout includente vnum gradum, non potest includere aliã, quæ ab eadem anima accipitur præcisè, vt in-

includente alterum gradum: benè igitur stare potest, quod posterior anima includat formaliter gradus priores, aut etiam suo modo interiores animas, & quod differentia inferior non includat formaliter superiorem.

46 Ad secundum argumentum respondetur hac distinctione, species duplex est, subalterna, & infima, subalterna adhuc est contrahibilis, tanquam genus per differentias essentiales ad species atomas. Infima vero species non est iam contrahibilis per differentias essentiales, & propterea vocatur atoma, hoc est, indiuisibilis essentialiter.

47 Hoc supposito ad formam argumenti, distinguenda est maior, quod vna species non possit includi formaliter in altera, nam de atomis speciebus vera est propter repugnantiam differentiarum, quarum vno non subordinatur alteri, & ideo non potest includi in ea: de speciebus verò subalternis adhuc determinabilibus, tanquam genera, est falsa: nam cum inferiores subordinentur superioribus, easq; determinent per specialiores differentias, non solum impossibile non est, sed necessarium est eas includere, vt animal viuens, & viuens corpus, & ita anima rationalis includit vegetatiuam, sed non plantam, quia hæc habet differentiam repugnantem: illa verò cōtrahibilem potius per sensitiuam, & vtraq; per rationalem, & hæc est ratio inclusionis formalis.

D V B I V M.

An anima rationalis sit formaliter corporea.

48 D tertium argumentum respondent recentiores quidam, non sequi ex eo, quod anima rationalis sit formaliter sensitiua, & vegetatiua: esse etiam formaliter corpoream, sed diuersam esse rationem de duobus illis gradibus, ac de gradu corporis, quia gradus corporis, siue sumatur in particulari, siue in communi ex sua intrinseca ratione, dicit aliquid ex directo oppositum spirituali: cum corporeum ab intrinseco sit capax extensionis quantitatiuæ, & diuisibilitatis in partes integrantes, & ideo non possit esse totum in toto subiecto, seu materia, & totum in qualibet parte, sed necessariò si forma sit, per partes informare debeat, spirituale verò ab intrinseco dicit rationes his oppositas, est enim secundum entitatem indiuisibile, & ideo repugnat ei quæcumque diuisibilitas in partes integrantes, & si forma sit, non potest per partes informare, sed tota debet informare totum subiectum, vel materiam, tota etiam quamlibet eius partem: vnde cum anima rationalis sit spiritualis, & indiuisibilis: ab intrinseco ei repugnat esse corpoream.

49 De sensitiuo autem, & vegetatiuo diuersa est ratio, quia gradus sentiendi, & vegetandi in communi accepti, nihil repugnans rei spirituali dicunt, sed ratio eorum communis est corporeis, &

ſpiritualibus formis ab vtriſque abſtrahens, & propterea poteſt conuenire formaliter animæ rationali, etiam ſi ſpiritualis ſit, ſicut conuenit ſenſitiuæ, & vegetatiuæ.

Ex quo inferunt animam rationalem eminenter tantum, & non formaliter includere gradum corporis, quamuis gradus vegetandi, & ſentiendi includat formaliter, animam autem vegetatiuam, & ſenſitiuam cum ſint formæ corporeæ eductæ de potentia materiæ, omnes gradus ſuperiores vſque ad ſupremum ſubſtantiæ includere formaliter.

50 Hæc tamen ſententia in primis contraria eſt verbis expreſſis Diui Thomæ, in principio huius quæſtionis a nobis citatis, quibus aſſerit, animam rationalem, ſicut virtute continet vegetatiuam, & ſenſitiuam, ita etiam omnes inferiores formas, nullum igitur admittit diſcrimen in modo eas continendi, cum ergo probatum ſit de vegetatiuo, & ſenſitiuo, quod formaliter eas contineat, efficaciter ſequitur eodem modo ſentire Diuum Thomam de incluſione gradus corporei.

Sed probatur nullum omnino admittendum eſſe diſcrimen inter gradum corporeum ex vna parte, & vegetatiuum, ac ſenſitiuum ex altera: primò quia talis eſt gradus eſſendi, quales ſunt potentiæ, & operationes ab ipſo procedentes, ſed potentiæ, & operationes ſenſitiui, & vegetatiui gradus, quomodocumque ſumuntur, ſunt corporeæ, vt oſtendunt potentia nutritiua, & generatiua, & omnes ſenſus cum ſuis operationibus: ergo gradus iſti etiam in communi accepti corporei ſunt formaliter: falſum igitur in primis eſt dicere, quod a corporeis, & ſpiritualibus abſtrahunt, & ideo poſſunt conuenire animæ rationali.

Deinde falſum eſt affirmare, quod conueniant formaliter animæ rationali, & ei repugnet gradus corporis: cum gradus illi corporei ſint formaliter.

51 Secundò, quia falſum eſt dicere, quod eidem animæ rationali conueniat, & repugnet gradus corporis.

Probatur, quia animam rationalem eſſe ſenſitiuam, & vegetatiuam formaliter non eſt eſſe id, quod vegetatur, aut ſentit, ſed ſolum poſſunt ei conuenire tamquam formæ, hoc eſt tamquam rationi, & vt (aiunt) tanquam, quo: ſed hoc modo conuenit ei eſſe corpoream, cum ſit, quo aliud eſt corpus: ergo eodem modo conuenit ei formaliter eſſe corpoream, ſicut conuenit eſſe vegetatiuam, & ſenſitiuam, quare commentitia eſt differentia, quam iſti ponunt inter hos duos gradus ex vna parte, & gradum corporis ex altera reſpectu animæ rationalis.

52 Hac igitur diſtinctione ſoluendum eſt: eſſe aliquid corporeum formaliter, dupliciter contingit; vt quo, & vt quod: & modo priori dicitur aliquid corporeum formaliter ex eo ſolum, quod eſt ratio, vel forma conſtituens aliquid ſub gradu eſſentiali corporis, quod habere poteſt forma, licet in ſe ſit indiuiſibilis, vt quod nec partes habeat integrantes in ſua entitate, & ideo nec extenſionis ſit capax: nam albedo non eſt alba formaliter, vt quod, ſed bene, vt quo, quia conſtituit album, tamquam forma eius.

Poſteriori vero modo non eſt aliquid corporeum, niſi in ſe ſit capax extenſionis, vel ſaltem ſit in ſe dependens a materia, vel corpore, & ex eius potentia educatur.

Hac igitur diſtinctione præſuppoſita ad formam argumenti conceſſo antecedente, diſtinguendum eſt conſequens, quod anima rationalis ſit formaliter corporea, nam, vt quo, verum eſt, ac neceſſarium: vt quod, falſum, & impoſſibile.

53 Hoc ſecundum ſatis eſt per ſe manifeſtum, ſed probatur primum, quia anima rationalis eſt vera forma ſubſtantialis tribuens materiæ eſſe ſubſtantiale, atque etiam eſſe corporeum: cum nulla detur ſubſtantia, quæ non ſit corporea, vel incorporea: & eam, quam conſtituit anima ſimul cum materia, conſtat non eſſe ſpiritualem, ſed corporea: ergo tribuit anima eſſe corporeum materiæ, quod eſt eſſe corpoream, vt quo, ſed non repugnat eſſe hoc modo corpoream, & eſſe ſpiritualem, indiuiſibilem, inextenſam, atque in-

incorpoream secundum propriam entitatem, quia cum his stare potest, quod sit ratio seu forma tribuens esse corporeum materiæ sicut stat, quod albedo non sit alba, vt quod, & nihilominus sit forma tribuens corpori esse album, quod est esse albam, vt quo.

54 Negandum est igitur, quod infertur, nempe falsum esse, quod anima rationalis sit formaliter corporea, imò potius eodem modo est corporea, ac sensitiua, & vegetatiua, & tria hæc eodem modo ei conueniunt, sicut enim non est vegetatiua, nec sensitiua, vt quod, hoc est, vt ipsa vegetetur, ac sentiat: sed solum, vt quo, ex eo, quod est forma constituens vegetatiuum, & sensitiuum formaliter tale, pari ratione non est corporea, vt quod, ita vt in se sit diuisibilis, aut extensionis capax, sed ex eo solum, quod est forma constituens compositum formaliter corporeum.

QVAESTIO III.

An omnes animæ eiusdem speciei, præsertim rationales, sint æqualis perfectionis substantialis, vel vna sit perfectior altera.

55 VT intelligatur quæstio, necessariò distinguenda est duplex perfectio quorumcumq; indiuiduorum; specifica, & indiuidualis; specifica perfectio illorum est, quam participant a natura specifica omnibus communi: indiuidualis vero prouenit eis ex differentia indiuiduali, quæ non est aliud, quam modus quidam substantialis (secundum communem opinionem scholæ) per quem determinatur natura specifica ad hoc, & illud indiuiduum, & distinguitur indiuidualiter a quocumque alio.

Et de perfectione specifica certum est æqualem esse in omnibus indiuiduis, quia eadem prædicata essentialia, speciei participant omnia, & nullum potest aliquod habere, quod non habeant alia, alioqui distingueretur specie ab his, quia distinctũ prædicatum essentiale distinctam essentiam, atq; speciem constituit.

De sola ergo perfectione indiuiduali potest esse quæstio, an secundum eam possit esse vnum indiuiduum perfectius altero eiusdem speciei, vt Petrus, Ioannes? & in hoc sensu intelligitur quæstio proposita de animabus eiusdem speciei, vt rationalibus, an supposito quod omnes sunt eiusdem perfectionis specificæ, vna sit perfectior altera indiuiduali perfectione, quæ indiuidualis perfectio cum sit modus substantialis, erit perfectior substantialiter modaliter, non essentialiter, vel sicut omnes sunt æquales in perfectione essentiali, aut specifica, ita sint æquales in perfectione indiuiduali.

56 Et prima opinio tenet omnes esse æqualis perfectionis indiuidualis. Ita Henriq. quodlib. 3. quæst. 5. quamuis in fine quæstionis hærere videatur neutram partem determinate audens.

Durand. vero sine formidine eam tenet in 2. dist. 32. quæst. 3. & cum eo Argent. ibidem, quæst. 1. art. 2. Soncin. 8. Meth. quæst. 26. Sotus cap. de substantia in Logica, quæst. 2. ad 9. Zima theore. 44. & Ioan. quidam de Ganaco, quem citat Caiet. 1. parte, quæst. 85. art. 7. Ex recentioribus vero Toletus 3. lib. de anima, quæst. 18. asserens oppositam sententiam temerariam, ac periculosam esse. Fonseca 5. Metaphys. cap. 26. quæst. 16. sect. 2 vbi plures ex sanctis Patribus refert pro ea. Probatur testimonio Aristotelis ex 3. libro Metaphysic. textu 11. vbi docet inter indiuidua eiusdem speciei non dari prioritatem naturæ, quæ versatur inter ea, quorum vnum est perfectius altero: quod non potest esse verum nisi sentiat omnia esse æqualis perfectionis: ergo hæc est mens eius, sed animæ omnes rationales sunt eiusdem speciei: ergo ex mente Aristotelis omnes sunt æqualis perfectionis, & nulla potest esse perfectior altera, vlla ratione.

57 Idem quoque videtur sentire Diuus Thom 2. 2. quæst. 5. artic. 4. ad 3, vbi docet intellectum principiorum, per quem cognoscimus prima principia, æqualem esse in omnibus hominibus, quia sequitur (inquit) ipsam naturam humanam: ergo sentit naturam humanam esse omnino æqualem in omnibus hominibus, & in nullo perfectiorem, perfectio autem naturæ humanæ prouenit ab anima rationali: ergo sentit hanc non esse perfectiorem in vno, quam in alio, sed æqualis perfectionis in omnibus.

58 Et 3 p. q 69. art. 4. ad 3, expressius id videtur sentire his verbis.

Diuersa capacitas naturalium in hominibus, nō est ex diuersitate mentis, cum omnes homines eiusdem speciei existentes in forma conueniant, sed est ex diuersa dispositione corporum, Probatur etiam ratione primò, quia substantia rei idem est, ac essentia eius: ergo idem est vnum esse perfectius altero substantialiter, & essentialiter, sed repugnat vnam animam esse perfectiorem altera essentialiter, quia omnes constant eisdem prædicatis essentialibus, ex quib. sumitur essentialis, ac substantialis perfectio: ergo etiam repugnat esse perfectiorem substantialiter.

59 Secundò, si vna anima est perfectior altera substantialiter, in primis sequitur vnū hominem esse perfectiorem altero substantialiter, & ideò magis homo substantialiter, & ita substantia suscipiet magis, & minus. Sequitur deinde vnum hominem habere perfectiorem intellectum, & voluntatem quam alterum, quia potentię istæ consequuntur naturam animæ, ad modum propriæ passionis, sed habere perfectiorem voluntatem, est habere voluntatem magis liberam, quæ ideò vocabitur liberum arbitriū perfectius: ergo vnus homo erit magis liber in suis operationibus, quam alter, & consequenter iste non erit omninò liber, quod patet esse falsum.

60 Et vrgeri potest arg. hoc modo, solum potest vna anima esse perfectior altera, quia est principium alicuius operationis, cuius alia non est capax, vel quia est principium eiusdem operationis secundum nouum, ac diuersum modum eius, sed nulla anima rationalis aliquid horum habet, quod non habeat quæcunque alia, vt per se patet: ergo non potest esse verum, quod vna sit perfectior alia substantialiter, sicut nec inter formas substantiales corporum non viuentium talis differentia reperitur, sed omnes concedimus esse æqualis perfectionis etiam indiuidualis, sicut omnia composita, vt omnes ignes, omnes aquas.

Secunda opinio concedit *inter animas rationales, ac cæteras eiusdem speciei, vnam esse altera perfectiorem substantialiter, ratione perfectioris differentiæ indiuidualis, & ideo perfectiorem intellectum, & voluntatem habere, & in cæteris animabus perfectiores potentias sensitiuas, aut vegetatiuas.*

Ita statutum est per facultatem Theologicam Parisiensem, in quodam articulo sic afferente. *Si quis dicit omnes animas ab origine esse æquales, errat: quoniam alias anima Christi non esset perfectior, quam anima Iudæ.* Et ita Magister sententiarum in 2. distinct. 17. vbi hanc eandem quæstionem proponit, & soluit hisce verbis. *Illud quoque non incongruè quæri solet, vtrum omnes animæ ex creatione æquales sint, ac alia alijs excellentiores, pluribus non irrationabiliter videtur, quod ex ipsa creatione alia alijs excellant in naturalibus donis, & in essentia alia alijs sit subtilior, & ad intelligendum, memorandumq́; habilior, vtpote acriori ingenio, & perspicatiori intellectu prædita.*

61 Et cum eo Scholastici ferè omnes ibidem; Bonauent. & Ricard. art. 3. quæst. 1. & Ægidius quæst. 3. D. Thom. quæst. 2. art. 3. & 1. parte, quæst. 85 art. 7. vbi afferit vnum hominem perfectius intelligere, & magis penetrare naturam eiusdem obiecti, quam alterum propter duo.

Primum, quia habet meliorem intellectū & meliorem animam. 2. propter inferiores potentias melius dispositas, nempe sensus externos, & internos: ita etiam Caietan. & Bannez hoc loco; Ferrar. 2. lib. contra gentes cap. 13. Iauellus 8. metaph. quæst. 6. & ex recentioribus plures, & nobis etiam videtur probabilior, & propterea meritò reprehendit Toletum Bannez vbi supra, atque etiam 1. lib. de generat cap. 4. quæst. 3. quod dixerit temerariam esse, atque periculosam, cum nihil temeritatis, aut periculi hæc, vel illa pars contineat, imò potius per modum problematis, in vtramuis partem probabilis defenditur a Conimb. 2. lib. de anima ca. 1. q. 5. art. 3.

62 Quam vt explicemus simul, ac probemus duo adnotamus.

Primum quod cum anima sit essentialiter pars, intrinsecum ordinem dicit ad compositum, & consequenter ad corpus, tanquam ad aliam partem, cum qua apta est illud componere, & qualibet anima singularis dicit indiuidualem ordinem ad singulare, & determinatum corpus, quia ad constitutionem cuiuslibet compositi determinati, ac singularis, determinatæ, ac singulares partes ordinatæ sunt a natura: alioqui non per se, sed per accidens coniungeretur talis anima tali corpori, si pro libito posset qualibet anima ei infundi, imò nec per se, sed per accidens produceretur tale compositum:

sum: quia si alia anima insunderetur eidem corpori, non idem, sed aliud resultaret compositum, hæc autem falsa esse constat.

63 Præterea sicut anima non vnitur materiæ propter bonum eiusdē materiæ, sed propter bonum proprium, atq; compositi, nempe vt per informationem consequatur perfectionem informandi, & constituat cōpositum, ita hæc forma, aut hæc anima non vnitur huic materiæ, his dispositionibus ab hoc agente præparatæ propter bonum eiusdem materiæ, aut eiusdem corporis, sed propter bonum proprium, nempe vt perfectionem propria informandi, & operandi, atq; constituendi tale compositum consequatur.

64 Ex quibus sequitur materiam melius dispositam, atq; organizatam per se naturaliter postulare meliorem, ac perfectiorē animam, & ideo animam ei infusam perfectiorem esse secundum rationem indiuidualem alia, quam naturaliter postulat materia minus bene disposita, & organizata, quod saltē verum est de organizatione, ac dispositione per se inducta ab agente naturali nullo obstante impedimento, nam si minus bona induceretur per accidens ratione alicuius causæ contrariæ superuenientis, atq; impedientis, alia esset iudicanda ratio.

65 Ex hac igitur adnotata doctrina, hæc ratio colligi potest efficaciter probans nostram sententiam. Dispositio, & organizatio materiæ, aut corporis inducitur per se ab agente naturali, propter animam infundendam, ergo melior dispositio propter meliorem animam: probatur cōsequentia, primo quia si ab animis eiusdem perfectionis informantur duæ materiæ, magis, & minus benè dispositę, ergo per accidens se habet melior dispositio materiæ ad informationem: cum nulla maior perfectio formę proueniat eidē materiæ ex ea, imò frustra omnino inducitur perfectior dispositio, siquidem non sequitur ex ea perfectior effectus formæ: probatur 2. eadem consequentia, quia dispositio materiæ naturaliter ordinatur ad informationem formæ, ergo melior dispositio ad hoc, vt materia melius informetur a forma, sed meliorem informationem sequitur naturaliter melior effectus formalis eiusdem formæ, & constitutio perfectioris compositi, quia esse substantiale compositi est effectus formalis formæ: ergo de primo ad vltimum melior dispositio, & organizatio materiæ infert per locum ab intrinseco constitutionem substantialem melioris compositi substantialis, sed melius compositum substantiale non potest constitui, nisi a meliori forma substantiali, vt per se est manifestum: ergo concluditur vnam animam rationalem, constituere meliorem hominem substantialiter, quam alteram, & ideò esse meliorem substantialiter. Nec habet locum communis solutio oppositæ sententiæ de sola differentia accidentali experte dispositionum: cum ex accidentali probetur substantialis ex meliori effectu formali animæ communicato materiæ. Sed nec valet dicere meliorem effectum formalem tribui a forma eiusdem perfectionis ratione melioris dispositionis accidentalis materiæ, propter quam dicitur perfectius eam informare, & non ratione maioris perfectionis eiusdem formæ.

67 Hoc enim apertè falsum est, quia effectus formalis cuiuslibet formę per se primo commensuratur cum perfectione substantiali eiusdem formæ, à qua per se primo procedit, cum perfectione vero dispositionum materiæ commensuratur quidem naturaliter, sed commensuratione tantum accidentali, quia substantia non potest per se primò cōmensurari accidentibus: cum substantialis commensuratio inter solas substantias reperiatur.

Et hinc fit quamlibet animam postulare dispositiones in materia tantæ perfectionis vel maioris iuxta perfectionem propriam indiuidualem, iuxta quā necessariò tribuet materiæ effectum formalem substantialem, & non maioris, vel minoris perfectionis substantialis, licet per accidens deficiat aliqua dispositio, propter impedimentum superueniens, & tunc tribuet absque dubio materiæ effectum formalem eiusdem perfectionis substantialis, & constituet compositum eiusdem perfectionis substantialis.

68 Licet minus perfectum accidentaliter, & ex hoc intelligitur malè Toletum intulisse ex hac proportione naturali dispositionum cum anima, quod corpore malè disposito propter morbum, vel aliam causam impedientem, homini amenti a natiuitate debeatur anima fatua, vel irrationalis: nam proportio de dispositionibus per se inductis in materia intelligitur, illæ autem dispositiones casu, & per accidens inducuntur, & ideo non proportionatue eis anima,

sed eadem inducitur, quæ induceretur, si agens naturale per se disponens materiam non impediretur a dispositionibus per se intentis inducendis in materia.

Secundo probatur nostra sententia a posteriori ex operationibus animæ hoc modo, intellectus consequitur naturaliter essentiā animæ : sed vnus homo habet meliorem intellectum, quam alter: ergo meliorem animam.

Probatur minor, quia ex meliori operatione colligitur melior potentia : sed vnus homo perfectius intelligit quam alter, non qualicumque excessu : sed adeo magno, vt incredibile sit ex sola meliori, vel deteriori dispositione sensuum prouenire, vt colligitur ex faciliori, ac celeriori modo intelligendi eandem rem, ex maiori, aut profundiori penetratione eius, quam videmus in vno potius, quam in alio, item ex eo quod videmus quosdam ad inueniendum aptiores, alios ad disponendum, quosdam ad apprehendendū & ad iudicandum alios, quosdam denique a natura rudiores, & acutiores alios, quod propterea non potest intelligi, quin ex meliori intellectu, & anima proueniat, vt egregiè D.Th. supra.

69 Sed hæc sententia ita a nobis explicata, & probata dupliciter intelligi potest: primo, ita vt sicut necessarium est inter species eiusdem generis omnes esse inæqualis perfectionis essentialis, vt repugnet duas eiusdem perfectionis reperiri, ita sit necessarium omnes animas eiusdem speciei esse inęquales in perfectione indiuiduali substantiali, vt repugnet reperiri duas eiusdem indiuidualis perfectionis.

70 Secundo modo potest intelligi, ita vt non sit necessaria hæc inæqualitas in omnibus, imo nec in omnibus reperiatur, sed in quibusdam, cæteras verò æqualis perfectionis esse posse.

Et recentiores quidam modo priori intelligendam esse asserunt propter hoc argumentum: omnes animæ eiusdem speciei distinguuntur numero: ergo habent differentias indiuiduales distinctas, non igitur æquales.

Probatur hæc vltima consequentia, quia æquale in substantia facit idem : ergo omninò repugnat esse æquales, & distinctas.

Hæc tamen sententia falsa est, & argumentum quo innititur satis friuolum.

Quod sic probo, æquale in quacunq; alia entitate reali non facit idem, sed admittit distinctionem realem extremorum : ergo etiam substantia : Antecedens patet in duabus lineis æqualibus, atque distinctis.

Vnde benè intelligitur, quod plures animæ possint esse distinctæ numero, & æqualis perfectionis numericæ, vel indiuidualis.

Ideò non sic intelligenda est sententia, quam defendimus, sed iuxta posteriorem sensum, quo pacto eam intelligunt autores omnes pro ea citati, tam recentiores, quam antiqui: Videlicet *non esse necessarium, omnes animas esse inæquales secundum perfectionem substantialem indiuidualem, sed ita inæquales esse plures, vt aliæ reperiantur æquales.*

71 Ad testimonium Aristotelis respondeo primo, eo loco agere contra Platonem, cuius sententiam de ideis explicat reddens rationem ob quam ponit ideas specierum tantum, & non generum, vt ex contextu literæ patet, atque expositione D.Tho. quare nihil certum ex verbis eius deduci potest, quod ex propria sententia prolatum censeatur.

Sed quamuis ex propria loquatur: Respondeo secundo, duplicem differentiam constituere inter species eiusdem generis, & indiuidua eiusdem speciei, priorem quidem in eo, quod species sunt inæqualis perfectionis essentialis: indiuidua vero æqualis omninò, quare si inęqualitatem habere possint, nō in gradu essentiali, & ideo nec in essentia, quia eandem omninò participāt a specie.

72 Et ratio huius discriminis est, quia differentiæ specificæ continent essentiales gradus perfectionis distinctos formaliter a genere, & propterea dicuntur essentialiter contrahere genus ad constitutionem essentialem specierum, differentiæ verò indiuiduales non continent alium gradum essentialis perfectionis, quia species quam determinant, non est amplius diuisibilis per alios gradus, vel differentias essentiales, & propterea vocatur atoma, i. indiuisibilis, sed solum determinari potest per quosdam modos substantiales extra essentiam eius consistentes, & modi isti vocantur differentiæ indiuiduales, per quos distinguuntur indiuidua eiusdem speciei, & ex hoc discrimine

pro-

prouenit, inquit Aristoteles, quod Plato po fuerit ideas specierum, & non generum, quia integra, atque completa essentia potest separari ab indiuiduis, apud ipsum quidem reali separatione, apud nos verò saltem ratione, vel intellectu, & naturam sic realiter separatam ideam vocabat, per cuius participationem censebat multiplicari indiuidua, vt interpretatur Aristot. integra verò, atque completa essentia, & natura inseparabilis est ab speciebus atomis; nam licet genus importet gradum essentialem distinctum ab eis, quem vocamus speciem subalternam: sed gradus iste, & species hæc non est omninò completa essentialiter: sed adhuc perfectibilis per vlteriores gradus essentiales, & cum idea importet naturam omnino cōpletam, non ponebat ideam generum, sed specierum dumtaxat: quia species importaut naturam completam ex gradibus generis, atque differentialibus, separabilem ab indiuiduis.

73 Et ex hac differentia inter species, & indiuidua prouenit, vt inter species detur quidem prioritas naturæ, & non inter indiuidua: sed sola prioritas temporis, in quantum vnum sit extra causas prius tempore, quàm aliud, quia cùm non sint distincta in gradu essentiali: sed omninò idē, nec potest vnum esse perfectius altero essentialiter, & ideo nec simpliciter, quia prioritas perfectionis non reperitur simpliciter, nisi inter magis, & minus perfecta simpliciter, quod est esse magis, aut minus perfecta essentialiter, quamuis secundum quid possint se excedere in modali perfectione. Solùm ergo potest dari prioritas durationis inter indiuidua, in quantum vnum sit extra causas prius quam aliud.

74 Primum testimonium D. Tho. difficultate caret, quia solum afferit intellectum principiorum sequi naturam specificam æqualem in omnibus hominibus, quod verissimum est: & non minus verum, quod natura specifica animæ rationalis eadem sit, atque æqualis perfectionis omninò ex parte principiorum essentialium in omnibus animalibus, cui non repugnat perfectionem esse vnam altera ex parte differentiæ indiuidualis ad essentiam specificam non pertinentis. In secundo verò testimonio loquitur apertè de capacitate naturali specie diuersa, vt contextus verborum ostendit, cum ponat exemplum in Angelis, apud se specie diuersis.

75 Ad primum argumentum distinguendum est primum antecedens, quod substatia rei idem sit ac essentia eius; nam si de identitate reali sermo sit, verum est, si verò de idētitate formali, vel rationis, falsum; nam substantia rei est entitas realis eius extra causas existens, essentia verò solum denotat prædicata essentialia, quę in eadem entitate reali, vel substātia fundantur: ad quam entitatem actu existentem pertinet differentia indiuidualis, de qua certum est extra essentiam esse, sicut est certum esse extra prædicata essentialia: quare non sequitur, quod si animæ differunt aliquo modo in perfectione substātiali; consequenter differant in essentia specifica: sed cum omnimoda identitate specifica stare potest aliqua differentia substātialis modalis ratione indiuidualis differentiæ, & consequenter inæqualitas aliqua substantialis indiuidualis.

76 Ad secundum negandum est primum, quod tanquam inconueniens infertur ex nostra sententia, videlicet, quòd si vna anima sit perfectior altera, vnus homo sit magis homo, quàm alter; nam magis, & minus tale propriè loquendo non significat quamlibet maiorem, vel minorem perfectionem: sed intensiuam tantum, secundum diuersos gradus intensionis eiusdem formæ, & cum substantia non suscipiat intensionem, & remissionem: sed sola qualitas, nō dicitur vna substantia magis substantia, vel vnus homo magis homo quàm alter, licèt aliquo modo sit perfectior, vt in Angelis constat, quia vnus est perfectior altero essentialiter: & tamen non dicitur magis Angelus, vel magis spiritus.

Secundum inconueniens, quod in eodem argumento infertur, tetigit D. Thom. 1. p. q. 59. ar 3. ad 3. agens de voluntate, seu libero arbitrio Angelorum, de quibus cum docuisset specie differre, negare nō poterat, quod in Angelis superioribus reperiatur perfectius liberum arbitrium, sicut reperitur perfectior intellectus.

77 In solutione autē ad 3. his verbis respōdet. *Liberum arbitriū nobiliori modo est in superiorib. Angelis, quàm in inferioribus, sicut & iudiciū intellectus: tamen verū est, quod ipsa libertas secundū quod in ea consideratur quadā remotio coactionis non suscipit magis, aut minus, quia* pri-

priuationes, & negationes non remittũtur, nec in tenduntur per se, sed solum per suam causam, vel secundum aliquam affirmationem adiunctam, quib. planè negat maiorem esse libertatem in Angelis perfectioribus, quia coactioni, vel necessitati opponitur libertas, & non minus repugnat cogi, vel necessitari voluntatem inferiotis Angeli, quàm superioris in quibuscunque actibus elicitis, in quibus exercere potest libertatem: cum quo stat, quoscũque modos libertatis perfectius reperiri in Angelis perfectioribus, sicut perfectius iudicium intellectus, hæc autem maior perfectio libertatis in eo consistit, quod cum Angelus perfectior ex iudicio clariori, ac perspicaciori eligat, facilius se determinat ad vnam partem, & quasi efficacius, ac firmius eam amplectitur.

78 Eodem igitur modo respondendum est de perfectioribus animis secundum rationes indiuiduales, videlicet nõ habere maiorem libertatem, quia nec maiorem habẽt Angeli, quàm anima quæcumque; non enim suscipit libertas magis, & minus: habere tamen perfectiorem aliquo modo, cuius maior perfectio in illis modis operandi perfectioribus consistit.

79 Ad confirmationem negandum est antecedens, quia nouam habere operationẽ vnam animam, cuius altera non potest esse principium, vel habere eandem cum nouo modo, sicut habet Angelus intellectionẽ sine discursu, quam cum discursu habet anima, arguit differentiam specificam, non repertã inter animas eiusdem speciei, inter quas solùm potest esse inæqualitas perfectionis indiuidualis in operationibus, sicut in ipsismet animis; hæc verò inæqualitas consistit in maiori perspicacitate intelligendi, in maiori virtute penetrandi ex parte intellectus, & in alijs modis proportionalibus ex parte voluntatis iam explicatis.

80 Sed his argumentis aduersariorum solutis, placet proponere aliud longè difficilius aduersus nostrã sententiam hoc modo. Differẽtia indiuidualis oritur ab essentia specifica; ergo virtute cõtinetur in ea; repugnat ergo vnum indiuiduũ esse alio perfectius ratione differẽtiæ indiuidualis, quin sit etiam perfectius ratione specifica: quia si differentia indiuidualis huius indiuidui perfectior est differentia indiuiduali alterius: ergo natura specifica eiusdem perfectior erit, cum virtute contineat differentiam indiuidualem perfectiorem; quare non est intelligibile, quod indiuidua, vel animæ sint inæqualis perfectionis specificæ, atque adeò specie distinctæ.

Pro solutione huius adnoto differentiam indiuidualem non distingui ab essentia specifica realiter, vel ex natura rei: sed sola ratione habente fundamentum] in re, hoc autem fundamentum est hæc natura realis extra causas producta, in qua considerantur prædicata essentialia, quibus constat essentia specifica, & ab hac entitate reali sumitur differentia numerica, vel indiuidualis, vt vnum indiuiduum differt ab alio per hanc entitatem realem, quam habet extra causas existentem distinctam ab entitate reali alterius, & ab hac etiam entitate suscipiunt distinctionem numericam essentialia prædicata vtriusque, atque etiam natura specifica dicitur numero diuersa in eis.

81 Hoc supposito negandum est ad formam argumentum quod differentia indiuidualis emanet ab essentia, quia emanatio realis importat distinctionẽ ex natura rei, quam non habet ab essentia, imò nec habet suam perfectionem ab essentia specifica: sed ab agente immediatè eam accipit, sicut entitas ipsa realis ab agente procedit immediatè, in cuius virtute continetur, & ab hac sua virtute habet idemmet agens, vt possit diuersas entitates producere extra causas fundantes eandem naturam specificam ratione earum numero distinctam. Vnde benè possunt indiuidua distingui, & esse inæqualia in perfectione substantiali indiuiduali, quin sint inæqualia in essentia specifica, vel specie distincta, sicq; de diuersis animabus eiusdem speciei censendum est.

TRA-

TRACTATVS DE MODO quo Anima informat corpus.

QVÆSTIO I.

An anima rationalis sit indiuisibilis.

81 EXplicatis his, quæ pertinēt ad substantiam animæ, agendum est de modo, quo informat corpus, circa quē primò occurrit disputandum de indiuisibilitate animæ: nam ex ea intelligitur modus, quo informet corpus. Anima autem in tria membra diuidi potest quantum ad diuisibilitatem, vel indiuisibilitatem pertinet: primum membrum constituunt animæ imperfectæ, quales sunt plantarum, & imperfectorum animalium, vt reptilium, & aliorum huius generis; secūdum verò animæ perfectæ, quales sunt sensitiuæ animalium perfectiorum, vt equi, leonis, ac similium; in tertio verò collocatur sola anima rationalis. De singulis autem his mēbris proprijs quæstionibus disputandum est: vt tota tractatio dilucidior fit, & vt à facilioribus procedamus, primo disputandum est de anima rationali, de qua quærimus, an sit indiuisibilis.

83 Indiuisibile, vt à nomine ipso incipiamus, illud dicitur, quod partibus caret, in quas diuidi possit, vnde quot modis contingit habere partes, tot modis eis carens dicitur indiuisibile; Partes verò triplices sunt, nempe essentiales Physicæ, vt materia, & forma; & Metaphysicæ, vt genus, & differentia: integrantes, quæ vocantur entitatiuæ, vt pes, manus, caput: ac tandem potentiales, seu potestatiuæ, quales sunt potentiæ. Ideo tribus modis potest dici aliquid indiuisibile, vt adnotauit D. Thom. 1. par. q. 76. art. 8. Primo, quia caret partibus essentialibus; secundo, quia caret partibus integrantibus; & tertio, quia caret partibus potentialibus.

Et primo modo indiuisibilitatis *certum est ex præcedentibus, quod omnis anima sis indiuisibilis, nempe secundum partes essentiales Physicas*, cùm probatum sit non esse compositam ex materia, & forma.

84 Certum quoque est *nullam omninò animam esse indiuisibilem secundum partes essentiales Metaphysicas*; nam tanquam pars speciei, quam cum materia, vel corpore cōponit, certum est suo modo habere genus, & differentiam.

Certum est tandem *quamlibet animam esse diuisibilem tertio modo secundum partes potentiales, quæ sunt virtutes, vel potentiæ:* cum omnis anima habeat proprias potentias, per quas operatur. Difficultas ergo solùm esse potest de secundo modo indiuisibilitatis pro carentia partium integrantium, & de hoc est quæstio præsens, an anima rationalis partes habeat integrantes, in quas diuidi possit.

85 Et prima sententia negat animam rationalem esse indiuisibilem. Ita Cleantes, & Chrysippus, quos citat D. Greg. Nissen in suo lib. 2. de Anima, c. 2. Gandauensis etiam, & Hierardus, quos citat Niphus 2. libro de Anima ad textum 20. qu. de indiuisibilitate animæ rationalis, quibus fauere vt debentur Iandunus, & Pomponatius, quos refert Toletus lib. 2 de anima, q. 5. asserentes secundū principia philosophiæ, omnem animam esse indiuisibilem; de rationali verò sola fide teneri, quod indiuisibilis sit. Pro hac etiā sententia numerari debent Gerandus quidā, quem refert Argentinas in 1. dist. 8. q. 2. art. 1. atq; etiam alij, quos citat Sixtus Senensis lib. 1. Bibliothecæ sanctæ, annot. 8. nam hi om-

omnes vniuersaliter docent, omnes animas esse diuisibiles.

86 Probatur primo experientia, quia videmus partem hominis abscissam tempore aliquo se mouere, & ex consequente viuere, quia nihil se mouet nisi viuens, & ne attribuatur paruus iste motus agitationi spirituum vitalium adhuc in ea parte perseuerátium, eadem experientia docet ad magnam etiam distantiam moueri à corporibus abscissas, vt de capite D. Pauli, & D. Dionysij legitur; remanet ergo anima simul in toto corpore, atque etiam in parte abscissa, sed non remanet tota in toto, & tota in eadem parte, cùm repugnet (saltē naturaliter) eandem animam, vel eãdem eius partem, simul informare plures partes materiæ discontinuas; ergo necesse est concedere, quod à diuersis partibus animæ informentur, & ideo quod anima rationalis eas habens, non sit indiuisibilis.

Deinde ratione, quia forma informans subiectum diuisibile, atque extensum est diuisibilis, & extensa: cum forma debeat proportionari subiecto, sed anima rationalis informat subiectum extensum, ac diuisibile, nempe corpus, ergo diuisibilis est, atque extensa. Maior probatur euidenti inductione in omnibus alijs formis, tam substantialibus, quàm accidentalibus, quas omnes patet esse diuisibiles, quia diuisibile subiectum, aut materiam informant, ergo idem concedendum est de anima rationali.

87 Veritas huius rei à nobis tenenda est, *quod anima rationalis sit indiuisibilis, ita vt contraria sententia non solùm sit falsa, sed vt minimum periculosa in fide.* Ita sentiunt omnes interpretes Aristotelis, tam recentiores, quàm antiqui, cap 3. huius lib, ita etiam Theologi in 1. dist 8. & in 2. dist. 6. & D. Thom. 2. contra gentes, c 82 & 1. p. q. 76 ar. 8 ita demum SS. Patres, præsertim D. Ambr. lib. de conditione dignitatis humanę, c. 2. Chrys. lib. 2. de incomprehensibili Dei natura, Tertul. in libro de anima, Aug lib 6. de Trinit. c. 3. & libro contra Epist. fundamenti c. 16. D. Greg. Magnus hom. 17. super Ezech 1 lib. de fide, c. 27. D. Greg Nyss. lib 2. de anima, c. 2. Et prima ratio ad probandam eandem veritatem sumitur ex duobus, nempe ex eo, quod anima rationalis est entitas putè spiritualis, ac simplex nihil habens admixtum entitatis corporeæ, quod superius probauimus.

88 Atque etiam ex eo, quod non educatur de potentia materiæ, in fine huius operis probandum. Ex his igitur duobus ita probatur, si anima rationalis esset diuisibilis, maximè propter arg oppositæ sententiæ, vt cō-mensuraretur naturaliter materię, quam informat, sed naturalis commensuratio cum subiecto, dicit naturalem dependentiam ab eo in esse, & fieri, quod verò dependet ab alt quo in esse, & fieri, educitur de potētia eius; ergo anima dependebit in esse, & fieri, à materia; educeturque de potentia eius, eritque entitas materialis, & corporea, sicut cæteræ formæ, aduersus duo illa principia præsupposita.

89 Secundò, si anima rationalis diuisibilis est: ergò habet partes integrantes suæ entitatis correspondentes partibus integrantibus materiæ. Ita vt tota anima informet totam materiam, & singulæ partes eius, partes etiam singulas, tunc ergo si abscindatur manus ab homine, necesse erit partem etiã animæ, à qua informatur, abscindi, ac separari cum ea: corrupta autem manu necesse erit corrumpi eandem partem animæ, quia sicut partes cæterarum animarum commensurantur partibus materiæ, & propter hanc commensurationem dependent ab eis, & propter hanc dependentiam non possunt se paratæ ab eis consistere; sed naturaliter corrumpuntur, pari ratione corrumpetur pars animæ rationalis commensurata parti materiæ, & dependens ab illa.

90 Non enim potest dici quod illa pars animæ informans manum corrupta manu se recipiat ad alteram partem corporis, quia sicut repugnat naturaliter eandem materiã informari simul multis formis totalibus, nō minus repugnat eandem partem materiæ informari simul multis partibus formæ, aut multis formis partialibus. Et multo minus dici potest, quod pars illa animæ separata à patte materiæ permaneat propter dependentiam naturalem ab illa ex commensuratione prouenientem, & ideò efficaciter probatur hoc argum. quod anima rationalis eo ipso, quod ponitur diuisibilis, non possit poni immortalis.

Sed explicare oportet, quonam modo possit intelligi animam rationalem esse indiuisibilem, & informare corpus diuisibile, & omnes partes eius, quod egregiè explicuerunt D. Aug. & D. Thom. duobus exem- plis.

pli. Augustinus quidem loco iam citato vtitur exemplo Dei, qui etiam si indiuisibilis sit præsens, nihilominus esse dicitur in toto hoc mundo, & in singulis partibus eius, ita vt totus sit in toto mundo, & totus etiam in qualibet eius parte quantumlibet minima,

91 Et ne diceretur possibile hoc esse propter diuinam immensitatem, propterea D. Thom. in quæst. de anima, art. 10. ad 18. adduxit exemplum Angeli: qui si moueat totam aulam, dicetur esse præsens toti spatio eius, non ita, vt totus sit præsens toti spatio, & partes eius singulis partibus, quia cum spiritualis sit, atque indiuisibilis, partibus caret sed ita vt totus etiam singulis partibus. Ex quibus possibile intelligitur, quod indiuisibilis anima partibus carens possit simul informare totũ corpus diuisibile, & singulas eius partes, ita vt tota sit in toto, atque etiam in qualibet parte tota.

92 Ad experientiam adductam pro opposita sententia respondeo verum esse, quod pars aliqua hominis abscissa tantisper moueatur, eius tamen motus, nec ab anima, nec à vita procedit, sed quasi ab extrinseca agitatione spirituum vitalium ibi concurrentium, quod ex modo quo mouetur, & eiusdem motus breuitate facilè intelligitur; nam partes imperfectorum animalium abscissæ perseuerãte motu, ac eodem modo mouentur, ac totum animal: nec solum motu locali, sed nutritionis, vt mox ostẽdemus: quem propterea motum merito colligunt à parte animæ informante illam partem materiæ, vitamque ei tribuente procedere. Dum verò in mortibus Sanctorum contigit ad magnam distantiam moueri caput, vel corpus truncum caput proprium in manibus gestasse, non naturaliter factum est, sed per miraculum.

Ad rationem vero neganda est maior, quod omnis forma informans subiectum diuisibile sit diuisibilis; hoc enim vniuersaliter sumptum apertè falsum est, quia sicut in formatio abstrahit ab informatione subiecti cum commensuratione, ac dependentia ab eo, vel sine illa, ita abstrahit à diuisibilitate, vel indiuisibilitate formæ, & de ratione informationis solum est, quod forma se ipsam tribuat materiæ, aut subiecto, proprium que effectum formalem ei conferat, commensuratio vero, aut dependentia ex particulari ratione talis formæ magis, vel minus perfectæ prouenit.

93 Et hinc est, quod anima rationalis tanquam forma perfectissima informat materiam sine commensuratione, vel depẽdentia ab ea, quia sicut non dependet in suis operationibus proprijs, ita nec in suo esse, aut fieri: & ideo sicut fit sine dependentia à materia, ita potest naturaliter esse sine illa, & hoc est, esse immortalem.

Et quod tandem dicitur formam debere proportionari materiæ, vel subiecto, solum est verum, ac necessarium, quãtum ad rationem actus, & potentiæ.

QVAESTIO II.

An animæ plantarum, atque animalium perfectorum sint indiuisibiles.

94 Imperfecta animalia, de quibus nunc agemus, vocari solent ab Aristotele insecta pluribus suæ doctrinæ locis, præsertim in hoc 2. lib. textu 20. & in lib. de Iuuentute, & Senectute cap. 1. vbi exemplum eorum ponit in apibus, & vespis, & eiusdem rationis sunt formicæ, atque reptilia ferè omnia, de quorum animabus, atque et am plantarum controuersia est, an sint indiuisibiles, vel partes habeant integrãtes, in quas diuidi possint, sicut habent albedo, calor, & aliæ formæ similes.

Et prima opinio tenet, esse indiuisibiles: quam sententiam Platoni tribuit Marsilius Fiscinus libro 1. de Theologia Platonis cap. 3. & libro 8. cap. 1. de quo etiam referunt D. Nemes. Plotinus, & Ammonius, quod sen serit diuisionem repugnare cuilibet formę, vt habetur apud D. Gregor. Nissen. 3. lib. de anima cap. 1. sed eam sequitur Thienensis 2. libro de anima textu 22. & pro eadem citat Hugonem Senensem Pomponatius lib. 1. de nutritione, cap. 10. vbi ipse etiam affirmat non esse à ratione alienam. Toletus quoque citat Simplicium 1. lib. de anima, textu 47. & lib. 2 textu 20.

95 Et videtur in primis expressa apud D. Aug. in lib. de quantitate animæ c. 31. vbi

occasione cuiusdam experientiæ de vermicu lo à pueris in agro reperto, atq; in duas partes ab eisdem diuiso, imò vna parte eius in plures alias, ita vt omnes mouerétur eadem celeritate, ac mouebatur integer vermiculus ante diuisionem, & altera medietate stilo quodam ferreo tacta, à seque contorta ad doloris locum, in admirationem raptus cogitare cæpit, quonam modo hæc fieri possent supposita indiuisibilitate animæ, quam multis argum. se alibi probasse affirmat, & firmiter tenere.

96 Et post longam disputationem decernit non esse propter hæc, quæ videntur sensum decipere, à veritate per intellectum cognita recedendū; sentit igitur has animas esse indiuisibiles, quod etiam experientia illa probare videtur, nam si in parte quadam læsus vermiculus mouetur totus ad doloris locum, euidens est animam eius vnam, & eandem esse, & non plures, atque adeò indiuisibilem.

Probatur, etiam ratione primo; quia omnes istæ animæ non dependent adæquatè à qualibet parte materiæ, & ideo nec adæquatè educuntur de potentia eius, sed à pluribus diuerso modo dispositis: ergo nec possunt esse, aut conseruari in qualibet separata ab alijs, nec proinde diuidi poterunt, sed in partibus materiæ vnitis, ac per modum vnius adæquati perfectibilis, & consequenter in tota materia modo quodam indiuisibili aptæ sunt consistere, quod est modum indiuisibilem, saltem imperfectum habere.

97 Probatur minor ex definitione animæ, quia quælibet anima est actus corporis physici, & organici, ergo postulat plures partes materię diuerso modo dispositas, quasi diuersa organa suarum potentiarum pro exercendis vitalibus operationibus, ab eis ergo simul sumptis, & per modum vnius adæquatè dependet, & non à qualibet separata; quare nec potest in eis separatis esse, aut conseruari, sicut nec operari, & consequenter, nec diuidi ad diuisionem materiæ: sed modum indiuisibilem eam informandi habet.

Secundò, quia si esset diuisibilis talis anima, educeretur quælibet pars eius de parte materię, sicut tota de tota ipsa materia, quare dum nutriuntur viuentia hæc, simul cum noua parte materiæ adueniret noua pars animæ, quod esset augeri sicut non viuentia per quandam iuxta positionem nouæ partis, & ideo contra rationem, ac perfectionem intrinsecam viuentium.

Secunda opinio affirmat has omnes animas esse diuisibiles ad diuisionem corporum eo ferè modo, quo formæ accidentales corporum, vt albedo Hæc est communis sententia ferè totius scholæ, nam eam in primis sequuntur omnes interpretes Aristotelis præter paucos citatos pro opposita, comm. 7 libro Phys. comm. 78. Marsil. & Saxonia 1. lib. de gen. q. 10. Apollinaris 2. lib. de anima q. 6. Toletus q. 7 & cæteri c. præsenti, atque etiam Scholastici Doctores in 1 d. 8 d bona 2. par. d. q 3. quamuis malè à quibusdam citetur pro opposita Herueus, Ægidius, atque Durand. ibidem, Scot. in 4. d 44 q. 1. art. 1. D. Thom. 1. p. q. 76 artic 8. & cum eo Capreol. in 2. d. 15 q. 1. & omnes ferè eius discipuli, omnesque recentiores.

99 Tertia opinio medium ponit inter duas præcedentes: concedens quidem has formas aliquo modo esse diuisibiles contra primam, non tamen eodem modo, vel non tanta diuisibilitate, aut in tot partes, ac formæ substantiales non viuentium, vt videtur afferere secunda.

Quod vt explicet, adnotat duplices esse partes plantarum, & animalium imperfectorum, quædam sunt præcipuè, in quibus resident virtus vitalis, & organa potentiarum, per quas exercent opera vitæ, nempe virtus generatiua, sensitiua, & appetitiua: appetitus enim non est in toto corpore, sed in parte determinata, vt in spina per medium corpus in longum producta à capite vsque ad caudam, & in plantis generatiua virtus in medulla quadam eodem modo extensa per medium corpus, quæ videtur esse quasi cor eius, & ita appellatur: & phantasia nec est in toto corpore, aut singulis partibus, sed in aliqua determinata, idque videtur experientia probari, nam si abscindatur pars aliqua plantæ, sine illa nec viuere poterit, nec germinare, si alteri inseratur arbori, vel terræ mandetur; ergo signum est in illa tantum parte virtutem germinandi residere. Ex quibus intelligi afferunt has animas non esse diuisibiles ad diuisionem totius materiæ, & singularum partium eius, sicut formæ substantiales non viuentium, sed solum secundum eas partes, in quibus organa illa, & virtutes seu potentiæ resident, secundum alias vero indiuisibiles reputari.

Probant primo, quia solum censetur forma diuisibilis in eas partes materiæ, in quibus post diuisionem permanere potest, quia ab his solum potest adæquatè dependere, & propterea forma non viuentium potest diuidi secundum omnes partes materię in infinitum, quia ab omnibus, & singulis potest dependere adæquatè, sed anima plantarum, & imperfectorum animalium non potest depēdere adæquatè ab omnibus, & singulis partibus materiæ, quas informat, & ideo nec in eis separatis permanere, vt docet experientia, sed solum in quibusdam iam explicatis, ergo in has tantum, & non in omnes censetur diuisibilis.

100 Secundo, quia si istæ animæ sunt diuisibiles secundum omnes partes materiæ; ergo quælibet pars earū correspondens cuilibet parti materiæ est anima. Probatur consequentia, quia sicut quælibet pars corporis corpus est, ita quælibet pars animæ debet esse anima, sed hoc non potest esse verum: ergo nec verum est, quod secundū omnes partes sint diuisibiles. Probatur minor, quia anima est actus corporis physici, & organici, sed istæ partes animæ (si eas habet) nō possunt esse organicæ: nam partes organicæ diuerso modo debent esse dispositæ iuxta diuersitatem potentiarum in eis recipiendarū, quam diuersitatē dispositionum constat non habere, vt vidimus, ergo nec possunt à partibus animæ informari, sed necessariò a tota anima modo indiuisibili.

Nostra sententia duo asserit; Primum est *animas horum omnium esse diuisibiles* aduersus primam sententiam. Secundum *omnino esse diuisibiles*, hoc est, secundum omnes partes materiæ, quas informant aduersus tertiam, & vtrunque continet secunda opinio, quam tanquam communem, & longè probabiliorem sequimur. Probatur vtrumque egregio testimonio Aristotelis in lib. de longitudine, & breuitate vitæ c. vl. his verbis: *Assimilantur autem plantæ insectis, sicut dictum est prius, diuisa enim viuunt, & duæ, & multæ fiūt ex vna. Insecta autem vsque ad ipsum viuere peruenerunt, multo autem non possunt tempore, non enim habent instrumenta, neque facere potest ipsa principium, quod in vnoquoque, quod autem in planta potest, vbique enim habet germen, & radicem potentia, &c.* quibus in primis docet expresè horum omnium animas diuisibiles esse aduersus primam sententiam: dum ait ex vna plures fieri posse, & quamlibet esse vnam actu, & plures potentia.

101 Deinde asserit in vno conuenire insecta animalia cum plantis, & in alio differre; conuenire quidem in eo, quod sic diuisibilia sint, tam animalia, quam plantæ, vt ex vno possint fieri, non solum duo, sed plura, quasi dicat, diuisionem harum animarum in minores, atque minores partes fieri posse secundum diuisionem partium materiæ, quas informant, quod est dicere semper diuidi posse, & proinde secundum quaslibet partes aduersus vltimam opinionem, vtraque ergo Arist. aduersatur. Et verba eius relata duas rationes satis efficaces continent aduersus vtramque. Et aduersus primam hæc ratio colligitur. Partes plantarum, & animalium insectorum separatæ viuunt; ergo informantur anima, vel, ergo eadē, qua informabantur ante diuisionem, & tunc sequitur euidenter diuisam fuisse in duas partes ad diuisionem corporis, & ideo non esse indiuisibilem.

103 Probatur consequentia, quia eadem anima non potest saltem naturaliter informare duas materias discontinuas; ergo nec potest permanere eadem anima indiuisa in vtraque parte materiæ discontinuæ; sed si vtramque partem informat post diuisionē, in duas partes diuisa eas informare debet, quare diuisibilis erit, vel post diuisionem informantur singulæ partes discontinuæ ab alia anima distincta à priori, & hæc non potest esse vna, cum non possint partes discontinuæ ab eadem anima informari: erunt ergo duę resultantes ex diuisione corporis, vel de nouo productæ ab agente vniuersali, aut primo occasione diuisionis, ne maneat vtraque pars materiæ sine vlla forma, sed vtrūque est impossibile naturaliter. Probatur minor, quia si aliæ animæ succedunt facta diuisione; ergo corrumpitur compositum, & cū eo prior anima, sed ad corruptionem compositi viuentis, & animæ eius non succedit naturaliter alia anima in materia, sed forma cadaueris: ergo falsum est, quod aliæ animæ succedant in partibus materiæ.

104 Probatur minor non solùm experientia in cæteris corruptionibus viuētium, sed etiam naturali ratione, quia mors non est aliud, quàm diuisio animæ, & corporis: ergo eo ipso, quod anima desinit informare corpus, desinit idem corpus viuere, & mortuū

esse

esse dicitur, quod est forma cadaueris informari, & non alia anima.

105 Secundum quod asserit Aristoteles est, animam plantarum, & insectorum animalium esse vnam actu, & plures potentia; ex quo hoc argumentum colligo ad probandum esse diuisibilem secundum omnes partes, contra tertiam opinionem; ideo anima est vna actu, & plures potentia, vel virtute, quia per diuisionem materiæ diuidi potest, sed impossibile est posse diuidi ad diuisionem materiæ secundum aliquas partes, nisi sit extensa in eis, ita vt tota informet totam materiam illam, & partes eius informent partes, & ex hoc sequitur esse diuisibilem secundum omnes partes; ergo talem esse concedẽdum est Maiorem, & minorem simpliciter concedit tertia opinio, quia nullo modo negari possunt, sed probatur ex hoc sequi esse diuisibilem ad diuisionem omnium partium materiæ, quia anima non est minus extensa in his partibus materiæ, quā in præcipuis, sed eodem modo est tota in tota materia earum, & pars in qualibet parte, ac est in præcipuis, sed ex hoc modo diuisibili informandi præcipuas, est diuisibilis ad diuisionem earum; ergo cum eundem modũ habeat informandi cæteras, etiam erit diuisibilis ad diuisionem earum.

106 Maiorem in qua est difficultas, sic probo; Vel anima informat partes minus præcipuas, ita vt tota informet totam materiam earum, & pars partem, & ita sequitur intentum, quod sit diuisibilis secundum easdem, & proinde secundum omnes; vel non informat eas hoc modo, sed ita vt tota sit in tota materia earum, & tota etiam in qualibet parte, sed hoc est impossibile; ergo illud est necessarium. Probatur minor, quia repugnat totam formam esse in tota materia, & tota in qualibet parte, nisi realiter sit indiuisibilis, sed istæ animæ non sunt realiter indiuisibiles; ergo non possunt sic informare villas partes.

107 Probo iterum minorem, quia anima huius plantæ, vel huius animalis imperfecti est extensa in partibus præcipuis, quas informat per partes, & nullam partem tota; ergo non potest esse indiuisibilis respectu aliarum. Probatur consequentia, quia alioqui eadem numero anima esset diuisibilis, & indiuisibilis realiter, quod patet esse falsum.

108 Et si dicas respectu diuersarum partium habere vtrunque, nempe diuisibilem, & indiuisibilem esse, probatur hoc esse impossibile, quia quælibet anima alicuius plantæ, vel animalis insecti est vna numero; ergo est vna entitas numero, vel ergo hæc entitas numero habet partes integrantes substantiales, vel non, si habet partes (vt concedunt asserentes esse diuisibilem in præcipuas partes) ergo repugnat, hanc eandem entitatem esse indiuisibilem. Probatur consequentia, quia esse diuisibilem, & indiuisibilem secundum partes integrantes, repugnat conuenire eidem numero entitatis.

Sed probatur friuolum esse fundamẽtum huius sententiæ, nam affirmat has animas esse diuisibiles secundum partes præcipuas materiæ, indiuisibiles verò secundum alias, quia in illis per diuisionem separatis potest conseruari, in alijs verò non: sed hæc ratio est insufficiens. Primò, quia si partes præcipuæ harum formarum sunt diuisibiles, repugnat minus pręcipuas esse indiuisibiles, cum eiidẽs sit diuisibilitatem esse maximam imperfectionem, 2. quia non potest sumi diuisibilitas, aut indiuisibilitas formæ ex conseruatione, aut permanentia formæ diuisæ in partibus materiæ separatis, vt multis exemplis probari potest.

109 Et omissis alijs euidens est potentiam visiuam esse corpoream, & extensam, & modo diuisibili informare totum oculum, ita vt tota sit in toto, & singulæ partes eius in singulis partibus oculi, & ideo esse diuisibilem omninò, & modo diuisibili informare omnes partes subiecti, & tamen si diuidatur oculus in tres, vel quatuor partes æquales, in neutra earum conseruari poterit naturaliter eadem potentia visiua, quia sua natura postulat in organo determinatam quantitatem, & cœteras dispositiones sub tali figura, & modo, sine quibus non poterit conseruari in eo, ergo ex eo quod non possit cõseruari in partibus separatis, non benè colligitur esse indiuisibilem, quamuis ex conseruatione in eis colligatur benè ab Aristot. & cœteris, quod diuisibilis sit. Quod verò non possit in quibusdam partibus separatis conseruari, & possit in alijs, non dependet ex diuisibilitate, vel indiuisibilitate formæ, sed ex eo quod ad sui conseruationem postulat tot partes talemq; vnionem earum non quacun-

cunctaque, sed talis conditionis, à quibus adæquatè dependet, quas si non habeat, licet habeat alias, in quas diuisa sit, conseruari non poterit.

110 Ad testimonium Augustin. facilè respondent quidam ex his, qui sequuntur nostram sententiam, solum sequi ex experientia illa, quam adducit, quod anima insectorum sit vna continuatione suarum partium, non tamen, quod sit indiuisibilis. Et quantum ad experientiam ipsam, ego quoque sentio non probare indiuisibilitatem, sed vnitatem continuationis suarum partium sufficere, vt moueantur partes ad locum doloris, eo modo, quo moueri videmus. Sed oportebat explicare, quid sentiat Sanctus Doctor de hac re. Et respondeo, quod si totum illud cap. legatur à principio, constabit eum sensisse, quod istæ animæ sint indiuisibiles, nam si id non sensisset, nec tantum laboraret in illa experientia de motu partium animalis separatarum explicanda, sed facile posset respondere, quod moueri poterant ratione partium animæ, & consequenter ratione sensus, appetitus, ac motiuæ potentiæ in eis existentium, nec tamen sic respondet, sed aliam videtur solutionem quærere, qua ostendat, non probari experientia illa, quod animæ istæ sint diuisibiles, quam tamen non videtur omninò inuenire; & propterea dubius fortè permansit; quare nihil ex eius autoritate contra nostram sententiam deduci potest.

111 Pro solutione primi argumenti eiusdem opinionis, & argumentorum tertiæ adnotandum est, quod indiuisibilitas, seu diuisibilitas formæ ex perfectione eius, atque ex entitate sumenda est, si enim sit infima, vt sunt formæ elementorum: euidens est esse diuisibilem, & entitatem eius ex partibus integrantibus compositam, vt forma aquæ, vel ignis, & si sit superioris ordinis, indiuisibilis est, vt anima rationalis, & de his animabus plantarum, & insectorum (de quibus nunc disputamus) probat etiam experientia ipsa, quod sint diuisibiles, quia in quibusdam saltem partibus materiæ separatis perseuerant. Ex quo euidenter colligitur entitatem earum non esse simplicem, sed compositam ex partibus integrantibus.

Modus etiam informandi diuisibilis, vel indiuisibilis ex entitate eiusdem formæ desumitur, quia per eam informare debet, quare si entitas formæ composita sit ex partibus integrantibus, non potest informare materiam, nisi per partes; ita vt tota informet totam materiam, & singulæ partes singulas etiam partes eiusdem.

112 Vnde sequitur, quod cum entitas harum animarum sit composita ex partibus integrantibus, vt concedit tertia opinio, per partes etiam informet, nec possit esse tota in qualibet, immo neque in parte vlla materiæ, sed solùm in tota, & singulæ partes in singulis partibus, quod est modo diuisibili informare.

Si verò entitas formæ non sit ex partibus composita, nec potest per partes (quas non habet) informare, sed tota informabit totam materiam, & tota etiam singulas partes.

113 Verum est tamen imperfectas animas plantarum, & insectorum quandam rationem indiuisibilitatis habere in modo informandi, in quantum sic dependent ex tali vnione quarundam partium, vt non possint quamlibet earum separatam ab alijs naturaliter informare, sicut possunt formæ non viuentium informare quamlibet partem separatam, & ex hac parte verum est non habere tantam diuisibilitatem, ac habent formæ non viuentium in modo informandi, & quandam similitudinem habere cum animabus informantibus modo indiuisibili: simpliciter tamen non minus dispersæ sunt secundum suas partes per omnes partes materiæ, nec minus diuisibiles ad diuisionem earum, ac formæ non viuentium, & in hoc decipitur tertia opinio recentiorum.

Ex his facile soluitur primum argumentum: nam concesso antecedente, quod non dependeant adæquatè istæ animæ à qualibet parte materiæ: sed à quibusdam certis, ac determinatis, nec adæquatè educantur de potentia cuiuscumque, neganda est consequentia, quod non diuidatur ad diuisionem omnium, & singularum, quia licet non possint in quibuscunque separatis conseruari, nihilominus cum eas informent secundum suas partes integrantes: ad diuisionem earum necessario diuiduntur, & simul desinūt esse per diuisionem.

114 Ad secundum concedenda est vtraq;

pars antecedentis, quod anima hæc imperfecta educatur tota de potentia totius materiæ, & partes eius de partibus materiæ, atque etiam, quod in nutritione horum animalium, & plantarum simul cum noua parte materiæ alimenti adueniat noua pars animæ educta de potentia eius: sed neganda est consequentia, quod augeatur improprie per iuxta positionem viuentia hæc, sicut augentur non viuentia, nam adhuc augentur per intussumptionem alimenti per omnes partes distributi, & per conuersionem eius factam per virtutem vitalem, & ideò augentur secundum omnes partes, atque etiam vitali modo, & per actiones vitales interuenientes; nec augmentum horum viuentium procedere potest in infinitum, sicut augmentum non viuentium, quia fit per virtutem intrinsecam vitalem habentem intrinsecum terminum; aliud vero augmentum per extrinsecam iuxtapositionem, & ideo non habet terminum intrinsecum, sed si in infinitum iuxta ponatur pabulum igni, in infinitum crescet, vt asseruit Aristot.

115 Ad primum argumentum tertiæ opinionis neganda est maior, quod in eas solùm partes diuisibilis sit forma, in quibus separatis potest conseruari, quin potius necesse est, vt si semel sit diuisibilis in eas partes, in quibus separatis conseruari potest, omninò sit diuisibilis, hoc est, secundum omnes partes materiæ; ita vt tota correspondeat toti materiæ, & singulis partibus eiusdem materiæ singulæ etiam partes.

Quod verò conseruari nequeat in quibuscunque, sed in certis quibusdam vnitis, ex alio capite prouenit, vt probauimus.

Quare non probat indiuisibilitatem talis animæ.

Ad secundum, concedenda est prima consequentia, quod quælibet pars animæ imperfectæ correspondens cuilibet parti materiæ, est anima: concedendum quoque est, quod additur; videlicet, cuilibet parti animæ non conuenire definitionem animæ, quia definitur anima per corpus organicum tanquam per primum, & adæquatum perfectibile: partes vero singulas non respicit, neque informat tanquam adæquatum perfectibile, sed tanquam inadæquatum; & ideo non conuenit cuilibet parti definitio simpliciter, nihilominus accommodari eis potest inadæquatè, & quasi in obliquo in hoc sensu, quod quælibet pars animæ sit actus alicuius partis organici corporis, & hoc sufficit, vt suo modo quælibet pars sit anima, & talis possit in aliquo sensu vocari. In quo differunt partes animæ à partibus inferiorum formarum; nam istæ absolutè suscipiunt denominationem totius, quia quamlibet partem materiæ respicit forma, vt adæquatum perfectibile, & propterea cuilibet tribuit denominationem totius; anima verò quia longè perfectior forma est: non nisi plures ac diuersas partes componentes corpus organicum adæquatè respicit, & informat, singulas verò non nisi inadæquatè; & ex hoc prouenit diuersa ratio denominandi.

QVAESTIO III.

An animæ sensitiuæ perfectorum animalium sint indiuisibiles.

116 Determinata indiuisibilitate animæ rationalis, & diuisibilitate animæ vegetatiuæ animalium imperfectorum, supersunt animæ sensitiuæ perfectorum animalium, vt equi, leonis, ac cæterorum, de quibus valde difficile est decernere, an indiuisibiles cum anima rationali censeri debeant, vel diuisibiles cum anima plantarum, & animalium imperfectorum.

Et prima opinio tenet esse indiuisibiles, & modo indiuisibili informare materiam, ita vt anima leonis sit tota in toto corpore, atque etiam tota in qualibet parte, sicut rationalis, eo excepto, quod dependenter à materia informat, & tâquam corporeum quid de potentia eius educitur, cum tamen anima rationalis spiritualis sit, & independens à materia, & de potentia eius non educta. Ita sentiunt ex antiquiorib. Alb. Magn. lib. 1. de anima, c. vlt. & lib. 2. c. 7. Alex. Alensis 7. Metaphys. ad tex. 59. Alex Aphrod 2. lib. de anima, c 10. & Bonau. in 1. dist. 8. in 2. p dist. q. 3 Herue. ibidem, q. 4. D. Thom. in quæst. de spiritualibus creaturis, art. 4. in q. de anima, ar. 10. 2. contra gentes, c. 72. & 1. p. q. 76. art. 8,

Ca-

Caiet & Ferrar. in his duobus locis vltimis. Aludillo 1. lib. de gen. q. 15. Bannez 1. lib. de gen. c. 5. q 5 & 1. par. q. 76 art. 8 dubitatione 3. quam sequuntur etiam ex Recentioribus Conimbr. & alij.

117 Probatur testimonio Aristotelis libro de Iuuen. & Sene. c. 1. non longè à fine, vbi cum docuisset insecta animalia post diuisionem viuere, de animalibus perfectis hæc verba scribit. *Optimè autem constituta animalia hoc non patiuntur, propter quod natura ipsorum, vt possibile est, maximè vna est.* Sed maximam habere vnitatem est esse indiuisibilem; ergo sentit esse indiuisibilem. Probatur minor, quia quælibet diuisio animæ tollit aliquam vnitatem eius; ergo maxima vnitas pugnat cum quacumque diuisione; si igitur maximè vna est (vt ait Arist.) non est vllo modo diuisibilis.

118 Probant deinde experientia, quia videmus partes separatas, aut diuisas à toto horum animalium non viuere. Quia nullam habent operationem vitalem; ergo euidens signum est in nulla earum conseruari animam, etiam breui tempore, vitalem, & consequenter, neque separari partem animæ cũ parte materiæ per diuisionem; quare non ab aliqua parte animæ informantur partes materiæ, sed à tota, quod est esse indiuisibilem; Probatur vtraque consequentia, quia si separentur partes animæ, pro breui saltem tempore partes animatorum viuerent, sicut in plantis, & imperfectis animalibus diuisis constat.

119 Probatur tandem ratione primò, quia forma diuisibilis eodem modo respicit totum, & quamlibet partem, & ideo tã sub parte separata, quàm sub toto conseruatur, vt patet in igne: sed anima perfectorum animalium non eodem modo respicit totum, & partem: sed totum corpus respicit, vt primũ & adæquatum perfectibile, non verò partem, quia in ea abscissa non conseruatur; ergo non est diuisibilis.

Secundo, si aliqua ratione anima horum animalium non est indiuisibilis, maximè quia dependet à subiecto, vel materia, & de potentia eius educitur: sed formam esse indiuisibilem, independentem à subiecto, neque eductam de potentia eius, diuersæ perfectiones eius sunt; ita vt nec ex priori inferatur necessariò posterior, nec sit ei necessariò coniuncta. Probatur vtrumque in accidenti spirituali, quale est gratia, indiuisibilis, quidem, & tamen dependens ab anima, & de potentia eius educta: ergo non bene sequitur; hæc forma est indiuisibilis: ergo independens à subiecto, & ideo stare potest simul indiuisibilitas harum animarum cum dependentia, & eductione. Et vrgeri potest argumen. hoc modo; non probatur implicare contradictionem, quod detur anima educta de potentia materiæ, & ab ea dependens, & simul indiuisibilis: ergo possibilis censenda est, & valde probabile, esse à Deo factam, & ideo in natura rerum dari in his animalibus perfectis, quæ quasi media sunt inter hominem, & imperfecta animalia.

120 Secunda opinio easdem animas diuisibiles ponit. Ita tenent comm. 8. lib. Physic. Scot. in 4. dist. 44. q. 1. artic. 1. Durand. & Ægid. in 2. d. 8. q. 3. Capr. in 2. dist. 15. q. 1. ad vltimum contra vltimam conclusionem, Socin. 8 Metaphys. q. 11. Iaue. ibid. q. 4. Apol. 2. lib. de anima, q. 6. Marsil. 2. lib. de gen. qu. 10. Tolet. q. 5. & ex recentioribus multi: & videtur nobis longè probabilior propter hæc argumen. 1. quia istæ animæ continentur in potentia materiæ tanquam subiecti, a quo dependent, & ex quo educuntur: ergo commensurantur eidem materiæ, sicut cæteræ omnes formæ, tam substantiales, quàm accidentales nulla excepta. Sed commensurari subiecto non est aliud, quàm totam animam contineri in tota materia, & de tota materia educi, & partes eius contineri in singulis partibus, ex eisque deduci: ergo ita se habẽt istæ animæ respectu materiæ, quare necesse est partes eis integrantes tribuere, per quas eidem materiæ commensurentur, ac proportionentur.

121 Secundum, si abscindatur pars aliqua ab animali, statim corrumpitur; ergo necesse est, quod ab illa parte materiæ separetur anima, à qua informabatur, quia corruptio est separatio realis formæ à materia, vel ergo informabatur à tota anima, vel à parte eius, si à parte, iam fateris habere partes, & proinde esse diuisibilem, si verò informabatur à tota anima: ergo tota ipsa anima separatur ab ea, vel ergo corrumpitur, vel permanet separata, vel reducit se ad alias partes materiæ informandas. Separaram permanere naturaliter est impossibile, quia forma dependens à materia non potest naturaliter permanere ab ea se-

 para-

parata, nec est minus impossibile se reducere ad alias partes materiæ informandas, quia sufficienter informatæ sunt à partibus eiusdem animæ, vel à tota ipsa anima, nec potest eadem forma naturaliter migrare de subiecto in subiectum: ergo concedendum est necessariò totam illam animam corrumpi, quod patet esse impossibile: cum tota ipsa permaneat informando cæteras partes eiusdem animalis adhuc permanentis, & impossibile sit eandem omninò animam (sicut quamlibet aliam rem) totam corrumpi, & permanere totam.

122 Nec soluitur argument. si dicatur, nihil horum fieri in corruptione partis, sed solùm totam animam desinere informare illam partem materiæ, quam inadæquata ratione informabat, quemadmodum si abscindatur manus ab homine, non cogimur dicere, quòd cum parte materiæ separetur pars animæ rationalis, nec totam animam rationalem permanere separatam, nec tamen, quod ad alias partes materiæ informandas se recipiat, sed solùm, quòd illam partem materiæ informare desinat, & hoc est, ab ea separari, & separatio hæc animæ dicitur corruptio manus, per solam dissolutionem vnionis sine corruptione animę.

123 Ita ergo dicendum est contingere, si pars equi ab eo abscindatur, quare nihil videtur probare argum. Hæc tamen solutio euidenter est falsa, propter euidens discrimen inter has animas, & rationalem, quia hæc informat totam materiam, & tota quamlibet partem eius: sed omninò independentet ab ea, & hinc est quod possit à toto corpore separari, & separata permanere, atque etiam à qualibet parte abscissa per solam cessationem ab informatione vnione dissoluta: ita vt nec desinat esse, nec separata permaneat, nec se recipiat ad informandum alias partes corporis: sed desinat informare illam in cœteris permanens. Anima verò equi, vel leonis informat materiam omnino dependenter ab ea: ergo idem est in ea desinere informare partem, quam informabat, & desinere esse, quia non potest naturaliter ab ea separari, vel sine illa esse, nec omninò deserere materiam sine sui corruptione.

124 Tertium argumentum adhuc efficacius est, & sumitur ex nutritione horum animalium hoc modo. Dum leo nutritur, necesse est animam eius informare nouam materiam alimenti, & totam quidem animam, si indiuisibilis est partibus carens; vel ergo educitur de nouo tota anima de potentia illius partis materiæ; vel iam educta se extendit ad informandam nouam illam materiam: hoc secundum non potest esse verum, quia sequeretur ex eo, hanc animam informare materiam de cuius potentia nullo modo educitur, & à qua nec vllo modo dependet, quod pugnat cum natura eiusdem animæ, & soli rationali conceditur. Necesse est ergo de potentia illius materiæ de nouo educi, quod non est minus falsum, propter duo; primum quia educi de potentia materiæ est fieri in actu de nouo, aut produci, quod iam est actu in rerum natura: ergo repugnat talem animam educi de materia alimenti.

Secundum quia causa efficiens principalis nutritionis, atque etiam partialis substantiæ per eam productæ est anima ipsa; ergo si educitur de potentia materiæ alimenti, à se ipsa efficienter educitur, & cum educi sit produci, sequitur à semetipsa produci: sed repugnat aliquid producere seipsum, quia inter producens, & productum intercedit necessario realis prioritas naturæ, distinctio realis, & relatio realis, quæ eiusdem ad se ipsum non dantur; ergo ex nutritione horum animalium cöcluditur, quod eorum animæ non sint indiuisibiles. Nam quod huic argumen. respondent 1. Iuniores quidam, videlicet, posse eandem rem effectiuè concurrere ad sui conseruationem, inadæquatè tamen, ex quo sequitur posse dependere efficienter à se ipsa, vt nonnullis exemplis ostendi posset; nullius momenti est, quia conseruatio non est productio noua: sed continuatio productionis nouæ præsupponens rem productam in suo esse; argumentum verò de noua productione animæ, hoc est, de noua eductione ex potentia materiæ probat, non de sola continuatione, vel de sola conseruatione.

125 Sed nec soluit argument. quod asserunt secundò benè posse animam educere se ipsam de nouo ex potentia materiæ alimenti, quia terminus nutritionis non est anima, neque hæc producitur, sed partialis materia resultans, quæ realiter distinguitur ab eadem anima, & ita non sequitur, quod eadem res se ipsam producat, sed

aliam

[illegible] à se distinctam. Hoc inquam, non soluit argum. quia licet anima non sit id quod producitur per nutritionem, quia non est id quod est, sed quo aliud est, verum est tamen ac necessarium educi de potentia in actum per nutritionem, quod est de nouo incipere esse, immo de nouo accipere esse ab efficiente. Sed repugnat, quod eadem res accipiat esse de nouo efficiérer à se ipsa, propter tria illa incommoda, quæ non minus ex hoc modo accipiendi esse de nouo à se ipsa sequuntur, quàm ex alio, ergo falsa est talis solutio argumenti.

126 Testimonium Aristotelis pro opposita sententia hac distinctione explicatur vnitas maxima dupliciter sumi potest; primò vniuersalissime pro omnimoda negatione diuisionis, aut diuisibilitatis, in hoc sensu vnitas maxima animæ, aut formæ idē est, quod indiuisibilitas eius. Secundo accipitur cum limitatione pro maxima vnitate in tali genere, quo pacto non est idem, quod indiuisibilitas, sed solum dicit negationem cuiuslibet modi diuisionis, aut diuisibilitatis, quem habere possunt formæ, aut animæ illius generis.

127 Verba igitur Aristotelis in posteriori sensu intelligenda sunt, & non in priori, vt apertè colligitur ex contextu eiusdem loci, in quo loquebatur de animabus corporeis, hoc est, à materia dependentibus, ac de potentia eius eductis, inter quas maximam vnitatem habere debent animæ perfectorum animalium, quia maximam perfectionem huius generis habent, hæc autem maxima vnitas non consistit in minori diuisibilitare absolutè, sed in minori, in ordine ad cō seruationem, & permanentiam, in quo sensu maiorem vnionem partium materiæ postulant, vt introduci atque conseruari possint, quam animæ plantarum, & insectorū, nam cum anima sit actus organici corporis, quo perfectior est anima, plurium, magisque diuersarum operationum principium est, plura, magisq; diuersa petit organa, magisq; inter se vnita, in quibus potentiæ resideant, & per quæ proprios actus exercere possint, sine quibus nec potest introduci in materia, nec in ea conseruari.

128 Et hæc est ratio à priori, propter quam animalia hæc non possunt viuere in partibus abscissis; quia non habent in eis potentias, neque organa ad propriā consistentiam necessariò requisita; cum tamen plantæ, & insecta animalia in multis partib diuisa conseruentur. Itaque animæ perfectorum animalium, quantum ad diuisibilitatem in partes integrātes simpliciter consideratam, non sunt minus diuisibiles simpliciter, quam animæ insectorum, atque plantarum, immo quam formæ non viuentium: sed eodē modo dispersæ sunt per omnes partes corporis, quantumlibet exiguas, quibus exiguæ etiam partes animæ correspondent, considerata autem eadem diuisibilitate in ordine ad consistentiam eiusdem animæ in partibus separatis, minus longè diuisibiles sunt, quàm cœteræ animæ, aut formę inferiores, imò quēdam modum indiuisibilitatis, similem indiuisibilitati animæ rationalis habent. Et fortè in hoc sensu eas vocabit indiuisibiles opposita sententia, & non in priori.

129 Et sic posset conciliari cum nostra, quamuis D.Thom. in loco præsertim primę partis videatur omnem diuisibilitatem in partes integrantes, etiam per accidens negare hisce animabus, & expresśè asserere quòd tota anima sit in toto corpore, & in qualibet etiam parte tota, quæ duo non video, qua ratione, vel in quo sensu explicari possint: & propterea censeo oppositam sententiam tenuisse, vel certè in eam maximè inclinasse, quam vel sola authoritas eius probabilem facit, & ego quoque libenter ei subscriberem, si aliquid inuenire possem, quo oppositis rationibus quoquo modo satisfacerem.

Ad illam experientiam de his animabus non conseruatis in partibus diuisis facilè respondetur, non probare veram, & realem indiuisibilitatem animæ, vt superius ostendimus.

Ad primum argumentum neganda est maior, quod omnis forma diuisibilis eodem modo respiciat totam materiam, & quamlibet eius partem: nam licet vera sit de imperfectissimis, quia sunt homogeneæ, falsa de quacunque anima; etiam apud omnes ferè patronos oppositæ sententiæ. Et ratio differentiæ manifesta est, quia anima non est actus cuiuscunque corporis: sed organici, & ideo tanquam primum perfectibile respicit corpus organicum, & propterea non potest naturaliter conseruari in parte quacunque separata, quia corpus organicum plures, ac diuer-

ſas,& inter ſeſe vnitas habere debet, magis quidem, vel minus iuxta maiorem perfectionem animæ, vt expoſitum eſt.

130 Ad 2.conceſſa maiori, diſtinguenda eſt minor, quod formam eſſe indiuiſibilem,& dependentem a ſubiecto, de eiuſque potentia eductam, ſint diuerſæ perfectiones non habentes inter ſe neceſſariam connexionem; nam ſi ſermo ſit de dependentia,& eductione à ſubiecto materiali, ac diuiſibili, falſa eſt, licet vera eſſe poſſit de dependentia à ſubiecto ſpirituali, vt probat exemplum de anima in argum. adductum, & ratio diſcriminis eſt: quia vniuerſaliter eſt verum, quod forma educta de potentia ſubiecti, debet commenſurari eidem ſubiecto, commenſurari verò non eſt aliud, quàm ſecundum eundem modum diuiſibilem, aut indiuiſibilem ei correſpondere, quod neceſſarium omninò eſt, quia cum contineatur in potentia eiuſdem ſubiecti, eundem modum eſſendi materialem, vel immaterialē, & conſequenter diuiſibilem, vel indiuiſibilem habere debet cum eo, ſed conſtat materiam eſſe diuiſibilem in partes integrantes: ergo nulla poteſt forma in ea contineri, niſi diuiſibilis etiam ſit in partes integrantes, ita vt tota ipſa materia contineat totam formam, & quælibet eius pars contineat etiam partem. Vnde ſequitur, quòd licèt eſſe formam indiuiſibilem,& independentem à ſubiecto materiali ſint rationes, aut perfectiones diſtinctæ, neceſſariam nihilominus habeant connexionem, ita vt euidenter vna ſequatur ex altera.

131 Ad vltimum negandum eſt antecedens, quod ſit poſſibilis talis forma ſua natura dependens à materia, & educta de potentia eius,& ſimul indiuiſibilis, hæc enim duo omninò ſunt oppoſita, atque incompoſſibilia: quare non poſſunt in eadem re vllo modo inueniri. Rationes autem huius implicationis ſatis efficaces ſunt illæ, quibus noſtrā ſententiam corroborauimus. Quod verò in eodem argum. additur animas horum animalium quaſi medium eſſe inter rationales, & alias inferiores, diſtingnendum eſt: nam quantum ad verā diuiſibilitatem ſumptum, falſum eſt: ſed verum in ordine ad cōſiſtentiam,& conſeruationem eiuſdem animæ in partibus diuiſis, petunt enim iſtæ animæ abſque dubio plures ac diuerſas partes vnitas ad propriam conſiſtentiam in materia, quàm animæ inferiores,& ideo non conſeruantur ſicut illæ in partibus ſeparatis per diuiſionem, in quo animæ rationali aſſimilantur, quamuis adhuc in hoc etiamà perfectione eius deficiant, quia plures adhuc partes, ac diſpoſitiones poſtulat in materia ad introductionem,& conſeruationem.

QVAESTIO IV.

Vtrum anima informet omnes partes corporis, vel ſolùm ſit in aliqua determinata.

132 Circa quæſtionem hanc diuerſis modis opinati ſunt antiquiores philoſophi, nam quidam eorum in ſolo capite, aut in aliqua eius parte velut in arce poſuerunt animam (rationalem præſertim de qua videntur loquuti) ſic Xenocrates, Herophilus, Hippocrates, Strato,& Eraſiſtratus, vt teſtantur Tertullianus in libro de anima, Lactantius in libro de opificio Dei ca. 16. Tullius 1. lib. Tuſculanarum quæſtionum; ſic etiā Plato, vt refert Alcinous in lib. de doctrina Platonis ca. 23. Alij vero in ſolo corde eam conſtituerunt, vt Andreas Ciſalpinus libro 5. Peripateticarum quæſtionum, quæſt. 6. Simon Portius libro de mente humana cap. 7. & Philo Iudæus in libro qui inſcribitur, *Quod deterius potiori inſidietur*, pro qua etiam ſententia referri ſolet Galenus, idemque videntur ſentire Tertullianus eodem libro de anima,& lib. de reſurrectione carnis, quod colligit ex illis verbis Chriſti, Matthæi 9. *Vt quid cogitatis mala in cordibus veſtris?* & D. Hieronym. libro 2. in Matth. cap 14. idque colligens ex verbis Chriſti, Matth. 15. *à corde exeunt cogitationes prauæ.*

Alij denique animam collocant in vna, vel altera parte corporis præcipua, vt Parmenides,& Epicurus in toto pectore. Itaque omnes iſtæ ſententiæ in eo conueniūt, quod anima non ſit in toto corpore, nec in qualibet parte eius, ſed in præcipua quadam, vna, vel altera.

Quod probari poteſt teſtimonio expreſſo Ariſtotelis libro de animalium motu cap. 7. vbi opificium corporis animati comparat

Ciui-

Ciuitati suis legibus bene instructæ, cuius principem, aut moderatorem (inquit) non oportet singulis partibus eius assistere, sed solum in præcipua quadam sedem habere, ex qua per imperium mouet membra omnia eiusdem reipublicæ ad propria munera exequenda.

Ita ergo censendum est de anima respectu totius corporis, vt non in singulis membris, sed in quodam præcipuo resideat, quod his verbis docet. *Quare non oportet in vnoquoque esse animam, sed in quodam præcipuo corporis existenti.*

133 Sed probatur etiam ratione: primo; quia anima est actus organici corporis: ergo solùm potest esse in partibus organicis, quales sunt dissimilares, sed præter has sunt plures homogeneæ, & ideo non organicæ, vt caro & os, in his ergo non potest esse anima.

Secundo, si in qualibet parte humani corporis sit anima rationalis, erit etiam intellectus, & vbi est intellectus, sunt scientiæ, cum ipse sit subiectum scientiarum: ergo intellectus erit in pede, atque etiam erunt scientiarum habitus, & actus, & ita dicetur homo pedibus scire, quod ridiculum est. Deinde cum anima rationalis sit indiuisibilis, tota erit in qualibet parte corporis, & ideo erit simul in pluribus locis, ac discontinuis, quia partes corporis discontinuæ sunt, cum sint diuersæ rationis, ac figuræ. Et tandem sequitur eandem animam simul moueri motibus contrarijs: cum contingit diuersas partes hominis simul moueri sursum, & deorsum. Imò simul mouebitur, & quiescet, quia sæpe solet moueri vna pars corporis, & quiescere altera; hæc verò absurda sunt; ergo falsum quoque erit affirmare, quod anima sit in quacumque parte corporis virtute.

134 Veritas huius rei à nobis tenenda est, *quod anima quæcunque informat omnes partes corporis, quæ aliquam operationem* vitalem sensus, aut motus exercent: quælibet quidem iuxta propriam naturam, ita vt si indiuisibilis sit, tota sit in toto corpore, & tota etiam in qualibet parte eius quantuncunque minima si verò sit diuisibilis, ita vt tota ipsa anima sit in toto corpore, & partes eius in partibus corporis.

Hæc est communis sententia omnium interpretum Aristotelis 2. lib. de anima c.3. atque omnium Scholasticorum in 2. d.17. vbi D.Thom. id asserit, ac præterea in quæst de anima art. 10. & 2. contra gent. c.72 Et colligitur euidenter ex doctrina Aristotelis r. qui dem ex definitione prima animæ, hoc modo, *Anima est actus primus organici corporis*, sed esse actum primum idem est apud Aristotil. ac esse formam, ergo est forma organici corporis, sed corpus organicum constituitur ex partibus organicis, & istæ ex cæteris omnibus; ergo anima est forma omnium partium corporis, easque informat: vnde sequitur in omnibus esse, quia forma non potest informare, nisi in eo sit, quod informat: cum informet per se ipsam tribuendo se materiæ.

135 Probatur deinde ratione I. quia omnes partes corporis (de quibus loquimur) exercent aliquam operationem vitalem; ergo informantur anima. Probatur consequentia, quia non possunt exercere operationem vitalem, nisi viuant: cum operatio vitalis sit à principio intrinseco vitæ, nec possunt viuere, nisi informentur anima, quia anima est principium vitæ per informationem: ergo necesse est, quod informentur anima: antecedens vero euidenti experientia notum est, cum videamus omnes partes corporis nutriri, & augeri, & notum sit nutritionem, & augmentationem esse operationes vitales. Secundo, potentiæ vitales procedunt ab anima: ergo non potest esse potentia vitalis, vbi non sit anima, sed in qualibet parte corporis est aliqua potentia vitalis, & in quibusdam plures: ergo necesse est animam quoque esse in omnibus. Minorem probo, quia in qualibet parte corporis est potentia nutritiua, & argumentatiua, vt docet experientia, quia omnes partes augeri constat, & per totum ferè corpus animalis dispersa est potentia sensitiua tactus: ergo in toto etiam corpore, & singulis eius partibus datur anima.

136 Vt autem hæc veritas melius intelligatur, & argument. opposita commodius solui possint, adnotandum est, tribus modis sumi totum (vt ad præsens institutum pertinet,) pro essentiali, pro integrali, & pro potestatiuo. Essentiale est, quod totam continet essentiam; integrale, quod omnes partes integrantes: & potestatiuum, quod omnes potentias, seu virtutes, & iuxta hanc distinctionem intelligi debet, quod asserimus, animã in-

informare omnes partes corporis, & ita in omnibus, & singulis esse, quæ si indiuisibilis sit, vt rationalis, tota est in qualibet parte corporis totalitate essentiali. Quia in qualibet parte existit secundum totam essentiam, non tamen totalitate integrali, quia non est totum integrale, cùm sit in hoc genere indiuisibilis partibus carens, sed nec totalitate potestatiua, quia non est in qualibet parte corporis secundum omnes potentias, sed secundum vnam, vel plures tantum.

137 Quare secundum hunc modum existendi potius dicitur esse tota anima indiuisibilis in toto corpore, & pars eius in singulis partibus, quia hoc modo diuisibilis est diuersas habens partes potestatiuas, quæ sunt diuersæ potentiæ, seu virtutes. Si vero anima sit diuisibilis, est quidem tota in toto corpore totalitate integrali, non tamen tota in qualibet parte, quia non est in ea secundum omnes partes integrantes, sed secundum vnam vel alteram, nec est tota in qualibet parte corporis totalitate potestatiua, quia non est secundum omnes potentias, aut virtutes, licet sit secūdum vnam, vel plures. Sed adhuc anima hęc diuisibilis est tota in singulis partibus corporis totalitate essentiali: cū tribuat vitam partibus singulis, & aliquam operationem vitalem.

His suppositis ad testimonium Aristotelis respondeo sensum eius esse, quod anima speciali modo sit in corde tantum, quia in illa parte præcipue influit virtutem vitalem, à qua deriuatur per totum corpus, & ideo in ea parte existens dicitur totum corpus gubernare ad similitudinem regis, non tamen negat omninò, quod in cæteris partibus sit: sed solum, quod non sit illo eodem modo.

138 Ad primum argumentum concesso antecedente neganda est consequentia, nam dissimilares partes, quæ vocantur organicæ, componuntur ex similaribus, vt digitus ex carne, osse, & neruis, vnde eo ipso, quod anima est actus organici corporis, & organicas partes eius informat, necesse est etiam, quod informet homogeneas, ex quibus componuntur organicæ. Et consequenter est necessarium, quod in omnibus suo modo sit, & omnibus tribuat actum aliquem vitæ, & aliquam operationem vitalem.

139 Ad secundum distinguendum est antecedens, quod in qualibet parte corporis humani sit intellectus, & voluntas, nam cum potentiæ istæ non sint organicæ nec operationes earum exerceantur per organa corporis, nec vllam partem corporis immediatè per se informare possunt, sed in anima a qua proximè emanant recipiuntur, tanquam in subiecto proximo, in corpore vero, aut partibus eius non immediatè, sed media anima: & cum hæc sit immediatè in singulis partibus, tanquam forma earum, in eisdem dicuntur esse mediatè, & proinde scientiæ, atque virtutes in his potentijs existentes, nec etiam adæquatè, quia anima non informat adæquatè singulas partes, cum non respiciat singulas tanquam totum, & adæquatum perfectibile, sed hoc modo solum informat totum corpus.

140 Ad formam igitur argumenti concedenda est prima consequentia, quod intellectus, & voluntas, scientiæ, & virtutes sint in pede, modo explicato, negandum tamen, quod dicatur homo scire per pedem, quia denominationes istæ toti, & non partibus conueniunt simpliciter, quod si per caput scire aliquando dicitur, vulgaris certè locutio est, & ea solum ratione admittenda, quia cum in capite vigeant sensus, quorum operationibus medijs intelligit, speciali quadam ratione dicitur per illam partem exercere intellectus operationes proprias, verè tamen, & propriè per nullam exercentur, nec alicui parti simpliciter, & adæquatè communicantur, sed toti homini, & propterea solum est propria locutio ea, qua enuntiamus hominem intelligere per animam.

141 Vltimum tandem, quod in eodem argumento dicitur rationalem animam esse in pluribus locis simul, si tota informat omnes partes corporis, distinguendum est. Quia neque anima est per se in loco circunscripti uo, & proprio, sed solum per accidens ratione corporis, nam corpus tātum circunscribi potest superficie ambiente, non anima, cum sit spiritualis, sed quia corpus, quod propriè circunscribitur, informat constituēs cum eo compositum circunscriptum, per accidens dicitur circunscribi, & hoc modo dicitur esse in pluribus locis partialibus, & inadæquatis. Dicitur præterea habere præsentiā adæquatam in toto corpore per informationē, & inadæquatam in singulis eius partibus.

Di-

142 Dicitur et præsens toti spatio eiusdem corpo. præsentia partiali, quia sicut consti tuit simul cum corpore, vt cum alia parte compositum, habet præsentiam totalem in spatio. Ita anima habet partialem, & ratione huius præsentiæ partialis, quam habet adæquatam in toto spatio, & inadæquatam in singulis partibus, potest simul moueri motibus contrarijs, atq; etiam moueri, & quiescere etiam inadæquatè: quemadmodum dicitur Angelus esse in toto corpore adæquatè per applicationē adæquatam suæ virtutis ad agendum in ipsum, & in qualibet eius parte inadæquatè, & ideò simul in pluribus locis continuis inadæquatè, & sicut Angelus potest moueri sursum, & deorsum mouendo partes corporis vnam sursum, & aliā deorsum, semper tamen inadæquatè: pari ratione anima potest moueri simul motu sursum, & deorsum ad motum diuersarum partium, inadęquatè tamen, & eodem modo moueri, & quiescere.

QVAESTIO V.

An anima vegetatiua, & sensitiua reperiantur distincta in eodem animali, atq; etiam in eodem homine vegetatiua, sensitiua, & rationalis, vel vna tantum sit in vno composito.

143 PRima sententia fuit Platonis in Timæo, atque etiam lib. 9. de rep. quam referunt Arist. 1. lib. de anima, cap. vlt. D. Th. 1. part. quæst 76. art. 3. & Galenus lib. 8. de vsu par. capit. 1. Vbi animam vegetatiuam, sensitiuam, & intellectiuam non solum distinctas realiter in homine posuit, sed etiam loco, ita vt intellectiua sit in cerebro, sensitiua in corde, & nutritiua in hepate. Et eodem fere modo eas multiplicauit Galenus ipse in lib. qui inscribitur, *Quod mores animæ sequantur temperamentum corporis*, & lib. 7. de decretis Arist. & Platonis, vbi gloriatur se demonstrasse contra Arist. quod in homine sint tres animæ. Ita etiam Fernel. lib. 7. physiolog. Duas vero animas posuerunt in homine sensitiuam, & rationalem, Didymus 2. lib. de Spiritu sancto, Philo. Iudæus in quodam opusculo quod inscribitur, *Quod deterius insidietur potiori*, & alij, quos refert D. Hieron. in epist ad Heluid. q. 2. idemque sequuti sunt Ocham in q 7. Mayronius in 2. distinctione 17. quæstione vnica. Mirand. lib. 33. de euersione singularis certaminis sect. 2.

Et in lib de Eccles. dogm. cap. 14 dicit, Syros quosdam posuisse duas animas in homine, vnam animalem sanguini admixtam per quam animetur corpus, & alteram spiritualem ad operationes præstandas. Et tandem Manichęi dixerunt duas esse animas in homine, sed vtramque rationalem, vnam quidem sine labe culpæ, a bono Deo factam ex quadam particula propriæ substantiæ, alteram vero vitijs plenam factam a malo Deo; testatur hoc D. Aug. lib. 9. contra Faustum c. 8. lib. de duabus animabus c. 12. & lib. 10. de gen. ad lit. c. 13.

144 Argum. Platonis fuit ab experientia desumptum: nam experimur in nobis nō solum inclinationes contrarias, sed contrarios actus earum, vt iracundiam, concupiscentiam rerum sensibilium, bonosque motus rationis, & voluntatis. Quod docuit expressè D. Paulus illis verbis ad Galat. 6. *Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, vt non quæcumque vultis illa faciatis*, sed contrariæ inclinationes, & actus nō possunt prouenire ab eadem anima: ergo necesse est plures animas ponere in homine.

145 Argumentum vero Galeni hoc erat, virtus sentiendi deriuatur à cerebro ad omnes alias partes corporis: cerebrum vero nō participat eam ab alia parte: ergo a se habet, sed a cognitione sensitiua pendet intellectiua: ergo vtraque est ponenda in eodem cerebro, & consequenter anima rationalis: irascibilis vero ab omnibus in corde ponitur: concupiscibilis vero in iecore ponenda est, vt ostendunt venæ ab eo deriuatæ: ergo diuersæ sunt animæ in eodem homine ponendæ pro his virtutibus, & operationibus diuersis, & in diuersis partibus corporis: cum in diuersis ponantur virtutes ipsę.

Probari etiam potest experientia, & ratione: experientia quidem, quia experimur omnes triplicem operationem in nobis, non solum specie, sed genere distinctam, nempe nutritionem, sensationem, & intellectionē,

sed

sed operationes genere distinctæ procedunt à virtutibus, & potentijs distinctis etiam genere, quæ non possunt ab eadem anima prouenire: ergo necesse est has tres animas distinctas ponere in homine, & in quocumque animali duas, nempe vegetatiuam, & sensitiuam.

146 Ratione verò probatur, quia dum embrio formatur in vtero matris, prius viuit vita plantæ, deinde vita animalis, & tandem vita hominis, vt docet expresse Arist. 2.lib.de gener. animalium c.3.& cum eo D. Thom.1.part.quæst.118.art 2.ad 2. & medici fere omnes: ergo prius habet animam vegetatiuam, deinde sensitiuam,& tandem rationalem: sed sensitiua non expellit vegetatiuam, nec rationalis sensitiuam, cum nulla sit oppositio, vel contrarietas inter eas, sed potius naturalis quædam subordinatio, cum videamus operationes vegetatiuas deseruire sensitiuis, & sensitiuas rationalibus: ergo omnes permanent simul in homine.

Veritas huius rei a nobis tenenda aduersus omnes supradictas sententias est, *quod neque in eodem animali sunt duæ animæ vegetatiua, & sensitiua, nec in eodem homine duę, vel tres, nempe vegetatiua, sensitiua, & rationalis, sed in animalibus sola sensitiua tribuens eis vtrumque gradum vitæ vegetatiuæ, & sensitiuæ, & in eodem homine vna tantum anima rationalis tribuens ei omnem gradum vitæ vegetatiuæ, sensitiuæ, & rationalis, & omnes vitales operationes.*

Ita tenet expresse Arist. 1.lib. de anima, cap.4. text. 66. & cap.5. text.91. & cum eo omnes eius interpretes, tam antiqui, quam recentiores: ita etiam Scholastici, Scot. in 2.dist.15.quæst.vnica,& in 4.dist.11. quæst. 2.art.2.Ægid.in 1.dist.16.quæst.1. Durand. in 4.dist.11.quæst.2. Argent.dist.13,quæst.1. conclus.2.D.Thom.2.lib.contra gent.cap.8. & 1.parte,quæst.76.art.3 Albert.Mag.trac. 2. de homine cap.1. Alens.2.parte,quæst.62 memb.2.Henriq.quodlib.2.quæst.2.& 3. Et ex philosophis antiquioribus Auic.6.natur. parte 1.cap 3. Plutar.& Alex. vt refert Philoponus 2.lib de anima ad text. 13. Ita demum SS.Patres, præsertim August. locis nuper citatis,& in lib. de spiritu,& anima c.9 atque etiam lib.de quantitate animæ cap.3. D.Hieron. vbi supra, D.Greg.Magn.homil. 12.in Ezech. Greg. Nyss. in lib.de creatione hominis cap.15.Damasc.2.lib.de fide cap 12. Hugo Victor.in lib.de spiritu, & anima, & Lactan. in lib.de ira Dei cap.11. & habetur expresse in libro de Ecclesiasticis dogma. cap.12.

147 Probatur ex verbis Scripturæ Sacræ, nam Genes. 2. his verbis explicatur creatio animæ rationalis, & formatio hominis, *& inspirauit in fauorem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem*: quibus anima ipsa rationalis vocatur spiraculum vitæ, vt attribuatur ei vita absq; vlla limitatione,& ideo omnis vita, nempe vegetatiua, sensitiua,& intellectiua, quod planè significatur in textu Hebræo, qui non legit in singulari *spiraculum vitæ*, sed in plurali, *spiraculum vitarum*, ad significandum (vt bene adnotauit Caiet. super eundem locum) animam rationalem omnem gradum vitæ conferre homini.

148 Ex his autem, & alijs locis colligit eandem veritatem, eamque definiuisse videtur 8.Synodus generalis, quæ est Constantinopol.4. his verbis. *Apparet quesdam id temporis in tantum impietatis venisse, vt duas in homine animas impudenter dogmatizent, quos omnes, & similia sentientes, cum vetus, & nouum testamentum, & omnes Ecclesiæ Patres vnam animam rationalem asseruerint, sancta, & vniuersalis Synodus anathematizat.*

Propter hanc igitur definitionem asserunt quidam contra fidem esse, quomodocumq; ponere plures animas in eodem homine, vt Hernæus in tractat.de vnitate animarum c.22.& Toletus lib.2. de anima q.7. alij verò id negant, quia explicari possunt verba octauæ Synodi, ita vt solum velint damnare eos, qui vel plures animas rationales ponunt, vnam assistentem,& aliam informantem, vel tandem vnam a bono Deo factam, alteram a Deo malo, vt posuerunt Manichæi.

149 Ego vero sentio erroneum in primis esse aliquo ex his duobus modis postremis plures animas ponere in eodem homine, propter prædictas definitiones: ponere verò duas, vel tres animas informantes, videlicet vegetatiuam, sensitiuam, & rationalē, vt animas, esse temerarium,& in fide periculosum, quia hoc tempore ita sentit vniuersa schola,& verba octauæ Synodi videntur quamcumque pluralitatem animarum in eodem homine damnare voluisse.

Catholici vero authores oppositum asserentes excusari possunt, quia bona fide locuti sunt, aut non attendentes præfatam definitionem, aut certe verba eius non expendentes, nec adeo vniuersaliter receptam esse in schola eandem veritatem intelligentes.

Sed probatur ratione, 1. ex his quæ 1. lib. physic. tractat. de forma ostendimus naturaliter repugnare apud Aristotelem, & totam Peripateticam scholam duas formas substantiales simul informare eandem materiam. Et certè si plures simul essent in eodem corpore, hæc omnia absurda sequuntur: videlicet nullum viuens esse vnum per se, neq; in vna specie atoma, sed in multis: nec esse vnum suppositum aut indiuiduum, sed plura. Et quod non esset vnum per se, sed per accidens, probo, quia si post vnam animam superuenit altera: ergo constituit vnum per accidens.

Probatur consequentia, quia per primam animam constituitur compositum in esse cōpleto suæ speciei: ergo quidquid ei aduenit, non potest per se aduenire, sed per accidens, quia accidens censetur, quidquid aduenit alicui iam in vltimo actu specifico constituto.

Præterea, quælibet anima constituit propriam speciem atomam distinctam ab alia, propriumq; indiuiduum, & suppositum: ergo quot animas habuerit cōpositum, in tot speciebus atomis substantialibus collocabitur, totq; indiuidua, atque supposita erit, & ita simul erit idem compositum homo, & brutum.

150 Secundò, quia certum est animam rationalem esse formam substantialem verè informantem materiam, vt superius probauimus: sed forma substantialis per informationem tribuit materiæ esse substantiale, sicut forma accidentalis tribuit subiecto esse accidentale: ergo anima rationalis tribuit materiæ esse substantiale: vel ergo esse substantiale corporeum, vel incorporeum, quia inter hæc nullum datur medium: non tribuit ei esse incorporeum, quia quidquid materia constat, corporeum esse debet: ergo tribuit materiæ esse corporeum, & tunc aut viuens vel non viuens: non hoc secundum, quia anima est vitæ principium, tribuit ergo esse viuentis, non insensibilis, vt patet, ergo viuentis sensibilis, atque adeo rationalis: quare tribuit omnes gradus vitæ, & ideò non sunt necessariæ anima vegetatiua, & sensitiua in homine, vt gradus vitæ vegetatiuæ, & sensitiuæ conferant, sed omnino superfluæ, ac propterea nullo modo ad mittendæ, quia natura nihil superuacaneum efficit.

151 Probatur tandem ratione Theologica hoc modo: quia sacra Concilia, & SS. Patres duas tantum partes humanitatis Christi Domini assignant, corpus videlicet, & spiritum, qui est anima rationalis, vt patet in Concilio Latera. sub Innocentio III. c. 1. vbi dicitur naturam humanam esse constitutam ex corpore, & spiritu.

Et in Clement. vnica de summa Trinitate & Fide Catholica, Verbum factum esse hominem, per hoc, quod assumpsit partes nostræ naturæ simul vnitas, corpus scilicet, & animam rationalem.

Et in Symbolo Athanasij, *Sicut anima rationalis, & caro vnus est homo, &c.* ergo non datur alia anima in homine præter rationalem.

Quod etiam probari potest: quia si præter animam rationalem daretur in Christo vegetatiua, & sensitiua, sequitur humanitatem eius in triplici specie fuisse constitutam, quia quælibet anima constituit compositum in specie atoma distincta ab alia. Esset igitur in specie animalis irrationalis: & ideò non solum rationalis natura, sed irrationalis fuisset assumpta a Verbo: quod alienum est a modo loquendi, & sentiendi SS. Patrum, & Scholasticorum.

Ad argumentum Platonis concedendum est antecedens, quod in homine sint actus contrarij, atque etiam contrariæ inclinationes eo modo, quo contrariæ vocari possunt ex eo, quod ad obiecta contraria tendunt, sed neganda est consequentia, quod a diuersis animabus procedant, sed ab eadem rationali procedere possunt, nā propter eminentiam, quam habet, radix esse potest oppositarum inclinationum, & actuum diuersa ratione sumpta.

Argumentum vero Galeni duo assumit falsa. & primum videtur ex ignorantia processisse, putauit enim animam intellectiuam seu intellectum in solo cerebro reperiri propter virtutem sentiendi (a qua dependet) in ea parte primum residentem, quod ex ignorantia processisse assero, quia ignorasse videtur animam intellectiuam in omnibus, &

sin-

singulis partibus corporis viuentibus esse, vt superius probauimus.

Et præterea intellectum proxime emanare ab anima, & in ea recipi tanquam in proximo subiecto, & non in organo corporeo, vel in aliqua parte corporis, sed in toto ipso corpore, & partibus eius media anima. Vnde non magis cerebrum intelligit, quā quælibet alia pars, imò nulla: sed anima per se primo intelligit: nam cum in ea sit intellectus, communicatur homini operatio eius, & dicitur homo intelligere per animam: partibus vero hoc non attribuitur, quia non sunt primum, nec adæquatum perfectibile, quod anima informat.

152 Quare non bene intulit alijs animabus opus esse ad informandum corpus, a quibus alię potentiæ, & operationes procedant nempe nutritiua virtus, & appetitus sensitiuus, in quo est irascibilis: sed cum anima intellectiua informet totum, & omnes partes eius, & simul sit sensitiua, & vegetatiua, in omnibus etiam partibus potest esse principium nutritiuæ, ac sensitiuæ operationis. Nec ita a cerebro deriuatur virtus sentiendi, vt in ea tantum parte sint organa sensuū, & potentiæ sensitiuæ: cum constet sensum tactus per totū corpus, & plures partes eius esse dispersum.

Falsum deinde est, quod irascibilis sit in iecore: sed cum appetitus sensitiuus verè sit in corde tanquam in proprio subiecto, vt Aristoteles docet, & cum eo omnes ferè philosophi, tam antiqui, quam recentiores, & appetitus sensitiuus contineat irascibilem, & concupiscibilem tanquā partes proprias, in eodem corde ab eisdem ponitur, & non in iecore, & quamuis daremus esse in iecore, non bene colligit Galenus ibi esse ponēdam animam sensitiuam distinctam a rationali in cerebro existente: sed cum eadem anima rationalis, quæ simul est sensitiua, in iecore existeret, bene posset esse principium irascibilis in ea parte residentis.

153 Ad vltimum respondeo 1. cum Arist. D.Thom. & ferè omnibus medicis: ita esse, quod in generatione humana successu temporis tres illæ animæ recipiuntur in eadem materia seminis: primo quidem vegetatiua, deinde sensitiua, & tandem rationalis: sed vegetatiua anima quam prima recipit materia, non est anima plantæ: sed alterius speciei sub eodem genere viuentis, seu vegetatiui. Quod vero dici solet embryonem prius viuere vita plantæ, non de specie aliqua plantarum intelligitur: sed hoc tantum significat quod prius viuit vita vegetatiua, quæ plantarum genus est.

Nec anima sensitiua est alicuius bruti: sed alterius speciei ab omni bruto, & compositum illud ab vtraq; anima constitutum vocatur embryo, & est imperfectū quid, quod natura tanquam medium sumit ad informationem hominis: nam cum anima rationalis perfectissima forma sit, perfectissimas dispositiones postulat in materia, quas natura non potest statim inducere: quia cum non statim in suis operibus perfectum cōstituat: sed ab imperfectioribus paulatim tendat vsq; ad perfectum per se primò intentum: paulatim quoq; disponit materiā seminis: primo quidem imperfecte, & cum sub his dispositionibus imperfectis non possit forma seminis naturaliter conseruari, introducitur imperfecta quædam anima vegetatiua eisdem dispositionibus proportionata.

155 Deinde prosequitur natura, & dispositiones perficit, perfectiusq; eandem materiam organizat: sub qua organizatione perfectiori non potest iam conseruari anima illa vegetatiua imperfecta, & propterea introducitur sensitiua, etiā imperfecta eidem organizationi proportionata.

Et tandem crescentibus organizationibus, & dispositionibus desinit esse hæc, quia perfectiorem animam iam postulat materia eisdem dispositionibus affecta, videlicet rationalem, & per introductionem eius generatur homo.

Corrumpuntur autem priora composita imperfecta, & consequenter expelluntur imperfectæ animæ ab agente naturali, nempe homine per virtutem seminalem tanquam per proprium, ac naturale instrumentum, à principio vsque ad finem humanæ generationis operans: nam humanum semen virtutem habet organizandi perfectè materiā pro introductione animæ rationalis, & consequenter ad id quod minus est, & ad perfectam organizationem ordinatur, nempe ad organizādum eandem materiam pro introducendis eisdem animabus vegetatiua, & sensitiua imperfectis, & licet idem semen corrumpatur per accidens a propria virtute, atq; etiam ab agente naturali, per se quidem intendente introductionem animarum

&

& per accidens corruptionem eiusdem semi nis, & corrupto semine corrumpitur etiam per accidens virtus eius, per cuius actionem organizata fuit materia, & introducta anima vegetatiua, eadem tamen anima vegetatiua introducitur in materia cum alia virtute simili, ordinata ab eodem naturali agente ad organizandum perfectius materiam pro introductione animæ sensitiuæ imperfectę, quæ etiam cum simili alia virtute censetur introduci, per quam perfectius organizatur materia ad introductionem aīæ rationalis.

156 Et ratio huius est, quia semen humanum, qua humanum est, & virtute animæ rationalis productum, atq; decisum habet virtutem perfectè organizandi materiam, vsq; ad introductionem animæ rationalis, & cōsequenter educendi de potentia materię animas imperfectas ordinatas ad introductionem eiusdem animæ rationalis, & tandem introducendi eandem animam rationalem, & vniendi eam cum corpore, & cum intermediæ illæ animæ imperfectæ sint, & ordinatæ a natura ad eiusdem animæ rationalis introductionem, sicut virtute eiusdem seminis educitur quælibet de potentia materiæ: ita consequitur eam virtus ordinata ad vlteriorem organizationem inducendam in materia pro introductione perfectioris animæ & media hac virtute vtrumq; fit, nempe dispositio materiæ perfectior, & eductio, aut introductio perfectioris animæ, eodem quidem, vel saltem proportionali modo in prima anima, ac 2. & 3. vt explicatum fuit a nobis 1. libro de Gener. c. 4. vnde non sequitur, quòd tres animę successiuè introductę in materia simul in ea permaneant, sed successiuè etiam corrumpuntur expulsa priori a posteriori, nempe vegetatiua a sensitiua, & hac a rationali, quia licet non sint propriè contrariæ, postulant tamen proprias, ac diuersas dispositiones in materia pro sui conseruatione, quæ quidem expulsæ per inductionem perfectiorum naturaliter desinunt informare materiam.

Nec aliquid efficit contra hanc doctrinam articulus quidam vniuersitatis Oxomensis, quo damnatur erroris sententia asserens, quod dum infunditur anima rationalis, destruitur anima vegetatiua, aut sensitiua. Nam articulus iste parum certè, aut nihil authoritatis habet, cum nō sit alicuius Concilij, aut Pontificis definitione confirmatus; sed solum innitatur paucorū hominum particularium iudicio, quod longè minoris momenti est, quam authoritas D. Thom. & aliorum, qui prædictam doctrinam scripserunt.

158 Sed potest quis aduersus eam obijcere hoc modo, eadem anima rationalis introducitur in materia alimenti per nutritionem, sine his animabus vegetatiua, & sensitiua præcedentibus in ea, atque etiam corruptis: sed absq; vllo medio: ergo sic potuit naturaliter introduci per primam generationem & ideo sine vlla necessitate ponitur tales animas in corpore præcedere rationalem. Respondeo, diuersam esse rationem, quia prima introductio animæ rationalis longè perfectior est nutritione, quę solum est extensio animæ iam informantis corpus, & ideo plura, ac perfectiora media postulat, qualia sunt inferiores animæ: in nutritione vero inferiores formæ præcedentes sufficiunt, vt forma sanguinis. Quamuis non desint, qui concedant easdem animas in nutritione prę cedere: sed prior solutio magis placet.

Secundo respondere possumus cum Alb. Mag. in summa de homine, & Philopono, quos citat Tolet. q. 7. huius lib. negantibus, quod in progressu humanæ generationis introducantur in materia anima vegetatiua, & sensitiua: sed solum introducitur rationalis, quæ progressu temporis, & crescentibus dispositionibus materiæ, diuersos gradus vitæ tribuit corpori, primo quidem vegetatiuum: deinde sensitiuum, & tandem rationalem, quamuis enim simul, & semper habeat virtutem tribuendi omnes: sed solum eos tribuit, pro quibus disposita est materia: nam actus actiuorum (vt asseruit Arist.) recipiuntur in patiente bene disposito & eodem modo, & ordine operationes exercet, prius quidem vegetatiuas tantum, deinde vegetatiuas, & sensitiuas & tandem has omnes cum rationalibus, prior tamen solutio omninò sequenda est.

QVAESTIO VI.

An simul cum vnica anima detur in quocumque viuente alia forma substantialis inferior.

159 PRima opinio ponit in quibuscumq; compositis viuentibus præter animam, aliam formam inferiorem (quam corporeitatis vocant) a qua habet idem compositum esse corporeum, ab anima esse animatum, aut viuens.

Hanc tenuerunt Stoici, & cum eis Pericles quidam Lydius, vt testatur Simplicius 1.lib.Physicorum, in sua digressione de corporeitate materiæ primæ.

Postea vero sequuti sunt eam Auicenna 1.lib.sufficientiæ capit.2.Henric.quodlib.2. quæst.2.& quodli.4.q.3.& 4.Scot.in 4.d.11. q.3.Richard.in 2.d.17. art.1. q.5. Antonius Andreas 7. lib. Metaphysicorum, quæst.16. & 17.

160 Sed in modo eam defendendi conueniunt in vno, & differunt in altero; Auicenna, & Scotus conueniunt quidem in eo, quod vterque existimat hanc formam corporeitatis esse incompletam, & constituentem cum materia corpus, quod est altera pars viuentis, distinguique realiter a formis specificis, & pertinere ad genus corporis indirectè tan quam aliquid eius.

Sed differunt in alio: nam Auicenna hanc formam asserit esse coæuam materię, & ideo inseparabilem ab ea, quare non in solis viuentibus eam ponit: sed in elementis, & alijs. Scotus verò nec eam ponit coæuam materiæ, nec in omni composito substantiali: sed in solis viuentibus, & tunc primo produci intelligit, cum primo generatur viuens ex non viuente: ita vt per actionem viuentis educatur prius de potentia materiæ, in eaque recipiatur, vt constituatur ex vtraq; corpus aptum recipiendi animam, & constituendi cum eadem anima compositum viuens, sensitiuum, aut rationale. In corruptione vero viuentis permanere ait Scotus eandem formam corporeitatis, & esse formam cadaueris. Dum verò cadauer ipsum conuertitur in aliud mixtum, aut elementum; corrumpi formam corporeitatis.

161 Fundamentum Auicennæ est, quia prius quam materia recipiat quamlibet formam specificam, necesse est habere partes distinctas, atque extensas, alioqui reciperetur eadem forma in subiecto confuso, & indiuisibili, quod patet esse absurdum: sed materia non potest habere partes distinctas, & extensas, nisi ratione alicuius formæ constituatur in ratione corporis substantialis, & ita sit principium, & radix quantitatis, per quam partes eius extendantur, & distinguantur: nam cum quantitas sit primum accidens corporeum, non potest oriri, nisi ex corporea substãtia: ergo debet præcedere animam in materia alia forma, per quam constituatur compositum corporeum, & hæc est forma corporeitatis.

Scotus vero eam probat primo, quia in hoc differunt viuentia a non viuentibus, quantum ad modum compositionis, vt docent omnes philosophi, quod hæc componuntur ex materia, & forma, viuentia vero ex corpore, & anima, & propterea Aristoteles definiens animam non dixit esse actum materiæ: sed corporis physici, & organici: ergo corpus non dicit nudam materiam: sed etiam quid aliud, vel ergo materiam simul cum dispositionibus, vel simul cum anima, vel simul cum forma corporeitatis: sed duo priora non potest denotare, ergo denotat tertium, & ita necessariò ponenda est forma corporeitatis ad compositionem viuentis.

162 Probatur minor, quia essentia substantiæ non potest componi ex accidentibus: sed viuens componitur essentialiter ex corpore, & anima: ergo corpus non includit accidentia: sed neq; animam simul cum materia, quia corpus, & anima sunt partes distinctæ realiter: ex quibus viuens componitur: ergo neutrá includit alteram.

Secundò, quia si non detur forma corporeitatis simul cum anima in viuente, producenda erit de nouo in morte eius forma cadaueris, quod est impossibile, quia nec datur causa, a qua producatur, nec possent cadauera relicta ex corporibus diuersæ speciei distingui specie.

Probat tandem argumento Theologico, quia idem numero fuit corpus Christi viuũ, & mortuum, & tam viuum, quam mortuum fuit

fuisse vnitum Verbo. Sed neutrum potest esse verum, ni si ponatur forma corporeitatis: ergo necessario ponenda est.

164 Probatur minor, quia vnitas corporis præcipuè sumitur a forma, sed si non ponatur forma corporeitatis, necessariò concedendum est, diuersam habuisse formam viuum, & mortuum, nam viuum habuit animam, mortuum verò formam cadaueris de nouo productam nō solum numero, sed specie distinctam: ergo non fuit idem corpus, sed distinctum specie, & numero.

Quam distinctionem non haberet posita forma corporeitatis, a qua constituitur corpus, vt tale, & ab eadem constitueretur idem.

Quod vero sequatur non fuisse vnitum verbo corpus Christi in triduo, probatur, quia Verbum diuinum nihil dimisit ex his, quæ semel assumpsit, vt D. Damasc. asseruit 3. lib. fidei cap 26. sed dimisit in resurrectione formam cadaueris, vt est manifestum: ergo nunquam assumpsit eam, nec proinde cadauer per eam constitutum: & certè si cadauer fuisset in triduo vnitum Verbo, fuisset vera etiam hæc propositio, *Verbum diuinum est cadauer*, sicut vera nunc est hæc, *Verbum diuinum est corpus viuum*, consequens autem videtur absurdum.

165 Secunda opinio negat, quod talis forma corporeitatis vllo modo ponenda sit in composito aliquo substantiali viuente, aut non viuente, sed in non viuente solum formam specificam, & propriam sufficere, in viuentibus vero solam, & vnicam animam, & hæc est communis sententia, & vera, quam tenet D. Thom. in 2. dist. 18. quæst. 1. art. 2. & 1. p. quęst. 76. art. 2. & ibidem Caiet. Heru. in tract. de vnitate forma. quæst. vlt. Argent. in 4. d 13. quæst. 1. art. 1. Greg. in 2. d. 17. quæst. 2. Mars. in 3. quæst. 13. art. 1. Paludan. in 3. dub. 21. quæst. 4. art. 3. Ferra. 2 lib. contra gent. cap. 58. & eam tenuit absque dubio Comm. licet ab alijs referatur pro opposita: nam in lib. de substantia orbis, cap. 1. reprehendit Auicennam, quod posuerit formam corporeitatis ostendens multa sequi absurda in philosophia ex tali positione, ita deniq; omnes recentiores.

166 Probatur testimonio Aristotelis 1. lib. de gen. cap. 2. 3. & 4. in quibus duo ex professo asserit, & probat aduersus antiquiores philosophos.

Primum quod subiectū generationis substantialis non sit ens actu, quia si esset ens actu, nulla daretur generatio simpliciter, aut substantialis, sed omnes essent generationes secundum quid, & alterationes quædam.

Secundum, quod subiectum, quod mutatur per generationem substantialem est simplex materia, hoc est, nuda omni forma præsertim substantiali. Vtrumque autem horum falsum erit, si ponatur forma corporeitatis præcedens in materia introductionem animæ, & permanens in ea adueniente anima, vt ponit Scotus, & multo magis falsum, si ponatur coæua materiæ, vt posuit Auicenna.

Quod sic probo: in quacumq; generatione, vel saltem in generatione vnius viuentis ex altero, manet materia cum forma corporeitatis sub vtroque termino generationis, a quo, & ad quem, totum hoc non est simplex materia, sed compositum quid ex eadem materia, & substantiali forma corporeitatis, & proinde ens actu substantiali, ergo ens actu, est subiectum generationis, & non simplex materia, quare non erit generatio simpliciter, sed alteratio.

167 Probatur deinde ratione D. Thom. vbi supra, hoc modo, omne illud, quod aduenit enti completo constituto in actu substantiali, & in determinata specie, & indiuiduo, aduenit ei accidentaliter, & ideo non potest cum eo efficere vnum ens per se, quia ex pluribus entibus in actu non resultat ens per se, sed per accidens, sed si forma corporeitatis ponatur in materia præcedens introductionem animæ, anima ipsa adueniet enti iam completo, & constituto in actu substantiali per materiam, & formā substantialem corporeitatis: ergo adueniet per accidens, & non constituet vnum per se, sed per accidens: quare vel compositum substantiale erit vnum per accidens contra Auicennam, vel saltem viuens quodcumque contra Scotum.

Sed respondent huic argument quod forma corporeitatis incompleta est, & ideo nō constituit cum materia ens completum substantiale, vel ens actu, sed solum ens incompletum, atque in potentia ad recipiendam formam substantialem specificam, vel animam, quod ens in potentia appellatur corpus, & altera pars compositi: & cum ex ente in potentia, & ente in actu, quale est forma,

ma, fiat per se vnum, bene pote ? vnum per se fieri ex materia cum forma corporeitatis & anima.

168 Hæc tamen solutio falsa est, quia si forma corporeitatis datur præcedens in materia introductionem animæ, vel alterius formæ specificæ, euidens est constituere cū materia compositum substantiale, & per se vnū cum sit forma substantialis vnita materiæ, & distincta realiter ab ea, sed illud cōpositū substantiale non potest esse sub genere corporis, quin sit sub aliqua specie atoma, imò quin sit indiuiduum alicuius speciei atomæ: ergo necessario debet esse quid completum quia species atoma cōpleta substantia est: falsum ergo in primis est, quod forma corporeitatis vnita materiæ efficiat quid incōpletum. Deinde falsum est, quod illudmet cōpositum substantiale possit efficerevnum per se substantiale, tāquam altera pars eius cum anima superueniente. Probatur, quia intrinsecum est formæ substantiali cuicumq; esse actum substantialem materiæ, eamq; determinare ad speciem atomam: ergo repugnat formam corporeitatis informare materiā, quin eam constituat in specie atoma, & ex consequenti in indiuiduo, quia nō datur in rebus genus, nisi in specie, neq; species nisi in indiuiduo. Sed species atoma nō est quid incompletum, nec determinabilis per se ad aliam speciem, & multò minus indiuiduum eius: ergo repugnat formam corporeitatis componere cum materia aliud per se, & substantialiter determinabile per animam ad speciem viuentis, aut aliquid incompletum substantialiter, etiam respectu animæ superuenientis, cui vniatur per se ad vlteriorem compositionem. Secundò, quia anima vegetatiua tribuit composito esse substantiale: cū sit substantialis forma: ergo vel esse substantiale corporeum, vel incorporeum.

168 Probatur consequentia, quia ab eadē forma prouenit esse specificum, & genericū vt ab eadem anima sensitiua leonis prouenit esse specificum leonis, & esse genericum animalis, & sic in cęteris, nec potest anima constituere rem sub genere, quin constituat eam in aliqua specie, sed nō constituit cōpositum incorporeum: cū constituat materiale: ergo cōstituit corporeum, & ideo tribuit esse corporeum materiæ, quare superflua omninò erit forma corporeitatis, contra Scot. & Auicen. ideo non admittenda.

169 Ad fundamentum Auic. concede nda est maior, quod materia vt recipiat formam ab agente naturali, habere debeat partes distinctas, atq; extēsas, sed neganda est minor, quod neutrum habeat nisi ab aliqua forma substantiali. Imò neutrum ab illa habet, sed partes entitatiuas distinctas a se, quod sufficit ad recipiendum formam substantialem.

Ad r. Scoti concedendum est antecedens, quod viuēs cōponatur ex corpore, & anima: atq; etiā prima consequentia, quod nomine corporis non intelligatur nuda materia: sed neganda est minor, quod non possit intelligi materia organizata, vel simul cum anima vtrumq; n. probabile esse ostendimus c. 2. huius lib. cum autem aduersus primum dicitur accidentia non posse cōponere essentialiter substantiā, concedendū est, quia materia organizata, vt nomine corporis intelligitur, non significat aggregatum ex materia, & dispositionibus, sed solam materiam connotantem dispositiones, vel organa: quare sola materia componit accedente organizatione, tanquam conditione necessaria, sine qua non posset recipere animam.

170 Et cū dicitur aduersus secundum, corpus, & animā esse partes cōponentes distinctas realiter, concedendum est, sed negandū, quod non distinguantur realiter ex eo, quod corpus includat animam: nam corpus, vt est altera pars compositi, solum significat materiam, vt habentem esse corporeum ab anima, quam proinde non includit in recto, sed quasi in obliquo, & talis inclusio non tollit distinctionem realem vtriusque partis, quod hoc modo intelligetur.

171 Ad constitutionē cōpositi vt corporei cōcurrunt materia, & anima præcisè, vt forma corporis, de quibus constat distingui realiter: ad cōpositionem vero eiusdem compositi sub alijs gradibus concurrunt materia non nuda, sed vt habet esse corporeum ab eadem aīa vt forma corporis, & suscipiens ab eadem cæteros gradus, vnde licet compositū sumptum sub vno gradu non distinguatur a se ipso, vt sumitur sub alio, nisi sola ratione, semper tamē distinguitur materia realiter ab anima siue nuda accipiatur in ordine ad cōpositum vt corporeum, siue vt accipiens esse corporeū substantiale ab ea in ordine ad idemmet compositum sub gradibus vitæ acceptum, & ideo semper constituere potest cum ea compositionem realem.

Ter-

Tertium arg. priusquam secundum solue re oportet. Ad eius verò solutionem prælupponendum est in morte Christi nihil miraculosum, aut præter naturas rerum accidisse, sed per solam separationem animæ a corpore contigisse, sicut contingere solet mors cuiuslibet alterius hominis sic occisi: ita sentiunt communiter SS. Patres, & Scholastici Doctores. Quare non est tenenda sententia Marsil. in 3. q. 3. art. 1. quamuis eam probabilem iudicet Henr. quodlib. 1. q. 4. nempe corpus Christi permansisse in triduo absque vlla forma substantiali cum sola, ac nuda materia: hoc enim miraculum in primis est, sine vlla necessitate positum, vt mox ostendam, & ex recto sensus iudicio colligitur esse falsum, quia in corpore Christi mortuo eadem prorsus figura apparuit, eademque organizatio, & eadem accidentia, ac in cæteris corporibus mortuis, sed in cæteris iudicamus ex his quandam formam substantialem animæ similem ei succedere in materia, quam vocamus formam cadaueris postulantem organizationem similem: ergo dicendum est in morte Christi formam cadaueris successisse animæ in materia, vt mors eius similis esset alijs.

172 Dicendum igitur est cum D. Tho 3. p. q. 50. art. 5. & alijs Scholasticis, qui eum sequuntur, sacrum Christi corpus verum fuisse cadauer in triduo per veram formā cadaueris constitutum, sicut reliqua corpora mortua, & talem formam vnitam fuisse Verbo pro illo paruo tempore, non quidem noua p[r]or[sus] vnione, sed ex vi prioris, qua assumptum fuit corpus eius cum anima, imò nec permanent[e], sed quodammodo transeunte, quia anima eius sanctissima deserente corpus, naturali consecutione fuit necessarium (ne materia maneret sine vlla forma, & ne mors eius miraculosa, & non naturalis ex hac parte censeretur) quod forma cadaueris succederet in materia, & cum materia permanser[e]t vnita verbo, & ex consequenti fuit necessarium ex vi vnionis materiæ in principio factæ, vt quasi per modum transeuntis assumeretur forma cadaueris, & adueniente anima per resurrectionem, & informante corpus, eadem forma cadaueris expelleretur simul; a[c] dimitteretur a Verbo, quemadmodum partes substātiales corporis Christi p[e]r actionem caloris naturalis resolutæ dimissæ fuerunt, sicut consumptæ.

164 [Q]uod verò quod ex Damasceno affertur, videlicet Verbum diuinum nihil semel assumptum reli[q]uisse, de his quæ per se primo, aut primaria intentione, a[c] p[er]manēter assumpsit, intelligi debet, non de alijs, quæ per solam cōsequentiam naturalem, & quasi secundaria intentione, ac per modum viæ. Ad formā igitur arg. Scoti, distinguenda est maior, quod corpus Christi fuerit idem numero mortuum, & viuum: nam duplex identitas considerari in eo potest, videlicet numerica, & suppositalis, & hanc absq; dubio omnimodam habuit, quia cum cadauer fuerit Verbo vnitum, nullum habuit proprium suppositū, sed diuinum terminans naturam eiusdem cadaueris, & ideò idem prorsus suppositum, ac habuit corpus viuum. Identitas verò numerica naturæ eiusdē corporis dupliciter considerari potest, completè quidem, quatenus resultauit ex hac materia, & hac anima vnitis, vt tribuente esse corporeum eidem materiæ, & hoc modo non fuit corpus Christi idem numero mortuum, & viuum, quia aliam habuit formam distinctam ab anima, aliamq; naturam specie distinctā ab humanitate, incompletè verò considerata eadem identitate numerica corporis ex parte materiæ idem numero fuit. Dum verò Sancti Patres affirmant fuisse idem numero, de identitate suppositali, & numerica incōpletè considerata intelligi debent, non de completa, quia non potuit habere maiorem modo naturali, quomodo fatentur contigisse mortem eius.

BREVE DVBIVM.

De generatione cadaueris, & distinctione eius.

165 Solutio secundi argumenti dubium postulat agitandum, de forma cadaueris, de qua duo sunt breuiter disputada: videlicet, quonam modo, vel a qua causa generetur per se, & an formæ diuersorum cadauerum distinguantur specie, vel solo numero, & consequenter cadauer[a] [ip]sa.

Et circa primum, quidam tenere videntur formam cadaueris educi de potentia

materiæ a dispositionibus, ex quibus prouenit mors animalis, vel hominis, tanquam ab instrumentis causarum, a quibus inducuntur, & ab his tanquam a causis præcipuis, ac per se, vt si mors animalis proueniat ex nimio calore, ab hoc producetur forma cadaueris succedens animæ in materia, & a causa extrinseca producente eundem calorem tanquam a principali, & per se, ita videntur sentire Gregor in 2. dist. 16. quæst. 2. Capreol. dist. 15 quæst. vnica, art. 3. & cum eis Conimb. 2. lib. de gener. cap. 4. quæst. 29. artic. 3. propter hoc argumentum dispositiones præcedentes introductionem formę per se concurrunt ad eductionem eius ex potentia materiæ, vel ad vnionem cum materia, sed nimius calor, aut nimia frigiditas præcedens in materia, expellit animam, & disponit eandem materiam ad formam cadaueris inttoducendam: ergo erit causa saltem instrumentalis educēs ex ea eandem formam cadaueris, & per consequens causa illa inducens eundem calorem cuius est instrumentum, erit principalis, & per se.

175 Ego vero existimo *formam cadaueris numquam habere causam particularem principalem, neque instrumentalem per se, sed solum per accidens, per se verò produci a causis vniuersalibus*. Ita Pater Suarius tom 1. Metaph disput 18. sect 2 n. 27.

Et probatur hac ratione efficaci, causa per se alicuius effectus positiui est ea, quæ per se primò illum intendit producere, sed nulla datur causa particularis per se primo intendens producere formā cadaueris: ergo nullam causam per se habebit. Minorem sic probo, siue animal ex abundantia caloris pereat, vel ex abundantia frigoris: aut ex quacumque alia distemperie, euidens est, neque calorem, neque frigus per se primò intendere productionem formæ cadaueris, aut expulsionem animæ: sed intensiorem calorem tanquam dispositionem per se ordinatam ad propriam formam mixti: per accidens verò contingit talem calorem esse dispositionem ad expulsionem animæ, & eductionem formæ cadaueris ex potentia materiæ, & ideò per accidens omninò sequitur corruptio viuentis, & præter intentionem eiusdē agentis, & multò magis sequitur per accidens forma cadaueris: cum non sequatur ex intentione alicuius alterius agentis particularis, sed solum ex necessitate materiæ, ne maneat sine forma. Succurrere autem huic necessitati materiæ euidens est ad nullam causam particularem per se pertinere, sed solum ad causam vniuersalem, aut primam: quia vniuersalissimum quid est, vnde sequitur, eductionem formæ cadaueris ex potentia materiæ, & introductionem eius ad nullum agēs particulare per se pertinere, & ex consequēti generationem cadaueris nullam habere causam particularem per se, sed ab vniuersali per se fieri, ad quam per se pertinet omnes defectus particularium causarum supplere.

176 Ad argumentum verò oppositæ sententiæ distinguenda est maior, quod dispositiones præcedentes in materia per se ordinentur ad introductionem formæ, vel vnionem eius cum materia, nam ad introductionem illius formæ, quam intendit per se agens, a quo producuntur, per se ordinantur: non tamen ad introductionem alterius: quæ sequitur præter intentionem eiusdem agentis, & cum forma cadaueris non sit per se intenta ab agente, quod eas produxit, non ordinantur per se ad introductionem eius.

177 Quod probatur secundò, quia dum corpus viuum perijt iugulatum, aut in momento occisum, sequitur naturaliter forma cadaueris in materia, atque etiam generatio cadaueris, sed non datur aliqua causa efficiens particularis per se talis generationis, imò nec per accidens disponens materiam, quia ridiculum est, & sine vllo fundamento confictum, quod a quibusdam dicitur in his etiam casibus hominem perire ex abundantia caloris, vel frigoris, aliaue distemperie, cum nulla sit causa, a qua verisimiliter possint tam citò dispositiones induci: ergo non producitur per se cadauer ab aliqua causa particulari, sed ad vniuersalem oportet omninò recurrere, a qua per se producatur, quemadmodum in generationibus animalium imperfectorum ex putri materia.

Circa secundum verò de distinctione cadauerū, omnes autores pro sententia priori de causa eorū citati, ac refutati asserunt distingui specie cadauera per ordinem ad dispositiones præcedentes in materia pro expulsione animæ, & introductione formæ eiusdem cadaueris, ita vt semper sit verum, cadauer genitum ex abundātia caloris, ex qua

sub-

sequuta fuit mors viuentis specie distinctum esse a cadauere genito ex abundantia frigoris, etiam si viua corpora essent eiusdẽ speciei, vt cadauer Petri ex abundantia caloris mortui, & cadauer Ioannis ex abundantia frigoris specie distinguuntur.

178 Probant quia ad distinguenda cadauera specie, non debet attendi illa organorum distinctio in cadauere remanens, quia licet in corpore viuo organizatio hæc necessaria esset, & diuersa organizatio argumento esset diuersitatis formæ, & speciei eiusdem viuentis, sed in cadauere æquiuoca est, & non necessaria organizatio ad vllas operationes exercendas, quas constat non habere: vnde sequitur ex ea desumi non posse arg. ad distinguenda specie cadauera.

Et si his autoribus obijcias, quòd ex eorum sententia statim sequitur, videlicet cadauer hominis, & asini esse eiusdẽ speciei, si vtrumque ex abundantia caloris obijsse contingat. Quidam eorum negare videntur, sed nescio quo pacto negari possit, quia si in ordine ad dispositiones præcedentes in materia desumenda est identitas, vel differentia specifica cadauerum, vbi eædem dispositiones secundum speciem præcedunt, necesse est cadauer eiusdem speciei inducere.

179 Propterea Caiet. concedendum esse arbitratur, sed mirandum non esse ait, quod ex viuentibus diuersæ speciei relinquantur cadauera eiusdem, quia cum forma cadaueris imperfecta sit, & commune medium per quod omnia corpora viuẽtia tendunt in elementa, nihil mirum, quod eadem secundum speciem a diuersis agentibus produci possit.

Hæc tamen sententia non est minus falsa, quam præcedens: Probatur, quia agentia particularia a quibus producuntur excessus caloris, & frigoris, non sunt causæ per se formæ cadaueris: sed per accidens, vt probauimus contra eosdem autores: ergo in ordine ad illa non potest sumi vnitas: vel distinctio specifica cadauerum, quæ est per se.

Veritas igitur huius rei est, quod *vnitas ac distinctio specifica cadauerum desumenda sit ex vnitate, ac distinctione corporum viuorum, quibus succedunt, & assimilantur, & non ex ordine ad dispositiones præcedentes, vel causas eas inducentes in materia.*

180 Ad arg. vero oppositæ sententiæ, negandum est antecedens, quod id distinguenda specie cadauera non sint attendenda organa: imò hæc diuersitas organorum præcipuè attendi debet, quia licet sint æquiuoca, & operationi non deseruiant, a forma tamen substantiali proueniunt, & ideo diuersitas eorum euidens signum est specificæ distinctionis formarum substantialium, & cadauerum. Quod euidenter probatur a posteriori ex diuersitate figuræ, & membrorum, quæ sic necessariò habent cadauera succedentia corporibus viuis specie distinctis, vt naturaliter repugnet habere similia: habent igitur formas substantiales specie diuersas, quas naturaliter, & necessariò consequuntur, aut comitantur diuersa illa accidentia, & ideo specie distinguuntur.

QVAESTIO VII.

An in viuente dentur plures animæ partiales in diuersis partibus heterogeneis corporis.

PRIOR PARS QVÆSTIONIS.

181 DVo quærimus: primum, an dentur saltẽ diuersæ animæ, aut formæ partiales in diuersis partibus heterogeneis eiusdem corporis, quãuis non possint dari totales. Secundum, si tales animæ partiales non dentur, quonã modo differant eædem partes heterogeneæ eiusdẽ animalis, accidentaliter tantũ, vel ẽt substantialiter? & ideò in duas partes diuidenda est quæstio: prior de pluralitate animarum partialium aget: posterior de modo distinguendi partes heterogeneas.

Partes corporis animati duplices sunt, quædam eiusdem figuræ, & rationis, ac denominationis, & dicuntur homogeneæ: vt partes ossis, & partes etiam carnis, nam quælibet pars carnis caro est, & quælibet pars ossis os est. Aliæ sunt partes heterogeneæ, quæ ex homogeneis prædictis componuntur, vt manus ex carne, & osse, atq; etiã caput & istæ sunt diuersæ figuræ, ac tẽperamenti, & per eas exercet corpus diuersas operationes. Et de homogeneis nemo dubitat, an diuersas animas, seu formas partiales habeant, sed certum apud omnes est non habere, de

heterogeneis verò maxima ratio dubitandi est propter tria. Primum quia longè diuersas dispositiones postulant, vt cerebrum frigiditatem maximam, cor vero maximum calorem, sicque de cæteris.

182 Secundo quia diuersam valde figuram habent 3 quia diuersa officia, vel operationes exercet per illas corpus animatum, per oculos visionem, auditionem per aures, & propterea vocantur partes istæ non solum heterogeneæ, sed officiales, quasi diuersa sint instrumenta pro diuersis officijs exercendis. Hæc autem omnia indicia videntur esse diuersarum animarum, aut formarum partialium, quod sic probo Temperamentum primarum qualitatum est dispositio ad formā substantialem, vel animam: ergo diuersum temperamentum ad formam, vel animam diuersam. Figura etiam corporis est signum animæ, aut formæ substantialis: ergo diuersa figura denotat diuersam formam substantialem, vel diuersam animam. Et tandem potentiæ vitales, & operationes earum procedunt ab anima, aut substantiali forma: ergo diuersæ operationes a diuersis formis, & ita videtur ex his tribus probatum, quod partes heterogeneæ eiusdem corporis animati diuersas formas partiales, aut diuersas partiales animas habeant, cuius signum est, quod diuersas etiam definitiones habent, nā alia est definitio capitis, alia manus Diuersę verò definitiones diuersas species explicare debent, quæ a diuersis formis substantialibus debent constitui.

183 Et ita tenet prima opinio, quod in quolibet viuente dātur partiales formæ substantiales, aut partiales animæ specie distinctæ: per quas constituuntur partes heterogeneæ sub propria, ac distincta ratione talium partium, quibus superuenit totalis anima, tanquam forma communis totius corporis, & omnium partium. Gratia exempli, caput, manus, & pedes, caro, & ossa, ac nerui, præter communem, & totalem animam sensitiuam in brutis, & rationalem in homine, habent proprias partiales specie distinctas, per quas constituuntur in ration. capitis, manus, aut pedis, carnis, vel ossis. Ita comm. 6 lib physic. text. 59. & 12. metaph. text 2. & 17. Niphus 1. lib. de gener. tex. 78. & 7. Metaph disp. 11. Paulus Venetus in summa de homine, cap. 5. Vallesius in lib. de Sacra philosophia, c. 4. atque etiam plures medici, & videtur eandem sequi D. Th. in 4. d 49. q. 4. ar. 4. ad 5.

184 Hæc tamen sententia falsa est, quia talis anima informat totum corpus, & omnes partes eius: ergo tribuit eis omnes gradus essendi, quos habet per modum formæ, quare si vegetatiua sit, omnibus partibus tribuet gradum vitæ vegetatiuæ, si sensitiua vtrumque gradum vegetandi, & sentiendi, & si rationalis omnes tres, nempe vegetatiuum, sensitiuum, & rationalem, sed potentiæ vegetatiuæ, & sensitiuæ consequuntur naturaliter eosdem gradus essendi: ergo quæcumque anima totalis tribuet omnibus partibus qualcumque potentias, & operationes vitales eam consequentes, quod docuit expresè Aristot in 2. definitione animę dicens, animam esse principium, quo viuimus, mouemur, sentimus, & intelligimus. Sed potentiæ vitales informant organa corporis, & ea constituunt sub proprijs rationibus, vt potentia visiua oculos, & auditiua aures, sicque de cæteris: ergo non sunt necessariæ ad constituenda organa, vel organicas partes animæ partiales: sed rejciendæ omninò sunt tanquam superfluæ, existimandumque abundè satis sufficere totalem animam ad constituendas partes corporis distinctas, & organicas: cum sit forma corporis organici ex propria definitione.

185 Propterea secunda opinio non ponit animas, vel formas partiales distinctas a totali, sed cum intelligat omnes animas præter rationalem esse diuisibiles, & ideo habere partes integrantes, per quas informant partes corporis, asserit partes integrantes harum animarum informantes partes corporis heterogeneas, esse specie partiali diuersas, vt pars animę sensitiuę informās caput specie distinguatur a parte eiusdē animæ sensitiuæ informante cor, sicq; de cæteris, & cōsequenter partes heterogeneas eiusdem corporis, quas constituunt, specie partiali substantiali inter se differre, vt caput a corde, & hoc a manu. Vnde solum ponit has partes animæ specie distinctas in animalibus, & plantis, non homine, quas partes affirmat non esse continuas, sicut nec partes animæ, per quas constituuntur, continuæ sunt, quia ea quæ specie differunt continuari non possunt, nec proinde constituere vnum numero compositum simpliciter ex defectu continuationis, sed tantum

tum

tum secundum quid, sicut partes domus, nẽpe ligna, & lapides, non sunt simpliciter continuæ. Citantur pro hac sententia Cõm. lib. Physi. com. 59. & 12. metaph tex. 2. Paul. Venetus 2. lib. de anima, text 29. sed his locis potius sequuntur primam sententiam. Videtur tamen hanc secundã tenere D. Th. in 4. dist. 49. q. 4. art. 5. his verbis: *Licet caput & alia membra sint partes indiuidui vnius speciei, non tamen, si vnumquodque per se consideretur cum alio, est eiusdem speciei, manus enim habet aliam speciem partis a capite*. Eam verò tenet expressè Pererius noster 6. lib. suæ philosophiæ, c. 6. q. 3. quam vt probet, supponit duo, primum, quod partes heterogeneæ animalis distinguantur specie partiali, quod manifestant diuersæ figuræ, & diuersa temperamenta earum, nam cerebrum frigidissimum est, & calidissimum cor.

Supponit secundò, quod eædem partes heterogeneæ non sunt continuæ, nam quæ differunt specie non possunt continuari, vt docet Arist. 5. lib. physic. text. 39. & 40. Deinde ex vsu anatomicæ artis, per quem dissecantur, & ex dissectione deprehenditur esse discontinuas. Et probari etiam potest expresso testimonio Aristot. 2. lib. de partibus animalium, c. 7. non longe a principio, vbi de cerebro asserit non esse connumerandum inter partes continuas corporis. Ex his ergo duobus duo colligit argumen. primum, quia partes heterogeneæ distinguuntur specie, sed distinctio specifica sumitur a forma: ergo habent formam specie distinctam, non totalem, cum in vno viuente solum sit vna totalis anima: ergo partialem, non distinctam a totali, vt dicebat præcedens opinio, quia omnino repugnat dari etiam plures animas distinctas in eodem, vnam totalem, & aliã partialem: ergo necesse est dari plures, quæ sint partes integrantes specie diuersæ eiusdem totalis animæ: per quas partes ipsæ possint differre specie substantiali partiali absque multiplicatione animarum. Ex secundo verò ita arguit, partes heterogeneę animalis sunt discontinuæ: ergo non solum habent partes animæ discontinuas: sed etiã partes discontinuas materiæ: sed repugnat (saltem naturaliter) eandem numero formã simul informare plures materias discontinuas: ergo non possunt materiæ discontinuæ harum partium informari ab eadem numero anima, nisi habente partes etiam discontinuas, per quas informentur, & ideo necesse est ponere plures animas partiales animarum diuisibilium eiusdem viuentis.

187 Sed etiam hæc sententia falsa est, quod probo primo, quia nõ minus differunt partes heterogeneæ humani corporis figura, temperamento, & alijs, quam partes eiusdem bruti, quare non minus repugnabit esse continuas, nec magis intelligetur esse discontinuas ex vsu eiusdem anatomicę artis, quam partes aliorum animalium: ergo non minus discontinuam materiam habent: sed ideo non possunt informari ab eadem numero anima partes animalis, nisi habente partes integrantes diuersas, quia non potest eadem numero anima informare materias discontinuas: ergo nec poterunt partes humani corporis tam diuersæ, & tam discõtinuæ informari ab eadem numero anima rationali, quare præter illam erunt necessario ponendæ in homine plures animæ partiales specie distinctæ, quod negat eadem opinio, & falsum esse probauimus impugnantes prę cedentem.

Et si respondeas, diuersam esse rationem de anima rationali, quæ vna numero, & specie cum sit, habet virtutem informandi partes materiæ discontinuas, & constituendi eas diuersas specie partiali, quod præstare non potest anima diuisibilis (longe imperfectior) nisi per partes integrantes specie diuersas.

Probo hoc esse falsum, quia anima rationalis informans omnes partes corporis est indiuisibilis, atq; etiam eadem numero, & specie: ergo non potest constituere partes heterogeneas humani corporis specie partiali diuersas. probatur euidenter consequentia, quia distinctio specifica sumitur a forma: sed eadem anima rationalis informans omnes, & singulas partes nõ distinguitur a se ipsa specie totali, nec partiali: ergo non potest constituere differentiam specificam totalem, nec partialem inter easdem partes.

188 Secundò probatur, quia partes eiusdem animæ sensitiuæ distinguuntur specie partiali, & ideo non possunt esse continuæ: ergo non possunt constituere vnam animam per se secundum numerum, nec secundum speciem, nec idem numero cõpositum physicum secundum numerum, nec secundum speciem.

Probatur consequentia, quia plura

specie, & numero diuersa non possunt constituere aliquid substantiale per se vnum: nisi per se, & substantialiter vniantur: sed non possunt per se, nec substantialiter vniri: ergo nec vnum per se secundum numerum, aut speciem constituere.

Minorem sic probo, ea quæ vniuntur per se, vel vniuntur tanquam actus per se, & potentia per se, quo pacto vniuntur partes essentiales, nempe materia, & forma, vel ita vt vtrumque sit in actu, sed modo aliquo indiuisibili coniungantur ad constitutionem, non vnius essentialis, sed vnius integralis, quo pacto vniuntur partes eiusdem continui per puncta indiuisibilia, sed neutro modo possunt vniri partes heterogeneæ specie partiali diuersæ, ac discontinuæ: ergo non possunt vnum per se constituere secundum numerum vel speciem: probatur minor, quia omnes partes animæ sunt actus, & neutra se habet ad alteram, tanquam potentia: sed neque vniuntur per indiuisibilia sicut partes continui, quia talis vnio est vera continuatio, negat verò hęc sententia, quod sint continuæ: ergo non potest admittere talem vnionem, ideo non possunt vllo modo vniri per se, nec proinde possunt constituere vnum per se.

189 Ad primum argumentum pro ratione dubitandi propositum concedendum est antecedens, quod partes heterogeneæ illis tribus distinguantur, videlicet temperamento diuerso, figura, atque officijs diuersis, neganda tamen est consequentia, quod diuersam habeant formam substantialem, sed ab eadem possunt informari anima, quæ propter suam eminentiam postulat partes ita diuersas, & vna cum sit, virtutem habet informandi omnes, quia est actus corporis organici, hoc est, habentis partes, & membra adeo diuersa.

Ad secundum distinguenda est maior, quod eædem partes habeant partiales, atq; incompletas definitiones diuersas: nam diuersas specie totali, aut partiali, falsum est, quia non habent formas specie diuersas vno, n: c alio modo. Diuersas verò partialiter indiuidualiter, quæ differentia non est essentialis: sed accidentalis, vel ad summum substantialis indiuidualis, ac partialis, iuxta diuersas opin. verum, ad quam differentiã sufficit informari ab eadem anima indiuisibili diuerso modo, vel a partibus eiusdem animæ diuisibilis numero partiali diuersis: sed continuis.

190 Ad tertium concessa maiori, & minori, quod in his partibus dentur diuersæ potentiæ procedentes ab anima, neganda est consequentia, quod diuersas habeant partiales animas: sed ab eadem diuerso modo informante easdem partes procedere possunt in eas potentiæ diuersæ ab ea radicaliter emanantes. Quando vero D.Th asserit partes heterogeneas habere species, ac definitiones diuersas, de accidentalibus loquitur definitionibus, & speciebus ex diuersis figuris, & temperamentis desumptis, non de essentialibus.

Ad vtrumq; vero argumentum secundæ opinionis dicimus vtrumq; fundamentum, quod supponitur, & ex quo deducuntur esse falsum.

Primum quidem quod partes heterogeneæ eiusdem viuentis, vt cor. & cerebrum, pes, & manus distinguantur specie substantiali: nam diuersa temperamenta, & figuræ diuersæ non denotant diuersam formam substantialem, neque partes diuersæ speciei eiusdem formæ, sed formam quidem excellentiorem, nempe animam potentem informare partes adeo diuersas, & petentem in eis temperamẽta diuersa, quod patet in anima indiuisibili, quæ per diuersos modos informandi constituit tales partes diuersas, quod etiam potest præstare diuisibilis anima, etiamsi non habeat partes specie diuersas: sed diuersas tantum perfectione indiuiduali intra eandem speciem, vt statim explicabitur. Falsum est etiam secundum fundamentum, quod partes heterogeneæ non sint continuæ: nam licet diuersæ appareant, musculis quibusdam, neruis, ac fibris tamen cõtinuantur, magnis quidem aliquando, & aliquando adeo paruis, vt sensu non percipiantur, vt Vesal lib.3. de fabrica humani corporis, c.4 bene adnotauit. Et hac fortasse de causa in dissectione mẽbrorum aliquando non percipiuntur ligamenta hæc ab exercentibus anatomicam artem, & propterea iudicant has partes non esse continuas: sed rationi potius standum est, quę efficaciter probat partes heterogeneas hominis cõtinuari: cũ ab eadẽ forma indiuisibili informentur. Et eod.mõ intelligendũ est easdẽ partes in aĩalib. cæteris cõtinuari informatas diuersis partibus eiusdẽ animæ diuisibilis, sed continuis.

Quod

191 Quod verò de cerebro docuit Aristoteles, non esse connumerandum partib. continuis, statim explicuit dicens, non continnari partibus actu sentientibus immediatè: sed non sentientibus, videlicet cũ medullâ dorsi & per hanc continuatur cum reliquo corpore: non est enim necessarium, omnes partes habentes vitam sensitiuam actu sentire, imò nec habere sensitiuam potentiam, quia plures, ac perfectiores dispositiones requiruntur, vt pars aliqua sit organum potentiæ sensitiuæ, quam vt gradum substantialem sentiendi ab anima recipiat, vt inferius explicabitur.

Posterior pars Quæstionis.

192 EX refutatione harũ duarum sniarum habemus, in nullo viuẽte prѳter vnicam totalem aĩam admittendas esse partiales. Sed nec vllam animã diuisibilem habere partes integrãtes specie partiali diuersas. Ex hoc antem resultat maxima difficultas quæstionis in posteriori parte examinanda, videlicet, an partes heterogeneæ eiusdem viuentis, vt caput, cor, & manus distinguantur substantialiter, vel solum accidentaliter per diuersas figuras, dispositiones diuersas, & alia diuersa accidẽtia. Et ratio dubitãdi maxima est, quia distinctio substanrialis non sumitur a materia: sed a forma substantiali. Sed eandem prorsus formam substantialem habent oẽs istæ partes eiusdem viuentis, nempe eandem animã totalem, a qua informantur prѳter quam nulla datur in eis partialis: ergo non distinguuntur substantialiter: sed per solas dispositiones, & accidentia.

Ita asserit 1. opinio, quam defendunt Greg. in 2 d. 16 & 17. q. 1. Herueus in tract. de vnitate formarum, q. 18. Capr. in 2. dist. 15. q. 1. ad 6 Socin. lib 8. Metaph. q. 10, Caiet. 2. lib de anima, q. 1. Sotus 5. lib. Phys q. 3 ad 8. Bannez 1 lib de gen. c. 4 q. 8. art. 4. concl & eandem tenere videtur D. Thom. 1 p. q 76. art. 5. ad 7 vbi ita ait: *Partes animalis, vt oculus, manus, caro, non sunt diuersarum specierum: sed diuersarum dispositionum, &c.* & præter rationem dubitandi probatur hoc modo, partes heterogeneæ præter diuersas dispositiones, & figuras, de quibus constat esse accidentia, solum habeut formas proprias, per quas distingui possint: nam in forma cõmuni totius corporis, quѳ est anima, conueniunt: sed formæ propriæ earum sunt potentiæ vitales in eis residentes, & non in aliis: ergo per has solum distinguuntur, & hæc sunt etiam accidentia, vt constat de potentia visiua residente in oculis: ergo solum distinguuntur accidentaliter.

193 Probatur minor expresso testimonio Arist. 2. lib. de anima, texr 9. vbi sic ait: *Considerare autem, & in partibus oportet, quod dictum est, si enim esset oculus animal, anima vtique ipsi visus esset, hic enim est substantia oculi, oculus autem materia visus est, quo deficiente non est amplius oculus, nisi æquiuocè, sicut lapideus, aut depictus.*

Probabilis est hæc sentẽtia propter authoritatem tantorũ virorũ: recentiorib. tamen cõiter non placet, nec mihi videtur doctrinѳ Arist. consentanea: quod probo duplici argumẽto ex priori definitione animѳ desumpto primũ tale est, anima est actus primus, & substantialis corporis physici, & organici: ergo corpus cuius anima est actus, organicũ debet esse substantialiter. Probatur consequentia, quia actus, & potentia eiusdẽ conditionis esse debent: ita vt si actus est substantialis, potẽtia quoq; substantialis sit, alioqui non ordinabitur vnum per se ad alterum: sed organa corporis viuentis iuxta prædictam sniam solum differunt per accidentia: ergo nõ potest esse organicũ substantialiter, nec partes eius vt organicæ possunt constitui substantialiter ab anima: sed solum accidentaliter, quare non erit anima actus substantialis eius quod definitioni eiusdem animæ aduersatur.

Probatur secundò, quia temperamentum dispositiones, & cætera accidentia corporis & partium eius ordinantur a natura ad informationem, & constitutionem compositi substantialis: ergo diuersæ dispositiones ad diuersum modum informationis: sed partes organicæ postulant diuersas, ac perfectiores dispositiones, & imprimit eis anima perfectiora accidentia, nempe potentias vitales, quas non imprimit alijs partibus: ergo perfectiori modo informantur ab anima: sed perfectior modus informandi constituit compositum perfectius substantialiter: ergo non potest negari, quin tales partes differant substantialiter aliquo modo.

Non tamen ab omnibus assignatur eodem modo hæc differentia substantialis partium.

194 Sed quidam asserunt, quod licet vna tantum numero sit anima in eodem viuente, indiuisibilis quidem in homine, diuisibilis vero in animalibus, & plantis, & ideo nō differant partes organicę propter diuersitatem animæ indiuisibilis, aut partium eius (si diuisibilis sit) prouenit tamen earum differentia ex diuerso modo partiali, quo vnitur eisdem partibus, hunc autem modum vnionis specie diuersum esse docēt in diuersis partibus, & propterea nō solum substantialiter: sed specie essentiali diuersas esse. Et ratio eorum est, quia modus, quo vnitur anima corpori, colligitur ex effectu formali, quē ei tribuit: ergo ex diuerso effectu formali, quem cōmunicat diuersis partibus colligi debet diuerso modo eisdem vniri: sed non omnibus partibus cōmunicat eundem effectū formalem: sed diuersis diuersum, etiam secundum speciem, iuxta diuersam capacitatem atque dispositiones earum: ergo diuersum modum vnionis secundum speciem habet in diuersis ex quo partes ipsæ erunt specie diuersæ. minorē probant a posteriori ex potentijs, quia potentię vitales procedunt ab esse, quod anima cōmunicat corpori, & partibus eius per informationem, vegetatiuæ quidem ab esse vegetatiuo, & sensitiuæ ab esse sensitiuo: ergo euidenter sequitur a posteriori, quod partes non habentes vllam potentiam sensitiuam: sed vegetatiuam tantum, non recipient ab anima esse sensitiuum: sed solum vegetatiuum, & quæ habent potentiam vegetatiuam, & sensitiuam, recipient esse vegetatiuum, & sensitiuum, ex quo habebunt differentiam specificam substantialem, ac partialem. Sed hic modus dicendi falso innititur fundamento, & ideò tanquam falsus reijciendus est.

195 Eius namque fundamentum est, quod anima diuersis modis partialibus specie distinctis informat diuersas partes corporis, quia non communicat eis eosdem gradus essendi, sed quibusdam vnum, duos verò alijs: hoc autem fundamentum sic probatur falsum.

Ab eadem forma prouenit esse genericum, & specificum, ita vt repugnet tribuere subiecto, vel materiæ esse genericū, quin simul ei tribuat esse specificum, probatur vtrumq; in albedine tribuente corpori esse genericum colorati, & specificum albi, ita vt repugnet ab ea tribui esse album, & ab alia esse coloratum, atq; etiam repugnet eam tribuere esse coloratum, quin simul tribuat esse album: sed omnes gradus essendi, quos anima tribuit corpori, habent se tanquam genera, & species, vt viuens se habet tanquam genus sensitiui, & sensitiuum tanquam genus rationalis: ergo non solum ab eadem anima tribuuntur omnes, sed repugnat genericos tribuere toti corpori, vel alicui parti eius, quin simul tribuat specificum, & ex hoc sequitur non habere animam diuersos modos vnionis specie partiali distinctos in diuersis partibus ex eo, quod diuersos effectus tribuat diuersis partibus secundum diuersos gradus essendi eisdem communicatos.

Argumentum vero eiusdem opinionis ex potentijs desumptum nihil probat, sed ad formam eius concessa maiori, quod potentiæ oriantur ex gradibus essendi, neganda est minor, quod his partibus, quibus non tribuitur vlla potentia sensitiua, non tribuatur gradus naturæ sensitiuæ, nam plures, atque maiores dispositiones postulant potentiæ, quā soli gradus essendi, propter exercitium suorum actuum: ad quos eliciendos se habēt tanquam specialia instrumenta animæ, & ideò specialibus dispositionibus ornari debent, vt ei deseruire possint: quare cæteræ partes possunt recipere ab anima sensitiua gradum substantialem sentiendi, licet nullā potentiam sensitiuam recipiant, quia dispositiones eorum sufficiunt ad recipiendum esse, non tamen ad recipiendam potentiam, quia non sunt apta instrumenta ad exercendam vllam operationem sensitiuam, & propterea nec apta sunt organa harum potentiarum, & tales partes fortasse sunt ossa, de quibus docet Aristoteles, nec sensum tactus habere, cum tamen efficaciter probetur recipere ab anima gradum substantialem vitæ sensitiuæ.

196 Propterea asserunt alij, partes heterogeneas eiusdem viuentis substantialiter differre, non differentia specifica: sed omnes esse eiusdem prorsus speciei, differre tamen differentia partiali indiuiduali, hanc verò differentiam non prouenite ex parte animæ, etiam in animabus diuisibilibus, sed ex eo solum, quod licet anima sit eiusdem omninò rationis in omnibus partibus, vnitur tamen diuersis partibus per modos vnionis partiales distinctos indiuidualiter, quorum ratione partes

ipsa resultantes differunt etiam partialiter indiuidualiter. Itaque asserit hæc sententia animam (si diuisibilis sit) habere partes eius dem omnino rationis, non solum specificæ, sed indiuidualis partialis: si verò sit indiuisibilis omninò eandem esse in omnibus partibus, & ideo ex parte animæ diuisibilis, vel indiuisibilis non sumi vllā prorsus differentiam substantialem partium, sed solū ex eo, quod diuersos modos vnionis partiales habet in diuersis partibus, ex quibus resultat differentia substantialis indiuidualis, atque partialis earumdem partium. Probant, quia non minus differunt substantialiter indiuidualiter partes heterogeneæ hominis, quam animalium perfectorum, vel imperfectorū, sed talis differentia saluatur in partibus heterogeneis hominis absque vlla differenria ex parte animæ rationalis; cū eadem forma indiuisibilis sit informans omnes partes corporis ex eo solum, quod diuersis modis vnionis partialib. magis, aut minus perfectis vniuntur diuersis partibus corporis; ergo saluari etiam potest in quacunque anima diuisibili absq; vlla differentia maioris perfectionis indiuidualis in partibus eius, ex eo solum, quod eædem partes eius eiusdē omninò perfectionis indiuidualis diuersis modis vnionis partialibus magis, aut minus perfectis vniuntur diuersis partibus corporis: quā virtutem ad modos vnionis magis, & minus perfectos habēt ex propria perfectione animæ, quam non habent inferiores formę corporum homogeneorum.

197 Sed hæc etiam sententia falsa est. Probatur primo, quia modus vnionis, per quem anima vnitur corpori, & partibus heterogeneis eius, talis debet esse, qualis est perfectio eiusdem animæ, & ideo modus vnionis, quo vnitur anima sensitiua corpori perfectior est modo, quo vnitur eidē corpori anima vegetatiua, & modi, quibus vniū tur corpori duæ animæ vegetatiuæ, aut sensitiuæ eiusdem omninò perfectionis specificæ, & indiuidualis, eiusdem etiam omninò perfectionis specificæ, & indiuidualis erunt. Vnde sequitur, quod si partes eiusdem animæ diuisibilis eiusdem sint omnino perfectionis indiuidualis, modi partiales vnionis, quibus vniunrur diuersis partibus corporis, eiusdem omninò perfectionis erunt, & ideo repugnabit, quod ratione eorum partes organicę eiusdem corporis sint diuersæ perfectionis indiuidualis. Secundò, modus vnionis, quo vnitur forma materiæ est informatio, vt primo libro Physicorum ostendimus; ergo modi partiales diuersæ perfectionis indiuidualis, per quos anima vnitur diuersis partibus materiæ, erunt partiales informationes diuersæ perfectionis; vnde sequitur non dari perfectiores modos vnionis partialis, quin anima diuisibilis secundū diuersas partes magis, & minùs perfectè informet diuersas partes corporis, sed repugnat quasdam partes animæ perfectius informare, quam alias, nisi in se sint aliquo modo perfectiores; ergo repugnat per diuersos modos partiales vnionis perfectiores, & minus perfectos vniri corpori diuersas partes diuisibilis animę, nisi in se sint aliquo modo magis, aut minus perfectæ. probatur minor, quia informatio est proprium officium formæ, propriaq; causalitas eius ex se ordinata ad effectum formalem eiusdem formę; ergo perfectior informatio est perfectior causalitas ordinata ad perfectiorem effectū formalem, sed perfectior effectus formalis non procedit à forma æqualis perfectionis, sed necessario a perfectiori; ergo de primo ad vltimum perfectior modus vnionis non potest conuenire partibus animæ eiusdem omninò perfectionis.

198 Nostra igitur sententia duo asserit, primum, quod partes organicæ eiusdem viuentis sint diuersæ perfectionis substantialis non specificæ, sed indiuidualis partialis. Postremum, quod diuersa hæc perfectio substantialis partium non solum proueniat ex modis vnionis partialibus diuersæ perfectionis indiuidualis, sed primo, & per se ex eo quod anima diuisibilis habet partes diuersæ perfectionis indiuidualis, per quas informat diuersas partes corporis, anima verò indiuisibilis talis est naturæ, vt secundum se totam magis, & minùs perfectè informet partes diuersas corporis, meliusque officium formæ exequatur in quibusdam, quam in alijs, vt petit natura organici corporis, & ex his sequuntur perfectiores modi partiales vnionis in his partibus, quam in alijs. In primo conueniunt omnes ferè recentiores, & efficaciter probatum est aduersus opinionem eorum, qui dixerunt partes heterogeneas corporis accidentaliter tantum esse diuersas. Postremum verò efficaciter etiam probant duo argumenta, qui-

quibus modum dicendi postremum refutauimus.

199 Ad primum argumentum eiusdem modi dicendi concessa maiori distinguenda est minor, quod maior, & minor perfectio partium organicarum in homine saluetur absque maiori, vel minori perfectione animæ rationalis, à quâ informantur omnes, nã absque maiori, vel minori perfectione entitatiua, aut materiali, verum est, quia cum eadem omninò, atque indiuisibilis sit secundú entitatem, non potest hoc modo sumpta esse perfectior in diuersis partibus: absque maiori verò, vel minori perfectione formali, falsum; hoc est quantum ad perfectionem informandi maiorem, vel minorem, nam anima ideo est actus substantialis organici corporis, quia virtutem habet diuersis modis informandi partes diuersas eius, ita vt diuerso modo sit informatiua cordis, cerebri, oculorum, & aurium, & ideo constitutiua harum partium diuersæ perfectionis partialis indiuidualis, quod ad rationem heterogeneæ formæ pertinet, nec formæ homogeneæ conuenire potest: cum eodem prorsus modo informet omnes partes materiæ.

200 Ad secundum negandum est antecedens, quod partes animę diuisibilis sint eiusdem omninò perfectionis indiuidualis, & diuerso modo magis, & minus perfecto possint vniri diuersis partibus corporis, nam licet anima ipsa diuisibilis possit his modis magis, vel minus perfectis vniri diuersis partibus corporis, hoc tamen habet per diuersas partes determinatas magis, & minus perfectas, secundum rationes indiuiduales, & non alio modo. Per diuersas autem partes determinatas id habere dixi, quia non potest secundum quamlibet indifferenter informare quamlibet partem corporis, alioqui esset forma homogenea habens partes omninò eiusdem rationis. Hæc verò habet anima indiuisibilis longè perfectiori modo, quia secundum se totam est informatiua diuersarum partiũ per informationes partiales inadæquatas diuersæ perfectionis indiuidualis, ratione cuius constituit partes organicas corporis diuersæ perfectionis partialis, substantialis, & indiuidualis.

QVAESTIO VIII.

An anima informet partes fluidas corporis, vt sanguinem, & alios humores.

201 DVplices partes viuentis insinuat titulus quæstionis, solidas videlicet, quales sunt caro, os, neruus, & similes, atque etiam fluidas, quæ per corpus moueri, ac fluere dicuntur, quia quasi liquidæ sunt, vt sanguis, phlegma, atra bilis, & flaua bilis; quas quatuor humores vocant, & his similes sunt spiritus vitales, & animales quantum ad motum. Nam cum tenuissimi sint, & quasi de natura aeris, passim per corpus mouentur.

202 De partibus autem solidis præsupponit, quod informentur anima, vt superius à nobis probatum est, quia ad primam consistentiam compositi pertinent, de fluidis verò in dubium reuocat, & quamuis eadem sit ratio de omnibus: sed quia inter omnes præcipua est sanguis, ad sanguinem reducitur quæstio claritatis gratia, & quod de eo statutum fuerit, de omnibus tenendum censebitur. Prima igitur opinio asserit, sanguinem cum cæteris partibus fluidis informari anima, ita tenent ex recentioribus Theologis Conrad. 12. q. 54. Hispalensis in 2. dist. 15. q. 1. Medin. 3 par. q 5. art. 2. Astudillo 1. lib. de gen. q 15. art. 2. Tolet. 2. lib. de anima, q. 4. & quidam alij. Probant testimonijs Aristotelis, qui duo asserit expresse de sanguine. Primum, quod sit pars viuentis 3. lib. de historia animalium c. 2. in principio, & 2. lib de partibus animalium c. 3 etiam in principio, vbi distinguens duplices partes viuentis, nempe similares, ac dissimilares, inter priores connumerat sanguinem.

203 Postremum, quod de eo asserit est animatum esse, 3. lib. de historia animalium c. 19. post mediũ hisce verbis: *Quamdiu vita seruatur sanguis vnus animatur, & feruet*, quibus ego addo, adipem apud eundem Aristotelem non esse aliud, quam sanguinem bene concoctum: vt docet 2 lib. de partibus anim. c. 5 in principio, sic inquiens. *Seuum, & adeps inter se differunt sanguinis ratione, est*

... in eo omnemque quaque sanguis con ... per boatat: in ... , quod tamen Gal. libro 2. de temperamentis affirmans adipem esse sanguinem frigore concretum, aut congelatum: sed communis est medicorum sententia de adipe, quod anima informetur, & viuat, cũ sit pars animalis: ergo idem sentiendum de sanguine. Quod in sacris literis videtur assertum, nam Leuitici 17 sic dicitur: *Anima carnis in sanguine est, & ego dedi illum vobis, vt super altare in eo expietis pro animabus vestris, & sanguis pro anima piaculo sit.* Quibus verbis ideo per oblationem sanguinis super altare, animarum peccata expiari debere dicitur, quia anima ipsa in sanguine continetur: euidens autem est, non alio modo, quam per informationem contineri posse, ergo significatur plane, quod informetur anima. Et D. Aug in lib. Quaest. veteris, & noui testamenti, vt refertur 32. q. 2. cap. Moyses. videtur id collegisse ex eisdem verbis Scripturæ; ità enim ait: *Anima certe quia spiritus est, in sicco habitare non potest, ideo in sanguine fertur habitare.*

204 Probant deinde ratione: primo, quia omnes partes cuiuslibet compositi informantur eadẽ forma substantiali, sed sanguis est pars viuentis, vt docet expresse Aristoteles duobus illis locis citatis, atq; etiam D. Thom. in 4. dist. 44 q. 1. art. 2. quæstiunc. 3. & quæstiunc 3. ad 3. ergo informatur ab eadem forma totius, quæ est anima. Secundò, quia animata distinguuntur ab inanimatis in eo, quod mouentur versus omnem differentiam loci, inanimata verò ad vnam determinantur, vt ignis mouetur sursum: sed euidens est sanguinem in animalibus moueri versus omnẽ differentiam loci, sursum enim ascendit, & descendit deorsum, atque etiam versus latera corporis procedit; ergo necessario concedendum est, esse animatum.

205 Probatur tandem ratione Theologica, nam certum est, Verbum diuinum non solum assumpsisse naturam humanam, sed sanguinem, & humores, quia ad veritatem humanæ naturæ pertinent, vt docet expressè D. Thom. 3. p. q. 54. art. 1. in corpor. & ad 1 & communiter Theologi. Certum est etiã Verbum diuinum vnã tantùm naturam assumpsisse, & vnica assumptione, non pluribus, sed natura est vna per vnam formam, & humana per vnam animam rationalem; ergo omnia, quæ assumpsit Verbum, pertinent ad vnam eandem naturam humanam, ab eadem anima rationali informantur, & eadem assumptione assumpta sunt: sanguis igitur informatur anima. Probatur consequentia, quia ꝓpropriam habet formam, erit diuersæ naturæ ab humana; cum distinctio naturarum fit per formam, & consequenter diuersis assumptionibus assumentur, quia vnica assumptio vnius est naturæ, & non plurium, vel ergo negandum est, sanguinem, & humores assumptos fuisse à verbo, quod absque errore non licet, vel concedendum, quod ab eadem anima informentur.

206 Hæc tamen sententia non defenditur eodem modo ab omnibus citatis authoribus, sed plures, aut ferè omnes ita sentiũt sanguinem informari anima, vt gradum saltem vitæ ab ea accipiat. Alij verò, vt Toletus, & cum eo recentiores quidam viuere negant, sed solum accipere aiunt ab anima gradum corporis mixti, quia sentiunt non tribuere animam omnes gradus essendi quibuscumque partibus corporis, sed plures, vel pauciores secundum modum dispositionis, & organizationis, quam habent, & ita quibusdam solum tribuit gradum corporis mixti, vt sanguini, & humoribus; alijs verò gradum vitæ, & non gradum sentiendi, vt ossibus; alijs verò partibus perfectioribus tribuit motum, & sensum, atque etiam gradum substantialem rationalitatis. Alij verò distinguunt in animali duplicem sanguinem, imperfectum quidem, qui ad vltimam concoctionem non peruenit, & hunc vocant nutrimentalem, quia rationem alimenti habet, ex quo nutritur animal: & alterum perfectum, quia magis depuratus est, & vltimam concoctionem assecutus, & hunc docent nõ ad nutrimẽtum pertinere, sed ad veritatem, & integritatem naturæ, & ideo hunc assumptum esse à Verbo diuino, & ab omnibus corporibus in resurrectione reassumendũ, quia sine eo, nec naturalis homo, nec ideo vetus diceretur assumptus à Verbo diuino, aut resurgeret. De priori igitur sanguine dicunt non viuere, nec omnino informari anima, sed propria forma inferiori, nec assumptum fuisse à Verbo diuino, nec reassumendum in resurrectione corporum, quia tota necessitas eius cessat in eo statu, in quo iam non nutriuntur corpora; posteriori verò sanguini vtrumq; concedunt, nempè informationem

tionem ab anima, atque etiam vitam; hoc modo loquitur Caiet. 3. p. q. 54. art. 3. & Siluest. in rosa aurea tract. 31. q. 3. quod etiam sequuntur alij

207 Secunda opinio absque vlla distinctione sanguinis negat, quod ipse, vel humores, aut spiritus vitales, aut animales informentur anima, sed proprias formas omni anima inferiores habere affirmat.
Hæc est communis omnium ferè Scholar. antiquiorum in 4 distin. 44. vbi eam tenet D. Bonau. art. 1. q. 1. ad 2. Richard. art. 1. q. 2. Durand. q. 2. ad 2. supplem. Gabr. q. 2. dist. 6. Palud. quæst. 1. art. 2. num. 18. Sot. art. 3. atque etiam dist. 10. q. 1. art. 2. Capr. quæst. 2. artic. 3. ad 4. Scot. contra 1. conclus. & Scotus ipse in 4. dist. 10. q. 1. artic. 1. Abul. Paradox. 2. q. 40. Galen. libro de vsu partium, & cum eo Valles. 1. lib. controu. medica capit. 4. & medici ferè omnes, maximaque recentiorum pars. Et videtur mihi longè probabilior, quam his tribus assertionibus explicandam censeo.

208 Assertio 1. *siue sanguis informetur anima, vel non, sed forma propria anima inferiori, concedendum est, quod sit aliquo modo pars integralis corporis viuentis*; nam quamuis nec viuentia omnia, immo nec omnia animalia sanguine prædita sint, vt de plantis, & piscibus constat, hæc tamen, & similia quandam aliam substantiam habent sanguine proportionatam, vt medullam, vel aliam substantiam liquidam ad veritatē, & integritatem naturæ pertinentem, de qua sicut de sanguine intelligitur assertio hæc, quod sit pars integralis eorum. Quod in primis expressum est apud Arist. vbi supra. Atque etiam apud D. Thom. in 4. d. 48. q. 1. art. 2, quæstiunc. 2. & quæstiunc. 3. & 3 p. q. 54. art 2. ad 3. quibus locis docet Christum in resurrectione reassumpsisse totum sanguinem in passione effusum, quia pertinebat ad veritatem, & integritatem humanæ naturæ.

209 Quod etiam colligo ex Conc. Trident. sess. 13. cap. 13. vbi dicitur sanguinem Christi contineri in Sacramento Eucharistiæ sub speciebus quidem vini ex vi verborum, sub speciebus verò panis per concomitantiam. *Ex vi illius naturalis connexionis, & concomitantiæ, qua partes Christi Domini inter se copulantur.*

Sed vt explicemus quonā modo sanguis sit pars corporis viuentis, adnotare oportet ex D. Thom. & ex Richard. vbi supra, partes integrantes corporis viuentis triplices esse, quasdam pertinentes ad primariam cōstitutionem eius, quas ideo primarias vocare possumus, & tales sunt in animalibus solidæ, vt ossa, carnes, nerui.

210 Aliæ sunt non quidem pertinentes ad primam constitutionem, & ideo nec primariæ, sed sine quibus primariæ nō possunt habere esse naturale, nec naturalem cōsistentiam, & tales sunt sanguis, & cæteri humores: quos si à corpore separaueris, nec carnes nec ossa, ac nerui habebūt esse naturale, nec naturalem consistentiam, imò nec vllam operationem naturalem.

211 Et propterea sanguis, & humores vocari possunt partes secundariæ pertinentes ad veritatem, & integritatem naturæ: quamuis sanguis in ordine ad primarias partes in quas conuertitur, pars in potentia vocari possit, & ex hoc egregiè explicantur, atque conciliantur diuersa loca D. Thom. in quibus aliquando vocat sanguinem partem actualem viuentis; aliquando verò partem solùm in potentia: & vnum non est alteri contrarium, sed vtrumque verum iuxta hos duos sensus: quia in ordine secundario pars integralis actualis est, sed in ordine primario solum est pars in potentia, quia in partes primarias conuerti potest. Præter has sunt partes aliæ non pertinentes ad naturalē consistentiam corporis viuentis, sed ad ornatum eius, & ad quædam alia satis conuenientia pro conseruatione, & tales sunt capilli, & vngues, de quibus quæstione sequenti disputabimus, an informentur anima. Dum ergo assertio nostra affirmat, sanguinē, & humores esse partes integrantes corporis viuētis: de partibus secundarijs, non de primarijs intelligenda est, & in hoc eodem sensu loquitur de sanguine Aristoteles.

Secunda assertio, *siue dicatur sanguinem informari anima, vel non, idem est iudicium de toto sanguine, qui vere sanguis est, quare vel totus anima informatur, vel totus habet aliam formam anima inferiorem*; quare non est admittendus duplex sanguis specie substantiali distinctus, vnus, qui nutritioni deseruiat, alter verò non, sed ad compositionem corporis spectet: hæc est contra Caietan. & Syluest.

212 Quam probo 1. authoritate Aristotelis, & medicorum omnium; Aristoteles enim

... vocem q; de alimento an maximum san guinem prædictorum loquitur; absolutè, & sine vlla distinctione asserit sanguinem esse vlti mum alimentum, præsertim lib. de iuuen. & senectute cap. 2. lib. de somno, & vigilia c. 4. & lib. 2. de partibus animalium c. 3. ita vt talis distinctio sanguinis secundum illa officia, in tota eius doctrina non reperiatur, nec vllum sanguinem agnouerit, qui nutritioni non deseruiat, nec à medicis vnquam positus sit, vel ita distinctus: ergo non est admittenda.

212 Probatur ratione 1. quia sanguis ille purus specie distinctus à nutrimentali in corpore, & partibus eius esse debet, & discontinuatus à nutrimentali; cum ponatur distinctus specie ab illo propter diuersam formam substantialem, qua informatur, sed nulla est pars in toto corpore, quæ non nutriatur: ergo partes illæ, in quibus talis sanguis continetur, eo nutriuntur, quia non habent alium sibi approximatum, quo nutriri possint. Et certè si impurus sanguis nutrimento aptus est, nulla potest assignari ratio ob quam sanguis iam depuratus non sit aptius nutrimentum, facilius conuertibile in substantiam aliti: friuola igitur, & sine fundamento censenda est talis distinctio sanguinis. Quod probatur tandem experientia: nam certum est, sanguinem in venis, ac poris existentem esse nutrimentalem, quia per has vias defertur ad omnes partes corporis, vt quælibet desumat ex eo partem sibi necessariam, sed experientia sensuum constat, sæpè à venis, & poris defluere purissimum sanguinem, vel certè talem quantum ex calore, & accidentibus colligi potest, qui non distinguitur à quocunque alio magis depurato specie, sed solum secundùm magis, & minus perfectum intra eandem speciem per aliqualem maiorem depurationem; ergo admitti non debet talis distinctio specifica sanguinum.

214 Propterea D. Thom. in loco 3. par. cit. vt significaret hanc distinctionem sanguinis non esse admittendam, asseruit Christum Dominum in resurrectione assumpsisse totum sanguinem, in passione effusum, propter integritatem, & veritatem naturæ, & tamen dubitari non potest, quod effuderit de sanguine nutritioni deseruienti, quia cum nutritio continuo tépore fiat, & Christi corpus tunc nutriretur, nutrimentalem sanguinem habere debuit in omnib. partibus corporis, & consequéter eum effundere: sine vllo enim fundamento à quibusdam dicitur, quod totum sanguinem nutrimétalem per sudorem expulerit, ideo nihil eis habuerit tempore passionis effundendum. Ex quib. intelligitur D. Thom. sentire, quod totus sanguis in corpore existens ad integritatem, & veritatem naturæ pertineat, totúmque assumptum fuisse à Verbo.

Vltima assertio, *nec sanguis, neque humores, nec spiritus vitales informantur anima, sed proprias habent formas animæ inferiores*. Probatur primo ex his duobus principijs. Primum est, non posse partes materiæ informari eadem forma, aut eadem anima, nisi sint continuæ, in quo omnes conueniunt: nam cum materiæ discontinuæ sint plures, eadem numero forma informaret simul plures materias, quod patet esse naturaliter impossibile.

215 Aliud principium est, quod sanguis non est continuus cum cœteris partibus corporis, quod expressum est apud Arist. 3. lib. de historia animalium, ca. 14. vbi docet expresè sanguinem esse dispersum per omnes partes corporis, & in omnibus, & singulis moueri, sed reliquæ partes corporis non mouentur; ergo repugnat cum eis continuari, sicut repugnat decurrentem aquam continuari cum terra quiescente. Et si dixeris nō continuari cum partibus corporis, in quibus, vel per quas mouetur, vt cum venis, arterijs, aut poris, nec proinde cum carne, & ossibus, benè tamen cum parte illa, quæ est quasi officina, aut fons eius, in qua fit, & à qua deriuatur ad cœteras partes corporis, videlicet cum corde, vel iecore, quod quasi coagulatus sanguis est.

Hoc in primis expresè contrarium est verbis eiusdem Aristotil. 2. libro de partibus animalium capitul. 3. ad finem, quæ ita habent. *Non enim sanguis continuus carni, neque cognatus est, sed in corde, ac venis, quasi vasis continetur*. Est autem cor apud Aristotelem principium totius sanguinis, & quasi officina, in qua fit, & fons, à quo emanat, & in eo continetur, tanquam in vase; ergo apud ipsum, neque cum fonte continuatur, & ideo cum nulla parte totius corporis.

216 Ex his ergo duobus principijs sic formatur arg. naturaliter repugnat, quod eadē for-

forma substantiali, vel eadem anima informentur partes discontinuæ, sed sanguis cum nulla parte corporis continuatur: ergo naturalem continet repugnantiam, quod eadem anima informante alias partes informetur.

Secundo probatur hoc discursu; si sanguis informatur anima, vel recipit ab ea omnes gradus essendi, vel quosdam tãtùm, videlicet gradum substantiæ, atq; etiam corporis misti, sed vtrumq; repugnat: ergo repugnat informari anima. Probatur minor, quod nõ recipiat omnes, quia si sanguis recipit omnes gradus essendi ab anima: ergo recipit gradum vitæ, sed non potest viuere, nisi augeatur secundum proprium modum viuentis; sicut cæteræ partes corporis, sed constat non sic augeri: ergo repugnabit viuere, & informari anima.

217 Quod verò non recipiat ab anima gradum corporis misti tãtùm, sic probo; gradus generis, & speciei tribuuntur ab eadem forma, ita vt contradictionem inuoluat tribuere vnum sine alio, repugnat enim albedinem efficere corpus coloratum, quin eo ipso efficiat album, sed corpus mixtum est genus ad viuens, & non viuens: ergo repugnat animam conferre gradum genericum corporis misti, quin simul conferat gradum corporis animati, aut vitæ vegetatiuæ, immo neque hunc potest, quin conferat gradum speciei atomæ alicuius viuentis, & si sit anima sensitiua non potest conferre gradum vitæ, quin conferat gradum naturæ sensitiuæ in aliqua specie atoma animalis. Et tandem si sit anima rationalis, non potest conferre gradum vitæ sensitiuæ, quin simul conferat gradum rationalitatis. Sed dicunt conferre gradum corporis misti in specie atoma sanguinis, quod non repugnat. Sed probo magis hoc repugnare, quia quodlibet genus diuiditur immediatè per differentias oppositas, & inter se repugnantes, constituentesq; repugnãtes species: sed nec oppositæ differentiæ possunt desumi ab eadẽ forma physica, nec physicè ab eadem constitui: ergo à diuersis, & oppositis: tunc ergo sanguis sic informatus ab anima per se est species corporis misti, vel ergo corporis misti viuentis, aut oppositi, videlicet non viuentis: nam corpus mistũ proximè diuiditur in viuens formaliter, & non viuens formaliter, tanquam in species oppositas: sed sanguis non est species viuentis formaliter: cum non viuat; ergo formaliter est sub specie opposita corporis misti non viuentis, quam repugnat conferre animam cum conferat oppositam viuentis, quare repugnabit informari anima.

218 Secundò probatur, quia omnes gradus essendi prædicamentales à supremo genere vsque ad atomam speciem, quos potest tribuere quælibet forma physica, sunt eadẽ res, idemq; effectus realis, & formalis eiusdẽ animæ, vt in Petro gradus substantiæ, corporis, viuentis, sensibilis, & rationalis, quare non distinguuntur à parte rei: sed ratione tãtum ratiocinata: ergo repugnat animam conferre vnum, quin conferat omnes. Probatur consequentia, quia cum informet ante operationem intellectus, & à parte rei, daretur vnus separatus ab altero realiter, & proinde distinctus ab eo ex natura rei: cum realis separatio inferat realem distinctionem, vel ex natura rei.

219 Quod tandem probo ex nutritione, quia sanguis est vltimum alimẽtum animalis, vt docet expressè Aristoteles locis superius citatis, & conuertitur per nutritionem in substantiam aliti, sed conuersio substantialis fit per corruptionem substantialem eius, quod conuertitur in alterum: ergo nutritio fit per corruptionem substantialem sanguinis: sed corruptio substantialis est amissio formæ antiquę, & acquisitio nouę; ergo sanguis per nutritionem amittit formam, quam habebat, & acquirit nouam, eius videlicet in cuius substantiam conuertitur, quæ est anima, vnde sequitur eam prius non habuisse, dum erat sub forma sanguinis, vel si eam habebat, non corrumpi substantialiter, cum non acquirat nouam: sed solùm accidentaliter, & ideo nutritio non erit conuersio substantialis alimenti: sed mutatio accidentalis eius, quod patet esse falsum.

Posset tamen responderi concedendo, quod nutritio sit conuersio substantialis sanguinis in substantiam aliti, quod non repugnat, etiam si informetur anima; nam dum est sub forma sanguinis, minus perfectè informatur ab anima, & modo vnionis minus perfecto indiuidualiter ei vnitur, per nutritionem verò licet non suscipiat nouam formam substantialem, suscipit eandem nouo, ac perfectiori modo indiuiduali informante, quod sufficit ad conuersionem substantialem, & vt nutritio sit corruptio

sub-

substantialis alimenti.

220 Quam solutionem satis probabilem efficere videtur id, quod medici docent, & satis verisimile est: videlicet aliquas partes etiam solidas, ac primarias animalis, ex alijs etiam solidis, & primarijs nutriri aliquando, vt neruos ex carne, aut quid simile, in qua: tum nutritione possumus nos excogitare alio modo conuersionem substantialem fieri, nisi ex eo solùm, quòd desinat anima informare secundùm modum vnionis indiuiduale in imperfectiorem, eam partē, quæ conuertitur in aliam, & incipiat eam informare modo perfectiori indiuiduali: ita ergo excogitari potest de conuersione sanguinis, etiam si informetur anima, & sic soluetur argument. Hæc tamen solutio locum nō habet: nam vel sanguis informatus anima secundum modum vnionis indiuidualem imperfectum suscipit ab ea omnes gradus essendi, vel quosdam tantum: & hoc postremum probatum est impossibile, & primum etiam probauimus falsum, quia ex eo sequitur sanguinem viuere, quod etiam ei repugnare ostendimus.

221 Ad testimonia Aristotelis pro prima opinione respondeo, duo illa de sanguine asserere, videlicet, quod sit pars animalis, & quod versus omnem differentiam loci moueatur in corpore: sed neutrum probat sentire Aristotelem, quod viuat, aut informetur anima: nam quod partem esse affirmat, de secundaria intelligit, non de primaria; secundariæ verò partes, nec viuunt, nec informantur anima, neque id est vllo modo necessarium: sed per proprias formas inferiores anima id habere possunt, & omnia officia sibi propria præstare. Mouetur autem versus omnem differentiam loci non à se: sed ab eadem anima medijs spiritibus vitalibus tanquam instrumentis, per ordinem, quem habet idem sanguis ad opera, ac functiones vitæ: quod adeò verum est, vt adhuc in corpore recenter mortuo ab eisdem spiritibus moueatur; quare ex tali motu nō sequitur, quod viuat, vel informetur anima: nam animata, seu viuentia non mouentur quomodocunque: sed à se, hoc est, à principio intrinseco, & ideo hoc tantùm modo moueri est argumentum vitæ, aut animationis: vnde nec feruor sanguinis probat eum viuere, sicut nec feruor aquæ, aut motus argenti viui: cum omnes isti motus sint à principio extrinseco, vel si ab intrinseco, non sicut vitales: sed modo alio imperfectiori: sed solùm habent quandam similitudinem cum motibus vitalib.

De adipe verò concedimus, quod non distinguatur substantialiter à sanguine: sed negamus, quod informetur anima eisdem rationibus ac de sanguine.

222 Testimonium verò ex sacris literis desumptum exposuit D. August. quæst. 17. in eundem Leuiticum dicens, sensum eius esse, quod vita sit in sanguine, quia multis modis ab eodem sanguine dependet: nam ab eo alitur, ac fouetur, non verò esse in eo formaliter, tanquam in corpore animato, quod satis est, vt congruenter præceptum sit peccata animarum per oblationem sanguinis in altari expianda esse, & eodem modo intelligi debent verba eiusdem Augustini citata.

Ad primum argumentum distinguenda est maior, quod omnes partes integrantes eiusdem compositi informentur eadem forma; nam quæ ad primariam constitutionem eius pertinent, verū est; quæ verò secundariȩ sunt, informari non possunt.

Ad secundū iam responsum est exponendo testimonia Aristotelis, quod sanguis non mouetur in corpore motu vitali: sed solùm à principio extrinseco.

223 Pro solutione vltimi adnotare oportet, quod cum sanguis in suo ordine iam exposito sit pars integralis humani corporis, pertinet ad integritatem eius, non primariam, sed secundariam, omninò tamen necessariam ad consistentiam, & statum naturalem primarium partium, & totius corporis viuentis, & consequenter pertinet ad veritatem humanæ naturæ, quia non esset naturalis homo, nec verus in hoc ordine naturæ, qui non haberet sanguinem, & humores, nec posset sine illo habere operationes vitales, aut in esse naturali consistere, propterea vnus, & idem homo constituitur, & integratur ex primarijs, & secundarijs partibus: nā licet secundariæ habeant proprias forma aut animas inferiores, non tamen cōpletas; sed partiales, per quas ordinantur suo modo, & ordine ad constitutionem totius, quod simul cum primarijs componunt, & hinc est, quod non sint aliæ naturæ distinctȩ à composito ipso, nempe natura humana: sed ad eandem referantur: ex eo autē, quod

ad

integritatem, & veritatem naturæ humanæ pertinent, fuerunt necessariò assumen æ à Verbo diuino, alioqui nec integrã, nec veram humanitatem naturalem assumpsisset, nec naturalis homo sine illis esset, ex eo verò, quod partes sunt eandem naturam humanam integrantes, eadem assumptione to tal , & completa assumptæ fuerunt, & non distinctis, quamuis non informentur eadem forma, quia per proprias incompletas pertinent ad integritatem, & veritatem eiusdem humanæ naturæ, vt expositum est.

224 Quòd verò hoc non repugnet, efficaciter probari potest, quia in triduo mortis Christi permanserunt vniti Verbo sanguis, & cæteri humores, & quidem sub proprijs formis, & non informati ab anima, quæ à corpore separata non potuit naturaliter eos informare, & nihilominus nemo ausus est dicere, quod tunc non fuerunt vniti, etiã si non informarentur anima: sed proprijs formis, ac diuersis ab ea, nec etiam aliquis dixit, quod in triduo assumpserit Verbum plures naturas, vel animam, cadauer, & humores pluribus assumptionibus: sed ad eandem naturam pertinere omnes dicebantur, quia ad integritatem, & veritatem eius pertinuerunt, & propterea illius dicebantur esse, & suo etiam modo cadauer cum forma propria: cùm dicere soliti simus, & maxima cum proprietate loquendi, hoc esse cadauer Petri, vel Ioannis, immo & hoc (signato cadauere) esse corpus eius, & ipsummet Petrũ, vel Ioannem mortuum, non ergo potuit nouas assumptiones ponere in triduo factas, licet nouæ fuerint formæ assumptæ, quia omnes pertinuerũt suo modo ad humanitatem à principio assumptam ad quam ordinabãtur; nam vbi vnum est propter alterum, non plura esse censentur, & ideo ex vi prioris assumptionis assumpta putantur, & consequenter eadem assumptione totali, & completa, quia assumpta fuit à principio natura humana.

225 Ex quibus iam patet solutio argum. nam ad formam eius concedenda est maior, quod vna tantùm natura humana, & vnica assumptione totali, & completa assumpta fuerit à Verbo diuino: sed minor distinguenda, quod natura sit vna per vnam formam substantialem: nam de homogenea absolutè verum est, de heterogenea verò non nisi cum hac limitatione, quòd per vnam formam totalem ad quam ordinantur partiales constituentes partes secundarias habeat vnitatem. Et ratio huius differentiæ sumitur ex perfectione organici, ac viuentis corporis, & vitalium operationum, tã perfecta enim, & tam diuersa sunt organa eius, & operationes per ea exercitæ, vt præter primarias partes organicas, alias postulet sibi necessarias pro consistentia, & statu naturali earum, & totius corporis ac etiam pro instrumentis ad easdem operationes exercendas, longè tamen inferiores primarijs, & quæ in eas transire possunt, & in hunc finem ordinatæ sunt à natura, præsertim sanguis. Et ideo per proprias formas inferiores constituuntur, & anima non informantur.

QVAESTIO IX.

An vngues, & capilli informentur anima.

226 PRima opinio negat vngues, & capillos informari anima: sed existimat habere speciales formas inferiores animæ, sicut de sanguine, & humorib. dictum à nobis est quæst. præcedenti, ita Galen. in libro artis medicæ, quamuis oppositum teneat 7. libro de anatomica administratione circa finem, Fernel. lib 2 Physiologiæ, cap. 2. Achillin. lib. 2 de elemen q. 1. art 5. Thom. Garb. lib. 1 tract. 4. q. 53. Fracastorius in suo lib. de anima, Peramatus lib de hominis procreatione c 8. Conciliator differ. 34 Tolet 1. lib. de anima, q. 4. Probatur primo ex generatione eorum: nam ex corporum excremẽtis per virtutem expulsiuam in extremitates corporum reiectis generantur: sed excremẽta non sunt partes viuentis, nec possunt disponi pro suscipienda anima; ergo nihil potest ex eis generari, quod sit animatum. Minorem sic probo, excrementa sunt quasi expurgamenta naturæ: ergo materiam eorum à se expellit, tanquam ineptam ad suscipiendam animam, quæ ideo non erit capax dispositionum eiusdem animæ, & consequenter vngues, & capilli ex eis geniti non informantur anima. Secundò quia impossibile est aliquid viuere quin exerceat aliqua operatio-

rationem vitalem: sed capilli, & vngues nullam habent: ergo non viuunt, nec informantur anima. Probatur minor, quia saltem haberent nutritionem, & augmentum, quod constat non habere: nam augmentum proprium ex alimento fieri debet assumpto ab eodem viuente, & conuerso in substantiam: sed augmentum horum non fit ex alimento assumpto: sed potius ex superfluo eius à natura reiecto; ergo non augentur propriè. Præterea non augetur secundum omnes partes: sed solùm secundum anteriores, & adhuc istæ solum secundum longitudinem.

227 Et quod his etiam partibus accedit, adeo durum est, terrestre, atque imperfectum, vt non videatur capax vitæ, quia sine vllo dolore secatur, quod habent capilli omnes; ergo nec isti, nec illæ viuunt, aut informantur anima.

Secunda opinio concedit informari anima, non quidem totius corporis, sed alia vegetatiua distincta à sensitiua, aut rationali totius animalis, vel hominis modo simili, ac herbæ terræ adhærentes habent aliam formam distinctam à forma terræ, nempe animam vegetatiuam, cuius virtute nutriuntur accepto succo per radices ab ipsamet terra. Ita D. Bonau in 4. d. 44 q. 2. Dur. q. 1. Et quidem, quòd viuant, & informentur anima ostendunt ex augmento, quod propria operatio viuentium est. Quòd verò non informetur eadem anima totius, ex modo augmenti durantis per totam vitam: cùm tamē totum viuens determinato tempore augeatur vsq; ad statum: ergo diuersus iste modus augmenti non potest ab eadem numero anima prouenire, & propterea alia distincta eis est concedenda.

228 Tertia opinio tenet vngues, & capillos viuere, & informari anima, nō distincta ab anima totius, sed eadem: ita D. Tho. in 4 d 44. q. 1. art. 2. quæstiuncula 3. ad 3. Iauel 2. lib. de anima q. 1 o. Ioannes 1. lib. de gener. c 4 q 8. art 4. concl. 3. Viguer de instit. c. 21. & quantum ad vngues pertinet, eandem sequitur Valles lib. 2. controuers. medi. cap. 5. quibus non solùm propriam nutritionem eis concedit, sed etiam sensum tactus: quamuis de capillis neget, quod informentur anima.

Nobis verò displicet in primis opinio secunda, asserens vngues, & capillos informari anima vegetatiua distincta specie à sensitiua brutorum, & rationali hominum, quia superius probauimus efficaciter non dari plures animas totales; vel partiales in eodem viuente, præsertim specie distinctas.

229 Ex alijs verò duabus opinionibus oppositis, quamuis neutra habeat pro se efficacem aliquam, vel vrgentem rationem, & ideo æqua probabilitate possit quælibet defendi, placet nihilo minus tertia, *quod vngues & capilli informentur anima totius viuentis, & ab ea recipiant omnes gradus essendi*. Propter authoritatem D. Thomæ. Quam in primis colligo ex Arist. 3. lib. de historia animaliū ca. 12 in principio, vbi ad tantam duritiem aliquando prouenire vngues docet, vt nihil differant ab ossibus, his verbis: *Quod idem vnguibus etiam euenit; quippe cum in nonnullis animalium genus vnguium præ nimia duritudine nihilo ab ossibus differat*. Sed de ossibus constat informari anima; ergo idem sentit de vnguibus Arist. Sed probatur ratione 1. ex generatione, & augmento harum partiū, quia eodem modo generantur partes istæ in pueris, ac ossa, & carnes, eodem etiam modo crescunt secundum omnes partes, & dimensiones, vt constat experientia; ergo eadē anima informantur. 2. ex continuatione, nam ita adhærent carni, vt non possint diuelli absque dolore maximo, quod signū est physicæ continuationis, vt benè adnotauit Valles vbi supra dicens apparere in eis versus inferiorem partem fibras, seu venulas, per quas cum carne continuantur, & per easdem quoque defertur ad eas alimentum, vt nutriantur.

230 Pro solutione argum. aliarum opinionum adnotandum est, quod sicut nō omnes partes integrantes, nec omnes partes viuentis corporis eiusdem perfectionis sunt, sic non omnes alimentum ita perfectum, aut tā purum postulant pro suo nutrimento, & augmento; & hinc est, quòd perfectiores assumunt sibi priores partes eiusdem alimēti, impuras quasdam reijcientes, tanquam minus idoneas ad propriū nutrimentum, respectu cuius excrementa vocari possunt, non tamē omninò inutiles ad nutritionem, & augmentum aliarum partium inferiorū, sed imperfectioni earum proportionatas, & ita cōtingit in nutrimento primarum partium: vt residuum alimenti minus purum tanquam sibi minus idoneum respuant, proportionatum tamen inferioribus partibus, quo aluntur,

licet excrementum primarum partium sit. Et eiusmodi sunt capilli, & vngues, quæ licet non sint simpliciter necessariæ ad constitutionem compositi, iuuant tamen ad cōseruationem eius, atque etiam ad aliquas operationes exercēdas per membra corporis, quæ nō benè possent sine illis exerceri: quare non solùm ad corporis ornatum, sed etiam suo modo ad bonum statum, conseruationem, & operationes eius conceduntur viuenti corpori à natura, & ideo satis congruum est, quod eadem informentur anima. Et ex his patet solutum esse primum argum. primæ opinionis.

231 Ad 2. verò concessa maiori, neganda est minor: quod capilli, & vngues nō nutriantur propriè. Et cum dicitur non nutriri ex alimento assumpto, distinguendum est; nam ex partibus eius, verum est, quia ex his solùm nutriuntur primariæ partes, vngues verò, & capilli tanquam imperfectiores minus adhuc puro alimento, quod quasi residuū est eius, quo vtuntur perfectiores, & ab eis expulsum tanquam impurum, & propterea quasi excrementum vocari potest. Negandū est etiam, quod non augeantur secundū omnes partes, atque etiam secundum omnes dimensiones: nam incrementum, quod per anteriores fit, ex augmēto priorum prouenit, vt clarius cernitur, manifestumque fit, quod secūdum longitudinem, latitudinem, & profunditatem augeantur. Quòd verò augeantur semper, solùm probat non esse primarias, aut præcipuas partes viuentis, quæ ex præcipuo quoque alimento nutriantur, sed imperfecto vtuntur, & facilè in propriam substantiam imperfectam conuertendum, nam quasi à præcipuis in partib. iam præparatum eis subministratur, certum tamē terminum habere sui augmenti citra dubium est, quia etiam si nunquam præscindantur, vltra certum magnitudinem non procedunt.

232 Capilli verò crescunt quoque secundum omnem dimensionem, vt in pueris percipi potest, quamuis in alijs ætatib. solū percipiatur sensu augmentum secundum longitudinem, quod verò sine dolore præscindi possint, hoc tantùm contingit per partes, à carne eum qua continuantur magis remotas: diuelli verò non possunt sine dolore, quod satis est, vt per aliquam sui partem carnem contingant, cū eaq; continuetur earū substātia, & ideo possunt eadē anima informari.

QVAESTIO X.

An quodlibet viuens habeat proprium animam distinctam ab alio, vel eadem numero anima sit in pluribus.

SOlum restat in fine huius tractatus disputandum, an in singulis viuentibus dentur singulæ, ac distinctæ animæ, vel vna, & eadem sit in multis, aut in omnibus.

In hac re quatuor sententias reperio, seu quatuor potius errores Philosophicos, omnes tamen in eo conueniunt, quod non multiplicant animas ad multiplicationem corporum, seu viuentium, sed vnam, & eādem numero ponunt in omnibus. Differunt tamen, quod quidem eorum in quibuscumq; viuentibus vnicam esse profitentur, & hos retulit Albertus Magnus in Summa de homine.

233 Alij verò in omnibus hominibus dumtaxat posuerunt vnicam animam rationalem. Sed isti tripartiti sunt; nam quidam vnicam illam animam posuerunt assistētem tātùm, vt Mirandulanus lib. 31. de euersione singularis certaminis sect. 1. & lib. 32. sect. 2. & 6. Achilinus in lib. de intelligentijs, qui asserunt ita tenendum esse secundum principia Aristotelis, & naturalis philosophiæ, quamuis secūdum fidem Catholicam necessariò sint multiplicandæ singulæ pro singulis hominibus. Alij verè tenuerūt non informare corpora, sed esse tantùm assistentem, ita vt licet homo habeat corpus, cui assistit anima, sed corpus non pertinere ad substantiam, vel essentiam eius, sed hāc in sola anima (quæ vocatur intellectus) consistere, eo ferè modo, quo Angelus est forma assistens corpori cœlesti ad motum, non tamē efficit cum eo compositionem substantialem, quia non vnitur ei substantialiter, sed ipse est substantia quædam quasi per se constituta in suo esse.

234 Sic Themistius in suo lib. 2. de anima, c. 27. Commentator verò 3. lib. de anima, commento 5. & in destructionib. destructionum contra Algazelem, Animam dixit esse intellectum quendam assistentem, ac separatum

paratum à corpore, imò ab homine, & ideo eum non coalituræ · sed hominem habere quandam aliam animam sensitiuam, quã cogitatiuam vocat, informantem quidem corpus, & constituentem eundem hominem in specie propria, ac perfectiorem animab brutorum, à quibus per eam distinguitur specie nõ per rationalem, quam vocat intellectum separatum, & assistẽtem omnib. hominibus ad intelligendum, ita vt per eum, (licet vnicum) intelligant omnes. Quam sententiam superius explicauimus, & refutauimus.

235 Alij verò plures, vt Albert. Magn. in suo tractatu contra vnitatem intellectus, & Cardinalis Bessarion lib. 3. contra calumniatorẽ Platonis affirmant solum Auerroem id tenuisse.

Consultò omitto Pythagoræ, ac sectatorum eius delirium de transmigratione animarum in corpora: asserebãt enim animam vnius hominis à corpore eius separatã per mortem in alienum migrare, non hominis tantùm, sed etiam pecudis, aut alterius bruti; ita vt fateretur de se Empedocles prius fuisse piscem, quàm hominem. Et portentũ hoc quasi ab Orco reuocarunt postea hæretici Albanenses, & Albigenses, quos egregiè insectatur D. Athan. lib. 6. de beatitudine Filij Dei. Hæc verò relinquenda esse statuimus, quia ad poetarum fabulas reuocata sunt, & inter eas recensentur.

Præcipuum fundamentum Mirandulani, & Achillini ad asserendum, quod in doctrina Aristotelis, & principijs philosophię nõ sint multiplicandi intellectus, vel animæ rationales pro singulis hominibus, est, quia dubitari non potest, quin secundum principia eiusdem Aristotelis, & veræ philosophiæ anima rationalis (quam intellectum vocãt) sit vera forma informans corpus, & constituens hominem in sua specie distincta à cæteris animalibus.

236 Quo supposito probant vnicam esse in omnibus hominibus hoc præcipuè argument euidens est apud Aristotelem 8 libro phys. in principio, & 1. lib. de cœlo, & mundo cap. 12. mundum, & generationes rerum omnium esse ab æterno, atque etiam est euidens ex 3. lib. physicor. esse impossibile infinitum actu, ac tandem ferè euidens est ex diuersis locis horum librorum de anima atq; ex lib 12. meta. text. 19. animam rationalem, seu intellectum esse immortalem Ex quibus euidenter sequitur vnicam esse in omnibus: nam si generationes æternæ sunt; ergo præcessere infiniti homines, qui licet etiam fuerint corrupti quantum ad corpora, permanent tamen animæ immortales: ergo dabuntur actu infinitæ, nisi dicat non esse distinctas animas in singulis hominibus, sed eandem in omnibus.

237 Nec soluitur argum. si dicatur materiam esse creatam à Deo ex nihilo in principio temporis. Et ideo generationes incepisse Quia modus iste incipiendi nõ est conformis principijs philosophiæ, ex quib. non solum non habetur, quod creatio sit possibilis, imò oppositum, videlicet, quod ex nihilo nihil possit fieri, sed quidquid fit ex præsupposita materia, vel subiecto fieri, quod videtur fuisse quasi principium per se notum, non solum apud Aristotelem: sed apud omnes philosophos, quamuis ex fide habeatur ex nihilo facta esse omnia in principio temporis. Vnde sequitur, quod cum secundum doctrinam Aristotelis, & principia philosophiæ non sit admittẽdum infinitum actu, nec animam rationalem cum corpore perire, necessariò dicendum sit vnicam esse in omnibus hominibus tanquam veram formam omnium corporum.

238 Probatur etiam ex alijs quæ docet Aristoteles de eodem intellectu, videlicet, non esse actum corporis, 2. lib. de anima tex. 11. Quod idem est, ac dicere non esse formam: cum forma, & actus sint idem. Et 3. de anima, text. 5. intellectum esse immixtum corporis, & separatum, & 2. de gener, animalium c. 3 deforis venire.

Quod probatur etiam rationibus naturalibus, primò, quia nihil potest multiplicari secundum numerum, nisi ratione materiæ, vnde probabile est, & forte euidens, quod D. Thom. Angelos sentiat non posse distingui solo numero, quia materia carent, sed intellectus est immaterialis: ergo repugnat dari plures numero distinctos; quare necesse est vnum numero in omnibus esse. Nec possibile est quod vnus iste intellectus sit forma informans materiam; ergo assistens tantùm erit.

239 Probatur antecedens, quia quidquid est in materia, debet esse singulare, cum materia sit prima radix indiuiduationis, vel saltem conditio eius: ergo si intellectus informat materiam, singularis erit, & ideo non

poterit intelligere vniuersalia, quæ abstrahunt à materia, sed singularia tantum, sicut sensus, quod patet esse falsum.

Secundò, si intellectus, vel anima vnitur materiæ, tanquam forma; de tali vnione inquiro, an sit substantia, vel accidens? nam si substantia sit, sequitur, quod dissoluta vnione per mortem peribit anima, cum pereat aliquid pertinens ad substantiam eius: nam ex indiuisibili (quale est anima) nihil corrũpi potest quin corrumpatur totum, vt per se est manifestum, & idem inconueniens sequitur, si vnio sit accidens proprium eius, quia non potest naturaliter destrui passio, quin simul destruatur essentia, si verò sit commune accidens eius, naturaliter poterit ab ea separari, & ita poterit permanere viuita corpori destructa vnione, quod inuoluit contradictionem.

240 Deinde siue talis vnio sit substantia, vel accidens, corporea debet esse: cum per eam vniatur anima corpori, & si corporea sit, repugnat inesse eidem animæ, quia corporeum non inhæret spirituali. Quare omnibus modis repugnat intellectum vniri materiæ, & proinde repugnabit esse formam. Nihilominus animam rationalem non esse vnicam in omnibus hominibus, sed pro singulis multiplicari singulas, tanquam veras formas corporum euidens est in doctrina Aristotelis, atque etiam secũdum veram philosophiam, & certissimum secundum fidem nostram.

Tria hæc sigillatim, (quanquam breuissimè) probanda sunt contra omnes has positiones. Et quidem, quod anima sit vera forma probatum à nobis est supra non solùm expressis testimonijs Aristotelis, sed euidentibus rationibus, & ideo solùm restat nunc probandum hoc supposito, quod non sit vna in multis, vel in omnib. hominibus, sed singulas multiplicari pro singulis.

Probatur ergo quod non sit vnica anima in omnibus, sed pro singulis hominibus singulæ multiplicentur expressis testimonijs Aristotelis, nam 1. lib. de anima, c. 3. text. 53. & lib. 2. c. 1. text. 9. asserit non quamlibet animam informare quodlibet corpus, sed determinatam, & ideo reprehendit insanam positionem Pythagoricam de transmigratione animarum in alia corpora, quæ apertè præsupponunt distinctionem earum. Et libro 12. metaphysic. cap. 3. text. 20. negat animas antecedere corpora, si autem vna tantum foret, omnia certè corpora antecederet.

241 Probatur deinde ratione, quia anima non potest informare res diuisas, ac distantes, cum informatio sit vnio realis, & intima formæ cum materia, & eadem anima non possit multis simul vniri propter limitatam virtutem informandi. Probatur tandem euidenti experientia, quia euidens est quosdam homines esse sapientes, & insipientes alios, quosdam studiosos, alios verò vitijs deditos, sed virtutes, & scientiæ sunt in anima tanquam in proprio subiecto; ergo non possunt habere eandem animam, nam ex eo sequeretur eandem animam sapientem simul esse & ignorantem, vitijs, & virtutibus oppositis informatam, imò actus virtutis, & vitij oppositos simul exercere, & actum scientiæ, & erroris circa eandem propositionem; eandem etiam animam beatam simul in cœlo, atque in inferno damnatam, quæ vel cœcis impossibilia, & stulta apparebunt. Quod verò certissimum sit contrarias esse has positiones fidei nostræ, probant expressa verba Sacræ paginæ, in quibus distinctio animarum rationalium traditur, vel præsupponitur, vt Ezech. 18. *Omnes animæ meæ sunt, sicut anima patris, ita anima filij: anima quæ peccauerit ipsa morietur.* Et Lucæ 16. dicitur animam Lazari delatam esse in sinum Abrahę, diuitis verò sepultam esse in inferno. Ex quibus, & alijs, eas tãquam fidei contrarias damnauit Ecclesia in Concil. Later. sub Leone 10. sess. 8. hisce verbis. *Damnamus, & reprobamus omnes asserentes animam intellectiuam mortalem esse, & vnicam in cunctis hominibus, & hæc in dubium vertentes, cum illa non solum verè per se, & essentialiter humani corporis forma existat, verùm & immortalis, & pro corporum, quibus infunditur multitudine singulariter multiplicabilis, & multiplicata, & multiplicanda sit.*

242 Et ecce probata tria illa, quæ promisimus, aduersus omnes, qui vel vnicã ponunt animam in cunctis viuentib. vel vnicã in solis hominibus, quæ assistens cùm sit, ipsa sola est homo, vel etiam si sit forma informans, non multiplicatur in singulis. Ex quibus cõstat quàm falsum sit, quod positio Mirandulani, & Achillini asserit, videlicet secundum fidem Catholicam multiplicandas esse animas, sed secundum principia philosophiæ vnicam

...cam esse, nam cum vtraque veritas, nempe supernaturalis diuinæ fidei, & naturalis philosophiæ deriuentur ab eadem summa, & infallibili veritate diuina, repugnat esse oppositas, & omnino necessarium est in omnibus, & per omnia esse sibi consentaneas.

Ad primum argumentum aliqui respondere voluerunt dicentes, Aristotelem non fuisse certum de immortalitate animæ, & ideo non probari contra ipsum, quod vnicã posuerit in omnibus hominibus: nam plures ponere potuit, pereuntes tamen cum corporibus.

243 Sed hæc solutio non habet locum in doctrina Aristotelis, quia, vt suo loco ostendemus, vel certus de immortalitate animæ fuit, vel vt minimum magis in eam inclinauit, vt euidenter probant diuersa testimonia eius. Sed nec habet locum solutio aliorum, quod transmigrationem animarum cum Pythagora tenuerit, cum expresse eam tanquam fabulosam refutauerit 1. lib. de anima, textu 53.

Sed D. Thom. 2. lib. contra gentes, cap. 8. asseruit, Aristotelem non egisse de infinito in vniuersali, vt se extendit ad spiritualia, sed solum de infinito in corporibus, de quo solùm negauit esse possibile, de infinito verò rerum spiritualium intelligi non potest quid ipse senserit, nam fortè putauit nõ repugnare, cum sit quasi infinitum per accidens rerum nullum ordinem inter se habentium. Et ideo nihil certum cõtra ipsum concludi potest.

Alij tandem fatentur planè contradictionem in doctrina eius reperiri.

244 Ego verò existimo nihil referre ad solutionem argum. quod hoc, vel illo modo senserit Aristoteles de infinito rerum spiritualium, & animarum, præsertim cum non solùm in rebus spiritualibus, sed in reb. physicis successiuis ex eius sententia de æternitate mundi euidenter probetur dari motum, & tempus actu infinitum. Quidquid ergo de hac re senserit, euidens est in doctrina eius, vt vidimus, multiplicari animas secundum multiplicationem corporum, & pro singulis hominibus dari singulas, & ideo euidens est nihil posse probari cõtra ipsum, vel ex principijs eius in fauorem vnitatis animarum. An verò ex multiplicatione animarum ab eo expresse asserta, aliquid aduersus alia, quæ docuit inferri possit, vel cõtradictionis argui, nihil prorsus refert; nam licet id concedatur, non minus certo constabit multiplicasse animas aduersus prædictas omnes positiones vnicam ponentes.

245 Ad aliud verò, quod ex principijs philosophiæ affertur ad idem probandum, respondeo non esse eis contrariam creationem mundi in tempore, nec etiam creationem materiæ, & animæ rationalis, sed valde consentaneam, imò & creationem esse possibilem, atque etiam materiam, & animam rationalem, non nisi per creationem ex nihilo fuisse factas euidẽter probatur ex eisdem principijs veræ philosophiæ, quib. proinde consentaneum non est, quod ex nihilo nihil possit fieri absolutè: sed cum hac limitatione, videlicet à causis naturalibus, aut per virtutem earum, in quo sensu id intellexerunt, & asseruerunt philosophi, putãtes forte, nihil aliud posse efficere primam causam præter illa, quæ per secundas efficit, & si ita senserunt, ignorantia absque dubio veræ philosophiæ in hac parte laborasse videntur, quæ planè docet primam causam habere virtutem actu infinitam, & per eã posse ex nullo præsupposito subiecto res producere, quod est eas ex nihilo creare. Nihil ergo probari potest ex principijs veræ philosophiæ, præsupposita etiam immortalitate animæ, eis satis consentanea in fauorem vnitatis animæ.

246 Alia testimonia eiusdem Aristotelis adducta admittimus, sed negamus, quod ex tribus illis, quæ asserit de intellectu, sequatur vnicum ponere in omnibus hominibus. Nam primum, quod non sit actus corporis, & secundum, quod sit immistus corpori, & ab eo separatus, nõ significat extra corpus esse, vel solùm ei assistere: sed non esse potẽtiam organicam informantem aliquam partem corporis, vt potentiam visiuam, aut sensitiuas alias, quia sicut actus eius non exercetur per organa corporis, sic ipse non est forma alicuius organi, sed est in anima tanquam in proprio subiecto, & propterea dicitur esse in toto corpore, & in singulis partibus eius, in quibus est anima. Vnde sicut multiplicatur anima pro singulis corporibus, & hominibus, pariter multiplicatur intellectus.

247 Tertium verò, quod asserit deforis venire intellectum, atque intellectiuam animã, significat non educi de potentia materię

... cæteras omnes formas, & animas, sed disposita eadem materia ab agente particulari, & organizato corpore infundi à primo; quo autem modo infundatur, vel per quam actionem producatur a primo agente, nec explicuit Aristoteles, nec forte intellexit: bene tamen, quod licet non educatur de potentia materiæ, nec ab ea dependeat, vera sit forma eam informans, & non tantum assistens, vt ex verbis eius euidenter probauimus.

Ad primum argument. eiusdem sententiæ facile possemus negare antecedens, quod nihil possit multiplicari secundum numerum, nisi ratione materiæ. Nam valde probabile est in Angelis dari plures solo numero distinctos sub eadem specie, vel id saltem non implicare contradictionem, nec D. Thom. negauit hoc secundum, vt primam partem eius interpretantes cum maiori Thomistarum parte tenuimus. Sed etiam si concedatur repugnare numericam multiplicationē sub eadem specie in rebus purè spiritualib. negandum est repugnare in anima rationali, quæ licet spiritualis sit, habet tamē intrinsecum ordinem ad corpus, tanquam altera pars essentialis componens cum eo hominē, quod sufficere posset, vt per ordinem ad diuersa corpora multiplicarentur animæ, & consequenter intellectus, qui potentiæ eius sunt, à qua emanant, & in qua recipiuntur tanquam in proximo subiecto.

248 Circa solutionem secundi argum. de vnione animæ cum corpore, tanquam certum præsupponit Peripatetica schola non esse accidentalem, sed substantialem, quia cum vniantur, tanquam potentia, & actus substantialis, non possunt vniri vnione accidentali, sed necessariò substantiali, nec medio aliquo accidenti, sed immediatè in hoc sensu, per modum tamen vnionis substantialem, quamuis pauci quidam, & sine fundamento rationis negauerint per modum aliquem vnionis coniungi substantialem, vel accidentalem, sed vnionem ita esse omnino immediatam ac per se, vt medium quodcūque excludat, vt in nostris commētarijs physicis admonuimus. In quibus etiam ostendimus medio modo vnionis substantiali vniri, corporeo quidem (etiam in homine) quia de potentia materiæ educto, & in ea recepto, quo supposito.

Ad formam argum. dū quæritur, an vnio animæ rationalis cum corpore sit substātia, vel accidens, respondeo esse substantiam, non quidem pertinentem ad entitatem animæ, vel corporis, sed modum substantialem de nouo productum à generante hominem, vnde neganda est consequentia, quod dissoluta vnione pereat anima, quia nihil substātiæ eius perit, sed solùm substantialis modus de nouo productus per generationem, qui est entitas realis distincta ab ea, atque etiam à corpore Quo pereunte permanere potest anima, sicut certum est materiam permanere.



TRA-

TRACTATVS DE POTENTIIS animæ in generali.

1  Bsoluimus omnia, quæ pertinēt ad essentiam, & substantiam animæ, atque etiam ad modum informādi corpus, & partes eius pro explicatione primæ, ac secundæ diuisionis positæ ab Aristotele ca. hoc 3. restat nunc agere de potentijs eiusdem animæ in generali, quod pertinet ad vltimam, de quibus tria disputabimus Primum, an potentiæ sint res, vel entitates reales distinctæ ab anima, vel solo nomine, aut ratione formali ab ea distinguantur Secundò, an, & quonam modo emanent ab ea. Tertiò, à quonam capiant vnitatem, ac distinctionem specificam.

QVAESTIO I.

An potentiæ vitales sint res distinctæ ab anima vel sola ratione.

2 HOc est primum quærendum de potentijs animæ; ex quo cætera dependent, an sit potens, atque sufficiens ad eliciēdas operationes vitales nutritionis, sensationis, intellectionis, & volitionis per propriā substantiam immediatè, ita vt sit proximū principium earū, nam si hoc habet, sic solo nomine, vel sola ratione distinguentur ab ea potentiæ vitales, vel non sit proximum principium per suam substantiam, sed accidentibus realibus sibi superadditis indigeat ad easdem operationes eliciendas, quæ accidentia superaddita sint potentiæ vitales, & principia proxima, & quasi formalia, seu instrumenta eiusdem animę ad eliciendas easdem operationes.

Et prima opinio tenet, potentias vitales non esse entitates distinctas, aut superadditas animæ, imò nec distinctas rationes formales ab ea, sed esse ipsamm et animam, quæ in quantum diuersæ operationis principium est, nomen diuersæ potentiæ induit, vt anima vegetatiua in quantum principium est nutritionis, vocatur potentia nutritiua, pariterq; de cæteris. Ita Greg. in 2 dist. 3. q. 2. art. 3. Gabr. q. vnica, art. 2. conclus. 2. Ochamus q. 24. & 26. Marsil. in 1. q. 7. art. 3. Burid. c. hoc 3. q. 6. & Saxonia 2. lib. de anima, q. de dist. potentiarum.

3 Secunda opinio conuenit cum prima in eo, quod asserit potentias non esse entitates distinctas, ac superadditas animæ, sed eandem met entitatem eius, habere tamen distinctas rationes formales ex natura rei, distinctasque definitiones ab ea, eo ferè modo, quo verum, & bonum distinguunt communiter ab ente, non tanquam res distinctas, sed tanquam rationes formales eiusdem entitatis. Ita Enri, quodlib 3. q. 14. Scotus in 2. dist. 16. q. vnica. D. Bonau. in 1. dist. 3. q. 3. Thom. de Gatuio in Summa, tract. 5. q. 2 art 3. Argument vtriusque opinionis eadem sunt, atque eò tendunt, vt non sint ponendæ entitates, seu accidentia superaddita in anima ad eliciendas operationes vitales, sed per propriam entitatem substantialem sub diuerso nomine significatam, vel sub diuersa ratione formali desumptam esse principium proximum earum.

Quod probatur authoritate, & ratione: nam Aristoteles in primis ita videtur sentire, dum definit animam c. 2. huius lib. quod sit principium, quo viuimus, sentimus, mouemur, & intelligimus, quasi dicat esse principium harum operationum per se, ac per suam naturam, & essentiam; non per accidentia, alioqui per sola accidentia definiri animam, quod patet esse falsum; sentit ergo potentias non esse distinctas entitates ab anima. Quod docet etiam D. August. 10. libro

de Trinit. c. 11 asserens, memoriam, intelligentiam, & voluntatem vnam tantùm vitã esse, non tres vitas, & vnam mentem, non tres mentes. Et expressius in lib. de spiritu, & anima c. 13. his verbis: *Dicitur anima, dum vegetat, spiritus, dum contemplatur, sensus, dum sentit, animus, dum sapit, dum intelligit, mens, dum discernit, ratio, dum recordatur, memoria, dum vult, voluntas, ista tamen non differunt in substantia, quemadmodum in nominibus, quoniam omnia ista vna anima est, proprietates quidem diuersæ, sed essentia vna.* Et D. Bern. de interiori domo c. 67. ait intellectum, voluntatem, & memoriam esse vnam animam, sicut Pater, Filius, & Spiritus Sanctus sunt vnus Deus, atque eodem modo loquendi vtuntur passim alij sancti: ergo sentiunt non distingui potentias realiter ab anima.

4 Ratione verò probatur 1. quia agens, & passum mutuam habent correspondentiam, sed materia, quæ passum est respectu cuiuslibet agentis, & actionis circa ipsam, non indiget ad patiẽdum potentia passiua, vel accidenti superaddito, sed per suam entitatem, vel substantiam patitur recipiẽdo: ergo anima, quę absq; dubio sua natura principium actiuum, aut verum agens est respectu operationum vitalium, non indiget aliquo superaddito accidente ad agendum, vel eliciendum operationes vitales, sed per propriam substantiam immediatè potest eas elicere. Secundò, quia si aliqua esset necessitas ponendi accidentia distincta ab anima pro potentijs vitalibus, maximè quia anima nõ est operatiua per propriam substantiam, & propterea indiget his virtutibus, aut accidẽtib. superadditis, quibus medijs operetur, sed hæc ratio præsupponit falsum; ergo nõ probat distinctionem.

5 Minorem sic ostendo; Opposita sententia, quæ distinguit has potentias realiter ab anima, asserit proximè, & naturaliter emanare ab ea tanquam à principio efficiẽte, & per actionem quidem cũ de potentia ipsius animæ educantur ab agente, quod sine actione fieri non potest: cum ipsamet eductio sit actio ad quam non solùm passiuè, sed actiuè concurrit anima; ergo agit, & operatur immediatè per se, & per suam substantiam in tali emanatione absque accidenti aliquo sibi superaddito, quod sit potentia; poterit ergo per se immediatè agere ad elitiendas operationes vitales, & ideo non indigebit superaddito accidenti, seu potentia à se distincta. 3 si anima non est operatiua per propriam substantiam, sed indiget accidentib. superadditis, quæ sunt potentiæ, vel ex perfectione, vel ex imperfectione, sed ex neutro capite habere potest; ergo falsum est quòd eis indigeat, vel habeat. Probatur minor, quia maior perfectio est per propriam substantiam posse operari, quàm per accidentia, & propterea Deus sine his operatur per substantiam propriam: ergo quòd anima operetur per accidentia, non potest ei prouenire ex perfectione, nec etiã ex imperfectione, quia longè imperfectiora sunt accidentia, & operatur per propriam entitatem per se immediatè absque alia potentia, quæ sit accidens superadditum, vt patet de calore, & de cæteris qualitatibus actiuis; quib. cum longè perfectior sit anima, operabitur per propriam substantiam absq; potentijs sibi superadditis. Et vndecumque habeat, quod per accidentia superaddita operetur intrinsecum sibi erit; quare implicabit contradictionem fieri à Deo talem animam, quæ possit operari per propriam substantiam sine accidentibus superadditis, quod durum videtur, cum non appareat ratio conuincens talem repugnantiam.

6 Tertia opinio affirmat *omnes potentias vitales esse accidentia superaddita animæ, & ideo entitates distinctas realiter à substantia eius* Ita Magister in 1. d. 3. D. Thom. 1. p. q. 77. art. 1. quod etiam docet verum esse in Angelis, q. 54 art. 3. Alens. 2. p. q. 65. memb. 2. Alb. Magn. in 1. d. 3. art. vlt. & 2. lib. de anima, q. 7. Iand. q. 9. Henr. quodlib. 1. q. 9. Capr. in 1. d. 3 q. 3. art. 2 Marsil. Ficinus lib. 10. de Theologia Platonis, vbi affirmat fuisse sentẽtiam eiusdem Platonis in Timæo, Sotus in Logica, c. de proprio, Tolet. in hoc lib. q. 9. Caiet. & Bannez super loca D. Thomæ, & quãtum ad potentias sensitiuas, & vegetatiuas, Durand. in 1. distin 2 in 2. parte disput. quod etiam videtur ibidem sentire D. Bonau. quamuis de alijs potentijs vterque cum Scoto sentiat.

7 Et hæc sententia communis est inter recentiores, & nobis videtur vera, & tenenda. Sed tota difficultas eius consistit in inuenienda aliqua ratione efficaci, qua talis distinctio probetur, quia plures, quæ afferri solent, parum roboris habere videntur, & propterea eas omitto.

Probatur ergo testimonio Aristotelis 1. [illegible] anima, text. 11. & lib. 2. cap. 2. nam in hoc secundo loco definit animam, quod sit actus corporis physici, & organici, in primo verò asserit intellectum non esse actum corporis, neq; ipsum, vel aliquam partem eius informare: hæc autē apertè contraria sunt, nisi sentiat Arist. intellectum, & animam esse duas entitates realiter distinctas: ergo absque dubio id sentit.

Probo minorem, quia si intellectus solo nomine differt ab anima, vt asserit prima sententia euidens est, quod si hæc est actus, & forma corporis, intellectus quoq; actus, & forma erit: quare non potest in doctrina Aristotelis sustineri.

Sed nec secunda, quia licet intellectus distinguatur ab anima quadam ratione formali, impossibile est animam informare corpus quin eo ipso informet intellectus: nam forma secundum entitatem realem est actus & per illam informat corpus: sed intellectus est eadem entitas realis cum anima: ergo repugnat hanc informare corpus, quin ille eo ipso informet.

8 Præterea idem Aristoteles 1. lib. Ethicorum ad Nicomachum, cap. 6. de intellectu, & anima loquens, sic ait: *quemadmodum in corpore est visus, sic in anima est mens, & aliud in alio*, quæ non possunt esse vera sine reali distinctione, quia visus realiter distinguitur a corpore, quod patet sine eo esse posse: ergo mens, seu intellectus realiter distinguitur ab aīa. Nec pōt esse verū, ꝙ aliud sit in alio sine reali distinctione: nā intellectus non pōt esse in anima, nisi tanquam pars in toto, vel tanquam accidens in subiecto, & neutro modo potest esse sine distinctione reali, cum pars distinguatur a toto realiter, & accidens non possit inhęrere subiecto, nisi realiter distinguatur ab eo, quia realis inhærētia vnius in altero præsupponit realem distinctionē.

9 Quod etiam non obscurè docuerunt Sancti Patres, & in primis D. Dionys. cap. 11. cœlestis hierarch. vbi de Angelis ait, quemlibet diuidi in substantiam, virtutem, & operationem, ita distinguens virtutem a substantia, sicut operationem ab vtraque, constat verò operationem esse accidens distinctum realiter ab eis, quia in solo Deo operatio est substantia eius: ergo sentit tria illa distingui realiter. Quod si verum est in Angelis, multò melius in anima.

D. August. 15. de Trinitate, c. 7. in principio asserit mentem non esse animam: sed aliquid eius, vel aliquid in ea: mētem verò distinguit expresſè à notitia, quare per eam necessariò intelligit potentiam intellectiuam, Anselm. in lib. de casu diaboli expresſè ait, potentias animæ non esse substantiam eius, non tamen omninò nihil.

Et Damasc. in sua Dialectica ponit potentias animæ in prædicamento qualitatis, & ideò sentit esse vera accidentia realia, quare non esse idem realiter cum substantia eiusdem animę.

Sed probatur ratione, primò a priori præsuppositis duobus principijs tanquam certis, primum, quod naturalis potentia operatiua alicuius actus constituit secundam speciem qualitatis. Quod docet expresſè Arist. in eo prædicamento, & admittunt omnes.

10 Secundum præsuppositum est, quod potentiæ sumunt suam speciem ab actibus, hoc est, per ordinem ad illos, quod docet expresſè Aristot. in hoc 3. cap. & probatur efficaciter, quia potentiæ ordinantur per se primò ad actus, tanquam ad finem, propter quos eliciendos tribuuntur rebus a natura: ergo tales sunt naturæ potentiæ: quales sunt actus.

11 Ex his duobus principijs constituo hoc modo argumentum: potentiæ vitales, vt nutritiua, sensitiua, & intellectiua sunt operatiuæ alicuius actus, nempe vitalis operationis: ergo pertinent ad secundam speciem qualitatis ex priori principio præsupposito: sed qualitas, & eius species sunt accidentia realia: ergo potentię vitales sunt accidentia realia animæ superaddita, per quæ elicit tales operationes.

Probatur etiam consequentia ex posteriori principio, quia operationes vitales sunt accidentia: ergo potentiæ per se ordinatæ ad illas, vera quoque, & realia accidentia erunt: sed accidens reale non potest esse eadem entitas realis cum substantia, vt sæpe à nobis probatum est.

Præsertim in prædicamento ad aliquid, & iam recipiunt omnes: ergo potentiæ vitales realiter distinguuntur a substantia animæ.

12 Secundò probatur in anima rationali hoc modo: implicat contradictionem, quod res corporea, & materialis sit idem realiter cum incorporea, & spirituali, vt per se

est

est manifestum: sed potentiæ sensitiuæ, & sensationes in homine sunt corporeæ, & materiales: cum sint in organis corporis, vt visus in oculis, & auditus in auribus, & operationes eorum fiant per species corporeas, ab obiectis sensibilib. productas in easdem potentias, atque etiam recipiantur in eisdem potentijs: cum sint immanentes, & exerceantur per eadem organa corporea: ergo distinguūtur realiter ab intellectu, & voluntate, quæ sunt potentię eiusdem animæ rationalis: sed ex hoc sequitur euidenter distingui realiter ab eadem anima, quia si essent idem realiter cum ea, essent etiam idem realiter inter se: ergo necesse est distinguere omnes realiter ab anima.

Probatur tertio euidenti inductione discurrente per omnes substantias creatas corporeas, vel corpore præditas: de quibus euidens est non operari per se immediatè: sed per potentias superadditas, quæ sunt accidentia realiter ab eis distincta: vt de elementis, atque corporibus cęlestibus, atque etiam de corporibus viuentibus, quæ per calorem naturalem operantur nutritionem, & augmentationem patet: ergo eadem est ratio de anima, non solum vegetatiua, & sensitiua: sed rationali.

13 Ad testimonia Aristotelis respondeo ex verbis ipsius facilè intelligi sensum. Asserit enim animam esse principium, quo primo viuimus, sentimus, mouemur, & intelligimus, quasi dicat, animam esse primum principium, ac radicem harum operationum, quod absq; dubio habet per suam substantiam: sed hoc non tollit, quin esse principium formale, & proximum habeat per potentias sibi superadditas, atque adeò realiter a se distinctas.

Simul ergo stare possunt, quod per propriam substantiam definiatur: sed in ordine ad operationes, cuius prima radix, atque principium est. D. autem August. in 1. loco docet omnes potentias animæ radicari in eadem anima, quæ cum sit principium vnius, atque eiusdem vitæ, & non plurium, ipsæ quoque potentiæ dicuntur esse vna vita, & non plures, hoc est, in vna vita ab anima procedente radicari, & non in pluribus, in quo etiam sensu asserit non esse plures mentes: sed vnam.

14 Sensum verò alterius testimonij planè indicant postrema verba eius, videlicet: *Quoniam omnia ista vna anima est, proprietates quidem diuersa, sed essentia vna*, quibus fatetur proprietates, seu potentias animę, per quas omnia illa officia, vel operationes exercet distinctas esse inter se, & proinde ab eadem anima: sed emanare ab ea tanquam ab eodem principio, & in hoc sensu esse eandē animam, quę in quantum diuersa illa officia per eas exequitur, diuersa nomina sortitur: sed nomina ipsa, neque continere, neq; explicare diuersam substantiam: sed eandem: causalis est igitur sensus, per quem simul cū diuersitate potentiarum significatur vna, & eadem substantia animæ, in qua radicantur, & a qua emanant.

Ad primum argumentum concessa maiori, & minori, quod materia sit per propriam entitatem principium passiuum respectu cuiuslibet agentis, neganda est consequentia, quod anima sit principium actiuum proximum, atq; formale suarum operationum per propriam substantiam. Et ratio differentiæ in eo consistit, quod esse principium passiuum imperfectionis est, & ideò non indiget aliquo superaddito, quod sit potentia, sed materia ipsa tanquam imperfectissima per se ipsam illud officium exequitur, agere verò maximè perfectionis est, quam non attingit creatura per propriam substantiam, sicut nec actio ipsa, vel operatio propria eius substantia esse potest, solius enim Dei est, tanquam agentis infinitæ perfectionis sic agere, vt tam virtus agendi, quam actio ipsa sit eius substantia. Tribuere igitur animæ sicut cęteris quibuscumq; agentibus creatis accidentia superaddita pro virtutibus, ac potentijs ad operandum, non est multiplicare entitates sine necessitate: sed omninò necessarias eis concedere, sine quibus agere non possent.

15 Pro solutione 2. argument. duo adnotanda sunt, ex quibus duplex oritur solutio eius.

Primum est, duplicem esse actionem, vnam dependentem non a solo agente: sed ab alijs extrinsecis, videlicet subiecto, aut obiecto, approximatione inter agens, & passum, & per quam producitur aliquid non habens necessariam connexionem cum eodem agente, & hæc vocatur operatio communi appellatione. Sub qua comprehenduntur omnes operationes immanentes, & transeuntes, omnesque mutationes, & motus.

Alia

16 Alia est actio non dependens ab aliquo extrinseco : sed a solo agente, cuius essentiam sequitur naturaliter, & necessariò, & per quam aliquid producitur habens non solum necessariam : sed immediatam connexionem cum eodem agente, & hæc non vocatur operatio . imo nec vocari solet actio : sed naturalis quædam resultantia effectus ab agente, & vterque modus actionis conuenit animæ, prior quidem respectu operationum vitalium, posterior respectu potentiarum, per quas illas elicit, & ad priorem modum agendi necessario requirit potentias sibi superadditas, non ad posteriorem. Et ratio differentiæ est, quia per modum posteriorem agendi, naturaliter, & sine dependentia ab aliquo extrinseco actio sequitur, atq; etiam effectus, & talis quidem, qui necessariam, atque immediatam connexionem habet cum substantia eiusdem animæ, & propterea naturalis potius resultantia vocatur, quam actio : quare repugnat per mediam aliquam potentiam, aut virtutem distinctam ab eadem substantia fieri : nam eo ipso immediatior esset hæc eadem virtus, præter quam quòd processus in infinitum daretur, vt consideranti facilè patebit.

Prior verò agendi modus non habet has conditiones, quia nec naturaliter, vel necessariò sequitur actio cum dependentia a solo agente : sed ab alijs extrinsecis, nec effectus, qui producitur habet necessariam, atque immediatam connexionem cum eo ; & propterea necessario ad illum requiruntur potentiæ, per quas determinetur ad diuersa obiecta : nam secundum propriam substantiam indifferens est ad omnia.

17 Euidens exemplum habemus vtriusq; actionis, atque etiam assignati discriminis inter vtramque in aqua, de qua constat non posse operari cum dependentia ab extrinsecis, nisi per frigiditatem, & humiditatem, quæ sunt virtutes, ac potentiæ ei superadditæ, realiterque ab ea distinctæ, & nihilominus si expellatur ab ea frigidas ab igne per calefactionem, remoto igne redicit se naturaliter, & necessariò ad pristinam frigiditatem, per actionem quidem posterioris ordinis, non tam actio, quam naturalis resultantia vocata, sine aliqua virtute, aut potentia media, per quam talis actio ab ea procedat : sed immediatè procedit a substantia eius, quo exemplo (nisi ego fallor) conuincitur doctrina tradita. Et soluitur argum. nam ad formam eius distinguenda est maior, quod propterea anima indigeat potentijs supe radditis ad operationes vitales eliciendas, quia non est immediatè operatiua, nam eodem modo agendi, quo est principium earum, verum est non esse immediatè per se operatiuam, nec talem modum agendi habet in ordine ad potentias vitales, sed longè diuersum, & quem exercere repugnat per potentias superadditas, vt probatum est : quare ex eo non probatur, quod operationes vitales per tales potentias non eliciat.

18 Adnotandum est secundo ad idemmet agens, quod aliquam rem producit, pertinere ea omnia cum ea producere, quæ illi debita sunt ex vi generationis, aut productionis in eodem instanti, in quo generatur, vel producitur, & cum proprietates, & potentiæ debeantur rei ex vi generationis, & in instanti, in quo generatur, productio earum generanti tribuenda est, cui naturaliter incumbit, non quomodocumque rem producere, sed in bono statu ei naturaliter debito.

Itaque dum homo hominem generat, vel leo leonem, non solum producit substantiam, sed in eodem instanti omnes passiones, & proprietates, atque potentias naturales eorum, vt vegetatiuas, & sensitiuas: & ita dum Deus creat animam ex nihilo, in eodem instanti educit de potentia eius intellectum, & voluntatem: hæ autem potentiæ, & passiones producuntur quidem a generante, vel creante, tanquã ab agente principali, media tamen substantia, vel essentia animæ, tanquam instrumento, quia naturaliter eam consequuntur.

Vnde anima non concurrit effectiuè ad emanationem, vel productionem potentiarum, tanquam præcipuum agens, sed tanquam instrumentum eius : & cum instrumẽtum non operetur per aliquam virtutem permanentem in sibi impressam, vel superadditem a præcipuo agente, sed per motionem eius, vel tanquam virtus eius, ideò anima non solum non concurrit ad productionem, vel emanationem potẽtiarum per aliquam virtutem, aut potentiam superadditam, sed immediatè per propriam substantiam tanquam virtutem præcipui agentis, & instrumentum eius, sed respectu operationum vitalium

talium præcipuum agens est, & ideò potest per potentias eas elicere, imò necessarium est, vt probauimus.

19 Ex quibus facilè respondetur ad argument. distinguendo etiã maiorem, sed alio modo: nam cum dicitur ideò animam operari per potentias, quia non est immediatè per se operatiua: distinguo maiorem, tanquam causa principalis verum est, & a nobis probatum, sed tanquam instrumentum generantis, vel producentis substantiam eius, falsum: quia ad rationem instrumenti non requiritur virtus impressa, vel superaddita, sed sufficit extrinseca motio agentis principalis, vel sufficit esse virtutem eius per se ordinatam ad talem effectum: quare non benè infertur ex eo, quod possit effectiuè concurrere ad emanationem potentiarum per propriam substantiam, posse per eandem sine potentijs medijs concurrere ad operationes vitales propter diuersum modũ operandi: nam ad illam concurrit per modum instrumenti, ad has verò tanquam præcipuum agens, constat verò plus ad hoc requiri, quam ad illud in quibuscumque agentibus.

Et ex his duabus solutionibus posterior hæc magis placet, quia tollit prorsus difficultatem argumenti.

20 Ad formam vltimi argumenti respondent plures ex recentioribus negando maiorem, quod anima indigeat potentijs superadditis ad operandum propter perfectionem, vel propter imperfectionem, sed propter modum naturalem agendi creaturæ. Ego verò censeo non posse negari, quod propter imperfectionem eis indigeat, quia id conuincit argumentum, cum modus operandi perfectissimus sit per propriam substantiam, & sine interuentu alicuius virtutis accidentalis effectum attingere, & propterea soli Deo attribuitur, & nulli creaturæ. Hoc igitur admisso, ad illam partem minoris, quæ asserit accidentia esse imperfectiora, & operari per proprias entitates sine alijs virtutibus superadditis, respondeo, accidentia esse virtutes substantiæ, per quas suos effectus attingunt, & ideò non posse per alias virtutes operari, quia daretur processus in infinitum, immediatè autem, & per propriam entitatem attingere effectum tanquam virtutem alterius maioris longè imperfectionis est, quam attingere tanquam agens principale per virtutes proprias superadditas, vt per se est manifestum.

DVBIVM INCIDENS.

An per potentiam Dei absolutam dari possit creatura, quæ operetur immediatè per propriam substantiam.

21 Circa aliud, quod in eodem argumento additur, videlicet, quod vndecunque habeat anima indigere potentijs superadditis ad operandum, erit sibi intrinsecum & ideò implicabit contradictionem, quod sine medijs potentijs possit elicere actus vitales, breue dubium occurrit, an producibilis sit a Deo substantia, quæ sine medijs accidentibus possit operari, & ideò idem realiter sint in ea essentia, & potentia, vel contradictionem inuoluat.

Et quod non implicet contradictionem dari talem creaturam sic operantem, vt animam, vel Angelum tenent recentiores quidam, quorum hoc est præcipuum fundamentum, quia talis modus operandi sine medijs potentijs superadditis non postulat in operante virtutem infinitam, sed operans immediatè per propriam substantiam limitatum foret secundum eam ad certum genus, & differentiam hominis, aut Angeli: ergo non pugnat talis modus operandi cum limitatione creaturæ, & ideò non est censendus omnino impossibilis præsertim cum prima & secunda opinio, vt vidimus in præcedenti quæstione, teneant operari animam per propriam substantiam immediatè, hoc est sine accidentibus superadditis: quare durum videtur, non posse fieri a Deo talem substantiam sic operantem.

22 Oppositam verò sententiam tenet absque dubio D. Thom. locis citatis, præsertim 1. p. q. 54. art. 3. vbi licet expressè non asserat implicare contradictionem, quod potentia operatiua Angeli, vel animæ sit eius essentia, ratio verò qua vtitur ad id probandum, vel nihil omninò probat, vel probat implicare contradictionem, & ideò euidens est id sentire.

Probat enim ex intrinseca imperfectione,

ae, & limitatione creaturæ ad prouenire, quod si verum est, contradictionem implicabit, cum repugnet omninò dari aliquam creaturam non habentem esse limitatum, atque imperfectum. Ratio igitur eius hæc est, intelligere Angeli, vel operatio alterius creaturę non potest esse substantia eius, quia ad solam infinitatem Dei pertinet, quod intelligere, vel operari sit substantia eius: esse verò creatum ex intrinseca limitatione, & imperfectione habet, quod operetur medio accidenti, quod sit eius operatio, vt aduersarij, & omnes concedunt: ergo nec potentia operatiua potest esse essentia, aut substantia eius. Consequentiam probat, quia essentia creaturæ ex sua ratione intrinseca est in potētia ad duos actus, videlicet ad esse substantiale, aut subsistentiam, per quod completur substantialiter, atque etiam ad operationem, tanquam ad actum accidentalem, per quem perficitur accidentaliter, sed potentia sumit suam speciem ab actu, ad quem essentialiter ordinatur: ergo potentia creaturæ ad esse substantiale substantialis est: cū actus essendi sit ei substantialis, potentia verò ad operādum accidentalis, sicut operatio ipsa, ad quam ordinatur, & a qua sumit suā speciem, & rationem, est accidens: repugnat igitur, quod potentia operatiua substantiæ creatæ sit ipsamet eius substantia.

23 Quod hac etiam ratione probari potest, ac declarari simul. Potentia ad operandum præsupponit essentiam vltimò terminatam, atq; completam per actum essendi, quem prius respicit, quam operationem: ergo est potentia accidentalis. Probatur consequentia: quia quidquid aduenit enti iam completo in sua essentia, & per suam subsistentiam, non potest esse substantia eius, sed accidens ei superadditum, atque adeò realiter ab ea distinctum, quia non potest entitas realis superaddita esse idem realiter cum entitate, cui additur. Præterquam quod satis efficaciter probatur repugnare, quod accidens reale sit idem realiter cum substantia. Et hæc ratio non est parum efficax ad probandum contra Scot. distinctionem realem potentiarum ab anima, & hæc sententia D. Tho. videtur mihi longe probabilior opposita.

24 Ad primum vero argumentum negandum est antecedens, quod modus operandi per propriam substantiam sine potentia superaddita non postulet virtutem infinitam in operante, postulat enim, sicut modus operandi operationem, quæ sit eius substantia. Hæc est enim summa perfectio diuini esse, quod sicut est propria essentia Dei, sic est etiam propria operatio eius, quare repugnat communicari creaturæ.

Nec durum est asserere, quòd contradictionem implicet dari creaturam sic operantem, licet multi teneant actu dari, quia rationes quibus probatur non dari, procedunt ex limitatione creaturæ ei essentiali, & ideò eadem probabilitate, qua probant non dari, probant quoque implicare contradictionem, quod detur; quod vero non sint demonstrationes, nihil refert, nam satis est esse valde probabiles, vt asseratur implicare contradictionem, & valdè probabile esse quod per potentiam Dei absolutam fieri repugnet, non est enim necessaria demonstratio, nam si talis daretur, non esset disputabile, an per potentiam Dei absolutam fieri possit, sed euidens, quod non possit.

QVAESTIO II.

An potentiæ vitales possint realiter separari ab anima per potentiam Dei absolutam.

25 Ex definitis quæstione præcedenti, quod potentiæ distinguantur realiter ab anima, resultat præsens de separatione ab ea. Præsupponitur autem tanquam certum apud omnes, naturaliter non posse separari ab anima propter naturalem, ac necessariam connexionem, quam habēt cum substantia eius, eo ferè modo quo cæteræ proprietates, seu passiones cum proprijs essentijs, quas consequentur. Propterea titulus quæstionis quærit, an per potentiam Dei absolutam talis separatio potentiarum ab anima fieri possit, & eadem est quæstio de proprijs passionibus, quæ sunt potentiæ ad operandum respectu subiectorum, a quibus emanant.

Et prima opinio impossibilem reputat talem separationem. Ita Caiet. 1. par. q. 54. art. 3. §. ad 3 rationem, & eiusdem senten-

tiæ

ciæ videtur esse Capreol. in 1. dist. 3. quæst. 3. Ratio Caiet. est, quia potentiæ habent immediatam, ac necessariam connexionem cum anima, & emanant ab ea, efficienter quidem, non tamen per aliquam actionem mediam, sed per immediatam dependentiam.

26 Sed talis modus dependentiæ non potest suppleri a Deo, quia est intrinsecus, atq; immediatus, & eo ipso, quod a Deo solo dependerent, tolleretur, ergo repugnat omninò talis separatio.

Secundò potest probari, quia si intellectus separaretur ab anima, duplex implicatio contradictionis sequi videretur: prior quidem, quod anima ipsa simul sit intellectiua, & non sit intellectiua, nam cum separato ab ea intellectu adhuc sit rationalis, etiam est intellectiua, & cum sit intellectiua per potentiam intellectus, & eam non habens, non erit intellectiua.

Posterior est quod intellectus separatus posset intelligere, quia cum sit potentia naturalis sufficiens est ad actum eliciendum, & ex alia parte non potest actum elicere, nisi radicatus in anima.

Secunda opinio communis est, *quod suppo sita distinctione reali potentiarum ab anima, separabiles sint ab ea per potentiam Dei absolutam.* Ita Ferra. 4. lib. contra gentes c 69. Bannez 1. p. q. 77. art. 1. dub. 1. ad 4. Sot. in prædicab. c. de Proprio, & omnes ferè recentiores & est vera, & tenenda.

Quam vt probemus, adnotare oportet, proprietates rerum esse triplices, quædam sunt accidentia perfecta, seu completa superaddita substantiæ ad operandum per illa, & tales sunt potentię vitales respectu animæ, & omnes potentiæ naturales operatiuę aliæ sunt imperfectæ, & quasi incompletæ, quia potius modi rerum, quas consequuntur, vocari debent, quam res, quia nihil aliud in re, quam consequuntur, ponunt, prçter talem modum se habendi, & tales sunt præsentia, & figura, nam illa solum ponit talem modũ se habendi in ordine ad spatium, & figura talem modum se habendi per proprios terminos.

27 Aliæ denique, neque res sunt, neque modi rerum, sed rationes formales, & speciales entitatis earum, & tales sunt passiones vel proprietates entis, vt verum, bonum, & vnum.

Hoc supposito de solis potentijs quæ sunt accidentia completa substantiæ superaddita ad operandum, intelligitur nostra sententia ac præsertim de potentijs animæ, quas vitales appellamus.

Et probatur, quod possint separari ab anima per potentiam Dei absolutam, hoc modo potentiæ non habent essentialem, aut intrinsecam connexionem cum anima: ergo per diuinam potentiam separari possunt ab ea. Probatur antecedens, quia ex vna parte sunt effectus reales, & realiter distincti ab ea, a qua procedunt tanquam a causa efficienti instrumentali per veram actionem, vt superius probauimus, & inferius etiam probandum est, & ex altera non sunt modi eius, sed entitates reales, atque completæ eidem animæ superadditæ.

Ex priori igitur habent, quod ita possint separari ab anima, vt possit anima sine illis esse.

28 Quod probatur experientia, & ratione, experientia quidem, nam in cœco permanet anima sine potentia vidua. Ratione verò, quia potest Deus suspendere actionem illam, per quam emanant ab anima, & permanebit anima sine illis.

Quod ita probo, magis intrinseca est emanatio esse ab essentia, vel subsistentiæ a natura, quam potentiarum ab anima: cum substantia sit modus substantialis essentiæ, per quem substantialiter terminatur; potentiæ verò sint accidentia, sed Deus suspendit emanationem subsistentiæ a natura in humanitate Christi non habente subsistentiam propriam: ergo multò melius poterit suspendere emanationem potentiarum ab anima, & tunc sine illis permanebit.

Ex posteriori verò habetur, nec repugnare, quod potentiæ ipsæ separatæ ab anima possint consistere: cum sint entitates completæ, quamuis naturaliter dependentes ab ea.

Quod efficaciter probari potest exemplo quantitatis in Eucharistia existentis desinente substantia panis, in qua erat: est enim quantitas propria passio substantiæ corporeæ, aut materiæ primæ emanans immediatè ab ea, non minus quam potentiæ ab anima: ergo nec ex hac parte potest repugnare separatio earum.

Nec argumentum Caietani, probat repugnantiam separationis, quia duo assumit fal sa;

sa; Primum, quod potentiae habent intrinsecam connexionem, aut dependentiam ab anima.

Postremum, quod sine vlla media actione emanarit ab illa: primum namque probauimus modo falsum, & falsitas postremi inferius probabitur: interim verò sufficit id negare ad solutionem argumenti.

29 Ad secundum negandum est antecedens, quod duae illae implicationes sequatur ex separatione reali potentiarum ab anima. Prior enim hac distinctione tollitur, animam esse intellectiuam duplicem sensum habere potest, videlicet formalem, & radicalem: formaliter intellectiua dicitur per intellectum: radicaliter verò per essentiam, quae radix est intellectiuae potentiae, & hoc modo intellectiuam esse idem est ac esse rationalem, quod proinde praedicatum essentiale eius est ab ea nullo modo separabile. Separato igitur ab anima intellectu non esset anima sine illo permanens intellectiua formaliter, esset tamen intellectiua radicaliter.

Nec posterior implicatio sequeretur, quia si talis separatio fieret, nec posset anima intelligere sine intellectu, nec intellectus sine anima, quia neque anima potest concursum requisitum ad intellectionem praestare, nisi medio intellectu in se radicato, nec intellectus propriam exercere operationem, nisi actu radicatus in anima.

BREVE DVBIVM.

An potentia vitalis separata ab anima posset vniri subiecto extraneo per potentiam Dei absolutam.

30 SEd restat breuiter inquirendum, an separans Deus intellectum ab anima rationali, vel quamlibet aliam potentiã, posset eam vnire alteri subiecto extraneae naturae, vt lapidi, aut ligno, aut animae se inferiori, aut alicui bruto, vel plantae, haec enim omnia reputarentur subiecta extraneę naturae.

Et respondeo implicare contradictionem. Quod sic ostendo implicat contradictionem, quod forma aliqua vniatur alicui subiecto, quin ei conferat proprium effectum formalem, vt quod calor vniatur corpori, quin illud constituat formaliter calidum, sed repugnat intellectum praestare proprium effectum formalem lapidi: ergo repugnat ei vniri.

31 Minorem probo, quia effectus formalis, quem intellectus praestat subiecto, est constituere illud formaliter intellectiuum, hoc est, formaliter potentem elicere intellectionem tanquam principium formale eius, sed effectus iste repugnat omninò lapidi: ergo repugnabit, quod ei vniatur intellectus.

Minor sic probatur: esse principium formale intellectionis est, praestare concursum ad talem operationem, per se quidem, & per intellectum, vel saltem per intellectum, sed neutro modo potest lapis praebere talem concursum, nam per se, hoc est, per propriam virtutem illum praebere euidentem repugnantiam continet, cum sit ordinis superioris, & repugnet essentiam inferioris ordinis esse radicem, aut per se continere virtutem ad operationem ordinis superioris.

Nec continet minorem repugnantiam, quod possit lapis praebere concursum ad intellectionem per intellectum, quia ideò anima potest per intellectum talem concursum praestare, & ita per eum elicere intellectionem, quia est virtus, ac potentia eius a se emanans, sed repugnat intellectum esse virtutem, aut potentiam lapidis, aut emanare ab illa: ergo repugnat, quod lapis ipse praestet aliquem concursum per intellectum ad eliciendam intellectionem, aut per eum intelligat.

✠

QVAE-

QVAESTIO III.

An potentia vitalis separata ab anima existeret per modum perseitatis ei superadditum, vel per solam actualem existentiam propriam cum negatione actualis inhærentiæ.

32 PRæsupposita actuali separatione potentiarum ab essentia, quam probauimus possibilem per potentiam Dei absolutam, scitu dignum est, quonam modo se haberet potentia actu existens sine anima, atq; etiam sine alio subiecto, hoc est, an haberet statum violentum, sicut habet lapis in superiori loco positus, vel naturalem, sicut habebat, dum erat in proprio subiecto, aut præter naturam, quia per miraculum ita se haberet.

Sed quæstio hæc præsupponit aliam difficiliorem circa modum existendi, quem haberet tunc potentia, an videlicet esset per se existens per solam negationem actualis inhærentiæ, quam habebat in subiecto, & per efficientiam diuinam sine illa conseruaretur, vel per alium modum perseitatis sibi a Deo superadditum, per quem terminaretur atque compleretur essentia eius. Et quod de potentia vitali separata proponimus discutiendum, intelligitur de quocumq; accidenti, quod a Deo separaretur a subiecto, vt de quantitate Eucharistiæ a substantia panis separata, & sine subiecto existente.

33 Et prima opinio tenet non conseruari modo priori, sed per modum perseitatis sibi superadditum, quem modum existimat Caiet. esse substãtialem, nempe existentiam substantialem actualem, quæ licet non possit conuenire naturaliter accidenti, potest tamen virtute diuina, ita tamen vt licet communicatio huiusmodi substantialis sit supernaturalis, sed postquam communicatus est supernaturaliter, naturale fit accidenti, per illum existere sine subiecto, sicut naturale est cæco, cui visus per miraculum restituitur, per eum videre.

34 Hanc tamen sententiã Caiet satis efficaciter impugnat Pater Suar. to. 3. in 3. p. D. Th. disp. 56. sect. 2. quia modus substantiæ omnino repugnat accidenti, atque etiam Pater Valentia 3. parte, disp. 6. quæst. 5. puncto 6. Suarius vero ipse, & recentiores alij entitatem accidentalem asserunt esse talem modum, sed quasi substantialem quantum ad officium, quia sicut subsistentia substantiæ determinat actualem existentiam eius, & præstat ei independentiam a quocumque subiecto: quod est facere eam formaliter, & positiue subsistentem per se: ad similitudinem eius modus per se virtute diuina communicatus accidenti, licet reuera, & quasi materialiter sit entitas realis accidentalis, ac modalis, sed officio est quasi modus substantialis: cum actuali existentiæ accidentis separati tribuat independentiam a quocumq; subiecto, facitque accidens ipsum per se esse, & quasi subsistere realiter.

Quod videtur etiam sentire Ferrar. 4. contra gentes, cap 66. Ruardus art. 14 pag. 295. Probant testimonijs D. Thom. in 4. distinctione 12. quæst. 1. art. 1. quæstiuncula 3. vbi asserit, quantitati Eucharistiæ dari, vt per se subsistat, & expressius 3. par. quæst. 77. artic. 1. ad 4. vbi post separationem, inquit, dari accidentibus Eucharistiæ nouam compositionem ex esse, & quod est, hisce verbis: *Accidentia huiusmodi manente substantia panis, & vini non habebant ipsa esse, nec alia accidentia: sed subiecta eorum habebant huiusmodi esse per ea, sicut nix est alba per albedinem, sed post consecrationem ipsa accidentia, quæ remanent habent esse, vnde sunt composita ex esse, & quod est, &c.* sed non possunt habere nouam compositionem ex esse, & quod est, nisi per acquisitionem noui esse, quod est modus per se: ergo sentit Diuus Thomas acquirere hunc modum, & per eum terminari, atque subsistere per se, & non per solam negationem actualis inhærentiæ in subiecto, & diuinam efficientiam.

35 Probatur deinde ratione primò, quia sicut natura substantialis, vt sit in rerum natura debet esse terminata, atq; completa per subsistentiam, ita accidentalis per alium modum, alioqui sicut repugnat substantialem consistere, nisi per propriam, vel alienam subsistentiam compleatur, ac terminetur, pariter repugnat, quod accidentalis consistat, nisi completa per modum proprium actualis inhærentiæ, aut per alterum sibi superadditum: sed euidens est per separationẽ

ca-

e vero primo modo actualis inhærentiæ, quo complebatur inhærens subiecto: ergo necesse est alio modo terminari, dum est separata, & proportionato quidem statui separationis, & ideò opposito actuali inhærentiæ: qualem constat esse modum perseitatis: iste ergo concedi debet necessariò potentiæ vitali separatæ ab anima, & conceditur quantitati separatæ a substantia panis in Eucharistia.

36 Secundò quia de accidenti separato verum est, quod per se subsistat, aut per se existat, cùm habeat esse independens a quocumque subiecto: sed subsistentia, vel existentia per se non est sola negatio inhærentiæ, seu independentiæ a subiecto (vt asseruit Scotus communi ferè consensu scholæ refutatus) sed modus positiuus terminans, atque complens naturam subsistentem, vt patet in natura substantiali: ergo nec existentia per se accidentis separari potest consistere in negatione actualis inhærentiæ in subiecto: sed modus positiuus supernaturalis poni debet, per quem compleatur, ac terminetur natura eius.

37 Probatur tandem, quia ex duobus immediatè oppositis non potest tolli vnum, nisi per alterum: sed modus actualis inhærentiæ in subiecto immediatè opponitur modo perseitatis: ergo repugnat illum tolli ab accidenti, nisi per hunc, quem proinde accidenti separato necessariò concedere debemus: cum certum sit per separationem ablatum esse ab eo modum actualis inhærentiæ. Maiorem probant euidenti inductione in omnibus oppositis, quia non potest auferri a linea obliquitas, nisi per rectitudinem, nec ab aere tenebræ, nisi per lumen. Et confirmari potest, quia certum est hunc modum perseitatis esse possibilem per potentiam Dei absolutam, per quem terminetur accidens separatum: ergo necessariò debet ei concedi: Probatur consequentia, quia meliori modo, & magis sibi connaturali cõseruabitur natura accidentalis per eum terminata, atq; completa, quam sine illo per solam negationem inhærentiç.

38 Secunda opinio asserit *potentiam vitalem separatam ab anima, & quodcumque aliud accidens separatum a subiecto, esse quidem per se, non per aliquem modum perseitatis supernaturalem et superadditum: sed per negationem actualis inhærentiæ in subiecto, & diuinam efficientiam illud sine subiecto sustentantem per propriam existentiam actualem, quam habet, & per quam est extra causas.* Ita Scotus in 4. dist. 12. quæst. 1. & 6. Richardus ibid. art. 1. quæst. 2. Sotus dist. in. 10. quæst. 2. art 2. Pater Valentia vbi supra, qui affirmat esse D. Th. & communem Scholasticorum. In eam inclinant Palud in 4 dist. 12. quæst. 1. & 3. atq; etiam Marsi. ibid. quæst. 9. art. 4. ad 4. eamque sequuntur recentiores non pauci, & videtur mihi magis ad mentem D. Thom. & longè probabilior.

39 Probo primum ex quæst. 77. art. 3. vbi sic ait: *Quia speciebus Sacramentalibus datum est diuina virtute, vt remaneant in suo esse quod habebant, substantia panis, & vini existente, consequens est, quod etiam remaneant in suo agere, & ideo omnem actionem, quam poterant agere, substantia panis, & vini existente, possunt etiam agere substantia panis, & vini transeunte in corpus, & sanguinem Christi.* Quæ verba sic expendo, esse quod habebant accidentia separata, dum inhærebant substantiæ, non potest esse actualis inhærentia, quia repugnat hanc habere separata ab ea: ergo est actualis existentia, quia præter essentiam nihil aliud habere possunt, quod in subiecto habuerint, nisi actualem existentiam.

Hanc igitur intelligit D. Thom. per esse, quod habebant in subiecto, & in hoc esse permanere affirmat a subiecto separata, & quia hoc idem esse habent, colligit habere idem agere, vel eandem actionem, quam habebant in subiecto. Et addit datum esse eis diuina virtute, vt in eodem esse remaneant, & in eo sustententur per diuinam virtutem & efficientiam; sentit igitur D. Thom. non sustentari extra subiectum per aliud esse eis superadditum: ergò nec per alium modum perseitatis, quia modus perseitatis superadditus aliud esse est ab eo, quod habebant in subiecto.

40 Itaque factum est per miraculum ex mente D. Thom. vt actualis existentia accidentium, quæ inhærens subiecto sustentabat accidentalem naturam, sustentet illam sine adminiculo talis inhærentiæ, vel subiecti supplente Deo per suam efficientiam totum id, quod præstabat actualis inhærentia in subiecto, aut subiectum per illam in genere causæ materialis, & ideò eadem existentia actualis accidentium, quæ erat in alio per inhærentiam actua-

lem, dicitur per se existentia per negationem quidem eiusdem actualis inhærentiæ, & per extrinsecam efficientiam Dei, sine acquisitione alicuius realis modi positiui, & quia tam negatio actualis inhærentiæ, quam diuina efficientia eam supplens datur per miraculum eisdem accidentibus, ideo proprijssimè asserit D.Th. diuina virtute datum esse accidentibus, vt per se existant, etiam si nullus talis modus positiuus perseitatis eis tribuatur.

41 Sed probatur iam ratione satis efficaci. Modus ille, qui additur potentiæ vitali separatæ ab anima, vel cuilibet alteri accidenti separato a subiecto, est entitas realis modalis distincta ex natura rei ab eodem accidenti cui additur, vt supponunt opinantes, & non est entitas realis substantialis, vt etiam fatentur: ergo est entitas accidentalis: sed cuicumque entitati accidentali essentialis est inhærentia aptitudinalis ad subiectum, quæ non est aliud, quàm aptam esse inhærere subiecto: ergo tali entitati modali superadditæ accidenti separato essentialis est aptitudinalis inhærentia ad subiectum. Vnde sequitur non posse esse modum per se. Probatur consequentia, quia modus per se est modus independentiæ subiecto: sed repugnat eãdem entitatem esse modum independentiæ a subiecto, & esse aptam dependere a subiecto: ergo repugnat talem entitatem accidẽtalem superadditam esse modum per se, & consequenter, quod accidens separatum a subiecto conseruetur a Deo per talem modum per se, qui sit entitas accidentalis modalis.

42 Sed huic argumento respondere conantur aduersarij negantes, quod omne accidens dicat ordinem ad subiectum: sed si sit modus satis esse, quod adhæreat eidem rei, quam modificat, vt de creatione cõstat, quæ licet vera actio sit, nec dicit ordinem ad subiectum, imò nec dicere potest: sed repugnat ei quicumque ordo ad subiectum, cum ex propria ratione creationis sit productio totius entitatis rei ex nihilo, hoc est, nullo præsupposito subiecto, quod si repugnat ei præsupponere subiectum, repugnabit quoque ordinem habere ad illud, quia non potest illud respicere, nisi tanquam sibi præsuppositum in genere causæ materialis: solùm ergo respicit creatio terminum per eã productum, non quidem respectu inhæsionis, quia non vt subiectum: sed solùm respectu adhæsionis, ea ferè ratione, qua modi substantiales respiciunt rem, quam terminant, aut modificant, vt subsistentia adhæret naturæ substantiali, quam terminat. Sic igitur se habere aiunt modum hunc, qui diuina virtute adderetur potentiæ vitali separatæ, & reuera additur quantitati Eucharistiæ separatæ a subiecto, non enim inhæret eidem quantitati, neq; ipsam respicit tanquam subiectum. Sed solum adhæret ei eam terminando, sicut adhæret subsistentia naturæ substantiali, quam terminat.

43 Solutio tamen hæc expresse contraria est doctrinæ Arist. & veritati: doctrinæ quidem Arist. qui 4. lib. Metaph. text. 2. docet expresse eodem modo se habere ens ad omnia entia, sicut sanum ad omnia sana: ita vt sicut nihil sanum est, aut dicitur vllo prorsus modo, quod non sit, & dicatur tale per intrinsecam attributionem ad sanitatẽ formalem animalis, quia aliquid eius est, nempe modus, causa, vel signum, & propterea vna, & eadem scientia datur de sano in tota sua latitudine accepto, quia omnia, quæ ad vnum ordinantur, pertinent ad vnam scientiam illud vnum per se considerantem: pari ratione ens in tota sua latitudine consideratum se habet ad omnia entia, quia omne ens, aut est per se, quod est substantia, aut aliquid entis per se, quod est accidens: ita vt nulla sit entitas accidentalis, siue completa, vel incompleta, siue res, vel modus rei, aut quippiam aliud, quod non habeat intrinsecum respectum attributionis ad ens per se.

44 Et propterea sæpe de accidenti pronunciauit Aristoteles, quod non tam sit ens, quàm entis ens, & hæc est ratio (inquit) propter quam omnis entitas accidentalis pertinet ad vnam, & eandem scientiam Metaphys. cum substantia, quia omnia, quæ ordinantur ad vnum, pertinent ad vnam scientiam, a qua illudmet vnum per se consideratur.

Ex quo ita arguo: modus quicumque modificans, aut terminans naturam accidentalem est entitas accidẽtalis, vt fatentur aduersarij: ergo talis entitas accidentalis dicit intrinsecũ respectum attributionis ad substantiam tanquam aliquid eius: cùm sit entitas realis, & non substantialis.

Probatur consequentia, quia ens adæ-

quæ divisione dividitur in entitatem substantialem, & accidentalem apud Aristotelem sicut sanũ in omnia sana, ita vt vtrumq; membrum comprehendat cum attributione vnius ad alterum.

Sed repugnat tali modo attributio ad substantiam: ergo repugnat esse entitatem accidentalem. Minorem fatentur aduersarij, & sic probari potest, respectus attributionis ad substantiam, vel est inhæsionis, vel adhæsionis, nec alter excogitari potest: sed vterque ei repugnat, quia euidens est repugnare ei inhærentiam, & euidentius, quod ei repugnet adhærere substantiæ: cum sit entitas primo diuersa ab ea, a qua non potest eadem substantia terminari.

Et totam vim huius argumen. ita comprehendo: diuisio entitatis in substantialem & accidentalem est sufficiens, & adæquata: sed diuisum comprehendit omnem, & quãlibet entitatem: ergo, & membra. Deinde, talis modus per se comprehenditur sub diuisio: ergo sub aliquo membro diuisionis: sed sub neutro comprehenditur: ergo non datur.

Probatur minor, quia non sub entitate substantiali: cùm sit accidentalis, nec sub accidentali, quia non habet vllam attributionem ad substantiam, inhæsionis, nec adhæsionis: ergo vel diuisio non est sufficiens: cùm non comprehendat talem modum, qui est vera entitas realis, vel talis modus non est possibilis, cùm non comprehendatur sub vniuersalissima diuisione entis.

Probatur etiam ratione eandem solutionem esse falsam, quia modum adhærere rei, quam modificat, non tollit, quin dicat ab intrinseco ordinem aptitudinalis inhærentiæ ad subiectum, si sit entitas accidentalis: ergo quod talis modus per se accidenti separato adhæreat, non tollit, quin ordinem aptitudinalis inhærentiæ ad subiectum importet.

Antecedens probatur, quia indiuisibilia quantitas cuiuscumque adhærent ei continuando, aut terminando partes eius, & nihilominus apud aduersarios necessarium est, vt dicant ordinem inhærentiæ ad indiuisibilia substantiæ, tanquam ad subiecta: ergo adhærentia modi qui est entitas accidentalis modalis, non tollit, imò necessario postulat in eo respectum inhærentiæ ad subiectum.

46 Probatur secundo, non esse admittendum talem modum perseitatis, quia non est vllo modo necessarius: nam bene potest accidens sustentari sine subiecto absq; vllo alio modo ei superaddito per diuina in virtutem supernaturalem: ergo non est necessarius modus superadditus.

Probatur antecedens, quia virtus diuina potest per se immediatè præstare per modũ efficientis, quod præstabat per subiectum in genere causæ materialis sustentando in eo accidens: ergo non indiget modo superaddito. Probatur iterum antecedens hoc modo, actualis inhærentia in subiecto non est de essentia naturæ accidentalis, & ex alia parte distinguitur ex natura rei ab ea: ergo potest esse sine illa extra causas per actualem existentiam propriam conseruatam immediata efficiencia diuinæ virtutis sine alio modo superaddito.

47 Probatur consequentia, quia actualis inhærentia in subiecto non est aliud, quàm actualis vnio cum eo per actualem dependenciam materialem: sed actualis vnio cum actuali dependentia a subiecto non est intrinseca naturæ accidentali, vt est per se manifestum: ergo potest vtraque suppleri a Deo, & sine illa conseruari accidens. Concedunt hæc omnia aduersarij: sed aiunt posse quidem suppleri: sed non esse congruum naturæ accidentali, quod per solam efficientiam diuinam suppleatur: sed per modum aliquem, quo terminetur, & compleatur: cùm connaturale sit ei non existere extra causas, nisi terminatam, atque completam: sed non potest in statu separationis a subiecto terminari, atque compleri per modum proprium actualis inhærentiæ: ergo alter ei tribui debet, quo compleatur, & terminetur, qui ita sit modus per se, vt sit entitas accidentalis.

48 Hæc tamen solutio repugnantiam inuoluit, quia omninò repugnat, quod natura accidentalis terminetur, aut compleatur, nisi per proprium modum actualis inhærentiæ: vt probat discursus iste: si natura accidentalis terminetur per modum, qui non sit actualis inhærentia, erit modus per se, & tunc vel substantialis, vel accidentalis: non substantialis, vt probatum est contra Caietanum, quia entitates primò diuersæ, quales sunt substantialis, & accidentalis, non possunt vllo mo-

do se respicere, tanquam potentia per se, & actus per se, & ideò nec se terminare: sed nec potest esse modus accidentalis, vt asserit secunda opinio: ergo admitti non debet. Minorem sic probo: modus iste perseitatis est verè subsistentia: ergo non est modus accidentalis: sed substantialis: quare repugnat terminare naturam accidentalem.

Antecedens probo, quia naturam esse subsistentem non est aliud, quam esse incommunicabilem alteri, vt supposito: sed modus iste perseitatis constituit ex propria ratione naturam, quam terminat, incommunicabilem alteri, vt supposito, & prorsus inassumptibilem, quia eo ipso quod per talem modum terminatur, nullo modo assumi potest, etiam si ex se foret assumptibilis: quia esset per eum, & per se terminata: ergo vera subsistentia.

Probatur consequentia, quia impossibile est præstare effectum formalem subsistentię illud, quod vera subsistentia non est, sicut præstare effectum formalem albedinis illud, quod vera albedo non est: sed talis modus per se præstat effectum formalem subsistentiæ, qui est constituere naturam incommunicabilem alteri, vt supposito: ergo est vera subsistentia, quare authores isti volentes tribuere accidenti separato modum perseitatis, tribuunt ei veram subsistentiam.

49 Vt autem testimonium D. Thom secundum germanum eius sensum explicemus, adnotandum est primo, aliquid esse per se dupliciter intelligi posse: videlicet per modum positiuum sibi connaturalem, quo pacto substantialis natura dicitur esse per se, quia modo positiuo propriæ subsistentiæ terminatur, aut per negationem actualis inhærentiæ accidentalis in subiecto, & hoc modo diceretur esse per se potentia viralis separata, & dicitur esse per se quantitas Eucharistiæ.

50 Duplex est etiam actualis existentia rei vna per se, natura sua determinabilis per alium modum independentiæ, qui vocatur subsistentia, & talis quidem est existentia substantiæ, & ideò vocatur per se, quia apta est esse independens per modum positiuum independentiæ: alia non per se: sed natura sua determinabilis per modum actualis inhærentiæ accidentalis, quæ est actualis depēdentia a subiecto, & propterea vocari potest actualis existentia in alio, & quamuis non sit natura per se, quia non est determinabilis per modum actualis independentiæ a subiecto, potest tamen esse per se negatiuè, & ab extrinseco, videlicet per diuinam virtutem eam separantem a modo actualis inhærentiæ accidentalis, ac dependentiæ a subiecto, & tali modo existentia actualis accidentis separati a subiecto dicitur existentia per se: non modo priori, imò cùm ex intrinseca, & essentiali ratione habeat esse terminabilem per modum actualis inhærentiæ accidentalis, ac dependentiæ a subiecto, sicut natura substantialis habet ex suis principiis essentialibus esse terminabilem per modum independentiæ a subiecto, repugnat eidem naturæ accidentali terminari per modum actualis independentiæ, qui est modus perseitatis, sicut repugnat naturæ substantiali terminari per modum actualis inhærentiæ accidentalis, ac dependentiæ actualis a subiecto.

Et hoc est etiam non leue fundamentum nostræ sententiæ propter quod asserimus implicare contradictionem, quod accidenti separato communicetur modus perseitatis, quia est actus repugnans naturæ eius ab intrinseco terminabili per actualem inhærentiam in subiecto: sicut natura substantialis per actum subsistentiæ per se: quare sicut repugnat prorsus naturæ substantiali, quod terminetur per actualem inhærentiā, quia est actualis dependencia a subiecto: ita repugnat naturæ accidentali terminari per modum perseitatis, qui est modus actualis independentiæ a subiecto habens intrinsecam repugnantiam cum proprio: præter rationes alias desumptas ex propria natura modi perseitatis.

51 Secundò notandum est, quòd cùm sit in opinione positum, an existentia actualis cuiuslibet naturæ substantialis, vel accidentalis distinguatur ex natura rei ab eadem eius natura, vel sola ratione, verisimile est. Diuum Thomam (vt ex multis suæ doctrinæ locis probabiliter satis colligitur) existimasse, quod ex natura rei distinguatur, & eandem existentiam sic distinctam terminare naturam: sed esse per se in substantijs, & ideò esse subsistentiam earum constituentem eandem naturam in supposito, vel persona, & cum ea efficientem cōpositionē realem ex esse, & quod est, aut ex

na-

natura, & subsistentia. Et in accidentibus suo modo terminare naturam, & constituere cum ea per realem compositionem, vnum quid per se ex natura, & modo, & hoc vnũ per se vniri subiecto per actualem inhærentiam, ac dependentiam ab eo, & cum hæc vnio dissolui possit per diuinam virtutem potentem separare accidens a subiecto, facta hac separatione, permanere naturam accidentalem, sine subiecto compositam ex esse, & quod est, & ex esse quidem per se negatiuè, & ab extrinseco diuina virtute efficienter supplente actualem inhæsionem in subiecto, per quam dicebatur esse in illo. Et hanc compositionem similem esse compositioni Angelorum ex esse per se positiuo & quod est.

Et hoc est, quod sæpe repetit D.Tho. 3.p. quæst 77 per tres priores articulos, videlicet accidentia separata retinere illudmet esse, quod habebant in subiecto, & per illudmet esse iam non inhærens, sed sine inhærentia conseruatum effectiuè à Deo, verè dici, quod sint per se, verè etiam dici, quod habeant compositionem similem compositioni Angelicæ, ex esse, & quod est, & non per modum perseitatis de nouo eis additum.

52 Quod efficaciter colligo ex alio testimonio magis expresso ad idem propositum quod habetur in 4.dist.12.quæst.2.art.1.quæstiuncula 3. ad 5. vbi loquens de accidentibus Eucharistiæ separatis a subiecto, ita ait: *Cum ista accidentia habeant esse, & essentias proprias, & eorum essentia non sit eorum esse, constat, quod aliud est in eis esse, & quod est, & ita habent compositionem illam, quæ in Angelis inuenitur.* Est autem valdè notandum his verbis in primis asserere D. Thom. quod accidentia separata habent proprium esse, & propriam essentiam, per quæ dicuntur esse per se, per quæ etiam dicuntur habere realem compositionem ex esse, & quod est, sicut Angeli: non ergo sunt per se, neque habent compositionem realem ex esse, & quod est, per esse, vel modum perseitatis eis communicatum apud D.Tho. sed per proprium esse, sicut per essentiam propriam. Hoc autem esse proprium, quod habere docere D. Th. non videtur posse esse aliud, quã actualis existentia propria, cum accidentia nõ habeant, nec habere possint subsistentiam. Et cum affirmet D.Th. constituere realem compositionem cum essentia, sentire videtur, quod ex natura rei distinguatur ab ea, quia talis cõpositio non potest fieri, nisi ex componentibus realiter, vel ex natura rei inter se distinctis.

53 Ad primum arg. distinguenda est maior, quod sicut natura substantialis debet esse terminata per propriam subsistentiam, vel alienam, ita accidentalis per proprium modum, vel alienum: nam vt habeat esse naturale completum per modum dependentiæ, vel actualis inhæsionis, verum est, & secundum ordinem naturalem necessarium, sed non est essentiale, nec intrinsecum, vt nõ possit per absolutam Dei potentiam sustentari natura hæc sine suo termino, cum quo certè est non habere intrinsecam connexionem.

54 Nam sine illo esse potest, sicut reperitur humana natura in Christo sine proprio modo, vel subsistentia. Et sicut sustentatur à Verbo media propria subsistentia eam terminante, posset sustẽtari sine illa, atq; etiam sine propria per immediatam efficientiam diuinæ virtutis, quod præsertim intelligi potest, cum a propria subsistentia, imò a quacumq; non depẽdeat natura, nisi in quodam genere formalis causæ secundariæ, atq; extrinsecæ, de quo nulla efficaci ratione probari potest, quod a Deo non possit suppleri per immediatam efficientiam, quæ maior esse debet, vel maiori concursu adhibito, quamdum accidẽs sustentabatur in subiecto, nam ad supplendam causalitatem materialem subiecti, aliquem concursum addere oportet ei, cum quo via ordinaria sustentabatur media causalitate eius.

Ad secundum concedimus existentiã per se accidentis separati a subiecto non consistere in sola negatione actualis inhærentiæ, sed in primis importare actualem existentiam positiuam ei naturalem, quamuis sola ratione distinctam a natura, atque ex se aptam inhærere subiecto, sed per diuinam efficientiam sustentatam, sine tali inhærentia, & ex hoc habet esse existentiam per se negatiuè, vnde non dicitur subsistentia, quia subsistentia dicit modum positiuum: per quẽ natura substantialis habet independentiam a quocumq; alio vt supposito. Et de hac subsistentia tenuit Scot. consistere in sola negatione dependentiæ, & propterea meritò refutatur ferè ab omnibus.

Ad tertiam distinguenda est maior, quod ex duobus modis oppositis non potest

tolli vnum ab aliquo, nisi per alterum, nam si illud a quo tollitur, capax sit vtriusque, verum est: si vero alterius tantum sit capax, falsum, & quia accidens non est capax vtriusq; modi oppositi, videlicet modi independentiæ a quolibet subiecto, & modi actualis dependentiæ a subiecto, non est necessarium, quod auferatur iste ab illo per alteram in actuali separatione, sed ablatio eius fit per diuinam virtutem in genere efficientis causæ supplentem materialem causalitatem subiecti.

57 Et possumus euidenter instare argumentum in substantia, a qua certũ est auferri posse a Deo modum independentiæ per se a subiecto, qui est subsistentia propria, non tamen per modum oppositum actualis dependentiæ, seu inhærentiæ in subiecto, quia non est capax talis modi, licet sit capax oppositi. Exempla verò in argum. adducta continent modum contrariæ oppositionis, cuius extrema se expellunt ab eodem subiecto vtriusque capaci, vel continent subiectum aliquo modo vtriusq; extremi capax.

Ad confirmationem negandum est antecedens, quod possibilis sit modus perseitatis, per quem terminetur natura accidentalis separata, etiam per potentiam Dei absolutam, quia modus perseitatis, in nullo distinguitur a subsistentia, vt probauimus: cum formalem effectum subsistentiæ conferat naturæ, quam terminat, effectus verò formalis subsistentiæ repugnat naturæ accidentali.

QVAESTIO IV.

An potentia vitalis separata ab anima per diuinam potentiam esset in statu naturali, aut violento.

PRima opinio afferit potentiam vitalem separatam a subiecto non fore in statu violento, sed naturali.

Quam tenet Caiet. 1. parte, quæst. 83. & Conrad 12. quæst. 6. art. 1. hac sola ratione, quia separatur a Deo, & ab eo conseruatur sine subiecto. Nam quæcumque creatura habet potentiam obedientialem respectu Dei, vt authoris naturæ, ac totius esse, & in ordine ad quemcumque motum, aut effectum ergo quocumque modo ab ipso moueatur, in quocumque statu ponatur, & quocumque modo de illa disponat Deus, non faciet ei violentiam: cùm per potentiam obedientialem ei subijciatur.

58 Probatur consequentia, quia violentum debet esse contra naturalem inclinationem & ideò cum resistentia eius, cui fit violentia sed nihil a Deo factum circa creaturam potest esse contra naturalem inclinationem ius, nec per hanc potest ei resistere: ergo nihil a Deo proueniens potest esse violentum. Et exemplum afferunt de corpore graui ascendente ad replendum vacuum, motu quidem naturali, non violento, quia licet sit cõtra inclinationem particularem grauitatis, est tamen secundum inclinationem vniuersalem, quã habent corpora naturalia ad bonum totius vniuersi: quod maximum dispendium patitur per vacuum.

59 Hæc tamen sententia sic vniuersaliter accepta falsa est, quod sic probo. Violentum, vt docet Arist. locis statim citandis, est *quod fit a principio, vel causa extrinseca passo non cõferente vim*, hoc est, nihil iuuante, sed resistente potius per naturalem inclinationem contrariam; vt dum calefit aqua, violentus dicitur talis motus, quia fit a principio extrinseco, nempe igne calefaciente, resistente aqua per naturalem frigiditatem: sed etiam si motus iste fiat immediatè a Deo imprimente aquæ calorem, dicetur fieri a principio extrinseco efficiente, nempe Deo, & passo nullam vim conferente, quia euidens est aquam non iuuare ad talem calefactionem, sed potius ei resistere per qualitatem contrariam: ergò non desinit motus esse violentus ex eo, quod fiat a Deo, si contra naturalem inclinationem rei particularis fiat, & ex consequenti, nec desinet potentia vitalis separata a subiecto esse in statu violento, ex eo, quod a Deo separetur, aut separata conseruetur.

60 Nec tollit hanc violentiam potentia obedientialis, quam habet creatura, vt Deus prout voluerit, eam disponat, aut moueat, sicut nec tolleret, quin possit eam moueri, aut disponere contra inclinationem naturalem, ex qua habet motus, aut dispositio eius, quod violenta sit, a quacumque cau-

causa extrinseca fiat. Et hoc reputo vniuersaliter verum, ac necessarium: an vero in particulari motus corporis ad replendum vacuum contra inclinationem particularem violentus sit, vel præter naturam, seu naturalis ex inclinatione, quam habent partes ad bonum totius, modo non disputo, quia nihil refert ad propositum: cùm nec potentia vitalis, nec accidentia Eucharistiæ separentur a subiecto, propter bonum naturale totius vniuersi, sed in commentarijs super libros de cœlo, & mundo disputandum relinquo.

61 Secunda opinio quorundam recentiorum negat etiam potentiam separatam a subiecto esse in statu violento, sed diuerso fundamento innititur ac præcedens, asserẽs violentum solum esse illud, quod est contra inclinationem naturalem actiuam, aut formalem, non tamen contra solam passiuam, & cum actualis inhærentia, qua priuatur potentia, vel accidens, non procedat a natura eius tanquam a principio efficienti, nec formali, quia non est effectus formalis eius, sed solum tanquam a principio passiuo, apto quidem ad eam recipiendam ab agente veniente illam subiecto, a quo eam separauit, ideò non patitur violentiam, nec est in statu eius separata a subiecto.

62 Probant testimonio Aristotelis 2. lib. ethicorum ad Eudemum c.9. ante medium, vbi his verbis definit violentum *Quando igitur quippiam præter impetum intrinsecum mouerit, sedaueritve, vi id fieri asseueramus, quando verò secus, non vi.* In qua definitione verbum illud expendendum esse asserunt, videlicet. *Præter impetum intrinsecum*, nam (præter) idẽ est apud Aristotelem pluribus suæ doctrinæ locis, atque (contra) vt etiam verbo Græco id significante indicatur, *impetum vero intrinsecum*, vim agentis significat conantis in contrarium actum, vt grauitatem in lapide sursum proiecto, vel etiam vim formæ informantis subiectum, ex cuius informatione se queretur expulsio formæ contrariæ, nisi impediretur, vt si calor introduceretur in aqua & impediretur naturalis expulsio frigoris Deo conseruante vtramq; formam simul in aqua, pateretur absq; dubio calor violentiã, quia inclinatio formæ impetus iure vocatur sicut inclinatio agentis, quia forma expellens alteram ex parte agentis se tenet, a quo effectiuè procedit expulsio. Inclinatio verò passiua materiæ non est impetus, quia impetus conantis in operationem est, & resistentis extrinseco impedienti: materia verò per passiuam potentiam non conatur in effectũ nec resistit agenti extrinseco: quare etiam si impediatur a causalitate, seu effectu proprio non dicitur aliquid contra impetum intrinsecum eius fieri, nec ideò dicitur violentiam pati.

63 Probatur deinde ratione, quia si ad rationem violenti sufficeret contra passiuam inclinationẽ rei esse, hæc sequerentur absurda: nempe quod aer esset violenter sub tenebris, cum habeat naturalem potentiam seu inclinationem passiuam ad lucem tanquam ad perfectionem sibi conuenientem, nam definiens Aristotel. lumen in hoc 2. lib. de anima, cap. 7. ait, *esse actum diaphani.* Deinde cœlo esset violenta quies apud eos, qui tenent motum esse ei naturalem solùm propter principium passiuum, quia motum ab Angelo factum naturaliter recipit. Prętereà dum materia habet vnam formam, esset ei violentum carere alia: cum constet naturalem habere potentiam, appetitum, & inclinationẽ ad alteram. Et tandem quod caput esse aiunt, humanitas Christi violenter esset vnita Verbo, quia caret propria personalitate, ad quam passiuam tantum inclinationem habet: quod maius absurdum est, & vitari non potest, nisi concedatur violentum non esse, quod solum est contra potentiam naturalem passiuam.

64 Nihilominus sententia hæc numquam mihi placuit, quia duobus principijs innititur, aut falsis, aut valde incertis, atque infirmis.

Primum est, quod subsistentia non procedat efficienter a natura substantiali, nec actualis inhærentia a natura accidentali, contra sententiam D. Thom. 3. parte, quæst. 2. art. 5. ad 1. & art. 12. in corpore, & ad primum, vbi asserit subsistentiam procedere ex principijs intrinsecis eiusdẽ naturæ, principia autem intrinseca sunt essentia, & ideò nõ solam materiam, sed simul etiã formã dicunt in rebus corporeis. Et prætereà non passiuã tantũ, sed efficientem causalitatem, quia forma, aut modus solum in aliquo receptus tam quã in subiecto non dicitur ab eo procedere, sicut aĩa rationalis non procedit a corpore, in quo recipitur. Atq; etiã contra rationem satis efficacem, quam ita constituo Passiones

emanant effectiuè ab essentia propter tria, quæ respectu earum habet, est enim eis nobilior, natura prior, & cum qua passiones ipsæ naturalem, ac necessariam connexionem habent, sed hæc omnia habet essentia, vel natura substantialis respectu propriæ subsistentiæ, atq; etiam sub modo accidentalis respectu actualis inhærentiæ: ergo emanat effectiuè ab ea.

65 Probatur minor, quia essentia nobilior est subsistentia, cum hæc sit modus illius, & ad speciem eius reducatur, & ideò potest eā virtute continere, sicut essentia passiones: prior est etiam natura: cum sit distincta ab ea ex natura rei, & per eam terminetur, atque compleatur. Sed connexio eiusdem subsistentiæ cum natura intimior est, ac magis necessaria, quam passionum cum essentia: cum istæ sint accidentia eius, subsistentia verò modus substantialis constituens eam in supposito, vel persona, ex quo intelligitur maiorem proportionem habere cum ea, quam passiones: ergò multo maiori ratione procedet ab ea effectiuè, quam passiones.

Sed obijciunt authores eiusdem sententiæ contra hanc doctrinam hoc modo.

66 Ad hanc efficientiam naturæ respectu subsistentiæ ponere oportet duplicem actionem in productione cuiuslibet rei, vnam per quam producatur natura: alteram per quam ab ea emanet subsistentia, nam cùm natura respectu actionis, per quam producitur, sit effectus, & non causa: & respectu alterius, per quam producitur subsistentia emanans effectiuè ab ea, sit causa efficiēs & non effectus, necesse est distinctas esse actiones per quas producuntur ab agente, quia repugnat aliquid esse causam efficientem, & effectum respectu eiusdem actionis, & ideo suppositum constans natura, & subsistentia, vt Petrus, vel Ioannes duplici actione realiter distincta producetur, & suo etiam modo accidens in subiecto, quod in primis est contra D. Thom. 1. p. q. 45. art. vbi ait creari, & fieri esse rei subsistentis, quia eius est fieri, cuius est esse, esse autem subsistentis est: ergò sentit per eandem actionem fieri naturam, & subsistentiam eius, quia vtraque constat, & componitur subsistens, seu suppositum per se factum.

Et certè superflua esset duplex actio, cum per eandem fieri possit vtraque: atque adeò integrum suppositum, aut integra res subsistens, & ideò secundam actionem, per quam procedere dicitur subsistentia à natura commentitiam vocant. Respondeo, quod natura, & subsistentia, & proinde res subsistens vtraque constans, in primis non producitur vnica actione simplici, aut indiuisibili.

67 Quod efficaciter probatur in anima Christi, imò in humanitate eius, nam illa facta est per creationem, sicut qualibet alia, & humanitas per generationem, & tamen non est producta subsistentia, sed sine illa factæ sunt, & si dimitteretur humanitas Christi a Verbo diuino, produceretur de nouo subsistentia propria eius, non per actionem antiquam iam transactam, & ideò non existentem: ergò per nouam totalem, aut saltem partialem. Quare non est vna simplex per quam vtraq; producitur in eodem instanti creationis, vel generationis: cùm constet diuidi, aut separari posse: ergo subsistentia non conseruabatur per eandem indiuisibilem actionem: per quam conseruabatur natura, quia impossibile est desinere rē, & non cessare actionem, qua conseruatur, & impossibile est etiam permanere rem, quin permaneat actio, per quam conseruatur: & tandem impossibile est permanere actionem, qua conseruatur vnum non permanente actione, per quam conseruatur alterum, quin aliquo modo sint distinctæ.

68 Propterea dicendum est duas esse actiones quasi partiales: dixi (quasi) quia non sunt ita partiales, sicut illæ per quas producuntur partes eiusdem rei, gratia exempli.

Actio per quam producitur calor vt duo, composita est ex duplici actione partiali separabili, sicut totus ipse calor diuisibilis est in duos gradus, tanquam partes intensionis, & prior gradus posset produci sine posteriori, & tunc euidens esset produci per actiones totales distinctas: ergo quando simul producuntur, eadem quidem est actio totalis, diuisibilis tamen in duas partiales, & ex eis composita.

69 Vocantur ergo duæ actiones partiales illæ, per quas producuntur natura, & eius subsistentia, quia sicut natura, & subsistentia se habent tanquam res, & modus eius, ita vna actio sit quasi realis, aut per quam producitur res, videlicet natura, & alia modalis, per quam producitur

sub-

subsistentia, quæ est modus eius & sicut integra res subsistens composita est ex natura, & subsistentia, tanquam ex partibus, sed tanquam ex natura, & modo, seu termino eius, sic suo modo actio per quam vtraque produ citur, aut integra res subsistens, composita est ex actione reali, seu per quam natura producitur, & ex actione modali, seu ex modo actionis, per quem producitur subsistentia. Illæ autem duæ actiones quasi partiales ita se habent, vt prior possit separari à posteriori, quia potest produci natura non producta subsistentia, sed posterior non potest eodem modo separari à priori, sed necessario debet esse simul cum ea, vel necessario eam præsupponere, vt per se est manifestum, quia se habet ad illam tanquam modus.

70 Ex his facilem habet sensum id quod asserit D. Thom. quòd creatio est subsistentium, non enim voluit creationem immediatè terminari ad subsistentiam, sed ad tale esse actu existens, ad quod consequitur naturaliter subsistentia. Itaque formalis, & immediatus terminus creationis actualis existentia rei est eadem realiter cum natura: formalis in quam quasi partialis, nam formalis integer eadem actualis existentia est terminata, atque completa per subsistentiam, completus verò omninò, adæquatus, atque totalis tanquam id quod creatur, res actu existens, atque subsistens.

71 Quòd sic intelligendum est, vt possit etiam creari res actu existens sine subsistentia per potentiam Dei absolutam: si verò creanda sit iuxta exigentiam naturæ, nō potest creari, nisi terminata per subsistentiam, & hoc voluit D. Thom. dum dixit creari esse subsistentium, quia si secundum exigentiam naturæ creanda est res, repugnat creari nisi subsistens.

Et propterea naturaliter repugnat creari accidentia, quia nec subsistunt, nec debetur eis subsistentia; immo nec modus per se, sed actualis inhærentia, quare non possunt naturaliter produci, nisi dependenter à subiecto, ideo non per creationem.

Et hinc patet ex verbis D. Thom. in sensu, quem ipsemet tenuit intellectis non sequi naturam, & subsistentiam, siue rem integram subsistentem ex eis compositam fieri per vnicam simplicem, atque indiuisibilem actionem, & idem censendum est de natura accidentali, & actuali eius inhærentia modo iam explicato. Et cum non ponamus duplicem actionem completam, ac totalem pro natura, & subsistentia; sed vnam tantum cōpositam ex duplici quasi partiali, ac separabili modo explicato, nihil superfluum, neque commentitium ponimus, sed verum ac necessarium.

72 Alterum cui innititur sententia illa, est testimonium Aristotelis, afferens violentum esse à principio extrinseco contra impetum rei, impetus verò solùm significat inclinationem principij actiui, aut formalis, & ideo non sufficit, quòd aliquid sit cōtra principium passiuum, vt violentum appelletur. Hoc autem falsum esse, aut valde infirmum probatur, quia Arist. eo loci non definit violentum in vniuersali, sed quandam speciem eius, nempè illam, in qua violētia fit contra inclinationem principij actiui nulla facta mentione eius quòd fit contra inclinationē formæ, quod etiam est violentum, quia repugnat inclinationi principij actiui. Alijs verò locis communem definitionem violenti affert, comprehendentem triplicem speciem eius, iuxta triplicem inclinationem naturalē specie distinctam, contra quam violētum esse potest: videlicet 1. Ethicorum ad Nicomachum cap 3. his verbis. *Illud autem est violentum, cuius principium extrinsecus eiusmodi est, vt ei neque qui agit, neque qui patitur, quippiā conferat.* Iuxta quam definitionem constat violentum esse, quòd fit contra inclinationē quamcunque siue principij actiui, siue formæ, vel subiecti, aut principij passiui, cū fit à principio extrinseco passo nihil conferente, hoc est, non iuuante, præsertim cum dicat Arist. nihil conferente illo, quòd agit, vel patitur, quasi dicat, siue violentia illi fiat, quia cogitur agere contra inclinationē, vt quando graue per impulsum impressum cogitur producere in se motum ab extrinseco proijciente non iuuans ad eundem modum per inclinationem naturalem suæ grauitatis, sed resistens potius, siue fiat violentia subiecto per impressionem alicuius formæ disconuenientis, vt si oculo imprimatur qualitas repugnans temperamento naturali eius, nihil dicitur iuuare ad receptionem eius, sed repugnare potiùs per potentiam passiuam oppositam. Sectione etiam problem. 1. q. 6. *violentia* (ait) *contra naturam est.*

Na-

73 Natura verò quamlibet inclinationem naturalem comprehendit, vt per se est manifestum: ergo violentum in genere sumptum, vt hic definitur ab Aristotele, contra quamlibet inclinationem principij actiui, formalis, aut materialis est: Quamuis inter has tres species violenti perfectior sit illa, quæ contra inclinationem efficientis causæ est, deinde ea, quæ contra inclinationem formę ad informandum, & infimum locum teneat alia, quæ solum est contra naturalem inclinationem passiuam materiæ, aut subiecti.

74 Nam quod iidem recentiores dicunt naturam solùm significare formam, & non materiam, quia materia solùm est natura per quandam analogiam, non potest esse ad mẽtem Aristotelis, vt nostris comment. physicis ostendimus.

75 Et tandem, cùm non expresserit Aristotil. quid per impetum intrinsecum intelligat, pro libito, ac sine fundamento exponũt isti intelligere, nõ solum inclinationem principij actiui, sed etiam inclinationem formę, nam si semel dicatur impetum non solũ inclinationem efficientis causæ significare, sed etiam inclinationem formæ ad informandum, nulla potest assignari ratio, cur non etiam significet inclinationem passiuam materiæ ad recipiendum, quia vtraque inclinatio tam formæ, quàm materiæ naturalis est, & neutra est actiua; ergo non est maior ratio ob quam potius dicatur impetus inclinatio formæ ad informandum, quàm materiæ ad recipiendum. Nam quod dicunt formam se tenere ex parte agentis, nihil ad rem facit, cum sit inclinatio longè diuersa sicut genus efficientis, & formalis causæ.

Ad primum, quod vocat absurdum de aere, qui violenter erit sub tenebris, negãdum est esse absurdum, immo concedẽdum, quod sit in statu violento, quia priuatur forma valde conuenienti suæ naturæ, non quidem vt elemento, sed vt diaphano, vtramque enim rationem distinguere oportet in aere, & iuxta vtramque ei tribuere formas suæ naturæ conuenientes, & ad quas recipiendas naturaliter ordinatur. Ad aliud verò de motu cęlorum respondeo, non esse huius loci decernere, an, & quomodo motus cœli sit naturalis, ex quo dependet, an futura sit ei violenta quies.

76 Id tamen videtur mihi obiter dicendum, quod motus coeli non est ei naturalis, quia per eum moueatur ad acquirẽdam rem aliquam, aut formam, vel etiam modũ, quibus careat, sicut mouentur cætera corpora, quia adhuc modo præsentiæ, quem acquirit per motum, non est priuatum; cum habeat alterum eiusdem rationis, sicut aer illuminatus hoc lumine nõ dicitur carere alio, quod posset suscipere, & ideo nec esse in statu violento quandiu illud non habet, quare nec dicetur cœlo violẽta quies: cum propter illam non dicatur carere aliqua forma, vel modo sibi debito, nec enim motus ipse debitus illi est propter se, sed propter hæc inferiora, quare nec censetur ei violenta carentia eius: sed tã motus, quã quies naturalis ei esse potest, de quo suo loco ex professo agemus.

Ad tertium de materia respondeo; quod si priuetur vna forma per aduentum alterius (cùm non possit naturaliter duabus simul informari) euidens est non esse in statu violento, cum potentia eius per vnam formam sufficienter, & quantum possibile est naturaliter sit actuata; quare nulla potest ei violẽtia inferri ex eo, quod non habeat omnes simul. Nec etiam erit in statu violento, quia vnam habens possit habere cæteras, quia non potest simul, sed successiuè. Si verò priuaretur forma, quam habet, & sine vlla relinqueretur, in statu violento foret: cum ab extrinseco priuetur perfectione sibi naturaliter debita, & ideo talis priuatio sit contra impetum propriæ inclinationis.

77 Ad vltimum de humanitate Christi negandum est, quod ideo non sit in statu violento carens propria personalitate, quia passiuam tãtùm habet inclinationẽ ad illã. Hoc .n. falsum esse probauimus, sed habet inclinationẽ principij actiui ad illã; nec est in statu violẽto, quia habet aliã personalitatẽ infinitè perfectam, & ideo continentẽ omnẽ perfectionem naturalem propriæ in eodem genere terminandi dependentiam eius, ac constituendi eam in esse personali per quã magis est satiata, quàm foret per propriam, nõ ergo amittit inclinationem ad propriã: imò nec appetitum; sed satiatum habet hunc & illam, etiam naturaliter, & ideo appetitum habet ad illam, non per modum desiderij, quod carentiam, atque imperfectionem importat, sed quasi per modum fruitionis, quia perfectissimè satiatum.

Ter-

78 Tertia opinio asserit iuxta hanc eandem doctrinam a nobis traditam de humanitate Christi, potentiam vitalem separatã, vel quoduis aliud accidens non esse in statu violento, quia inclinatio eius ad proprium modum actualis inhærẽtiæ satiatur per modum perseitatis, si communicatum, per quẽ perfectius longè terminatur, atque completur, quam per actualem inhærentiam. Esset autem in statu violento, si per talem modum supernaturalem non suppleretur carentia proprij. Ita sentiunt plures ex recentioribus.

79 Nostra sententia duo asserit. Primum est, *quod omne accidens separatum à subiecto sit in statu violento.* Probatur ex definitione generali violenti superius allata ex Arist. nempe: *Violentum est cuius principium extrinsecus huiusmodi est, vt ei neque qui agit, neque qui patitur, quippiam conferat.* Sed accidens separatum priuatur ab extrinseco agente inhærentia actuali sibi naturaliter debita contra impetum intrinsecũ propriæ inclinationis actiui principij, vt probauimus, quia modus iste oritur a natura accidẽtali tanquàm à principio efficiente, quamuis non sine actuali dependentia à subiecto; ergo statum violentum habebit sine illa, præsertim cùm probatum sit non suppleri per modum perseitatis.

Secundum, quod asserit nostra sententia est peculiare *de potentia vitali separata à subiecto, quòd etiam si ei modus per se communicaretur, adhuc esset in statu violento.* Hæc est directè contra vltimam sententiam; quod sic ostendo, potentia vitalis ordinatur per se primò, atque essentialiter in eum finem, vt sit principium efficiens vitale, atque intrinsecũ viuentis ad eliciendam vitalem operationem: sed non potest esse tale principium separata a subiecto; ergo priuatur ab efficiente extrinseco maxima perfectione sibi debita à natura contra naturalem impetum suæ inclinationis actiui principij; quare necesse est habere statum violentum.

80 Minorem sic probo; potentia vitalis non potest esse principium vitalis operationis, nisi tanquam instrumentum actu cõiunctum cum primo principio vitæ, quod est anima, quia operatio vitalis ex propria ratione debet procedere à principio intrinseco vitæ, vt suo loco ostendetur; ergo potentia vitalis separata non potest elicere operationem vitalem, ad quam eliciendam, vt actiuum principium ordinata est à natura.

Nec tolleretur status violentus, etiam si separata haberet modum perseitatis, quia etiã si modus iste posset supplere carentiam actualis inhærẽtiæ, quia perfectior esset quasi in eodem ordine essendi, nullo tamen modo suppleret modum naturalis inclinationis ad eliciendas vitales operationes, quia sic separata existens, etiam cum modo perseitatis non posset esse principium vitalis operationis, esse autem, & operari diuersa sunt. Vnde licet suppleri possit modus essendi imperfectior per modum perfectiorem, non sequitur posse suppleri per eundem modum essendi, modum, & inclinationem ad operandum.

QVAESTIO V.

Vtrùm potentiæ vitales oriantur ab anima tanquam à principio effectiuo.

81 DE emanatione potentiarum ab anima tria sunt disputanda. Primum, an effectiuè emanent ab ea, & consequenter in alijs generib. causarum ab ea dependeant. Secundum, supposito quòd ab ea procedant tanquam à causa efficiente, an media aliqua actione, vel sine illa. Et tandem an eo ordine ab ea oriantur, vt vna earum sit alterius causa, & quonam modo.

Et circa primum de origine potentiarum vitalium ab anima fuit prima sententia omninò negans, quòd procedant effectiuè ab ea: sed à solo generante sine vllo medio effectiuè concurrente producantur. Ita Comm. 4 lib. Metaph comm 2. vbi negat vniuersaliter, quod substantiæ respectu accidentium tribuenda sit efficiens, aut finalis causalitas: sed sola materialis. Iand. verò etiam de potentijs, ac passionibus negat, quòd effectiuè procedant ab anima: sed ad summum in genere finalis, ac materialis causæ 2. lib. de anima, qu. 10. & idem sentit Niphus eodem libro text. 29. atque etiam Ægidius in 1. dist. 3. q. 18.

Probatur primo, quia substantia creata, nec

nec agit per se immediatè: sed per accidentia, nec dari potest accidens, quo medio concurrat effectiuè ad productionem potentiarum, vel passionum: cùm istæ sint prima accidentia, & si daretur aliud prius, procedendum esset in infinitum.

82 Probatur secundò, quia si potentiæ naturaliter emanant ab anima tanquam ab efficiente, sequitur quòd si aliqua auferatur ab ea per miraculum, vt à rationali intellectus, vel naturaliter eam amiserit, vt sensiti ua visum, relicta suæ naturæ iterum emanabit ab ea, vt frigiditas amissa iterum oritur ab aqua sublato impediente: sed talis emanatio est impossibilis; ergo impossibilis erit etiam prior. Minorem sic probo, cœcus homo non potest naturaliter acquirere potentiam visiuam amissam, quia à priuatione ad habitum non datur naturalis regressus; ergo falsum est has potentias naturaliter emanare ab anima tanquam ab efficiente.

Secunda opinio communis est, & vera, *quòd potentiæ vitales naturaliter procedant ab anima, tanquam ab efficiente*. Ita D.Thom.1. p.q.77.art.5 & 7. Caiet. & Bannez ibidem, & cæteri eius discipuli, omnesque recentiores cum eis.

83 Probatur primò, quia operationes vitales procedunt à principio vitæ, tãquam à prima radice earum: sed potentiæ vitales sunt virtutes naturales eidem primo vitæ principio concessæ à natura pro eisdem operationibus vitalibus eliciendis: ergo continentur in virtute eius, ab eodemque oriuntur tanquam à prima radice: constat autem primum principium totius vitæ esse animã; ergo sicut procedunt ab ea operationes vitales tanquam a prima radice, ita etiam potẽtiæ, quòd est effectiuè ab ea procedere. Secũdò probatur efficaciter exemplo aquæ, cuius potentia naturalis ad infrigidandum est frigus, & quasi naturalis eius proprietas, sicut intellectus, & voluntas sunt potentiæ animæ rationalis ad intelligendum, & volendum: sed frigus procedit à substantia aquæ effectiuè; ergo intellectus, & voluntas procedunt effectiuè ab anima. Minorem sic probo, amissa frigiditate per calefactionem, & remoto calefaciente, naturaliter se reducit aqua ad pristinam frigiditatem, vt euidens experientia ostendit: sed non est alia causa efficiens particularis præsens actu, & approximata, à qua possit noua illa frigiditas efficienter produci præter naturam eiusdem aquæ; ergo dicendum est ab ea emanare tanquam ab efficiente. Probatur minor discurrẽdo per omnes causas naturaliter possibiles, & primò de extrinsecis est manifestum. Sed probatur nullam dari intrinsecam præter naturam aquæ. Nam duæ excogitantur ab aduersarijs, dicunt enim in quibusdam partib. aquę quantumuis calidis semper manere intensum frigus, & ab his partibus infrigidari calidas, & ita se reducere in naturalem suam frigiditatem, quod tribui solet Commentatori 2 lib. de anima comment 1. & à Caiet. iudicatur probabile 1 p.q 54. art.3. Sed euidenter probatur falsum: primo experientia sensibili; nam in vase aliquo igni applicato vehementerque ab eo calefacto sen su tactu experimur totam aquam, & omnes eius partes non solùm esse calidas: sed æquali ferè intensione; ergo contra experientiam, & sine vllo fundamento dicitur aliquas partes eius intensum frigus habere; nam cum eodem ferè modo sint applicatæ, & approximatæ agenti, eodem ferè modo in omnes aget, & æquè ferè intensum calorem eis imprimet.

84 Secundò, ratione, quia etiam si daremus partes aliquas habere intensam frigiditatem, euidẽs est non habere summam, quia repugnat non recipere aliquem calorem ab igne, & à partibus sibi proximis vehementer calefactis: sed si non habeant summam non possunt eam producere in alijs partib. quia non possunt agere vltra propriam intensionem, præsertim cùm nihil operetur forma substantialis eiusdem aquæ (vt asserunt) ergo repugnat ab eis reduci alias ad summã frigiditatem, vt reduci constat.

85 Ex quo patet etiam falsum, quod ab alijs dicitur: nẽpe in partibus calidis aliquid frigiditatis permanere semper: cùm nõ possit sine frigiditate saltem remissa conseruari aqua, ab hac igitur frigiditate remissa expelli aiunt calorem sublato calefaciente, & reduci totam aquam ad frigiditatẽ sibi connaturalem, & hoc asserimus esse euidenter falsum; quia si natura ipsius aquæ nihil agit, repugnat remissam illam frigiditatem intẽdere se ipsam: nam ex professo probauimus 1. lib. de generatione nullum agens posse se ipsum intendere. Posterior causa intrinseca, quam tribuunt alij, est quidem qualitas virtualis, qua media emanant calor, & frigus

ab

ab aqua, & igne, & pariter humiditas, & siccitas in his, & alijs elementis, ab hac ergo qualitate eminenter continente prædictas omnes reducuntur elementa ad summam intentionem earum, quando eam amittunt per actionem contrarij. Hoc tamen expressè contrarium est doctrinæ Aristotelis, & rationi, vt 2. libro de generatione copiosè ostendimus.

Veritas ergo est, quòd primæ qualitates elementorum, quæ sunt naturales potentiæ earum ad operandum, effectiuè procedunt ab eorum substantijs. Ex qua efficaciter probatum est potentias vitales eodem modo emanare ab anima, cùm sint naturales pro operationibus vitalibus eliciendis.

86 Vt autem hæc veritas melius intelligatur, & argumenta opposita facilius solui possint, vnum est adnotandum, videlicet, has potentias produci à generante compositum viuens, vel a Deo creante animam in eodem instanti, quo generatur compositum viuens, vel creatur anima, tanquam à causa quidem præcipua, atque proxima, media tamen anima, tanquam instrumento. Quòd tenui 8. libro physicorum cum Aristotele, & Diu. Thom. Conimb. & Suario tomo primo, Metaphysic. disputat. 18. sectio.7. num. 21. & pluribus alijs recentioribus.

87 Probaturque hac ratione efficaci, quia ad generantem, aut creantem pertinet producere rem cum omnibus, quæ ei debentur ex vi generationis, aut creationis in eodem instanti, in quo generatur, vel creatur: sed rei genitæ debentur proprietates, aut naturales potentiæ in eodem instanti, in quo generatur, vel creatur ex vi generationis, aut creationis, & natæ sunt ei tunc conuenire, vt sit in statu sibi connaturali, in quo produci debet à generante, vt operari possit, & à contrarijs se defendere, quòd præstat per potentias, & passiones; ergo ad generantem, vel creantem pertinet producere passiones, & potentias in eodem instanti, sicut pertinet producere substantiam, & ideo tanquam ad præcipuam, atque proximam causam medio tamen subiecto tanquam instrumento, quia cùm substantia sit natura prior, atque nobilior his accidentibus, & quasi actus primus, & substantialis, illa verò quasi secundus, & accidentalis: satis est naturæ eius consonum, vt ea virtute contineat, & ideo aliquem possit præstare influxum ad productionem eorum tanquam medium, & quasi virtus generantis.

88 Ad primum argumentum oppositæ sententiæ distinguendum est antecedens, quòd substantia creata non sit immediatè operatiua; sed per accidentia: nam actione dependente ab aliquo extrinseco, vel subiecto, quæ transmutatio vocari solet, & tanquam agens præcipuum, verum est, ad actionem verò, quæ nec ita dependet, nec transmutatio dicitur: sed simplex quædam, naturalis, atque interna emanatio, & quædam resultantia ex generatione, vel creatione substantiæ: benè potest per se immediatè concurrere tanquam virtus generantis: sicut de concursu essentię ad emanationem subsistentiæ superius ostendimus.

Ad secundum respondeo distinguendo consequens prioris consequentiæ, quòd si auferatur intellectus ab anima, vel corpus amittat visum, concedendum sit posse naturaliter restitui sicut frigiditas aquæ: nam de potentia sensitiua falsum est, de intellectiua verum. Et ratio differentiæ est, quia potentia sensitiua nō emanat ab anima nisi supposita congruente dispositione organi, in quo recipienda est.

89 Et quia semel corrupta dispositione organi, vel organo ipso destructo non datur agens naturale potens reproducere easdem dispositiones, & non potest iterum emanare naturaliter potentia sensitiua ab anima, benè tamen intellectus (si per potentiā Dei absolutam auferatur) & Deus vellet iterum concurrere cum anima, vt fecit in instanti creationis eius. His enim suppositis emanabit intellectus, quia cùm non sit potentia organica, non postulat dispositiones in subiecto, & propterea nihil obstat, quin naturaliter emanare iterum possit sublato impedimento.

QVÆ-

QVAESTIO VI.

An potentiæ vitales emanent ab anima per veras actiones realiter distinctas inter sese, & à generatione, vel creatione.

PRæsupponit titulus præsentis quæstionis id, quod definitum est in præcedenti, videlicet animam concurrere ad productionẽ suarum potentiarum per veram efficiẽtiam tanquam virtutem generantis: quærit verò, an potentię producantur à generante media anima per veram actionem distinctam ab ea, per quam procedit anima ipsa à generante, vel creante.

90 Et prima opinio tenet non produci per veram actionem, sed sine illa per naturalem resultantiam ex generatione, aut creatione Ita videtur sentire Caiet 1.p.q 54.art. 3.ad finem, sed darius q.77 art.1. ad 2. & 3. vbi expresse afferit hanc resultantiam esse per efficientiam animæ, sine media actione. Et ita ex professo Bannez 1.p.q.77.art.2.dubio 3. qui nonnihil magis explicare videtur mentem Caiet. nam quamuis in resolutione dubij neget passiones, & potentias procedere per veram efficientiam, in solutione tamen ad 2. ita ait. *Licet anima non concurrat ad productionem sui, potest concurrere ad productionem potentiæ sine noua actione: scilicet applicando actionem agentis, & quasi deferendo illam ad ipsam potentiam.* Et videtur hæc sententia expressa à D.Thom.in eodem art.ad 3. his verbis. *Emanatio propriorum accidentium à subiecto non est per aliquam transmutationem, sed per aliquam naturalem resultantiam, sicut ex vno aliud naturaliter resultat, vt ex luce calor.*

91 Probat etiam ratione Bannez hoc modo: tunc aliquid est causa actiua per verã actionem, quando inter agens, & effectum mediat vera actio, sed inter proprietates, aut potentias ab ea emanãtes nulla potest esse vera actio media: ergo non emanant per verã actionem. Minorem probat tripliciter: primò, quia si anima produceret in se potẽtias per veram actionem, cùm non possit ad eam concurrere per aliam potentiam, sed necessariò per se ipsam, ageret immediatè per propriam substantiam, & non medio accidente Quod patet esse impossibile, cùm solius Dei sit hoc modo agere. Secundò, quia si media actione eas produceret, talis actio esset alteratio, cum sit ad qualitates, & cùm instantanea foret: daretur vera alteratio instantanea quod 6. lib.physic. probatur impossibile, & tandem, quia vera actio præsupponit causam efficientem tempore priorem se ipsa, & effectu, vt inductione per omnes facta constat, sed anima non est prior tempore emanatione potentiarum, nec etiam ipsismet potentijs: cùm omnes incipiant in eodem instanti generationis; ergo non emanãt per veram actionem.

92 Secunda opinio tenet *potentias, & passiones procedere ab anima per veram, & realem actionem distinctam à generatione compositi, vel creatione animæ, quamuis non per transmutationem* Ita Suarius 1.tom.metaph.disp.18 sect 3. num. 4. & 5 & omnes ferè recentiores, & videtur mihi non solùm probabilior, sed vera. Vt autem eam probemus, præsupponere oportet illud, in quo conueniunt authores oppositæ, & constat ex præcedente quæstione, videlicet subiectum potẽtiarum, siue sit anima, in rationalibus, siue compositum in sensitiuis, & vegetatiuis concurrere ad productionem earum per veram efficientiam, quòd expresse docuit D.Thom.1 p.q. 77.art.6.his verbis *Subiectum in quantùm est in potentia, est susceptiuum formæ accidentalis, in quantùm autem est in actu, est eius productiuum.* Et paulò inferius applicans distinctionem hanc ad subiectum potentiarum ita ait. *Manifestum est, quod omnes potentiæ animæ siue subiectum earum sit anima sola, siue compositum fluunt ab essentia animæ sicut à principio.*

93 Hoc igitur præsupposito, probatur primò, quòd per veram, ac distinctam actionem hoc modo. Anima, vel compositum respectu potentiarum habet veram efficientiam: ergo veram causalitatem efficientem, sed causalitas causæ efficientis est actio: ergo concurrit subiectum ad productionem passionis per veram actionem, & non per eandem, per quam producitur ipsum à generante (vt Bannes afferit) ergo per distinctam; quare per actionem distinctam à generatione, vel creatione procedent. Minorem sic probo. Vera creatio, & vera eductio formæ de potentia materiæ sunt actiones distinctæ

rea-

res' t. r, quia creatio nullum potest subiectū præsupponere, eductio verò ex propria natura, & ratione præsupponit subiectum, & circa illud versatur, sed productio animæ rationalis, est vera creatio, emanatio verò intellectus, & voluntatis ab ea est vera eductio vtriusque de potentia eiusdem animæ: ergo sunt actiones distinctæ realiter, quare non potest anima concurrere per veram efficientiam ad productionem, vel emanationem potentiarum: nisi concurrat per veram actionē realiter distinctam à creatione, per quam fit ipsa à Deo.

94 Minorem sic probo, eductio formæ de potentia materiæ, aut subiecti est dependentia eiusdem formæ à subiecto in esse, & fieri, sed intellectus, & voluntas dependent in esse,& fieri ab anima; in esse quidem, quia non possunt esse sine illa naturaliter; in fieri verò, quia non possunt naturaliter fieri nisi dependenter ab ea tanquam à subiecto, & causa materiali: ergo de potentia eius educuntur. Et eodem modo probatur fieri potentias corporeas per actionem distinctā realiter à generatione: cùm hæc sit productio substantiæ, emanatio verò potentiarum eductio earum de potentia eiusdem substantiæ.

Secundò probatur, quia actio non est aliud, quàm actualis dependentia effectus ab agente, sed productio rei,& emanatio proprietatis ab essentia eius sunt plures dependentiæ actuales ab agente realiter distinctæ: ergo plures actiones distinctæ realiter, Minorem sic probo, duæ entitates reales quarum vna non est pars, neque modus alterius, sed ex æquo distinguuntur, non possunt eadem reali dependentia dependere ab agente, ergo neque fieri ab eo eadem actione.

95 Probatur antecedens, quia cùm dependentia effectus ab agente non sit aliud, quam accipere entitatem ab eo, necesse est acceptionem entitatis distinctæ esse distinctam dependentiam, & ideo distinctam actionem: ergo non possunt dependere ab agente eadem dependentia, sed diuersa, & proinde nec fieri eadem actione, sed multis.

Probatur tandem euidenti exemplo aquæ calidæ reducentis se in pristinam frigiditatem, ex cuius reductione ita arguo: frigiditas amissa emanat naturaliter nunc ab aqua per distinctam actionem, à productione prima eiusdem aquæ: ergo per distinctam actionem emanauit, dum facta fuit aqua, euidens est consequentia, quia non tollit distinctionem vnius actionis ab alia, simultas temporis, vel instantis, in quo fiunt: cum constet plures actiones eodem tempore, vel instanti fieri posse. Sed antecedens probo, quia euidens est, hoc tempore dependere frigiditatem actu ab agente, cum prius non dependeret: quia non erat, sed actualis dependentia ab agente est actio: ergo hoc tempore datur actio, quæ prius non erat, est igitur actio noua, & ideo realiter distincta ab actione antiqua: per quam producta fuit aqua iam non existens, & pari ratione distinctæ sunt actiones, per quas producuntur subiectum, & passio, vel potentia emanans ab eo, licet non sint distinctæ mutationes, quia sola actio, per quàm producitur subiectum, potest esse mutatio, actio verò per quàm producitur potentia, nec est mutatio, nec esse potest: cum non præsupponat subiectum, sed in eodem instanti ipsum consequatur, immo hæc duplici de causa non solet appellari actio, videlicet quia non est mutatio subiecti, sed simplex dependentia ab eo simul, & agēte, à quo idem subiectum producitur, & quia per naturalem quandam resultantiam sequitur ex actione, per quam producitur subiectum, atque etiam ab eodem agente, & in eodem instanti tēporis naturalis resultantia vocatur.

96 Et propterea acutè satis D. Thom. loco proximè citato asseruit emanationem proprietatum, vel potentiarum à subiecto non esse per aliquam transmutationem; quibus verbis non negauit actionem, quam concessit eo ipso quòd docuit esse per veram efficientiam, sed solùm negauit actionem, quæ est transmutatio subiecti. Vnde non solùm censeo non esse contra Diu. Thom. asserere, quod potentiæ, & passiones emanant à subiecto per veram actionem distinctam ab ea, per quam producitur idem subiectum sed procul dubio ex mēte eius. Et ex his constat sensus verborum eius, quæ pro opposita sententia citauimus.

97 Ad argumentum verò alterius opinionis concessa maiori, neganda est minor, quod inter subiectum, & passionem, vel potentiam ab eo procedentem, non medicit actio.

Et

Et ad primam probationem eius distinguendum est consequens, quod substantia agat per se immediatè, & non per accidentia; nam hac actione non dependente ab extrinseco, & naturaliter emanante ab ea, per quam producitur idem subiectum, bene potest agere per se ipsam, præsertim cùm non agat tanquam præcipuum agens, vt in alijs actionibus, sed tanquam virtus, aut instrumentum generantis, nam sicut per se immediatè est virtutis eius ad producendas passiones, & non per superadditum accidens, ita per se immediatè concurrere potest, ac debet: ad alias verò actiones alio modo se habet: cum sit præcipuum agens, & ideo non potest nisi per accidentia concurrere.

Ad secundum concedendum est talem actionem esse alterationem, non propriam, quæ fit inter qualitates contrarias; sed impropriam, cùm non ita fiat, nec sit mutatio, sed simplex quædam actio.

98 Quòd autem dicitur alterationem non posse fieri in instanti, vniuersaliter loquendo falsum est, vt ostendit illuminatio, quæ per se fit in instanti, & est alteratio quędam, licet non propria, sicut nec est propria alteratio emanatio passionis: cùm non versetur inter contraria: benè ergo potest in instanti fieri.

Ad vltimam probationem neganda est maior, quòd actio præsupponat necessariò causam efficientem, se atque effectu tempore priorem. Quia sol in eodem instanti in quo factus fuit, illuminauit mundum, & etiam est euidens illuminationem esse verã, & realem actionem. Ex hac autem nostra sententia intelligitur, tot esse distinguendas actiones, quot sunt potentiæ, vel passiones procedentes à subiecto, nam cum sint entitates distinctæ realiter à subiecto, & inter se repugnat dependere ab agente eadem dependentia reali, & consequenter eadem actione: tot verò actiones ponere, quot sunt potentiæ, aut passiones procedentes, non est eas multiplicare sine necessitate, imò compellente necessaria ratione.

QVAESTIO VII.

An vna potentia, vel passio emanet efficienter ab alia.

99 Vt facilius intelligatur quæstio, & breuius ad difficultatem eius perueniamus, adnotandum est ex D. Thom. 1. par q. 77. art 4. & 7. quod licet anima sit vna, plures potentiæ naturaliter emanant ab ea, sicut riuuli plures ab eodem fonte, & cùm opera naturæ confusa non sint, sed ordinata per se, plures istæ potentiæ suo ordine emanant ab eadem anima, vna priùs, & posterius altera, immo & inter se ordinatæ sunt, ita vt quælibet aliquo modo per se, ac per suos actus cum alijs ordinetur. Diuersos autem ordines earum excogitabiles ad quatuor reducere possumus claritatis gratia, ad quos facilè referuntur cæteri. Primus ordo perfectionis est: secundus causæ finalis: tertius durationis, aut temporis: posterior causalitatis efficientis.

100 Et in primis quòd attinet ad ordinem perfectionis, certum est sic ordinari, vt spirituales sint priores, videlicet intellectus, & voluntas. Secundum locum tenent sensitiuæ: Infimum verò vegetatiuæ. Cuius ratio desumitur ex tribus, videlicet ex perfectiori modo essendi, ex perfectiori modo operandi, seu tendendi in obiectum, atque etiam ex perfectiori obiecto. Quæ omnia absque dubio concurrũt in eis eodem ordine: nam potentiæ rationales habent esse spirituale, & ideo longè perfectius cœteris omnibus ex propria ratione corporeis. Perfectius quoque tẽdunt in obiectum per actus etiam spirituales, & ideo minus limitatos, & per quos vniuersaliori, ac perfectiori modo attingunt obiectum.

Maior etiam obiecti perfectio manifesta est: cum cæteræ potentiæ tanquam corporeæ, & per corporeum organum operantes ad certum, ac limitatum obiectum entis corporei, ac sensibilis solùm possint se extendere: vt visus ad solos colores, & lucem. Eadem autem tria concurrunt in potentijs sensitiuis, prius quàm in cœteris, & ideo secundus locus perfectionis eis conceditur. Quòd ex

e [illegible] uni euidenter colligitur, quia cognoscitiuæ sunt, vel cognitionem sequũtur; cum tamen vegetatiuæ naturali modo sine cognitione operentur eodem modo, ac operantur potentiæ inferiores non vitales; quare necesse est perfectiores illas esse; & propterea vegetatiuas infimum locum perfectionis tenere.

101 Et ex ordine perfectionis colligitur ordo finalis causæ, nam imperfectiores ordinantur ad perfectiores tanquam media ad finem, cuius gratia à natura sunt constitutæ, & ideo idem ordo, quem secundum perfectionem tenent, tribuitur eis in ratione medij, & finis. Manifestum est enim vegetatiuas ordinari ad sensitiuas, vt per proprias operationes disponant organa sensuum producendo illa ad debitum temperamentum, & augmentum, & producendo spiritus vitales, imo & animales quibus medijs operãtur. Potentiæ verò sensitiuæ ordinantur ad intellectiuas subministrando eis species, sine quibus pro statu saltem animæ in corpore non possunt operari. Ipsæ autem potentiæ intellectiuæ ordinantur ad sensitiuas eas dirigendo in suis operationibus, & tam istæ, quam illæ ordinantur ad compositum tanquam ad commune omnium finem, cuius gratia à natura sunt institutæ, & ideo compositum in se habet quasi domus quædam, vel familia, aut ciuitas benè constituta, in qua inferiores personæ ordinantur, vt superiorib. deseruiant, superiores verò vt inferioribus imperent, eosque dirigant in suis ministerijs, & operationibus.

102 Quantum ad rectum denique ordinem durationis spectat, potentię omnes eiusdem compositi nullum ordinem temporis inter se habent, nec aliqua est prior alia, vel alijs, sed simul sunt omnes, quia in eodem instanti temporis, in quo generatur viuens; emanant omnes potentiæ ad ipsum pertinentes, & in eodem instanti habent esse: quamuis in suis operationibus quædam prius alijs operentur, vt vegetatiuæ prius quàm sensitiuæ, & vegetatiuæ ac sensitiuæ prius quàm rationales, vt experientia notum est.

Solum restat ordo naturæ ac dependentię secundum genus causæ efficientis, & de hoc solo ordine procedit quæstio; nam quòd prædicti ordines reperiantur inter potentias modo iam explicato, certum est apud omnes.

103 Dubitamus itaque, an potentiæ, vel passiones per se immediatè emanent ab anima, vt vegetatiuę, sensitiuę, atque intellectiuæ, atque etiam singulæ species horum generum, & similiter omnes passiones à subiecto, vt in homine capacitas disciplinæ, admiratio, & risibilitas, vel non omnes per se immediatè, sed quædam medijs alijs, vt illæ, quæ videntur necessariò præsupponere alias in subiecto, vel actus earum, vt voluntas emanet ab anima medio intellectu, sicque de cœteris, eo quidem modo vt sicut prima producitur à generante medio subiecto efficienter concurrente, ita secunda procedat ab eodem subiecto media prima etiam effectiuè concurrente, & sic tertia media secunda, vel nullum concursum efficientem habeat vna circa emanationem alterius, sed essentia immediatum circa emanationem omnium.

104 Et prima opinio affirmat eodem modo emanare efficienter secundam potentiam à prima, ac emanat prima à subiecto, vt voluntas ab intellectu, sicque de cæteris. Ita videtur sentire D. Thom. 1. p. q. 77. art. 7. vbi secundum ordinem efficientis docet vnam potentiam emanare ab anima media alia, probatque hac ratione, in his, quæ secundum ordinem naturalem procedunt ab vno, sicut illud vnum est causa omnium, ita quòd est ei propinquius est quodam modo causa eorum, quæ sunt magis remota, sed potentiæ oriuntur ab anima, quæ ideo comparatur ad illas sicut principium actiuum æquiuocum, atque etiam finale, & consequenter tanquam quid perfectius ad imperfectiora: ergo inter potentias, perfectiores sunt propinquiores eidem animæ, & ideo comparantur ad imperfectiores per modum finis, & agentis: vnde sequitur has esse effectus illarum, & ex consequenti illis medijs tanquam efficientibus emanare ab anima. Secũdò probari potest ex passionibus, quarum vnam demonstramus à priori per alteram de subiecto, vt risibilitatem per admirationem, & hanc per capacitatem disciplinæ: ergo vna se habet alterã, vt causa, qua media, atq; effectiuè cõcurrẽte procedit à subiecto.

105 Nostra tamen sententia est, quòd si strictè, ac propriè loquendum sit de emanatione secundum ordinem efficientiæ, omnes potentiæ, omnesque passiones per se immediatè emanant à subiecto, & nulla mediante alia effectiuè concurrente.

corporeæ,& in ſubiecto corporeo inhærentes, nempe in aliqua parte determinata corporis,quæ vocatur organica,vt viſus in oculis. Aliæ ſunt potentiæ,quæ non operantur per organum corporeum,nec proinde in eo recipiuntur,& tales ſunt rationales, quarum ſubiectum proximum, & adæquatum eſt anima rationalis. Ex quibus ſequitur potétias organicas corrumpi in morte cuiuslibet viuentis,quia corrumpitur organum, quòd eſt proprium ſubiectum earum: potentias verò immediatè inhærentes animæ, atque in ea ſola, quales ſunt rationales, deſtructo compoſito permanere,ſicut permanet anima ipſa. Ita loquendum eſt de ſubiecto potentiarum,& permanẽtia,vel corruptione earum corrupto compoſito.

113 Sed qui eas non diſtinguunt realiter ab anima, ſed ſola ratione formali, vt Scot, & ſectatores eius, concedere tenentur permanere in anima ſeparata omnes potentias ſenſitiuas,& vegetatiuas, & expreſsè id concedit Scotus loco nuper citato. Quo autẽ pacto ſic permanentes non operentur, difficile explicare poſſunt;nam licet dicant ideo non operari, quia non permanent organa, quæ neceſſaria ſunt ad receptionem ſpecierum;Hoc non ſatisfacit,quia cum immediatè ſint in anima, tanquam in ſubiecto, vel potius realiter ſint anima ipſa, non videntur operari organa per illas, ſed anima immediatè, ſicut nos dicimus de potentijs rationalib.intellectu, & voluntate, eo ipſo quòd tenemus proximè inhærere animæ tãquam proprio ſubiecto;nam eo ipſo ſequitur non eſſe in organo corporeo immediatè,& ideo nõ operari per illud,ſed animam immediatè per ipſas, & propterea ſeparatam à corpore per eas operari ſine vlla indigentia organorum. Ex quo apparet falſum eſſe fundamentum, videlicet, quòd identificentur cum anima. Teſtimonia verò,atque rationes,quas affert idem Scotus in 2.diſt.17.q.3. ad probandum omnes potentias ſenſitiuas, & vegetatiuas permanere in anima ſeparata nullius momenti ſunt, nec vllam penitus difficultatem continent,& ideo conſultò eas omitto.

QVAESTIO VIII.

An vnitas,ac diſtinctio ſpecifica potentiarum vitalium deſumenda ſit ab actibus, & obiectis earum.

114 DVplicem cauſam potentiarum vitalium ex profeſſo diſcuſſimus in præcedentibus,efficientem videlicet,& materialẽ. Sed quia perfecta notitia cuiuslibet rei depẽdet ex quatuor generibus cauſarum, agendum reſtat de cauſa formali,atque finali, nam & ſi potentiæ, quia accidentia ſunt, non componantur ex materia, & forma, vt ex partibus intrinſecis, nihilominus ab aliquo debent ſpeciem ſumere, quòd ſit quaſi forma, & finis earum, de quo quærit titulus quæſtionis, an ſit actus, vel obiectum, aut vterque ſimul.

Et circa hanc quæſtionem fuit prima opinio Scoti in 2.diſt.16.q.vnic.aſſerentis,quod quamuis à poſteriori cognoſcamus nos vnitatem, & diſtinctionem ſpecificam potentiarum per actus,quos eliciunt circa obiecta propria,intrinſecam tamen ſpeciem non ab his extrinſecis deſumunt,ſed ex proprijs atque abſolutis, intrinſeciſque differentijs, ſicut res aliæ. Ita etiam ſentiunt Philopon. Apolin. & Paul. Venet. 2. lib. de anima ad text.33.Tienenſ.ad text.29 Iandunus q.7. & alij. Probant, quia potentiæ ſunt entitates abſolutæ; ergo habent eſſentiales differentias abſolutas: per quas ſpecies earum conſtituuntur,& diſtinguuntur, non ergo per ordinem, vel reſpectum ad actus, & obiecta, cum tam actus,quam obiecta ſint eis extrinſeca.

115 Secundò probari poteſt hoc modo; dari poſſunt potentiæ ſpecie diſtinctæ habentes actus,& obiecta eiuſdem ſpeciei; ergo non poteſt ſumi diſtinctio ſpecifica earũ ab actibus, & obiectis. Antecedens probo, quia potentiæ viſiuæ hominis, & leonis diſtinguuntur ſpecie: cum oriantur ab animabus, & animalibus ſpecie diuerſis, ſed vtraque verſatur circa idem obiectum viſibile, & ideo viſiones vtriuſque eiuſdem ſpeciei ſunt; ergo potentiæ ſpecie diuerſæ habent

actus,

actus, & obiecta eiusdem speciei. Probatur deinde, quia eadem potentia habet actus, & obiecta diuersa; ergo nec vnitas, nec distinctio earum potest sumi ex vnitate, vel distinctione actuum, vel obiectorū. Probatur antecedens, quia in intellectu diuersi actus sunt principiorum, & scientiæ, opinionis, & fidei, non solùm materiali ratione, sed formalissima: cum distinguantur per diuersa media assentiendi, quæ sunt immediata veritas principiorum, demonstratio, ac probabilis ratio, & testimonium. Et vrgeri potest, quia actus sunt posteriores potentijs, cũ sint effectus earum; ergo non potest potentia ab eis speciem capere. Probatur consequentia, quia non solùm actus, sed respectus ad illos præsupponunt potentiam in sua specie constitutam.

Secunda opinio affirmat *potentias tam vitales, quam eis inferiores sumere vnitatem, ac distinctionem specificam ex actibus, & obiectis.* Ita D. Thom. expressè 1. p. q. 77. art. 3. quem sequuntur sui omnes, Caietan & Bann. ibidem. Ferr. 2. lib. de anima q. 9. & omnes interpretes Arist. tam recentiores quàm antiqui ad text. 33. huius libri, præsertim Alex. Aphrodis. Ægidius, & Nimphus, estq; communis, & vera.

116 Probatur testimonio Arist c 4. huius lib text. 33. vbi acturus de potentijs animæ vegetatiuæ asserit, primo sibi agendum esse actibus, & obiectis earum, quia non possunt, nisi per hæc extrinseca definiri; ergo sentit habere intrinsecum ordinem ad illa. Probatur consequentia, quia non potest explicari per definitionem essentia potentiarum, nisi positis in ea actibus, & obiectis; ergo ordo, seu habitudo ad illa essentialis est potentiis, à qua proinde desument vnitatẽ, ac distinctionem specificam. Et si dicas solùm sentire Aristotil. per actus, & obiecta cognosci, ac definiri quo ad nos, probatur hoc esse falsum, & verbis eiusdem Aristotelis contrarium, quibus asserit ad inuestigandam, vel tradendam cognitionem scientificam potentiarum, prius esse assignandas definitiones earum, quas assignare impossibile est, nisi cognitis prius actibus, atque obiectis earum tanquam prioribus: sed cognitio scientifica innititur veræ definitioni explicanti naturam rei, ergo hanc sentit Aristoteles non posse tradi, nisi per actus, & obiecta potentiarum, & ex consequenti essentialem esse potentijs ordinem ad illa.

Probatur deinde ratione, quia potentiæ sunt quasi instrumenta animæ naturaliter ordinata ad tales actus eliciendos circa talia obiecta; ita vt pro diuersis actibus, & obiectis diuersæ sint à natura tributæ potentiæ viuentibus, atque etiam inferioribus substantijs; ergo ex sua natura, atque ratione intrinseca ordinantur ad actus, & obiecta, & pro illorum diuersitate diuersa sunt.

117 Probatur consequentia ex instrumentis artium: nam diuersæ artes diuersa postulant instrumenta, & hæc diuersa sunt inter sese, quia diuersis actibus deseruire apta sunt, vt patet de instrumentis fabri ferrarij, & pictoris, intrinseca igitur est habitudo instrumentorum cuiuslibet artis ad vsum, atque exercitium illius artis, & consequenter ad actus, & obiectum eius, & per diuersam hanc habitudinem distinguuntur specie. Pari ergo ratione de instrumentis naturalibus, qualia sunt potentiæ, fatendum est talia esse à natura instituta pro talibus actibus circa talia obiecta elicienda, & consequenter essentialem eis esse habitudinem ad illa, & per habitudinem diuersam distingui specie.

118 Secundò, ordo, seu habitudo ad propriam finem, cuius gratia res constituta est, pertinet ad essentiam eius, vt si de homine loquamur, essentialis est ei capacitas beatitudinis in operatione consistentis: sed operatio circa tale obiectum est finis, cuius gratia constituta est à natura potentia; ergo habitudo ad illam est ei essentialis Minorem probo, quia potẽtiæ datæ sunt animæ gratia operationum, nempe vt per illas eliciat operationes circa obiecta (ad alterum enim finẽ eis non indigebat) intẽdit igitur natura per potentias operationes circa obiecta; quare istæ erunt proprius finis, in quem sua natura ordinantur.

119 Hæc autem sententia non est sic intelligenda, vt ab actibus, & obiectis sumatur vnitas, & distinctio potẽtiarum, quasi actus ipsi, vel obiecta sint de essentia earum: nam cùm actus, & obiectum sint res aliæ, non solùm distinctæ à potentijs: sed alterius prædicamenti, non possunt essentiales eis esse, sed prorsus sint eis extrinseca. Sed habitudo, seu respectus ad actus, & obiecta intrinsecus, atq;

essentialis est potentijs, & in proprijs differentijs essentialibus earum importatus. Potentiæ itaque qualitates absolutæ sunt in secunda specie qualitatis collocatæ, non tamē ita sunt absolutæ, quin includant intrinsecum respectum ad actus, & obiecta in proprijs differentijs: eiusmodi autem respectus non sunt relationes prædicamenti ad aliquid: sed cùm sint de essentia absolutorum, ad speciem, & prædicamenta eorum pertinent.

Sed adhuc est adnotandum secundò ex D.Thom. 1. p. q. 77. art. 3. duplicem esse potentiam, actiuam, & passiuam: actiua est illa, quæ sine passione, aut receptione præcedente operatur, vt nutritiua, & generatiua. Passiua verò potentia non dicitur talis in hac parte, quia solùm sit ad patiendum, vel recipiendum, hæc enim purè passiua est, & non vitalis, vt potentia materiæ ad recipiēdam formam: sed passiua vocatur, quia actionem eius præcedit passio, non quidem propria (quam corruptiuam vocant) sed pro sola receptione etiam perfectiua subiecti, & talis est omnis potentia cognoscitiua, siue sensitiua, vel intellectiua sit.

120 Vtraque autem potentia respicit actum, & obiectum diuerso tamē modo: nam potentia actiua respicit illud tanquam finē, vel terminum per eā productum, vel etiam tanquam materiam circa quam operatur, quo pacto asserit Aristoteles c. 4. huius libri alimentum esse obiectum potentiæ nutritiuæ, quæ etiam habet pro obiecto per modū finis, aut termini producti partialem substantiam viuentem. Potentia verò passiua potius respicit obiectum tanquam principium motiuum, seu effectiuum ad operandum. Vtraque igitur suo modo habet intrinsecam habitudinem, seu respectum ad actum, & obiectum: sed actum respicit proximè, & quasi remotè obiectum, vtrumque verò per se, & essentialiter, & ideo per ordinem ad vtrunque sumit vnitatem, & distinctionem specificam.

121 Ad primum argumentum oppositæ sententiæ distinguenda est maior, quòd potentiæ sint entitates absolutæ: nam si velit omnino esse absolutas sicut substātia est; ita vt nullum prorsus respectum transcendentalem, aut secundum dici in sua essentia importent, falsa est: si vero intelligatur esse accidentia, aut entitates absolutas; ita vt non sint relatiua prædicamenti ad aliquid, nihil prętęr relationem essentialiter importantia, verum est: sed nihil probat contra nostram sententiam, quia licet sint entitates prædicamenti absoluti, imperfectæ quidem, & quarum essentia per quosdam respectus intrinsecos ad actus, & obiecta completur.

Tertium argumentum priusquàm secundùm soluendum est, cui hac distinctione fit satis, actus alicuius potentiæ duplices sunt adæquati, atque inadæquati, actus adæquatus est vltra quem non se extendit potentia: sed ad illum tantum, hoc est, non ad alterū diuersæ rationis: sed omnes, quos habere potest eiusdem sunt rationis specificæ, vt generatio hominis censetur actus adæquatus potentiæ generatiuæ eius, quia licet plures possit habere actus generandi, omnes sunt eiusdem rationis specificæ, sicut homines ipsi, quos potest generare: actus verò inadæquatus est vltra quem potest se extendere potētia, hoc est, ad alterum diuersæ speciei, & dicuntur inadæquati, quia nullus per se adæquatur potētiæ: & tales sunt, quos potest habere intellectus, nempe principiorum, & scientiæ, fidei, & opinionis, nullus enim horum per se adæquatur potentiæ: sed vltra eū potest se extendere ad alterum diuersæ rationis specificæ.

122 Dum ergo dicimus potentiam sumere speciem ab actu, de adæquato intelligimus, nō de inadæquato; adæquatum verò constituere censentur inadæquati omnes secundum vniuersalissimam rationem adęquatam potentiæ in qua conueniunt considerari, & hæc ratio sumitur ex modo, quo eliciūtur à potētia sub tali ratione immutationis ab obiecto, vt inferius explicabitur. Aliud verò quòd additur, videlicet actus esse posteriores potentijs tanquam effectus earum, distinguendum est: nam in genere efficiētis causæ verum est, falsum verò in genere causæ finalis, quia in eum finem concessa est potentia subiecto: vt per eam eliciat tales actus per quos se perficiat, quare actus est finis potentiæ: & cùm causa finalis sit prior efficiente, ac cœteris, priores sunt actus potentijs: ideo per ordinem ad illos speciem accipiunt.

APPENDIX.

DVBIVM.

An potentia visiua hominis, & leonis distinguantur specie.

SEcundum argumentum dubium illud tangit, an potentia visiua hominis, & leonis sint diuersæ speciei, vel eiusdem. Cui respondet Caiet. 2. lib. de anim. c. 10. in princ. & 1. p. q. 77. art. 1. vbi eum sequitur Bannez in sol. ad 1. dub. 2. quòd istæ potentiæ possunt dupliciter considerari, videlicet vt proprietates diuersarum specierum, & hoc modo sunt diuersæ speciei, aut in ordine ad actum, & obiectum visibile, quo pacto ait esse eiusdem speciei.

123 Hæc tamen sententia probatur falsa, primò, quia species potentiarum, vt potentiæ sunt, sumitur ab actibus, & obiectis, ad quos per se ordinantur: ergo si hoc modo sunt eiusdem speciei, vt conceditur, repugnat distingui specie in ordine ad principia. Quia etiam in ordine ad principia sunt potentiæ ab eis emanantes pro talibus actibus eliciendis circa talia obiecta: ergo si vt potentiæ sunt eiusdem speciei, non possunt in ordine ad principia distingui specie. Secũdo, entitas potentiæ non habet aliud, quàm esse instrumentum naturale animæ in ordine ad finem operandi circa obiectum, & huius rei gratia emanat ab anima; ergo vnicã habet speciem ex ordine ad actum, & obiectum desumptam, & non aliam ex emanatione à tali principio: cùm ex emanatione ab eo nihil aliud habeat quàm esse instrumentum vitale ad talem actum, & obiectum ordinatum. Apertè ergo falsum est, & sine fundamento aliam speciem ei tribuere ex emanatione a principio; quare si in ordine ad actum, & obiectum sunt eiusdem speciei visiuis hominis, & leonis, non possunt ex alia consideratione distingui specie. Et tandem, quia ex emanatione à diuerso principio nõ benè colligitur distinctio specifica earum, cùm non emanent ab eo, vt diuerso specie; sed vt idem genere: nam potentia visiua hominis non emanat ab anima rationali, vt rationalis est, vel ab homine, vt est homo: sed ab anima, vt sensitiua, & ab homine secundum naturam sensitiuam: sed anima rationalis, vt sensitiua non distinguitur ab anima leonis, etiam vt sensitiua, nec homo, & leo, vt sunt animalia: sed sub tali gradu tam animæ, quàm composita sunt eiusdem rationis genericæ; ergo principium à quo emanant, vt tale eiusdem rationis est; quare falsum est, quòd emanent à diuerso principio, & quòd ex ordine ad diuersum principium, à quo emanant, distinguantur specie.

Ad primum argumentum negandum est antecedens, quod dari possint potentiæ specie distinctæ, quæ versentur circa idem obiectum formale, & habeant actus eiusdem speciei, & cùm hæc habeant potentia visiua hominis, & leonis, falsum est, quòd vllo modo distinguantur specie.

QVAESTIO IX.

Quonam modo assignari debeat cuique potentiæ actus adæquatus, propriumq; obiectum, per quòd distinguatur specie ab alijs.

124 EX definitis quæst. præcedente solùm in communi constat à quonam vnitas, & distinctio specifica potentiarum desumenda sit, non verò in particulari, quænam potẽtia sit distincta specie ab alia. Ideo explicare oportet, quonam modo assignandus sit cuique potentiæ proprius actus adæquatus, propriumque obiectum: per quæ specie distincta ab alijs intelligatur, hoc. n. valde difficile est, & ideo specialem quæstionem postulat. Et priusquam diuersa autorum placita afferamus, excludi debet modus quidam dicendi Ianduni vbi supra asserentis, pro distinctione reali obiectorum circa quæ versantur potentiæ, specie distinguẽdas esse. Vnde ait tot distingui potentias visiuas, quot sunt colores diuersi, & sic de cœteris. Quòd satis apertè falsum esse constat in potentijs spiritualibus, nempe intellectu, & voluntate, quas nemo multiplicat, & ta-

men versantur circa innumeras penè entitates diuersas, pro quarum diuersitate si multiplicandæ forent iuxta regulam huius autoris, innumeros penè oporteret intellectus, innumerasque voluntates in singulis hominibus ponere.

125 Hoc igitur modo dicendi excluso, aliam regulam ponit Tolet. pro distinctione singularum potentiarum, q. 8 huius libri sic inquiens. Quotiescunque dubitamus de aliquibus actibus, an pertineant ad eandem potentiam, vel diuersæ sint pro singulis potentiæ distinguendæ, considerandum est, an eo ipso, quod ab aliquo eorum impeditur subiectum, propter læsionem organi, vel aliud impedimentum eo ipso priuetur cæteris, vel non: sed etiam si ab illo vno eliciendo impediatur, nihilominus possit cæteros elicere. Et si modo priori res se habeat ad eandem potentiam iudicandum est pertinere omnes, & per rationem omnibus communem, tanquam sibi adæquatam distingui specie à cœteris potentijs. Si verò modo posteriori, ad diuersas potentias pertinebunt. Hanc tamen regulam nec omninò certam, nec firmam iudico, propter duo. Primum est, quia inter obiecta eiusdem potentiæ constat quædam esse excellentiora, ac perfectiora alijs, vt lux inter obiecta visus, & inter colores albedo, & ex alia parte ratione sensibilis communis, cui adiungitur necessariò proprium, vt percipi possit, contingit quædam esse minutiora, quædam etiam magis proportionata debilitati, aut imperfectioni potentiæ, vt contingit in intellectu, respectu cuius quædam sunt veritates vniuersaliores, & quasi omnibus peruiæ, quas ideo rudes etiam homines facilè percipiunt; ob quas causas aliquando contingit potentiam visiuam, aut intellectiua non posse percipere quædam visibilia, aut intelligibilia: cùm tamen possit alia, & nihilominus ad easdem potentias iudicantur pertinere omnia; fallit ergo regula assignata.

126 Præterea in potentijs subordinatis videtur manifestum, quia eo ipso, quod aliquis priuatur actibus sentiendi, necesse est priuari actibus intelligendi: cùm nihil possit intelligere anima informans corpus, nisi medijs sensibus, & eo ipso, quòd priuatur, vel impeditur ab actibus externorum sensuum, necesse est priuari actibus sensuum internorum. Et tandem eo ipso, quòd priuatur, vel impeditur ab actibus intellectus, necesse est priuari actibus voluntatis, & tamen constat, intellectum, & voluntatem, sensus, & intellectum, atque etiam sensus externos, & internos esse distinctas potentias: ergo regula assignata non est sufficiens ad cognoscendam distinctionem potentiarum.

Nostra sententia duo asserit, primum, *ad desumendam vnitatem, ac distinctionem specificam potentiarum præsupponendam esse distinctionem genericam superius explicatam ex diuerso modo operandi, aut tendendi in obiectum.* Videlicet ex determinatione ad vnum sine cognitione, qui modus si à principio vitæ, quòd est anima, non procedat, constituit genus potentiarum vitalibus inferiorum, si verò à principio vitæ, constituit infimum genus potentiarum vitalium.

127 Modus verò operandi cum cognitione sensitiua constituit secundum genus potentiarum sensitiuarum, & modus intellectiuæ cognitionis constituit tertium, modus verò operandi per modum attractionis ab obiecto per cognitionem proposito, constituit quartum potentiarum appetitiuarū. Et tandem modus operandi in ordine ad locum supposita cognitione, & appetitu, constituit genus potentiæ motiuæ secundùm locum, in viuentibus quidem corporeis, nam de spiritibus alia erit fortè ratio. Hæc distinctio generica potentiarum secum affert, vel simul probat distinctionem realem earum, quia non est possibile, in creaturis præsertim corporeis adeo limitatis ex sua inferiori conditione eandem substantiam per vnū, atque idem instrumētum reale modos adeo diuersos operandi exercere, sed pro singulis singula postulat instrumenta, seu potentias distinctas, vt ex instrumentis artis probauimus.

Secundum quod asserimus est, *potentias distingui specie sub eodem genere per obiecta formalia diuersa, hoc est secundum specialem modum mouendi, aut immutandi potentiam desumpta.* Hæc est enim vltima ratio formalis obiecti sub qua potentia versatur circa illud, & ideo per actum, qui versatur circa obiectum diuersum, hoc est, diuerso modo immutans potentiam, distingui debent potentiæ specie.

128 Itaque idem modus immutandi, seu mouendi potentiam constituit obiectū sub vna,

vna, & eadem ratione formali obiectiua adæquata postularis vnam, & eandem potentiam circa illud operantem: vnde fit, vt omnia obiecta, quibus conuenit talis ratio motiua potentiæ, pertineant ad eandem potentiam, quantumcunque diuersa sint specie, vel genere secundum proprias naturas. Nam secundum eas accepta materialia obiecta censentur, nec ad potentiam pertinent, nisi vt sub tali ratione motiua, aut immutatiua accipiuntur, quæ si vna, & eadem sit, omnia illa obiecta quantumlibet diuersa secundum proprias naturas, vt sub ea contenta censentur eiusdem rationis, & propterea possunt, ac debent ad eandem potentiam pertinere.

129 Hanc autem rationem motiuam, aut immutatiuam potentiæ prius explico. Dein de probabo per illam esse distinguendas potentias. Explicatur autē in sensibus, & in intellectu hoc modo, ratio immutatiua obiecti visibilis est, quod aptum sit tali modo vniri potentiæ visiuæ ad eliciendam simul cum ea visionem, videlicet per aliquam extrinsecam illuminationem sui ipsius aut medij, per aliquod medium extrinsecum, & cum alijs cōditionibus huic sensui proprijs, ex quibus intelligitur specialis modus, quo visibile aptum est immutare visum, diuersus a modo, quo sonus immutat auditum, & alia obiecta immutant alios sensus, qui in intellectu non est minus manifestus.

Nam intellectus animæ in corpore existentis aptus est immutari ab obiecto per phantasmata, & ideo quæcumque obiecta materialia conueniunt sub hac ratione formali immutandi intellectum, & propterea ad eandem potentiam intellectiuam pertinere debent.

Hæc autem ratio formalis obiectiua immutandi potentiam in primis eò est vniuersalior, & plura, ac magis diuersa obiecta materialia comprehendit, quo perfectior est potentia, hoc est, minus materialis, quia materialitas limitat potentiam.

130 Deinde quælibet particularis ratio immutatiua vna est vnitate speciei atomæ, vt oportet ad constitutionem vnius potentiæ specificæ, & sub illa conueniunt omnia obiecta, conuenientia etiam atomæ speciei, quāuis contingat secundum proprias naturas esse genere, aut specie diuersa, quia talis conuenientia obiectiua, quasi ratio extrinseca eorum est, & ideo non tollit diuersitatem intrinsecam naturarum.

Ab hac igitur ratione formali obiectiua, aut immutatiua potentiæ, & ab actu, qui circa illam versatur desumenda est distinctio specifica potentiarum. Quod sic probo: potentia specificatur ab actu, & obiecto, vt probauimus, non ab obiecto materiali: cùm euidenter constet eandem potentiam versari circa plura, atque diuersa obiecta materialia, ergo ab obiecto formali, & actu, qui circa illud versatur, sed ratio formalis obiectiua est ratio immutandi potentiam: ergo ab ea sumitur species, & per diuersas rationes immutandi distinguentur specie potentiæ, & ex consequenti per actus, qui circa illas versantur. Minorem probo, quia cætera per se patent, obiectum comparatur ad potentiam passiuam, tanquam principium motiuum, aut immutatiuum eius (vt quæstione præcedente ostendimus distinguentes potentias actiuas, & passiuas) ergo ratio formalis obiectiua est ratio mouendi, aut immutandi potentiam, & diuersa ratio immutandi est diuersa ratio formalis obiectiua, & adæquata quidem: cùm comprehendat omnia, quæ possunt immutare talem potentiam, & ab ea percipi.

131 Secundò, quia potentia sumit speciem ab actu formali, & adæquato, tanquam ab aliquo priori sed cùm sit finis eius, & actus est talis speciei ratione obiecti prioris eodem actu, atque potentia, vt docuit expressè Aristotel. cap 4. huius libri in principio: ergo de primo ad vltimum species potentiæ sumitur ab obiecto, in quantum tribuit speciem formalem, & adæquatam actui, vt quid prius eodem actu, & potentia, sed totum hoc habet obiectum vt immutatiuum, aut motiuum eiusdem potentiæ: ergo ab eo vt tali sumit potentia speciem, & ex diuerso obiecto, & immutatiuo distinctionem specificam.

Probatur minor, quia tale obiectum, talimodo immutans potentiam, est principium determinans ipsam ad actum talis speciei, & prius vtroque, videlicet, actu, & potentia: cum sit finis eorum, vt per se est manifestum.

Ex quibus infero non esse necessarium ad distinguendas specie potentias, prius, vel aliunde probare distinctionem realem earū vt recentiores quidā docēt, seu si rectè probetur

betur distinctio specifica ex actu,& obiecto formali iuxta mentem Aristotelis,&D.Th. (generica etiam distinctione præsupposita) vt probata a nobis est per diuersam rationem motiuam, seu immutatiuam potentiæ, simul probatur efficaciter distinctio realis.

132 Itaque concedimus non posse assignari singulis potentijs proprios actus adæquatos, propriaque obiecta formalia adæquata, a quibus sumatur distinctio specifica earum, nisi distinguantur realiter eædem potentiæ, & ideò nec poterit probari distinctio specifica, nisi probetur realis, quia eo ipso quòd idem realiter sint, quantumcumque assignentur diuersi actus,& obiecta formalia, facilè negari potest distinctio specifica potentiarum si dicatur actus illos inadæquatos esse, illaque obiecta formaliter diuersa etiam inadæquata,ab actibus verò, & obiectis inadæquatis, quia quasi partiales sunt, non potest distinctio specifica sumi: vnde eadem potentia plures actus inadæquatos elicere potest circa plura, ac diuersa obiecta formalia inadæquata.

Negamus verò hanc distinctionem realem prius esse probandam, vel alio medio proprio distincto, aut præsupposito,sed si recte assignetur distinctio actuum,& obiectorum potentijs eiusdem generis,eo ipso probari vtrumque, videlicet distinctionem specificam,& realem.

133 Et ratio,quæ me mouet ad id asserendum, in primis est, quia si non probaretur vtrumque ex debita assignatione actus, & formalis obiecti, insufficiens esset doctrina Aristotelis asserentis potentias distingui specie per diuersos actus, diuersaque obiecta nulla prorsus mentione facta distinctionis realis.

Quod si non sufficit distinctio specifica actus, & obiecti, nisi probata prius distinctione reali, insufficienter assignasset modus eas distinguendi.

134 Moueor secundò, quia præsupposita distinctione generica, aut vnitate, ex eodem vel diuerso modo operandi desumenda, & assignata obiectorum diuersitate sub diuersa ratione motiua, aut immutatiua potentiarum, ac diuersitate actuum sub diuersis rationibus motiuis tendentium in ipsa, efficaciter satis probatur distinctio realis potentiarum simul cum specifica, ita vt locum non habeat subterfugium illud de diuersis actibus, & obiectis inadæquatis, quia specialis ratio immutatiua ex se est adæquata speciali potentiæ, & ex se eam postulat,& ex se includit realem distinctionem, quod non solum ostenditur in potentijs vniuersalioribus intellectus, & voluntatis, sed etiam efficaciter in externis sensibus inter se comparatis, quia eo ipso, quod obiectum visibile diuerso modo mouet, aut immutat visum, postulat pro tali modo speciali immutandi potentiam in tali organo, talibus dispositionibus affecto, nimirum luce, transparentia, & alijs, & ideò longè diuersum ab organo auditus, quod organum sic diuersum ab eodem organo visus, & aliorum sensuum postulat diuersus modus immutandi soni, vel audibilis, & pariter probatur in obiectis aliorum sensuum externorum,& internorum.

Diuersitas autem organorum realem distinctionem potentiarum in eis residentium euidenter includit: ergo nulla est necessitas probandi prius realem distinctionem, vt fiat assignatio actus, & obiecti adæquati cuiuslibet potentiæ, per quod distinguatur specie ab alia, sed sic probata distinctio specifica eam necessariò includit.

CAPVT IV.

TEXTVS ARISTOTELIS.

Necessarium autem est eum, qui de his perscrutationem facturus est, &c.

Breuis expositio Textus.

1 EGit capite præcedente Aristoteles de potentijs vitalibus in communi, in præsenti vero incipit agere de eisdē potentijs in speciali: & quia anima vegetatiua communior cæteris est, vtpote omnibus viuentibus conueniens, consequenter potentiæ eius sunt communiores, & ideo nobis notio-

tiores. & propterea prius de his agendum esse docet, quàm de sensitiuis, & intellectiuis. Intentum itaque huius capitis est de potentijs animæ vegetatiuæ disserere.

Diuiditur autem in tres partes. In prima propositis his, de quibus acturus est, docet vegetatiuam animam, potentias eius, actusque earundem potentiarum communes esse omnibus viuentibus. In secundò asserit, & probat animam vegetatiuam, & consequenter cæteras triplex genus causæ exercere in corpore, formalis, finalis, atq; efficientis, reprehenditq; Empedoclem, Democritum, & Leucippum, quod causam augmentationis, & nutritionis viuentium non benè assignauerint.

2 Et tandem differit de alimento tanquã de proprio obiecto nutritiuæ potentiæ. Principio igitur probat, quod potentiæ animæ vegetatiuæ communes sint omni viuenti: quia anima ipsa vegetatiua omnibus conuenit, vt duo eius officia euidenter ostendunt, nempe nutrire, & sibi simile generare, quod naturalissimum opus viuentium esse docet, non quidem omnium, sed perfectorum, in quibus tres conditiones concurrere debent, per quas ab imperfectis, (quibus non conuenit generare sibi simile) distinguuntur.

Prima, quod perfectæ ætatis sint, defectu cuius, dum viuere incipiunt, non generant.

Secunda, vt non sint mutila, sed competentibus membris prædita, nec vllo naturali vitio impedita.

3 Tertia, vt non sint sponte genita, hoc est, ex sola putri materia, & non ex semine; nam ex his, quæ primo modo fiunt, plura reperiuntur facultate generandi sibi similia destituta, vt de vermibus constat. His igitur, quibus tres istæ conditiones competunt, naturalissimum opus est generare sibi simile (inquit Aristoteles) quia per talem generationem consequuntur perpetuitatẽ quandam, in qua diuinæ naturæ ex propria sua ratione æternæ assimilantur, licet enim non possint esse perpetua in indiuiduo, quia natura corruptibilia sunt, efficiunt saltẽ propriam speciem perpetuam per continuatam generationem sibi similis, per quam indiuidua, quæ quotidie pereunt, reparantur, & ita salua semper manet species in his, vel alijs indiuiduis.

4 Docet deinde Aristot. in 2. parte capitis vegetatiuam animam, & pariter cæteras triplex genus causæ exercere in eadem generatione, formale quidem: cum sit forma generantis, & geniti, a qua habent esse specificum: est etiam finis generationis proximus, nam propter animam introducendam per generationem præparat natura, atq; disponit materiam tantaq; organorum varietate ornat, vt per ea possit proprias operationes exercere: Et tandem est causa efficiens, quia omnes operationes viuentis propriæ procedunt ab eadem anima vegetatiua tanquam a principio efficiente intrinseco, quas ad duas reducit, nempe generare, & alimento vti ad nutriendum, & augendum viuens genitum.

Ex quibus constare ait, quam fuerint reprehensione digni antiquiores Philosophi non bene assignantes causam nutritionis, & augmenti viuentium. Atque in primis Empedocles, qui aiebat causam augmenti plantatum esse elementa, eo quidem ordine, vt inferior pars earum, nempe radices à terra ipsa cui adhærent, augeantur, rami verò tanquam superior earum pars ab igne sursum tendente, atq; degente.

5 In quibus duo errores continentur: prior in eo, quod inferiorem, & superiorem locũ in plantis non rectè assignabat, quia radices non tenent inferiorem locum (vt dicebat) sed superiorem, vt constat ex animalibus: nam cùm per radices alimentum plantæ capiunt, sicut per os animalia, radices plantæ correspondent ori animalis, sed os animalis est superior pars eius: ergo radices in planta pars quoq; superior erunt.

Error posterior est, quod causam augmenti viuentium esse elementa afferebat, quod sic probatur falsum: quodlibet elementum naturalem habet inclinationẽ ad proprium locum, & elementa contraria ad loca contraria: ergo non possunt in viuente consistere nisi ab aliquo contineantur, ac vnita detineantur, alioqui in propria loca tenderet, & per tendentiam separabuntur, & per separationem viuens ipsum destruẽt, illud autem, a quo continentur, nobilius est, & proinde ei debet augmentum tribui, & non elementis, hoc verò absque dubio est anima, quæ vnita corpori mixto per informationem, elementa ipsa, quibus constat, dicitur continere.

De-

Deinde reprehendit Leucippum, & Democritum, qui nutritionem viuentium tribuebant igni, vt causæ eius, ex eo, quod inter elementa omnia maximè nutriri, & augeri videatur, & ideò esse causam augmenti aliorum omnium, quia quod est maximè tale in genere aliquo, causa est aliorum omnium eiusdem generis. Quod probat esse falsum, tum quia augmentum ignis non habet certum terminum, sed in infinitum abire potest, augmentum verò viuentium ex propria eorum perfectione certum postulat terminum, quia membra corporis viuentis determinatæ magnitudinis esse debent, vt per ea opera vitæ exercere anima possit: nam tā magna esse possent, vt non possent ab ea moueri. Tum etiam, quia determinatio magnitudinis per augmētum acquirendæ non debet materiæ tribui, sed formæ: hoc est, aīæ tanquam nobiliori, ad materiam verò corporis pertinere ignem notum est, cū ex eo, & alijs elementis tanquam ex materia fiat mixtum.

6 Explicata ratione vegetatiuæ animæ asserit Arist. explicare oportere potentiam vegetandi ei propriā ex proprio obiecto eius, quod est alimentum. Et propterea in extrema parte capitis agit de alimento, cuius naturam dubio quodā proposito, ac soluto declarat. Est autem dubium, an alimentum simile sit rei nutriendæ, nempe viuenti, aut dissimile, atque contrarium, & quosdam tenere ait, simile esse oportere, quia si contrarium sit, non nutriet, sed destruet potius corpus viuens, quia vnum contrarium alterum destruit. Alios verò opposito asserere dissimile potius, atq; contrarium esse oportere, quia nihil propriè patitur, nisi a suo contrario, sed constat alimentum pati a viuente, a quo decoquitur, & ideò immutatur, imò tandem corrumpitur: ergo contrarium ei debet esse alimentum. Hac tamen distinctione veritatem esse explicādam docet, vt in principio nutritionis antequā alimentum digeratur, & in substantiam aliti conuertatur, dissimile, & contrarium esse oporteat: sed in fine dum iam est decoctum, atq; conuersum omninò simile: cum eandē formam, nempe animam suscipiat.

7 Et ita vtramque sententiam in concordiam redigi posse, si de alimento diuersis temporibus considerato intelligantur.

Sed vt ratio eiusdem alimenti clarius pateat, tribus modis cōsiderari posse affirmat: primo vt substantia est, & hoc modo consideratum est obiectum nutritionis, non enim potest nutriri viuens, nisi ex aliqua substantia: cum continua deperditio substantiæ ex actione caloris naturalis non possit nisi per conuersionem substantialem alimenti, per quam alia substantia acquiratur, reparari. Secundò consideratur, vt quantum, & sic est obiectum augmentationis, nam augmētum per acquisitionem maioris magnitudinis fieri debet. Tertiò sumitur tanquam quid superfluum ex nutritione, & augmento, & ita pertinet ad generationem, quia ex superfluo alimento fit semen, quod materia generationis est. Ex quibus colligit definitionē potentiæ nutritiuæ, atq; etiam vegetatiuæ animæ.

8 Et potentia nutritiua (inquit) est *Virtus animæ vegetatiuæ, per quam viuens in quantum viuens se conseruat*. Præter nutritiuam verò potentiam tria asserit concurrere ad nutritionem, nempe animam vegetatiuam, tanquam principium efficiens eius, principale quidem, quod media potentia nutritiua, tanquam instrumento nutritionem efficit. Alimentum tanquam obiectum, aut materiam, circa quam agit anima, vt per conuersionem eius nutriat corpus. Et corpus ipsum tanquā id quod nutritur. Animam autem vegetatiuam perfecti viuentis sic definit. *Est principium generandi tale, quale ipsa habet*.

9 Principium quidem principale, quod per potentiam generatiuam, tanquam per instrumentum efficit generationem. Hac similitudine tandem naturam nutritionis declarat, sicut enim (inquit) nauta duobus gubernat nauem, manu, & gubernaculo, ex quibus eadem manus mouetur ab eodem nauta, sed mouet gubernaculum, hoc verò non mouet iam aliquid aliud, quod sit instrumētum, sed proximè nauem: ita anima duobus vtitur ad nutritionem perficiendam, nempe calore, & alimento, & calore quidē, quasi eum mouendo, & calor ipse mouet, aut alterat alimentum, idem verò alimentum nihil aliud mouet, quod sit intermedium ad mouendum aliud.

TRA-

TRACTATVS DE Potentijs animæ vegetatiuæ, & actibus eius.



Vcusque egit Aristoteles de potentijs animæ in genere; iam verò incipit agere de eisdem in specie, & primò de potentijs animæ vegetatiuæ, quia vniuersaliores sunt, & cunctis viuentibus communes; nos igitur Aristotelicum sequentes ordinem, tractatum de eisdem instituimus, & ideò quærimus primò de nutritiua potentia eius.

QVAESTIO I.

An potentia nutritiua consistat in temperamento primarum qualitatum, aut in solo calore naturali, vel alia sit qualitas superior, ac nobilior primis, & temperamento earum.

1 ET in quæstione hìc tanquam certum præsupponendum est, necessarias omninò esse primas qualitates, aut temperamentum earum ad nutritionem, & cętera officia vegetatiuæ animæ exercenda, ad quæ eleuantur ab eadem anima vegetatiua tanquam instrumenta, vt docet expressè Aristoteles 2. lib. de generatione animalium, cap. 4. præsertim circa medium, & D. Th. 1 par. quæst. 77. art. 1 Et probatur primò ratione vniuersali, quia viuens est corpus mixtum: ergo indiget quatuor primis qualitatibus ad sui generationem, conseruationem & operationes.

Secundo ratione speciali, quia nutritio est conuersio alimenti in substantiam aliti, quam conuersionem necessariò precedere debent plures aliæ actiones per quas disponitur idem alimentum, quas notum est exercere animam medijs primis qualitatibus.

11 Ad dispositiones etiam eiusdem alimenti, vt in substantiam conuertatur, cum primis pertinet tẽperamentum viuenti proprium, & connaturale, quod præsupponi debet ad introductionem animæ in materia: ergo vt fiat nutritio necessarius est concursus quatuor primarum qualitatum. Ex quo infero falsam esse, vel certè diminutam sententiam Galeni lib. 3. de causis symptomatum, c. 30. Auicennæ fen. 1. 1. parte, doctrina 6. c. 31 atque etiam Valesij 5. lib. controuers. medic. cap. 11. qui totam efficientiam instrumentalem soli calori tribuunt. Licet enim præcipuus sit calor in concursu dispositiuo, atq; etiam instrumentali, & propterea Aristoteles sæpe ei tribuat concoctionem alimenti, cæterasq; actiones, per quas disponitur, omnes tamen quatuor qualitates concurrere docet loco citato, & pluribus alijs.

Hoc supposito, difficultas quæstionis in hoc est posita, an præter temperamentum primarum qualitatum, aut præter calorem præcipuè concurrentẽ ad disponendum alimentum, ponenda sit alia qualitas nobilior, ac superior, quę sit potentia nutritiua, vel calor ipse, aut temperamentum sit nutritiua potentia.

Et prima opinio tenet potentiam nutritiuam non esse aliam qualitatem distinctam a calore naturali, sed calorem ipsum, vel temperamentum esse potentiam nutritiuam, a

qua

qua tanquam ab instrumento animæ vegetatiuæ fit conuersio alimenti in substantiam aliti, quam vocamus nutritionem. Ita Comment.4.metaph.c.2. Zima Theoremate 73.& cum his recentiores quidam non vulgaris authoritatis.

Præsupponit autem hæc sententia calorem naturalem viuentis nõ esse distinctum specie a calore elementari, nec proinde in eodem viuente esse distinctum numero ab eo, sed eundem, quod licet nõ sit certum, sed in opinione positum, est tamen probabilius, & doctrinæ Arist. magis consentaneum, sed medicis relinquendum, a quibus ex proprio instituto disputatur.

12 Hoc præsupposito, probant primò testimonijs Aristot. calori naturali tribuentis concoctionem alimenti, ita habetur in fine huius capitis text.50. his verbis: *Omne autem alimentum necessarium est concoqui posse, operatur autem concoctionem calidum, vnde omne animatum habet calorem*. Imò augmentationem ipsam ei tribuit, & ex consequenti nutritionem, in lib.de sensu,& sensibilibus cap.4 post medium, his etiam verbis: *Calidum enim augmentat, & struit nutrimentum*. Et 3. lib. de part anim cap.6. circa finem. *Calor enim est, quod vim obtinet augendi*. Sed constat non posse ei tribui tanquam præcipuæ causæ: nam hæc est anima: ergo tanquam virtuti, ac potentiæ eius.

Probant deinde ratione primò, quia temperamentum primarum qualitatum est sufficiens dispositio ad introductionem cuiuslibet formæ mixti: sed anima est quædam forma mixti: ergo ad introductionem eius sufficit temperamentum connaturale viuenti.

13 Vlterius nutritio est introductio vegetatiuæ animæ in materia alimenti: ergo sufficienter, atque vltimò erit disposita per tale temperamentum, ad quod producendum sufficiunt primæ qualitates. Vnde sequitur esse etiam sufficientem virtutem animæ ad nutritionem.

Probatur consequentia, quia vltimam dispositionem consequitur naturaliter forma: ergo quod potest producere vltimam dispositionem, & eo modo, quo potest, debet ei tribui introductio formæ: quare non est necessaria alia qualitas pro nutritiua potentia.

Secundò, ad vnam, eandemque operationem sufficit cum præcipua causa vnicum instrumentum: duo verò, aut plura superuacanea sunt: sed nutritio vnica est operatio animæ vegetatiuæ: ergo ad eam præstandam sufficiet vnicum eiusdem animæ instrumentum: sed hoc est calor naturalis, vel temperamentum: ergo sufficiet cum anima ad talem operationem, & ita erit potentia, seu virtus nutritiua eius.

14 Probatur minor, quia ei tribuit Arist. locis citatis vim nutriendi, & augendi, non vt causę principali: nam hæc est anima: ergo vt instrumento.

Tertiò, calor naturalis sufficiens instrumentum animæ est ad omnes operationes præcedentes conuersionem substantialem alimenti, & quas conuersio ipsa naturaliter sequitur: ergo sufficiens instrumentum ad conuersionem ipsam, quæ est nutritio.

Maiorem probo, quia omnes actiones proximè prærequisitæ ad conuersionem alimenti comprehenduntur in eo, quod est alimentum concoquere ac præparare: sed ad vtrumq; docet Aristoteles in eisdem citatis locis vim habere calorem naturalem; ergo sufficiens instrumentum est pro omnibus, atque adeò pro nutritione, & ita erit potentia nutritiua.

15 Secunda opinio asserit *calorem naturalem, vel temperamentum non esse potentiam nutritiuam: sed aliam qualitatem superiorem, ac nobiliorem qua calore, aut temperamento vtitur ad disponendum alimentum, & conuertendum in substantiam aliti, nutritionemq́; efficiendam*. Ita expresse Aristoteles 2.lib.de generatione animalium c.4.ante medium, his verbis. *Quemadmodum quæ ab arte efficiuntur, per instrumenta efficiuntur, sed verius dixerim per motum eorum, qui artis operatio est in alio: sic a facultate, siue virtute animæ vegetalis agitur, vt siue in animalibus ipsis, & plantis postea ex alimento vis eadem efficit incrementum vtendo caliditate, & frigiditate quasi instrumento.*

16 Quod etiam docuit in fine huius capitis similitudine gubernatoris nauis vtens, qui duobus, inquit, instrumentis vtitur, vno quidem, quod mouetur ab eo, & simul mouet aliud instrumentum, & hoc est manus mota a nauta, & mouens ipsa temonem, alio vero quod mouetur quidem, non tamen mouet aliud instrumentum, sed immediatè nauem, vt temo, ita anima vtitur duobus instrumentis ad nutritionem, vno quidem

dem moto a se, & mouet simul aliud, & hæc est potentia nutritiua mota ab anima: cum sit virtus eius, sed mouens ipsa calorem tanquam aliud instrumentum sibi subordinatum, quod non mouet iam aliud instrumentum, sed alimentum immediatè alterando, ac disponendo illud. Ita etiam D. Thom. in 2. dist. 18. quæst. 2. art. 3. & 1. p. quæst. 78. ar. 2. ad 1. & quæst. 2 8. art. 1. & 3 Alber. Mag. 2. lib. de anima, tract. 2. cap. 6. Philop. & Themist. cap. præsenti. Apollin. 2. de anima, q. 2. Ferrar. 2. contra gentes, ca. 73. Viguer. in institutionibus Theolog. c. 10. §. 2. Tolet. 2. lib. de anima, quæst. 10. multiq; ex recentioribus, & videtur mihi non solum probabilior sed vera.

17 Probatur primo, quia potentiæ vitales oriuntur naturaliter ab essentia animæ, sicut propriæ passiones ab essentia cuiuscunque alterius subiecti: ergo sunt eiusdem ordinis vitalis cum anima, ita vt sicut anima est primum principium formale vitæ, & radicale vitalium operationum, sic potentiæ sint principia formalia earundem operationum vitalium, sed anima est altioris ordinis respectu aliarum formarum naturalium, sicut vita altioris est ordinis, respectu naturalis esse rerum non viuentium: ergo potentiæ vitales eam consequentes altioris ordinis esse debent respectu potentiarum, seu virtutum naturalium rerum non viuentium.

18 Vlterius calor naturalis, vel temperamentum sunt virtutes inferiores consequentes inferiores substantias, nempe elementa, & mixta ex eis composita: ergo non possunt esse potentiæ vitales emanantes à principio vitæ, & propterea cum potentia nutritiua sit vitalis, non potest esse calor naturalis, vel temperamentum, sed qualitas alia superioris ordinis esse debet, vt sit eiusdem ordinis vitalis cum anima.

Et vim huius argumenti sic vrgeo, & declaro simul: ars quælibet petit instrumenta sibi proportionata ad exequendas operationes sibi proprias, & artes diuersæ diuersa quoque instrumenta pro diuersis operationibus, ad quas ordinantur, & si ars vna altior sit altera: postulat altiora instrumenta pro altioribus: ad quas ordinatur, quas exercere non potest per instrumenta artis inferioris.

Sed sicut ars operatur per instrumenta sibi propria: ita forma substantialis per proprias virtutes, & potentias naturales sibi concessas a natura: altior igitur forma qualis est anima, altiora certè postulat instrumenta, aut virtutes sibi proprias pro operationibus sibi proprijs altioris ordinis præstandis, quare non potest eas exercere per virtutes inferiorum formarum tanquam per proprias, quales sunt primæ qualitates, vel temperamentum earum, de quibus proinde efficaciter probatur non posse esse potentias vitales animæ.

19 Probatur tandem, quia euidens est potentiam nutritiuam hominis distingui specie a potentia nutritiua equi, aut leonis, & multo euidentius potentiam nutritiuam hominis, leonis, & plantę distingui inter se specie, quemadmodum est euidens potentiam generatiuam horum trium viuentium distingui inter se specie, & ratio vtriusq; est, quia potentia generatiua plantæ producit plantam integram, & nutritiua partem eius, nec potest generare animal, aut illud nutrire, & multo minus potentia generatiua leonis potest generare hominem, aut nutritiua eiusdē nutrire hominem: sed calor naturalis, aut temperamentum qualitatum nō distinguuntur specie in planta, leone, & homine, præsertim apud patronos oppositæ sententiæ, vt in principio quæstionis admonuimus: ergo non est potentia nutritiua.

20 Vt autem hæc veritas melius intelligatur, adnotare oportet, quod licet nutritio solum consistat essentialiter in vnica actione substantiali, videlicet in conuersione substantiali alimenti, plures alias prærequirit actiones accidentales (& fortè inter eas aliquam substantialem) quæ sunt transmutationes alimenti, per quas paulatim disponitur ad conuersionem substantialem, eas verò enumerauimus 1. lib. de generatione, c. 15. & propterea non iudicamus in præsentia repetendas.

Sed vt hoc verbo includantur plures, dicimus per eas peruenire alimentum ad formam sanguinis: quem vocauit Aristoteles vltimum alimētum animalis, vel ad aliquid ei proportionatum: conuerso autem alimento in sanguinem, adhuc ei supersunt transmutationes aliæ, per quas simile efficitur carni, ossibus, neruis, cæterisque partibus animalis, in quas conuerti debet, & istæ sunt quasi organizationes eius: nam vt aptum fit re-

recipere animam, oportet antiquo etiam modo fieri organicum corpus, quia anima actus est talis corporis

21 Ad hæc igitur officia tam diuersa, & transmutandum tot modis alimentum, ad illudq; organizādum, ac perfectè disponendum, sicut necessaria sunt tot vasa, in quibus recipiatur, hoc est, tot partes corporis diuersæ figuræ, capacitatis, ac dispositionis: ita sunt necessaria diuersa instrumenta, aut virtutes, vt attractiua alimenti, retentiua, concoctiua, discretiua, aut separatiua inutilium partium, expulsiua earum, ac distributiua vtilium partium eiusdem alimenti, per omnes partes corporis, quamuis non omnes istę virtutes sint distinctæ realiter: inter has verò numerantur primæ qualitates, aut temperamentum earum, & his omnibus vtitur potentia vitalis, & præsertim calore ad plures ac diuersas functiones magis accommodato: sed tam calor ipse, quam aliæ qualitates primæ ad eas concurrere possunt virtute eiusdē potentiæ vitalis, cuius sunt proxima instrumenta; quod constat, cum idem calor, idemque temperamentum corporis viuentis iuxta probabiliorem sententiam non distinguā tur specie a calore, & temperamento inferiorum corporum, in quibus euidens est hos effectus non habere, imò nec habere posse; habent igitur eos in viuente per coniunctionem cum potentia vitali ordinis superioris, & nobilioris, a qua eleuantur: vt possint hęc omnia præstare: imò ad eandem conuersionem substantialem, seu nutritionem, quæ proprius actus eius est cum ea concurrere.

22 Ex quibus in primis patet iam sensus testimoniorum Aristotelis, qui calori naturali, vel temperamento tribuit concoctionem, ac dispositionem alimenti, imò & nutritionem, & augmentum, non tanquam potentiæ vitali: sed tanquam instrumentis eius, quibus ad tales functiones præstandas vtitur.

23 Ad primum argumentum neganda est maior, quod temperamentum sit sufficiens dispositio ad introductionem cuiuslibet formæ mixti: nam licet sufficiens sit ad introducēdam formam mixti inferioris ordinis, non tamen superioris, qualis est anima postulans præter primas qualitates, aut temperamentum, earum organizationem, aliasque altiores dispositiones, quas temperamentum non potest præstare virtute propria: sed vt eleuatum a virtute, seu potentia superiori vitali eidem animæ proportionata, & ab ea emanante.

Possumusq; exemplum afferre in prima generatione eiusdem viuentis ex semine, ad quam licet sit necessarium temperamentum primarum qualitatum pro dispositione materiæ, non est tamen sufficiens dispositio ad introductionem animæ, quia non potest organizare materiam, nec superiores alias, ac proximiores, & omninò necessarias dispositiones inducere, sine quibus introduci non potest, & propterea semini tribuit anima perfectiorem aliam virtutem, qua vtitur generatiua potentia ad organizandum, ac perfectè disponendum corpus pro receptione animæ, quam virtutem iuuat suo modo temperamentum, ab ea eleuatum ad id præstandum.

24 Vnde sequitur, quòd cum nutritio sit generatio quædam partialis eiusdem viuentis, non sit temperamentum sufficiens dispositio pro introductione animæ in materia alimenti, sicut sufficiens non est, ad eandem introducendam in materia seminis: sed necessaria sit perfectior alia qualitas ad organizandam materiam perfecteq; disponendam, cui temperamētum deseruiat tanquam instrumentum.

Ad secundum, negandum est antecedens, quod ad vnam operationem semper sufficiat vnum instrumentum: nam plures sunt, quas non potest præcipua virtus per se præstare, nisi alijs virtutibus se imperfectioribus adiuuetur, vt in operibus artis, non potest præstare ars, nec per artem homo, quēlibet effectum per vnicum instrumentum: sed pluribus indiget, subordinatis tamen præcipuæ virtuti: ita ergo se res habet in operationibus animæ.

25 Nam ad intellectionem non sufficit potentia vitalis intellectus: sed prærequiritur species intelligibilis, atque etiam intellectus agens, & phantasma, a quibus producitur, cæterum quia subordinata sunt, habent rationem vnius instrumenti completi, atque perfecti potentis operationem vitalem eliceere.

Ita ergo censendum est nutritiuam potentiam non sufficere ad opus nutritionis præstandum, nisi sibi coniungantur minores, atque inferiores virtutes, quæ per talem coniunctionem cum ea possunt attingere idem

opus

opus vitale nutritionis: sed quia ei tanquam præcipuæ, ac vitali virtuti emananti ab anima subordinantur, pro eodem completo, ac sufficienti instrumento animæ computantur ad candem operationem vitalem eliciendam.

26 Ad tertium, negandum est antecedens, quod calor naturalis, vel temperamentum sit sufficiens instrumentum ad opus nutritionis præstandum: sed præter illud requiruntur plura alia, nempe virtutes illæ a nobis enumeratæ iuuantes ad disponendum alimẽtum, & præter illas virtutes alia perfectior, per quam organizatur suo modo alimentum, & fit aptum ad recipiendam animam, & insuper potentia ipsa nutritiua, a qua tanquam a præcipua virtute animæ fit conuersio eiusdem alimenti in substantiam aliti, quæ conuersio est nutritio ipsa.

Nec Aristoteles tribuit calori, vel temperamento concoctionem, ac dispositionem alimenti tanquam sufficienti, aut totali instrumento, & multò minus nutritionem ipsam, & augmentum: sed tanquam necessario, & coadiuuanti ad hæc omnia: ita vt ex eo, & alijs virtutibus enumeratis, ac potentiæ nutritiuæ subordinatis fiat vnum integrum, atque completum instrumentum animæ respectu talis operationis, & effectus eius.

QVAESTIO II.

An nutritiua, augmentatiua, & generatiua sint tres potentiæ vitales realiter distinctæ vegetatiuæ animæ, vel vna tantum tria habens officia diuersa.

27 Prima opinio distinguit realiter, & essentialiter has tres potentias, quam videtur expresse tenere D. Thom. 1. parte, quæst. 78. art. 2. & quæst 79. art. 7. & 2. lib. contra gentes cap. 89. & tenent expresse Albert. Magn. 2. lib. de anima, cap. 6. & 2. part. Summę, q. de anima vegetabili, art. 2. Ægid. quodlib. 3. q. 12. Caiet. ad c. 4. huius libri, & ibidem. Ferrar. cum Aquario. Bannez 1. lib. de gener. c. 5. & 1. p. q. 78 art. 2. q. 7. Fernel. 5. lib. Physiologiæ, c. 3. Thienen. ad tex. 10. huius libri, Iandunus q. 13 eiusdem, & refertur pro eadem Galen. lib. de naturalibus facultatibus, c. 7.

Probatur quantum ad distinctionem potentiæ generatiuæ a nutritiua, & augmentatiua testimonio Aristotelis c. præsenti, vbi duo attribuit officia valde diuersa animæ vegetatiuæ, videlicet, generare, & alimento vti. Sed vtrumq; præstat per potentias, vel virtutes: cum ergo adeo diuersa sint, non potest per eandem virtutem vtrumq; præstare: sed alimento vtitur per nutritiuam, & augmentatiuam, & sibi simile generat per generatiuam: ergo erit hæc diuersa ab illis ex mente Aristotelis.

28 Deinde ratione primò, quia realis, & simultanea separatio duorum euidenter probat distinctionem realem eorum: sed potentia generatiua actu separatur a nutritiua, & augmentatiua: ergo distinguitur ab eis realiter. Minorem probo primo, quia nutritiua, & augmentatiua reperiuntur in multis animalibus imperfectis sine generatiua, imò in eodem animali, & homine, vt constat experientia. Deinde in eodem animali, in quo omnes istæ potentiæ reperiuntur, habent subiecta realiter distincta, quia nutritiua, & augmentatiua sunt dispersæ per omnes partes corporis, generatiua verò solum residet in parte determinata.

Secundò, ex diuerso modo operandi, per quem superius probauimus distingui non solum specie: sed genere potentias; nam potentia generatiua operatur prius producendo semen, & per semen decisum organizando materiam, & membra corporis efformãdo: nutritiua verò, & augmentatiua modo alio diuerso per attractionem, & concoctionem alimenti, substãtialemq; conuersionem eius in corpus viuens secundum omnes partes: ergo repugnat esse eandem facultatem vegetatiuæ animæ.

29 Et ex hoc colligitur tertium argumentum hoc modo, quoties aliqua potentia habet actum aliquem, quem non potest habere alia, distinguitur realiter ab ea: sed generatiua habet aliquem actum, quem non possunt attingere nutritiua, & augmentatiua: ergo distinguitur ab eis realiter. Minorem sic probo, generatiua habet vim formãdi integra, atque perfecta membra corporis, vt caput, cor, brachia, & pedes, quam non habet nutritiua: nam si abscindatur ab animali brachium, nõ potest eius virtute iterum forma-

ri, aut rest. cui, imò nec vniri corpori.

30 Probatur deinde quantum ad distinctionem nutritiuæ, & augmentatiuæ inter sese duplici alio argumento. Primò, quia potentiæ distinguuntur specie per actus, & obiecta adęquata: sed nutritiua, & augmentatiua habent actus, & obiecta diuersa: ergo distinguuntur specie.

Minor probatur primo ex Aristot. c. præsenti, & 1. lib. de generatione cap. 5. quibus locis asserit alimentum, vt est potentia substantia viuens; esse obiectum, circa quod versatur virtus nutritiua: sed vt quantum, est obiectum virtutis augmentatiuæ, de actibus verò diuersis euidentius est: nam actus proprius nutritiuæ potentiæ est conuersio alimenti in substantiam aliti, & mutatio substantialis materiæ eiusdem alimenti à propria forma ad animam, quam per conuersionem recipit, & ideò est generatio substantialis partialis, augmentatio verò mutatio accidentalis est: imò propriè motus, & realiter distinctus ab eadem nutritione, vt probauimus 1. lib. de generatione, c. 5.

31 Secundo probatur ex reali separatione harum potentiarum, etiam in eodem viuente, in quo potentia nutritiua durat toto tempore vitæ, augmentatiua verò solùm vsque ad statum, & tunc cessat prorsus actus eius, & proinde extinguitur ipsamet potentia.

32 Secunda opinio solùm distinguit generatiuam à nutritiua, & augmentatiua, has verò duas posteriores non diuersas potentias esse censet: sed eandem habentem diuersa nomina, & officia.

Ita tenent præter citatos pro opinione præcedente Apollin. 2. lib. de anima, q. 9. Iauellus, q. 18. & ex recentioribus non pauci: qui identitatem nutritiuæ, & augmentatiuæ ex eo probant, quia vtraque versatur circa idem alimentum, & licet diuersos actus habeant, subordinatos tamen, & quorum vnus consequitur alterum naturaliter, & sine noua difficultate, quemadmodum termini ad quos per se ordinantur, nam quantitas partialis, vel vnio eius cum quantitate viuentis, quæ est terminus augmentationis, naturaliter sequitur partialem substantiam productam per nutritionem: ergo neque ad hos actus, neque ad terminos eorum requiritur duplex potentia, vel virtus: sed vna sufficit, quemadmodum ad generationem primam, ac totalem substantiæ, & productionem quantitatis consequentem sufficit vna virtus generatiua. Distinctionem verò generatiuæ a nutritiua iisdem rationibus primæ opinionis efficaciter probari censent.

43 Tertia opinio asserit nutritiuam, augmentatiuam, & generatiuam esse eandem potentiam realem animæ vegetatiuæ habentem tria hæc officia, videlicet nutrire, & augere corpus, atque etiam generare sibi simile, & iuxta hæc officia diuersa, diuersis nominibus significari, nempe generatiuæ, & nutritiuæ, & augmentatiuæ. Ita Themisti. 2 libro de anima, cap. 4. Titelman. lib. 8. suæ philosophiæ cap. 8. Durand. in 1. dist. 3. 2. parte, quæst. 2. Valesius lib. 2. controuersiar. medic. ca. 19. & 20. vbi asserit sententiam hanc non esse vulgarem, sed solis viris doctioribus proponendam. Eam etiam sequuntur iam ex recentioribus multi, & nobis videtur sequenda propter duo: primum, quia est expressa Aristotelis tribus præsertim locis, videlicet 2. lib. de generat. animalium, cap 4. ante medium, vbi postquam dixerat eandem facultatem vegetalis animæ generare sibi simile, & augere, magis id explicans ita ait: *Sic etiam principio constituit id, quod natura efficitur, eadem enim materia est ex qua augetur, & ex qua constituitur primum, itaque facultas quoque agens eadem, qua in principio est, sed maior: quod si hæc vegetalis anima est, eademq; generatiua quoq; est.*

34 Quasi dicat facultatem animæ vegetatiuæ, per quam nutrit, auget, & sibi simile generat, se habere sicut puerum, & virum, nam in principio quasi parua est, non se extendens ad omnes actus sibi proprios, sed ad nutriendum, & augendum proprium corpus, sed tandem fit maior se extendens ad producendum, vel generandum aliud simile: sed eadem est semper, hoc est, in vtroque statu perfecto, & imperfecto, sicut idem est homo in statu pueritiæ, ac virili.

Secundus locus est cap. præsenti text. 54. vbi sic de hac potentia loquitur. *Vegetatiua enim anima, & aliis est, & prima, & maximè communis potentia est animæ, cuius sunt operâ generare, & alimento vti.* Et adhuc expressius textu 42. eiusdem capitis his verbis. *Quoniam autem eadem potentia animæ est vegetatiua, & generatiua, de alimento necessarium est determinare primum, separatur enim* ab

ab alijs potentijs opere noc. Nihil certè exprimi dici potuit. Quod videntes authores oppositæ sententiæ, glossas quasdam huius expressi textus quæsierunt, futiles absque dubio, & sine vllo fundamento.

35 Et in primis Caiet. vbi supra, ait eandem potentiam esse vegetatiuam, & generatiuam dixisse Aristotelem, quia vegetatiuam non pro nutritiua accepit, sed prout cõmunis est nutritiuæ, augmentatiuæ, ac generatiuæ, & tanquam genus ad illas comparatur, & quia genus non ponit in numerum cũ specie, non enim dicimus duo esse, animal, & hominem: ideò vegetatiua, quæ genus est ad omnes tres, non ponit in numerum cum omnibus, neque cum qualibet per se, & ideò verè dici potuit, eandem esse potentiam vegetatiuam, & generatiuam. Hic tamen sensus ineptam comparationem, & locutionem efficit, & indignam prorsus, quæ non solum Aristoteli, sed vel mediocri philosopho tribuatur. Est enim, ac si diceret, sensum, & visum eandem esse potentiam sensitiuam, vel animal, & hominem non esse diuersa animalia, sed idem. Quas prorsus ineptas esse comparationes, & locutiones, quis non videat? Quare alij videntes apertè dixisse eandem potentiam animæ esse nutritiuam cum generatiua, asserunt non de identitate reali, aut specifica, sed de identitate subiecti locutum fuisse, & ita sensum eius esse, quod idem sint subiecto: cum sint in eodem viuente. Hæc tamen expositio non minus friuola est, quia eodem modo posset dicere Aristoteles omnes sensus, tam internos, quam externos, imò omnes potentias sensitiuas, cognoscitiuas, & appetitiuas esse eandem: cùm constet esse in eodem subiecto.

36 Præterea Aristoteles ipse in eodem capite reddit rationem propter quam sint eadem potentia, quia habent idem obiectum, videlicet alimentum: ergo repugnat verba eius intelligi de identitate subiecti. Alij tandem putant, quod dum Aristoteles asserit eandem esse potentiam non de identitate reali, nec specifica intelligit, sed de identitate materiæ circa quam versantur, nam omnes versantur circa alimentum. Sed profectò in hoc sensu dici poterit ignem, vel aerem, vel quodlibet aliud alimentum habere eandem potentiam, aut virtutem agendi: cũ circa eandem materiam agere possint, & sæpe agant.

Ex quibus patet omnes hos authores fugam potius simulare, quàm rem explicare: quare euidens est Arist. pro eadem potentia animæ eas posuisse.

37 Vt autem secundum, propter quod teneo hanc sententiam, ostendam, reijciendam censeo prius rationem in fauorem eius a quibusdam assignatam, videlicet plures, ac diuersos actus nutritionis, augmentationis, & generationis ab eadem potentia, vel virtute elici posse, & ideò non esse pro illis multiplicandas, quia subordinati sunt, ac se præsupponunt, & plures actus subordinati non postulant plures potentias.

Hæc tamen ratio insufficiens est, quia actus sensuum externorum, & actus etiã sensuum, & intellectus magis subordinati sunt seque præsupponunt ordine naturæ, & nihilominus postulant potentias diuersas, ergò licet nutritio, & augmentatio, & generatio sint actus subordinati, & ordine naturæ se præsupponente, possunt distinctas potentias postulare. Hoc igitur fundamento refutato.

38 Secundum, propter quod hanc sententiam, vt probabiliorem teneo, est, quia potentiæ, vel virtutes ad operandum non multiplicantur, nisi vbi vna non est sufficiens pro multis actibus, sed maior, ac noua requiritur ex eo, quod nouus actus postulet nouam virtutem, aut propter se, aut propter nouum modum operandi ad illum necessariò requisitum.

Sed eadem virtus nutritiua sufficiens est omni ex parte pro nutritione, augmento, & generatione. Ita vt tres isti actus non postulent maiorem virtutem, & ideò nec distinctam propter se, nec propter modum operandi diuersum, per quem fi[e]ri debeant: ergo non sunt pro eis multiplicandæ plures virtutes, vel potentiæ.

Minorem sic probo, productionem partialis substantiæ sequitur naturali necessitate productio quantitatis, quæ etiam eodem modo producitur, hoc est, per eandem conuersionem alimenti, & abs[que] noua difficultate: ergo non postulat maiorem virtutem, nec proinde distinctam a potentia [il]la, quæ est sufficiens ad producendam substantiam partialem: quamuis per distinctam mutationem, vel motum, quia partialis quantitas res est distincta a partiali substantia, quam consequitur, ideò sicut in ge[ne]ra-

 tione

tione totali producitur per distinctam actionem, vt de passionibus probaui, sed per eandem virtutem, eodem modo in nutritione viuentis postulat actionem distinctam, per quam producatur, ab eadem tamen potentia nutritiua: respectu cuius actus sunt inadæquati nutritio,& augmẽtatio,& ideò potentiam non multiplicant.

Vt autem probetur eadem minor de generatione, suppono id, quod quæstione sequenti probabitur euidenter, nempe potentiam generatiuam non esse virtutem illam in semine deciso residentem, per quam organizatur, ac disponitur materia seminis pro anima introducenda,& composito generando, sed virtutem factiuam seminis ex superfluo alimenti.

39 Quo supposito ita arguo: eadem virtus nutritiua potens est ex eodem alimento pro quibusdam partibus corporis nutriendis efficere sanguinem, pro alijs nempe ossibus medullam, & in mammillis pro nutriendo fœtu iam genito, lac (siue lac differat specie a sanguine, siue non, nemo enim pro eo conficiendo ex sanguine distinctam virtutem a nutritiua posuit) ergo eadem virtus nutritiua poterit ex eodem sanguine conficere in alia parte corporis determinata semen pro generando eodem fœtu.

Probatur consequentia, quia nulla ratio afferri potest, per quam probetur distinctam virtutem requiri ad efficiendum ex eo dem sanguine lac, quam semen, non est ergo multiplicanda alia virtus pro hoc effectu, sed virtus factiua seminis est generatiua, vt suppono: ergo eadem virtus nutritiua est generatiua habens hos tres actus inadæquatos: circa idem alimentum, & per eundem modum operandi circa illud, videlicet nutrire, & augere proprium corpus, & generare nouum ei simile, sicut habet nutrire, & augere proprium, alimentumque producere pro nutriendo alio de nouo genito.

40 Quòd tandem probatur ratione eiusdem Aristotelis, quia sicut potentiæ passiuæ specificantur ex modo, quo immutantur ab obiecto, ita potentiæ actiuæ ex modo, quo versantur circa obiectum per proprium modum operandi circa illud, quod idem est, ac ex termino adæquato, quem per se producunt, sed nutritiua, & generatiua versantur circa idem obiectum eodem modo operando circa illud, & producunt eundem terminum: ergo sunt eiusdem speciei.

Probatur minor, quia versantur circa alimentum operando circa illud eodem modo, videlicet disponendo, & transmutando illud diuersis transmutationibus ordinatis ad conuersionem eius substantialem in corpus viuens eiusdem speciei: ergo habent idem obiectum, eundemque modum operandi circa illud, & præterea producunt terminum eiusdem speciei: nam nutritiua producit partialem substantiam, generatiua totalem eiusdem speciei, illa per generationem totalem, hæc per generationem partialem, ergo sunt eiusdem speciei.

41 Ad testimonium Aristotelis pro prima opinione concedendum est, quod duo illa officia tribuat Animæ vegetatiuæ, & quod ea præstet per aliquam potentiam, sed negandum, quod per distinctas, quia neutrum eorum, neque vtrumque simul excedit virtutem eiusdem potentiæ nutritiuæ, quin potius cum circa idem obiectum, nempe alimentum versentur, nec diuersum postulent modum operandi, ab eadem potentia fieri possunt.

42 Ad primum argumentum concessa maiori, quod ex separatione duorum probetur distinctio realis eorum, neganda est minor, quod potentia generatiua separetur a nutritiua, & quod dicitur nutritiuam, & augmentatiuam reperiri in omnibus viuentibus, non tamen generatiuam, negandũ est: quia in his omnibus non generantibus non deficit omninò potentia, sed debilis est, vel deficiente dispositione aliqua ad talem actũ requisita, actu generandi priuatur.

Potentia enim nutritiua non statim, vel a principio potest in actum generationis prorumpere, quousq; robusta sit, & propterea pueri non generant vsq; ad robustam ætatem, vt cap. præsenti insinuauit Aristoteles, & adhuc in robusta ætate deficit ei aliqua conditio, vel dispositio ex parte seminis, cui conueniens calor deficit, aliquandò etiam deficit aliqua pars corporis, in qua semen recipi debet, & propterea non producitur: quemadmodum si mammillæ in fœminis deficiant, non generabitur lac, sed non propter hos defectus censetur deficere potentia generatiua.

Et ex his intelligitur nunquam separari generatiuam a nutritiua: quamuis actus separentur, sed nec separantur subiecto, quia licet potentia nutritiua solum in parte determinata semen producat, ex quo habet rationem potentiæ generatiuæ, quia medio semine præstat actum generationis, eadem tamen est per omnes partes corporis dispersa, & in ordine ad illas diuersos etiam actus & effectus præstare potens, inadæquatos tamen, & modo simili idem habet adæquatum subiectum. Quamuis diuersa partialia, vel inadæquata, ex quibus non potest colligi distinctio eius.

43 Ad secundum negandum est, quod diuersum modum operandi habeant nutritiua, & generatiua, nam attractio, & concoctio per diuersa instrumenta eius fiunt, sed ad eundem finem conuersionis substantialis alimenti ordinantur, conuersio autem substantialis alimenti eiusdem speciei inuenitur in nutritione, & generatione, licet pluribus, vel paucioribus transmutationibus medijs facta. Nam eiusdem speciei sunt partialis substantia, in quam conuertitur per nutritionem, & totalis, in quã conuertitur per generationem, licet hęc posterior conuersio quandam aliam transmutationem postulet, quia sanguis immediatè conuertitur in partialem substantiam per nutritionem, non tamen immediatè in substantiam totalem genitam, sed prius in semen, quæ conuersio forte non est substantialis, sed accidentalis, sicut nec conuersio eiusdem sanguinis in lac, vt superius ostendimus, & communis ferè medicorum sententia tenet.

44 Ex peculiaribus verò accidentibus habet semen mirabilem illam virtutem organizandi corpus, & attingendi introductionem animæ, quæ conuersio substantialis est eiusdem seminis in viuens integrum, & simul generatio eius, sed hæc omnia virtuti potius nutritiuæ attribui debent, a qua eandem virtutem accipit, & quæ medio eodem semine, vt instrumento sibi proprio, licet separato generationem attingit, vt primum, ac præcipuum instrumentum animæ, & ratione huius attingentiæ virtus, vel potentia generatiua vocatur.

45 Ad tertiũ distinguenda est maior, quod quando vna potentia habet aliquem actum quem non potest habere alia, distinguuntur realiter, & specie. Nam si proueniat ex defectu intrinseco potentiæ, non posse attingere talem actum verum est, si verò ex alia ratione, vel defectu extrinseco, non est necessarium, & hoc modo contingit in proposito, quia virtutem nutritiuam non posse membra integra proprij corporis abscissa iterum formare, sicut format ad generandum, non prouenit ex defectu proprio, sed ex diuersa dispositione materiæ, quia materia seminis tenera est, ac disposita ad talem formationem membri ex ea, quam teneritudinem non habet eadẽ materia brachij iam formati, & abscissi.

Vnde aliquando contingit in pueris aliqua membra abscissa restitui virtute facultatis nutritiuæ, & passim in plantis, in quibus abscissi rami pullulare consueuerunt. Vel certè, vt Galenus docet in lib. de semine c. 17 virtus delineans, seu formans membra in generatione prolis efficacior est, quam in prole genita, & propterea non potest membra integra postea restituere, aut de nouo formare, sicut potuit in principio generationis.

46 Ad primum argumentum eorum, quibus probare contendebat eadem opinio, nutritiuam, & augmentatiuam distingui specie, concessa maiori, quod potentiæ distinguantur specie per actus, & obiecta adæquata, neganda est minor, quod virtutes istæ habeant obiecta adæquata diuersa. Ad illud vero quod additur ex Arist. alimentum secundum rationem substantialem esse obiectum nutritiuæ, & vt quantum, esse obiectum augmentatiuæ, concedendum est, sed dicendum neutrã rationem eius per se sumptam esse obiectiuam adæquatam alicuius virtutis, aut potentiæ, sed quælibet censetur inadęquata, quia non postulat maiorem virtutem conuersio eius, vt quanti, quam vt substantiæ, sed eo ipso, quod per nutritiuam conuertitur substantialiter, naturali necessitate censetur conuersum, vt quantum in quantitatem viuentis de nouo productam per naturalem consecutionem, & ideò sine indigentia alterius virtutis, vel potentiæ.

47 Propterea verò dixit idem Aristotel. officia huius potentiæ esse generare, & alimento vti, quasi distinguens vsum alimenti ab actu generationis, quia nutritio, & augmentatio fiunt per immediatam conuersionem alimenti in substantiam aliti, & ideò vtra-

vtraq; comprehenditur sub alimenti vsu,generatio verò non fit per immediatam conuersionem alimenti in substantiam, neq; in substantiam aliti, sed media transmutatione in semen, quamuis fortè accidentali, & non per conuersionem in substantiam aliti, sed geniti, sicut nutritio pueri ex lacte non est conuersio alimenti in substantiam eiusdem viuentis, nempe matris, sed alterius de nouo geniti.

48 De actibus verò, nempe nutritione, & augmentatione negandum est, quòd sint adæquati diuersarum potentiarum, sed inadæquati sunt eiusdem: cum non postulet vterque simul maiorem virtutem, quam sola nutritio.

Ad secundum negandum est, quod potentia nutritiua, & augmentatiua separentur in eodem viuente, quia licet verum sit nutritiuam durare toto tempore vitæ, etiam est verum durare augmentatiuam, cuius proprius actus est productio nouæ quantitatis; quòd vero maiorem producat, accidentale est actui eius ex maiori perfectione, vel robore eiusdem potentiæ, quod habet vsque ad statum.

49 Vnde licet hæc ratio accidentalis ei deficiat post statum, non censetur deficere potentia, sed solum est verum, quod non sit ita robusta, ac erat in prima ætate, sed infirma iam, vel debilis: sicut non censetur deficere potentia visiua in sene ex eo, quod non possit minora visibilia conspicere, sed debiliorem habere statum propter debilius organum.

Tandem D. Th explicari potest in eo sensu, vt has virtutes, seu potentias distinguat solum ratione diuersorum actuum, ita vt licet eadem sit, plures tamen actus ordinatos habens, ita se habeat, ac si multiplex esset, quia secundum vnum actum se ipsam præsupponit, vt elicientem alterum, eo modo quo vna præsupponeret alteram, si plures virtutes, aut potentiæ forent. Quamuis verba eius in oppositam sententiam valde videantur inclinare.

QVAESTIO III.

Quodnam sit subiectum nutritiuæ ac generatiuæ potentiæ.

50 De subiecto nutritiuæ potentiæ certum est in doctrina Arist. ab omnibus recepta, quod sit in partibus corporis ab anima informatis.

Quòd hoc discursu probari potest. Certum est augmentationem viuentis fieri secundum omnes partes, vt 1. lib. de generatione c. 5. text. 33. docet Arist. ita vt quælibet pars viuens nutriatur, & augeatur, sed quælibet pars viuens habet in se animam vegetatiuam, quæ radix est nutritiuæ potentiæ, necesse est ergo nutritiuam potentiam esse in quacumque parte viuente, & ideò non esse in parte aliqua determinata tanquam in subiecto, sed in toto corpore viuente, & singulis partibus eius.

51 Quod rursus probari potest ex natura eiusdẽ nutritionis, quæ operatio vitalis est, vitalis verò operatio a principio intrinseco atq; coniuncto eidem viuenti procedere debet, sed qualibet pars viuentis nutritur: ergo in qualibet parte exercet anima operationem vitalem nutritionis, quod impossibile erit, nisi habeat in se principium intrinsecum eius, quod non solum est anima, sed potentia ipsa vitalis nutritiua: quare necesse est in toto viuente, & singulis eius partibus reperiri tanquam in subiecto per eam operante.

Vlterius, quemadmodum de anima diuisibili diximus superius habere diuersas partes integrantes, alias quidem perfectiores alijs secundum diuersas differentias indiuiduales partiales, per quas constituuntur partes organicæ corporis magis, & minus perfectæ secundum partiales differentias indiuiduales.

52 Pari ratione dicendum est de potentia nutritiua, quia vitalis est naturaliter emanãs ab essentia eiusdem animæ, atque etiam diuisibilis, & corporea, easdem partes integrantes habere in diuersis partibus corporis, magis, ac minus perfectas ratione differentiarum indiuidualium.

Cuius ratio est, quia partes in quibus residet

sidet magis, & minus perfectæ sunt: ergò sua natura postulant modum nutrimenti perfectiorem, atque etiam perfectiorem partem substantiæ, per quam nutriantur, & consequentet perfectiorem potentiam nutritiuam partialem, a qua producantur, quia perfectior effectus eo modo quo perfectior est, perfectiorem causam postulat.

53 Eiusmodi ergo partes nutritiuæ potentiæ per inferiores virtutes, quas habent in partibus corporis residentes, vltimum alimentum, (quod est sanguis) per venas, & poros delatum attrahunt, disponunt, & præparant iuxta exigentiam earundem partium, vt pars residens in ossibus conuertit alimentum sibi assignatum in medullam, & hanc tandem in naturam ossium: in partibus verò carnis existens, eundem sanguinem conuertit in carnem, in mammillam verò sanguinem attractum conuertit in lac, pro fœtu iam in lucem edito nutriendo, & in alia parte corporis residens superfluum sanguinem attractum conuertit in semen pro generatione alterius viuentis.

Ex quibus infero, falsò quosdam multiplicasse diuersas potentias nutritiuas secundum speciem in diuersis partibus corporis pro his effectibus diuersis præstandis, hac ratione ductos, quia cum sint specie diuersi, diuersas causas secundum speciem postulant & ab eadē potentia secundum speciem procedere non possunt.

54 Falsam nihilominus esse hanc sententiam affirmo, quia falsum est, quod effectus isti distinguantur specie: nam sicut partes corporis quantumlibet diuersæ figuræ, diuersi temperamenti, ac diuersarum qualitatum, non distinguuntur specie, vt caro, os, & nerui.

Ita effectus, quos producit potentia nutritiua ad nutriendas diuersas partes corporis, non possunt differre specie, quia partes substantiæ productæ, ad easdem partes nutriēdas eiusdem speciei sunt cum eis, vt pars carnis producta adueniens per nutrionem eiusdem speciei est cum parte carnis, cui adiungitur, & similiter pars ossis, & pariter de cæteris.

Vnde sequitur potentiam nutritiuam in diuersis partibus corporis non habere effectus specie diuersos, sed nec alimentum in diuersis partibus transmutatum specie diuersum est, vt sanguinis, medulla, lac, & semen, sed eiusdem, diuersum verò accidentaliter iuxta probabiliorem sententiam medicorum, & philosophorum.

De subiecto potentiæ generatiuæ.

55 VT subiectum potentiæ generatiuæ inueniamus, necesse est quàm breuissimè disputare de forma substantiali seminis (nam copiosa de hac re disputatio medicis est relinquenda) an sit anima, vel alia forma inferior, sicut de sanguine probauimus in præcedentibus. Nam ex hoc dependet, an possit esse subiectum potentiæ generatiuæ, vt quibusdam placuit, vel aliud sit subiectum eiusdem potentiæ quærendum præter semen, & quodnam illud sit.

56 In qua re illud tanquam certum inter opinantes præsuppono, quod superius insinuaui, nempe semen animalis fieri ex sanguine superfluo, non ita vt superflui nomine intelligatur impurus sanguis, aut excrementosus, sed potius deputatus, non tamen necessarius ad proprij corporis nutritionē, & ideò quasi reseruatus a natura pro generatione. Ita expresè Aristot. 1. lib. de generat. anim. cap. 17 & 18 & cum eo plures philosophi, ac præcipui Theologi, D. Thom. 1 par. quæst. 119. art. 2. Albert. Magn. in lib. de animal. tract. 5. & 6. Sotanus Ephesius in Isagoge cap. 16. Scotus in 2. dist. 20. quæst. 2. Duran. dist. 30. quæst. 3. Maior. dist. 13. quæst. 6. Basolius dist. 33. quæst. vnica art. 3. Abulen. in cap. 1 v. Exod. quæst. 24. ita etiam Medici plures cum Galeno lib 2. de semine c. 4. quod etiam tenuit Pythag. vt testatur Plutarchus lib. 5. de placitis philosophorum cap. 3.

Et huius ratio satis congrua assignatur, quia viuens quodcunq; se, & suam speciem quantum potest, intendit conseruare, ad propriam igitur conseruationem conuertit alimentum, nempe sanguinem in propriam substantiam, ad conseruationem vero speciei partem quandam eiusdem alimenti qua si reseruat, ex qua semen efficit: cui communicat virtutem disponendi, & organizandi materiam pro introductione alterius animæ.

De semine igitur ita facto inquirimus, an informetur anima, & viuat, vel non,

ſed formam habeat anima inferiorem, vt de ſanguine, & humoribus ſuperius docuimus.

57 Et prima opinio aſſerit informari anima, & viuere. Ita Galenus in lib. de maraſino c. 5. Paratnatus in lib. de ſemine, Zima 2. lib. de anima ad textum 43. Valeſius lib. 2. controuerſ. cap. 9. quod tenuit etiam Plato in Timæo, & Themiſtius 2. lib. de anima, textu 6 & ex recentioribus nonnulli. Quod probant teſtimonio Ariſtotelis 2. lib. de generat. animalium cap. 3 in principio, vbi ſemen animalium viuere his verbis docet: *Quippe cum nihilo minus ſemina, & conceptus animalium viuant, quam ſtirpes, & aliquando prolifica ſunt.* Deinde ratione primò, quia arborum fructus ſunt earum ſemina, ex quibus terræ mandatis pullulat arbor alia ſimilis in ſpecie, & tamen viuere conſtat: cum nutriantur, & augeantur, dum in arbore permanent. Et par erit ratio de ſemine animalium in eis permanente.

58 Secundò, quia repugnat in aliquo eſſe potentiam vitalem, per quam eliciat vitalem operationem, niſi in eo ſit anima, & viuat, nam potentia vitalis naturaliter coniuncta eſt animę, & operatio vitalis non poteſt procedere, niſi a viuente: ſed in ſemine eſt potentia generatiua vitalis, per quam organizat corpus: eiq; vnit animam, & principium generationis eſt, de qua nemo dubitat eſſe operationem vitalem: ergo nec dubitari debet, quin viuat ſemen, & informetur anima.

Secunda opinio negat *vllum ſemen ſub forma, & ſpecies ſeminis viuere, vel informari anima, ſed aliam habere formam anima inferiorem.* Hæc eſt expreſſa ſententia Ariſtot. 2. lib. de anima cap. 1. text. 10. vbi hæc habet verba: *Non eſt autem, quod abijcit animam potentia exiſtens, vt viuat ſed quod habet, ſemen autem, & fructus potentia huiuſmodi corpus eſt.* Et 2. lib. de generat. animal. cap. 3. non longè à fine, cũ propoſuiſſet dubium, an ſemen animam habeat, necne: reſpondet habere quidem in potentia.

Quare ſentit non viuere actu, quia nihil actu viuit, niſi actu habeat animam.

59 Et ita ſentiunt D. Th. 1. p. q. 119. art vlt. & expreſſius 2. lib. contra gent. cap 89. Scot. in 4. diſt. 44. quæſt. 1. Albert. Magn. 2. p. Summæ de homine. Fernelius lib. 7. ſuæ Phyſiologiæ. cap. 13. Iandun. 7. Metaphyſ. quæſt. 19. Concil. differt. 48. Thom. Garb lib. 1 tract 5. quæſt. 5. & nobis videtur non ſolum probabilior, ſed vera. Probatur primò, quia non eſt corpus organicum: ergo non informatur anima, quæ actus eſt organici corporis. Secundò, quia nec nutritur, nec augetur per intuſſumptionem, vt viuentia: ſed ſolum per iuxta poſitionem, vt ſanguis, & cætera, quæ nec viuunt, nec informantur anima.

60 Quod autem quidam reſpondent: quodammodo eſſe organicũ, & heterogeneum, quia habet partes quaſdam craſſiores, & terreſtriores, alias verò ſubtiliores, & aereas, friuolum eſt, quia hoc ipſum reperitur in corporibus homogeneis, vt in vino, & alijs mixtis non viuentibus, quare non eſt ſufficiens, vt dicatur eſſe corpus organicum, vel heterogeneum, vt oportet ad habendam vitam, vel animam.

Probatur tandem; quia ſemen animalium non eſt continuatum cum corpore eorum: cum ſit liquidum, licet ſanguine craſſius: ſed continetur in eo tanquam aqua in vaſe, vt de ſanguine docuit Ariſt. ergo naturaliter repugnat informari eadem anima, ac totum corpus.

61 Teſtimonium verò Ariſt. per alia longè expreſſiora a nobis adducta explicandũ eſt, in quibus ex profeſſo, ac perſpicuis verbis docet ſemen aĩatum eſſe, ac viuens, nõ actu: ſed potentia, cũ in proximo ſit ad accipiendam animam: ita ergo intelligit Ariſt. ſemina animalium, atque ſtirpium animata eſſe, & viuere, non actu: ſed potentia: nam ſi actu viuerent, non poſſent ex eis generari viuentia eiuſdem ſpeciei, vt docuit D. Tho. in poſteriori loco cit.

Ad 1. arg. de fructibus arborũ reſpondeo, dupliciter ſumi poſſe: primò ſub ratione fructuum actu coniunctorum cum arbore tanquam partium eius actualium, & ita viuere cenſentur, & habere animam: cum propriè nutriantur, & augeantur. Alio modo tanquã ſemina ab arbore ſeparata, & hoc modo, nec habent animam, nec viuunt, cũ nullam habeant operationem vitalem.

62 Circa ſolutionẽ 2. arg. recẽtiores quidã tenẽtes ſemen viuere: id explicãt hac diſtinctione, Semẽ duplex eſt, vnũ actu coniunctũ cũ aĩali, aliud iã deciſum, ac ſeparatũ ab eo pro generatione, & primũ informatur ab eadẽ anima totius: poſtremum verò, cum non

fit

sit continuum, non potest ab eadem informari, si sit animalium perfectorum, quorum anima, aut indiuisibilis est, & ideo non potest per aliquam sui partem, etiam diuisam illud informare, nec tota ipsa anima propter discontinuationem: sed in decisione ipsa, ac separatione accipit quandam aliam animam vegetatiuam, quam natura ei tribuit, ordinans ipsum ad generationem, non enim posset generationi deseruire, nisi animatum, quia non posset habere virtutem organizandi, atque formandi corpus, quæ vitalis est, nisi informaretur anima. Si verò semen sit animalium imperfectorum, vel plantarum, potest etiam decisum informari anima, quæ cum sit diuisibilis, potest permanere in partibus separatis. Et hoc supposito asserunt potentiam generatiuam esse in vtroque semine tanquam in proprio subiecto.

63 Et isti quidem acutè satis philosophantur: sed in primis ex falso principio præsupposito, quòd semen viuat: deinde gratis omnino, & sine necessitate dicunt semen acquirere in decisione nouam animam; cum non sit necessarium ad generationem, ad quam sine anima, & sine potentia vitali concurrere posse mox ostendemus. Immo nec sit naturaliter possibile talem nouam animam in decisione accipere, quia si semen in animali perfecto existēs informatur anima sensitiua, aut rationali, & eam amittit per decisionem; ergo non potest naturaliter accipere aliam animam inferiorem.

64 Probatur consequentia, quia non potest animam illam amittere, nisi per veram, & realem corruptionem, vera autem, & realis corruptio nō potest terminari ad corpus viuens: sed ad cadauer; ergo nec potest naturaliter animæ sensitiuæ succedere immediatè vegetatiua in eadē materia, sed cadauer, quo succedente non datur virtus in tota natura, quæ possit immediatè restituere cadauer ad vitam.

Recentiores tandem isti non videntur sibi constare: nam ex vna parte generatiuam potentiam non distinguunt à nutritiua cum Arist. Ex altera verò eas collocant in diuersis subiectis: cum nutritiua sit in animali, & partibus eius, quæ nutriuntur, & augentur propriè, & generatiuam ponant in semine, in quo non datur potentia nutritiua: cum nec nutriatur, nec augeatur propriè, vt probaui, in diuersis verò subiectis repugnat esse idem numero accidens, vt per se est manifestum.

Alij verò potentiam generatiuam non in semine collocant tanquam in subiecto: sed in viuente ipso, existimantes esse potius virtutem factiuam seminis, dicunt tamen nō esse in parte aliqua determinata corporis tanquam in subiecto: sed per totum corpus, & omnibus partibus dispersam, & ita in omnibus partibus semen fieri, & ab omnibus attrahi, dum pro exercitio generationis deciditur.

65 Sic sentit Hippocrates in l. de genitura, & in lib. de locis, & Albertus Magn. 2. lib. de anima, trac. 2. c. 7. Probant, quia ex semine, & per virtutem seminalem generatur fœtus similis generanti secundum omnia mēbra: ergo necesse est, quodlibet membrum aliquid proprium conferre, vt tot membra similia singulis membris generantis producantur per generationem: nam si in vna tantùm parte determinata formaretur semen, & ab ea solùm decideretur, non esset maior ratio ob quam vnum, quam alterum membrum ex eo fieret, vt cor, quàm caput, immo omnia membra formarentur similia illi parti. Quod posset confirmari à signo, quia ex nimia seminis emissione debilitatur totum corpus, & omnes eius partes; signum igitur est, quòd ex omnibus trahatur semen decisum.

66 Oppositam nihilominus sententiam, *quòd non fiat semen in omnibus partibus corporis, nec ex omnibus trahatur, & proinde, quòd potentia generatiua* (si virtus factiua seminis est) *non sit dispersa per totum corpus, & omnes eius partes: sed solùm in parte quadam determinata*, tenet Aristot. 1. lib. de generat. animal. c. 17 & 18. Galen. in lib. de semine, & Fernel. lib. 7. Physiol. c. 2. Paral. in lib de semine, & multi alij ex medicis, quos citat Vales. 1. lib. controu. med. & hæc est vera. Quæ probatur satis efficaciter ex semine arborum, & aliorum fructuum in parte determinata formatorum, & existentium, atq; ex quibuscunque alijs succis, vel humoribus corporis, vt ex atra bili, sanguine, & lacte in parte quadam determinata productis; ita ergo censendum est de semine. Deinde quia fundamentum oppositæ sententiæ planè est insufficiens, quia nec diuersitatem partium, vel organorum corporis similium in genito, & generante

nerante efficit materia seminis: sed virtus deriuata in eo ab anima, per quàm formantur organa, ac partes corporis; quare cùm in determinata parte fit anima, in ea potest fieri totum semen accipiens ab ea virtutem formandi similia organa his quæ sunt in generante.

67 Et certè si in omnibus partibus deberet formari semen propter similitudinem in omnibus membris, sequitur euidenter, quòd si generanti deficeret aliquod membrum, non posset generare fœtum integrũ: sed necessariò membro illo orbatum, quòd patet esse falsum. Debilitas verò ex nimia seminis effusione causata in toto corpore ex eo prouenit, quòd pars illa, in qua fit semen, & ex qua deciditur, fugit à vicinioribus sanguinem, & istæ ab alijs, & ita debilitantur omnes.

Nostra igitur sententia circa subiectum potentiæ generatiuæ duo asserit.
Primum *nec esse in semine coniuncto, nec in deciso* contra priorem sententiam. Quòd euidenter sequitur ex eo, quòd neutrum viuat, vel informetur anima; nam potentia generatiua vitalis est, sicut actus ipse generandi sibi simile: sed potentia vitalis naturaliter, & necessariò debet esse coniuncta cum suo principio, à quo emanat, nempe anima: ergo repugnat naturaliter, quòd potentia generatiua sit in subiecto non viuente, aut in quo non est anima: sed probatum est nullum semen viuere; ergo repugnabit esse in eó tanquam in subiecto.

68 Secundò asserit *potentiam generatiuam solùm esse in ea parte viuentis, in qua semen fit tanquam in subiecto* contra posteriorem. Quòd vt intelligatur in memoria reuocandum est illud, quod superius docuimus, videlicet nutritiuam potentiam habere diuersas partes in diuersis partibus viuentis corporis, & quasdam quidem perfectiores alijs ex differentia indiuiduali partiali, & consequenter effectus diuersos. Quos omnes operando circa alimentum per diuersas virtutes inferiores, quibus pro instrumentis vtitur præstat: ita vt ex eodem sanguine efficiat medullam in ossibus, & partem ossis per conuersionem substantialem eiusdem medullæ. In partibus verò carnis efficiat carnem, & in mammillis præter nutrimentum earum, ex eodem sanguine efficiat lac pro nutrimento fœtus, in alia verò parte corporis efficiat semen, cui tribuit virtutem organizandi materiam, & attingendi introductionem animæ in ea.

69 Quæ virtus seminalis (quantum mirabilis) vitalis non est: sed inferior potentia vitali generatiua, & instrumentum eius, separatum quidem, quo medio hæc præstat. Et ideo hæc omnia animæ, vt principio formali, & incompleto: sed in hoc genere præcipuo tribuuntur, viuenti verò per illam, vt principio completo, & potentiæ nutritiuæ secundum illam partem, per quàm producit semen ex sanguine medijs instrumentis inferioribus, & à qua habet rationem potentiæ generatiuæ tanquam præcipuo instrumento vitali coniuncto animę tanquam vitali potentiæ eius.

Et ecce tibi subiectum potentiæ generatiuæ esse determinatam partem corporis, in qua residet tanquam pars quædam integralis nutritiuæ potentiæ inter præcipuas numeranda.

Vnum in calce huius quæstionis animaduertendum iudico, quòd apud authores quosdam reperio, videlicet semen, vt generationi deseruiat, prius conuerti in sanguinem.

70 Quod non videtur mihi necessarium; immo nec verum, aut naturaliter possibile; nam cum semen factum sit ex depurato sanguine non potest iterum in sanguinem conuerti; immo nec possibile est, quod iam decisum sub forma seminis conuertatur in sanguinem, quia dum fit ex sanguine, accipit seminalem virtutem, quàm sub forma sanguinis non habebat: ergo non potest conuerti rursus in sanguinem, quin eam amittat, ea verò amissa non poterit naturaliter organizare corpus, nec efformare membra, nec generationem attingere.

QVÆ-

QVAESTIO IV.

Quidnam sit generatio viuentium propria & in quo sensu vocata sit ab Aristotele naturalissimum opus viuentis.

71 VT explicemus, quid generatio sit, quod est primum in titulo quæstionis contentum, duplex acceptio generationis distinguenda est: communis, atque impropria; & specialis, ac propria; & generationis quidem modo priori acceptæ duplex definitio colligitur ex doctrina Aristotelis, prior ex 5. lib. Phys. c. 1. tex. 7. quæ talis est. *Generatio est mutatio à non esse simpliciter ad esse simpliciter.* Posterior verò ex 1. lib. de gener. c. 4. tex. 23. ita habens. *Generatio est mutatio huius totius in hoc totum nullo sensibili remanente eodem, vt subiecto.* Et duæ istæ definitiones eadem sunt, & solú differunt in eo, quod posterior explicatior est.

Generatio verò specialiter, & propriè sumpta in solis viuentibus reperitur, cuius definitionem integram non inuenio apud Aristotelem, eam tamen ex diuersis, quæ de illa docet pluribus suæ doctrinæ locis, præsertim 7. lib. Metaph. c. 8. tex. 28. 8. lib. Ethic. c. 12. sect. 3 prob. q. 14. atque etiam in libro de gener. anim. & de historia anim collegit, atque composuit D. Thom. 1. p. q. 27 ar 2. & recepit ab eo schola Theologorum, quæ sic habet. *Generatio est origo viuentis à viuente coniuncto secundum similitudinem eiusdem naturæ specificæ.*

72 Hoc autem modo explicanda est, vt per primam particulam, nempe, *origo viuentis à viuente,* significetur processio, seu emanatio vnius viuentis ab altero tanquã à principio effectiuo, & ideo excludatur communis, atque impropria generatio superius explicata, quæ licet dicat processionem vnius substantiæ ab altera. Dicit præterea imperfecta generatio transmutationem de non esse substantiæ ad esse substantiæ, quàm non dicit eadem particula posterioris definitionis; nam origo vnius viuentis ab altero communis est rei transeunti de non esse ad esse, atque ei, quæ semper habuit esse. Quare in hac particula nihil imperfectionis importatur: cum tamen in prioribus definitionib. importetur intrinseca imperfectio rei geni tæ incipientis habere esse post non esse, & ex consequenti ipsiusmet generationis, per quàm accipit esse post non esse. Per secundam vero particulam, videlicet, coniuncto, explicatius distinguitur generatio viuentium.

73 Nam generationem viuentis esse à principio coniuncto denotat, quod aliquid de substantia propria generantis communicetur rei genitæ, & ita contingit in hac generatione propria, in qua vnum viuens producit aliud, non ex alia extrinseca substantia, cuius materiam disponat pro introductione formæ suæ speciei, sed aliquid propriæ substantiæ exhibens, cui virtutem communicat disponendi, & organizandi materiam, & vniendi ei formam, & id quidem in generatione viuentium materialium, atque imperfectorum contingit, non tamen necessarium est ad propriam generationem viuentis, sed quod ei communicet generans propriam substantiam absque his imperfectionibus, abundè satis sufficiet, immo perfectissima generatio erit, generatio vero nõ viuentiũ non fit ex propria generantis substantia, quia nihil proprium exhibet generans, ex quo genitum fiat, sed extraneam materiam disponens, & ex ea similem formam educens, aut ei vniens compositum dicitur generare.

74 Vltima particula definitionis est, *secundum similitudinem naturæ specificæ,* per quã (inquit D. Thom.) excluditur productio vermium ex animali, vel homine, quia nõ procedunt secũdum similitudinem eiusdem naturæ specificæ: capilli vero, & vngues geniti non sunt, etiam si informentur anima, & procedant in similitudinem naturæ, quia generatio est origo vnius viuentis ab alio, capilli vero, & vngues non sunt aliud viuens distinctum, sed partes eiusdem viuẽtis, quæ vel in eo producuntur à principio generationis, vel virtute nutritiuæ potentiæ postea fiunt ex alimento. Itaque generationem esse originem viuentis à viuente coniuncto in similitudinẽ naturæ specificæ significat planè, quod procedens sit viuens completũ realiter distinctum à viuente, à quo procedit, & non sit eius pars.

75 Alioqui nutritio eiusdem viuentis esset completa generatio. Per eandem particulam, *Secundum similitudinem naturæ specificæ*, excluduntur etiam omnes generationes æquiuocæ, etiam rerum viuentium, & ostenditur solùm conuenire definitionibus vniuocis, & has solùm esse propriè generationes.

Ex definitione sic explicata colligo primo, rem propriè genitam solum dici eam, cui ex propria ratione generationis conuenit esse similem generanti in aroma specie, & non aliunde, aut ex alio capite, nam si generatio viuentium ex propria, atque essentiali definitione debet terminari ad rem similem in natura specifica, sequitur rem genitam ex propria ratione generationis, & non aliunde similem esse debere in specie principio generanti, vel si aliunde talem habuerit similitudinem, & non ex ratione suæ productionis, talem eius productionem non esse generationem, quia non est per se productiua rei similis in specie principio generanti, nec rem productam genitam esse.

76 Secundo colligo generationem muli ex equo, & asina, & cœteras omnes generationes æquiuocas non comprehendi hac definitione, quia per illas non consequitur natura finem primario intentum, nec tales dicuntur naturalissima viuentis opera, nec efficiunt propriè, & per se simile, sed impropriè, & per accidens: quare improprijssimam rationem generationis habent, veluti generationes non viuentium Et ideo prima mulier producta à Deo ex costa viri, nec fuit genita, nec productio illa fuit generatio, quia licet processerit similis viro in atoma specie, non ex vi talis productionis, quia sicut ex costa viri facta est à Deo mulier: potuit fieri vir alius, immo, & leo, vel equus, & solum facta est mulier potius, quam res alia ex diuina voluntate, sic vel alio modo dispo nente materiam, vt postularet introductionem animæ rationalis mulieris, potius quã viri, & potius quàm alterius animæ, aut for mæ, productio vero de se erat indifferens ad quamlibet substantiã corpoream producendam, & ideo generatio propria viuentis esse non potuit.

77 Colligitur tertio, quod si detur productio aliqua, vel processio vnius viuentis ab alio adeo perfecta, vt ex propria sua ratione, quod per eam producitur, procedat simile producenti, non solum in specie, sed in eadem numero natura ei communicata, talis processio nõ solum erit vera, & propria generatio, sed perfectissima, cui perfectissimè conueniet definitio tradita. Et talis est processio Verbi diuini à Patre æterno. Quæ cum sit intellectualis, & intellectus operetur per modum similitudinis, & assimilationis producens terminum, qui sit similis principio intelligenti, vt intelligens est, & cum in hac eadem ratione intellectualis processionis sit infinitè perfecta, habet pro termino rem proprijssimè, ac perfectissimè similem, non solum in natura specifica, sed indiuiduali, nempè Verbum diuinum eiusdem naturæ cum Patre ex ratione eiusdem productionis, & ideo productio ipsa est proprijssimè generatio, & Verbum diuinũ perfectè genitum: nam quod in eadem definitione ponatur similitudo in eadem specie, non tollit, quin si maior sit possibilis, quo maior sit, eo sit generatio perfectior. Vnde sensus illius particulæ est (vt ostendimus) quòd sit origo viuentis à viuente coniuncto secundum propriam similitudinem, quæ vt minimum debet esse in specie atoma, nam generica iam est impropria, & cum entes sit perfectiorem esse, aut summam similitudinem, si sit in eadem numero natura, perfectiorem habebit rationem generationis ea, per quam procedit hoc modo simile.

78 Processioni vero Spiritus sancti non conuenit definitio generationis, quia cum sit per voluntatem, non habet modum similitudinis, aut assimilationis, sed potius modum inclinationis in bonum, nec ideo procedens ea ratione talis processionis procedit simile, sed quasi actualis inclinatio, vel actualis amor per actum voluntatis productum, qui etiam est amor, nihilominus cum talis processio sit diuina, & quidquid in Deo est, sit ipsa diuina substantia; amor ita procedens Deus est, & ideo similis principio spiranti, videlicet patri, & filio, non quidem ratione suę processionis, sed ex eo, quod intra Deum ipsum procedit, & ideo non est Deus genitus, sed Deus spiratus, hæc vero Theologis sunt relinquenda.

Posterior quæstionis pars.

79 Sed restat in posteriori parte eiusdem quæst. explicanda vniuersalis illa pro posito Aristot. c. præsenti text 34. contenta, nempe; *Naturalissimum opus viuentis, est generare sibi simile*. Circa cuius sensum certum est, quod generatio sibi similis sit opus naturale viuentis: cum sit operatio vitalis eius, & per potentiam generatiuam sibi naturalem elicita. Difficultas ergo solum esse potest, quare dicatur naturalissimum opus viuentis. nam vt hoc sit verum, non satis est, quod opus sit naturale, sed quod magis sit naturale, quàm cætera, vel quod nullum dari possit ita naturale: Et mihi videtur etiam in primis certum comparationem hanc solùm fieri ab Aristotele inter opera viuentis, vt viuens est, & ideo solùm inter opera, quæ ex gradu vitę omnibus communi procedũt. Eiusmodi autem tria tantùm sunt, nempe nutritio, augmentatio, & generatio sibi similis, ergo inter has tres operationes tantùm constituit Aristoteles comparationem, dicens, quod licet naturales sint viuẽti omnes, magis tamen naturalis est generatio, quàm nutritio, & augmentatio, & de veritate huius comparationis sic expositæ difficultas esse potest.

80 Circa quàm omissis multis alijs expositionibus, duas tantùm proponam, quæ mihi placent. Prior est omnium ferè interpretum huius loci, quod generatio sit opus magis naturale cæteris ex proprio fine, cuius gratia à natura intenditur, qui est bonũ speciei consistens in perpetua conseruatione eius, ideo enim data est viuenti potentia generatiua à natura, vt per eam producat aliud, vel alia indiuidua, vt cũ non possit per se ipsum (quia corruptibile est) conseruare perpetuo speciem, eam efficiat perpetuam in alijs: finis verò nutritionis est cõseruatio indiuidui, quia per eam quodlibet indiuiduum intendit se conseruare in proprio esse indiuiduali, sed commune bonum speciei perfectius est, & quasi diuinus bono particulari cuiuslibet indiuidui, & ideo magis, ac prius intentum à natura, quæ propter conseruationem speciei intendit conseruationẽ indiuidui: quod verò magis, ac prius est intentum à natura, dicitur, & est magis naturale; merito ergo Aristoteles inter opera animæ vegetatiuæ naturalissimum vocauit generationem.

81 Nec probat aliquid contra hunc sensum, quòd de nutritione obijciunt recentiores quidam, videlicet non solum ordinari ad bonum, & cõseruationem indiuidui, sed etiam ad bonum, & conseruationem speciei quia propterea natura nutrit, ac fouet indiuiduum, vt in eo conseruet speciem. Nam hunc finem conseruandi speciem non intendit per se primò, atque immediatè nutritio, sed quasi secundario, aut ex consequenti, & per se primò conseruationem indiuidui. Generatio verò sibi similis nullo modo respicit bonum indiuidui, sed per se primò, & solum, bonum speciei, & propterea semper est verum, quòd sit naturalius nutritione, & omnium operum viuentis, vt viuens est, naturalissimum, vt asseruit Aristoteles, qui hãc doctrinam eleganter scripsit capit. præsenti text. 35. hisce verbis. *Quoniam igitur communicare non possunt ipso semper, & diuino continuatione, propterea quòd nihil contingit corruptibilium idem, & vnum numero permanere, secundum quòd potest participare vnumquodque, sic communicat, hoc quidem magis, illud verò minus, & permanet non ipsum, sed quale ipsum, numero quidem non vnum, specie autem vnum.*

De nutritiua verò, & opere eius loquens textu 47. eiusdem capitis ita ait, *Quare huiusmodi anima principium potentia est talis, vt conseruet habens ipsam secundum quòd est huiusmodi.*

82 Præter hanc expositionem communem, ita à nobis explicatam, particularem aliam excogitauimus, illud tanquam certum fundamentum præsupponentes, quod naturalissimum sit bono perfecto se diffundere, atque communicare alijs, quantum potest, ita vt bonum non communicatum, vel saltem non potens se communicare, quasi sterile, atque imperfectum merito censeatur, iuxta illud, quod de se ipso per accommodationem Deus ipse protulit Isai. 66. *Numquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam, dicit Dominus? si ego, qui generationem cæteris tribuo sterilis ero?*

Sed certum quoque est viuens non posse communicare alijs maximum bonum vitæ, nisi per generationem, quia per nutritionem non se communicat alijs, sed

ſed propriam tantùm vitam in ſe conſeruat; ergo generatio, per quàm viuens diffundit bonum vitæ communicans illud cæteris, perfectiſſimum opus naturale eſt omnium, quæ poteſt habere anima vegetatiua, & ideo naturaliſſimum,& iure tale vocatum ab Ariſtotele.

CAPVT V.

TEXTVS ARIST.

Determinatis autem his dicamus communiter de omni ſenſu.

Breuis expoſitio Textus.

1 Explicatis his, quæ ad potentiam animæ vegetatiuæ pertinent, gradum facit Ariſtoteles ad explicandas potentias animæ ſenſitiuę primò quidem in communi, deinde in particulari. Vt autem naturam earum in communi oſtendat, duo intēdit docere ac probare capite præſenti. Primum, quòd ſenſus ſit potentia paſſiua. Poſtremum, quòd excitetur, ac reducatur ad actum à ſuo obiecto: propterea, in duas partes diuidendum eſt, nam in priori oſtendit illud, in poſteriori hoc.

Ad explicationem igitur primi accedens, aſſerit potentias vegetatiuas eſſe actiuas, hoc eſt tales, quarum proprium officium ſit agere circa ſuum obiectum, non pati ab illo: vt officium nutritiuæ potentiæ eſt agere circa alimentum, tanquam circa obiectum proprium, vt illud conuertat in ſubſtantiam aliti, & ideo potentia actiua dicitur: Senſus verò omnes paſſiuæ potius potentiæ ſunt. Quòd probat ex duobus, primo ex actu earum, deinde ex obiecto. Ex actu quidem, quia tunc ſentire dicuntur, quando alterantur, ſed alterari eſt pati; ergo tunc ſentiunt, quando patiuntur, quare ſentire erit pati, vel certè cum paſſione fiet.

2 Ex quo tandem ſequitur ſenſum eſſe potentiam paſſiuam.

Maiorem illam probat, quòd ſenſatio fiat per alterationem, & motum ſenſitiuæ potentiæ, quia vt ſenſus ſentiat, aliter ſe haberē debet, quàm prius, dum non ſentiebat, aliter autem ſe habet per receptionem alicuius, videlicet ſpeciei, aut proprij actus ſentiendi, vel vtriuſque, ſed recipere eſt alterari, & cōſequenter pati; ergo potentia cum quadam paſſione operatur, quòd eſt eſſe paſſiuam (An verò patiatur à ſimili, vel diſſimili, iam ſe explicuiſſe docet in libris de generatione, vbi docuit id quòd patitur in principio eſſe diſſimile agenti, ſed in fine ſimile, & ita potentia ſenſitiua in principio, hoc eſt, antequam patiatur ab obiecto recipiendo ſimilitudinem eius, diſſimilis eſt ei, ſed per receptionem eiuſdem ſpeciei fit ſimilis, quia habet iam in ſe ſimilitudinem obiecti ipſam aliquo modo repræſentantem, ratione cuius quaſi ipſum met obiectum in ſe habere cenſetur, & ex hoc facta eſt ei ſimilis.) Probat ſecundò ex obiecto, per modum dubij proponens, quare ſenſus non ſentiat ſeipſum, vel ea ſenſibilia, quæ in ſe, vel apud ſe habet non enim videt ſe oculus. Et reſpondet, ideo ſenſum nō ſentire ſeipſum, quia ex propria natura habet, quòd ab alio debeat immutari, vt ſentiat, & hoc eſt, eſſe potentiam paſſiuam, quia ſi actiua foret, non indigeret immutatione ab alio ad operandum, vt patet in omnibus potentijs actiuis tali immutatione non indigentibus ad operandum.

3 In poſteriori parte capitis, explicaturus, à quonam potentia ſenſitiua excitetur, vel ad actum reducatur, duo præſupponit, primum duobus modis dici aliquid potens ſentire, videlicet ſecundum potentiam remotam, & proximam; quemadmodum potens ſcire, nam habens habitum ſcientiæ, dū nihil per eum contemplatur, dicitur potens ſcire potentia proxima, quia nihil ei ad ſciēdum actu deficit, niſi applicatio ad opus, quàm ſtatim habere poteſt, aut cum voluerit, niſi aliquod adſit impedimentum extrinſecum infirmitatis, vel ſomni, aut quippiam aliud. Qui verò ſolam habet potentiam intellectiuam ſine habitu ſcientiæ, vt puer, dicitur ſciens in potentia remota, quia proxima caret, quæ habetur per habitum. Et qui hoc tantum modo dicitur ſciens in potētia, non erit ſciens actu, niſi præcedente alteratione ac paſſione, hoc eſt, receptione habitus, per quem perueniet ad actum, quæcunq; enim receptio qualitatis, vel habitus, alteratio quædam, ac paſſio vocatur. Sciens verò in

in potentia proxima peruenire poteſt ad actum ſententiæ ſine prævia alteratione, hoc eſt, ſine receptione habitus, per quem iam cenſetur eſſe in proxima potentia.

4 Pariter ergo potens ſentire dupliciter dicitur, aut ſecundum potentiam proximã, aut ſecundùm remotam tantùm; ſecundùm proximam quidem, ſi potentiam ſenſitiuam habeat, & ideo quodcunque animal hoc modo dicitur ſentire potens: potens verò ſentire in potẽtia remota erit illud, quòd nec potentiam ſenſitiuam habet, ſed in proxima diſpoſitioni cenſetur eſſe, vt eam habere poſſit, quo pacto ſemen organizatum pro introductione animæ ſenſitiuę dicitur ſentire potens ſecundum potentiam remotam. Itaque idem eſt in ordine ſentiendi habens potentiam, ac in ordine ſciendi habens potẽtiam cum habitu, & etiam nondum habens potentiam ſenſitiuam, ſed proximè habere potens, idem eſt in ordine ſentiendi, ac in ordine ſciendi habens intellectum ſine habitu.

Secundùm præſuppoſitum eſt diſtinctio paſſionis propriè ſumptæ ab impropria; & paſſionem propriè tantùm ſumi ait pro receptione alicuius diſconuenientis, ac diſponentis ad corruptionem, & talis paſſio eſt quæcumque receptio actiuæ qualitatis habẽtis contrarium in eodem ſubiecto; nam per talem receptionem ad corruptionem diſponitur ſubiectum.

5 Paſſio verò impropria dicitur receptio quæcumque etiam rei perficiẽtis. Quando ergo dicitur ſenſus potentia paſſiua, quia non operatur, niſi immutetur ab obiecto, per receptionem ſpeciei ab eo impreſſæ, nõ de paſſione propria, ſed de ſola impropria intelligitur, quia recepta ſpecies non diſponit ſenſum ad corruptionem, ſed potius eum perficit.

His ſuppoſitis explicat iam, quid ſit illũd, quod potẽtiam ſenſitiuam reducit ad actum hac diſtinctione. Potens ſentire ſecundùm potẽtiam remotam reducitur ad actum eiuſdem potentiæ à generante, vt ſemen proximè diſpoſitum pro receptione animæ ſenſitiuæ, ſimul cum eadem anima recipit à generante potentiam ſenſitiuam: per quàm dicitur ſenſitiuum actu, aut in proxima potentia. Senſitiuum verò in potentia proxima, quale eſt habens potentiam ſentiendi nondum applicatam ad actum, reducitur ad actualem ſenſationem ab obiecto ſenſibili, quemadmodum intellectiuum in potentia proxima, quale eſt habens intellectum cum habitu, reducitur ad actum intelligendi ab obiecto intelligibili.

6 Differunt tamen obiectum ſenſus, & intellectus (inquit Ariſtoteles) quia obiectũ ſenſus eſt ſingulare exiſtens extra intellectũ, intellectus verò vniuerſale non exiſtens extra intellectum, ſed intra ipſum, quia vt intellectus intelligat, opus eſt ſpeciem obiecti intra ſe habere, per quam in memoria reſeruatam, atque repræſentantem obiectum, dicitur obiectum ipſum intra ſe habere, non quidem in eſſe reali, vel materiali, ſed in eſſe intelligibili, in quantum per ſpeciem repręſentatur, per hanc verò poteſt ſemper ipſum intelligere, licet non ſit in natura rerum. Senſus verò cum ſit potentia materialis, materialia ſum, ac ſenſibilia ſentire poteſt, & ideo ſolùm ſingularia extra ſe exiſtentia, quæ proinde non poteſt cognoſcere, niſi actu exiſtant, & per ſe excitent ſenſum, & ſenſationem eius terminent; loquitur enim Ariſt. de ſenſibus externis, in quibus vera ſunt hæc. Ex quo aliud diſcrimen colligit inter potentias ipſas ſenſitiuas, & intellectum, nam per intellectum cum volumus operamur, aut intelligimus, ſiue obiectum præſens ſit per ſe extra, vel non, quia intra eundem intellectum adeſt per ſpeciem repræſentatum.

7 Quod planè intelligendum eſt poſtquam ſemel illud percepimus media ſpecie, nam ad primam perceptionem eius, etiam requiritur aliquo modo obiectum extra intellectum, quod non ſemper adeſt. Sed non ſentimus cum volumus, quia deficit ſæpè obiectum per ſe ipſum præſens, quòd omnino requiritur ad ſenſationem ſenſuum externorum, non ſolùm primam, ſed quamlibet aliam.

CA-

CAPVT VI.

TEXTVS ARISTOTELIS.

Dicendum autem secundum vnum quemque sensum, & de sensibilibus primo.

Breuis expositio textus.

8 Capite præcedenti docuit Aristoteles sensum esse potentiam passiuam, patiq; ab obiecto, à quo reducitur ad actum sentiendi. Intentum verò huius capitis est communem rationem obiecti sensibilis, à quo patitur, nobis ostendere.


9 Diuiditur autem in duas partes; in priori diuidit sensibile duplici diuisione. In posteriori verò comparat membra vtriusque diuisionis inter se, vt ex comparatione magis elucescat ratio omnium. Sensibile igitur in commune diuidit Arist. priori diuisione in sensibile per se, & per accidens; sensibile per se est, quòd per se, hoc est, ratione sui, & non alterius immutat sensum, vt color per se immutat visum, & sonus auditum; rationē verò sensibilis per accidens postmodum explicat. Posterior diuisio est quasi subdiuisio alterius membri prioris, nempe sensibilis per se, quòd duplex esse ait, cōmune, & proprium; sensibile proprium tribus describit modis primo: *Quòd vnius tantum sensus obiectum est, & ab eo solo percipitur non ab alio*, vt sonus à solo auditu. Deinde, *Circa quòd non erat sensus*, vt circa colorem, vel lucem non erat visus. Tertiò etiam illud describit in calce capitis, dicens esse, *id cui temperamentū proprij organi proportionatur*, vel vt alij exponunt, ad quòd talis sensus per se primò ordinatur, vt ad visibile visus. Sensibile commune est, *Quòd à pluribus sensibus percipitur*, vt motus à visu, & auditu. Quinque autem esse docet sensibilia communia, videlicet, figura, magnitudo, seu quantitas, numerus, motus, & quies. Sensibile per accidens illud esse asserit, *Quòd non immutat sensum, nec ab eo patitur sensus per se*, sed vtrunque habet ratio ne alicuius sensibilis per se ei coniuncti, vt substantia non immutat sensum per se, nec ab ea sensus patitur, sed ratione coloris, vel alterius accidētis per se sensibilis; vnde non dicimur videre Petrum, aut Ioannem, quia tales homines sunt, sed quia talem habent colorem per se visibilem ratione cuius videntur.

10 In posteriori tandem parte comparat primò sensibile proprium, & commune ex vna parte cum sensibili per accidens ex altera, asseritque hoc differre, quod commune, & proprium agunt per se, hoc est, ratione sui in sensum. Sensibile verò per accidēs, non ratione sui agit in sensum, sed solùm ratione alterius, cui coniungitur. Comparat secundò sensibile proprium, & commune inter se in eo, quòd licet sensibile per se vtriq; conueniat, proprius tamen, atque perfectius conuenit sensibili proprio, quàm communi, quia temperamentum organi cuiusque sensus magis est proportionatum proprio sensibili eiusdem sensus, quàm communi.

TRACTATVS DE OBIECTIS Senſibilibus, & modo, quo immutant ſenſus per ſpecies intentionales, ac de natura earundem ſpecierum.

QVÆSTIO I.

An ſenſus ſit potentia paſſiua.

11 Rimum, quod Ariſt docuit c. 5. fuit, quòd ſenſus ſit potentia paſſiua, & hoc eſt etiam primũ quod in controuerſiam vocamus.

Et prima opinio ponit in quodlibet organo ſenſus duplicem potentiam ſenſitiuam, paſſiuam vnam, quæ immutatur ab obiecto per receptionẽ ſpeciei ab eo, & ideo officium eius ſolùm eſt recipere ſpeciem obiecti, & actiuam alteram ad eliciendum actum ſenſationis præſuppoſita receptione ſpeciei. Ita Apollinaris 2 lib. de anima, q. 13. & Iand. q. 16. Probant teſtimonio Ariſt. 3. lib. de anima, c. de intellectu agẽte; vbi duplicem poſuit virtutem, aut potentiam neceſſariam ad intelligendum, vnam quidem actiuam, quæ vocatur intellectus agens, & aliam paſſiuam, quæ vocatur intellectus poſſibilis; ergo cenſet duplicem aliam eiuſdem proportionatam eſſe neceſſariam ad ſentiendum.

12 Probatur conſequentia, quia eodem modo loquitur de potentia ſenſitiua, & intellectiua, & eodem modo fiunt intellectio, & ſenſatio per receptionem, & actionem. Probant deinde ratione, quia in quolibet genere debet correſpondere cuicunq; potentię paſſiuę alia actiua, à qua reducatur in actum, quia repugnat eandem potentiam eſſe ſimul actiuam, & paſſiuam, ſed ad ſentiendum requiritur receptio ſimul & actio; ergo potentiæ recipienti, vel patienti correſpondere debet potentia agens, & ita duplex erit neceſſario ponenda in organo cuiuslibet ſenſus, actiua, & paſſiua.

13 Hæc tamen ſententia contraria eſt doctrinæ Ariſtot. & rationi. Probatur primum ex capite præſenti, vbi cum docuiſſet ſenſum eſſe potentiam paſſiuam, addidit reduci ad actum à virtute actiua externa, nempè ab obiecto, & non ab alia virtute interna, quæ ſit potentia ſenſitiua agens, neque vſquam alibi talem ſenſum agentem poſuit. Immo in 3. lib. vbi præter intellectum poſſibilem poſuit agentem, non poſuit illum ad intelligendum, ſed ad ſolam productionem ſpeciei intelligibilis, per quàm fieret poſſibilis in actu primo ad intelligendum, ſed ſenſum fieri in actu primo ad ſentiendum docuit per immutationem, & actionem obiecti externi in ipſum, & non per virtutem internam, aut ſenſum internum; ergo non cenſuit eſſe neceſſariũ, nec ideo in doctrina eius poteſt poni. Probatur etiam ratione non eſſe ponendum; ſenſus agens non eſt neceſſarius ad productionem ſpeciei ſenſibilis, quia

hæc producitur sufficienter ab externo sensibili eidem potentiæ sensitiuæ proportionato, sed nec ad recipiendam speciem ab eo productam requiritur alia potentia distincta ab actiua eliciente sensationem, sed hæc sufficit pro vtroque officio recipiendi speciẽ ab obiecto, & eliciendi sensationem; ergo frustra additur sensus agens, & ideo non est vllo modo admittendus. Probatur minor ex intellectu possibili sufficiente ad eadem duo officia, etiam apud aduersarios, nam eadem est potentia intellectiua recipiens speciẽ obiecti ei impressam ab intellectu agente, & phantasmate, & eliciens actum intelligendi; ergo eadem potentia sensitiua erit sufficiens ad recipiendam speciem ab obiecto externo, & ad eliciendam sensationem, quare non est necessarium multiplicare aliam Et ex hoc deprehenditur deceptio huius sententiæ in eo consistens, quod non est necessaria alia potentia animę ad producendam speciem sensibilem, per quam vniatur obiectum sensui, sed obiectum externum sufficit, cum sit ei proportionatum: in parte verò intellectiua requiritur potentia actiua ad producendam speciem intelligibilem in intellectu cognoscente, quia passiua potentia est, quia obiectum materiale externum non est proportionatū eidem intellectui cognoscenti, & ideo non potest per se imprimere ei speciem sui, nisi eleuetur ab alia virtute spirituali actiua.

14 Et ex his exposita est mens Aristotelis ponentis duplicem virtutem ad intelligendum, & ad sentiendum vnam tantum, atque etiam solutum argumentum eiusdem sententiæ Nam potentiæ passiuæ debet correspondere actiua ei proportionata, à qua reducatur in actum, & ita correspondet sensui; vt est potentia passiua, alia actiua, sed extrinseca, nempe obiectum cuius virtute producitur species, & immutatur sensus, quia satis proportionata est eidem sensui, quare nõ requiritur actiua intrinseca, sicut in intellectu, cui non datur extrinseca proportionata.

Secunda opinio solum ponit vnam potẽtiam sensitiuam in quocunq; organo, & hãc dicit esse purè passiuam, ita vt nihil efficiat ad sensationem, sed solùm præster concursum passiuum recipiendo speciem, nihilominus sentire dicatur, quia sensatio non consistit in actione aliqua, sed solū in receptione speciei, siue in vnione eius cum potentia sensitiua. Sed receptionem speciei dupliciter distinguunt; prior distinctio est, posse sumi in ratione accidentis, vel vt est virtus obiecti repræsentans illud, & receptio speciei vt accidentis non est sensatio, sed vt virtutis obiecti.

15 Sed adhuc hoc modo sumpta distinguitur posteriori distinctione in receptionem quasi materialem, vt quando recipitur in potentia non attendente, vel aduertente, ac reciperetur in aere, & hoc modo receptio speciei nõ est sensatio, quia ad sensationem requiritur aduertentia ex parte potentiæ, si verò cum aduertentia potentiæ recipiatur: sola ipsa receptio, vel vnio speciei cum potentia aduertente erit sensatio. Dum ergo dicunt receptionem speciei, vel vnionẽ eius cum potentia esse sensationem, non de vnione speciei, vt accidẽtis loquuntur, sed vt virtutis eiusdem obiecti ipsum repræsentantis, & cum aduertentia eiusdem potentiæ receptæ. Ita sentiunt Ægid. q. 1. de cognitione Angelorum, Nimph. in libello de sensu agẽte. Thiennens. 2. lib. de anima com 61, Venetus in Summ. de anima c. 10. Caiet. c. 5. huius libri. Probatur testimonijs Arist. qui tria asserit de potentia sensitiua, & sensatione; primum, c. 5. huius libri per totum, quod sensus est potẽtia passiua, & reducitur in actum ab externo efficiente, nempe obiecto.

16 Ex hoc autem sequitur sensationem effectiuè à solo externo principio procedere, sensum verò pati tantum ab eo, & ideo sensationem in sola receptione speciei ab obiecto consistere; quę quidem ab eodẽ obiecto procedit effectiuè. Secundum, quod asserit textu 59. eiusdem capitis est, principia effectiua sensationis extra sensum esse.

17 Et tandem in 3. l. text. 140. ait, eundem esse actum sensibilis, & sensitiui, vel sensus, & hunc in sensū, non in sensibili esse, sicut idem motus sunt actio, & passio, & vtraque in passo recipitur, hæc sunt verba Aristotelis: *Sicut enim actio, & passio in patiente est, sed non in agente, sic & ipsius sensibilis actus in ipso sensitiuo existit*, quibus planè docet ad sensationem solum concurrere sensum recipiendo actionem sensibilis, quæ prout in sensu recepta sensatio dicitur. Probatur etiã ratione, quia sentire nihil aliud est, quàm percipere obiectum sensibile, sed eo ipso, quod potentia recipit speciem cum aduertentia;

centia, dicitur percipere obiectum sensibile, ergo eo ipso dicitur sentire absque vlla alia actione.

Hæc tamen sententia in primis est contra doctrinam Aristotelis, qui duo docet de sensationibus, videlicet esse operationes vitales, dum animam ca.2.huius libri definit dicés, esse principium, quo viuimus, sentimus, mouemur, & intelligimus, docens hos omnes esse actus vitales, quos exercet anima per potentias vitales, sed receptio speciei in potentia non est actio eiusdem potentiæ, sed obiecti, vt fatetur eadem sententia: potentiæ verò solùm est passio, respectu verò obiecti cuius est actio, vitalis esse non potest cùm non sit ab eo tanquam à principio vitæ; ergo non est actio vitalis.

18 Secundò asserit esse actiones immanentes 9.lib.Metaphys.c.4.tex.16. ergo non possunt consistere in receptione speciei ab obiecto, quam sub ratione actionis patet esse transeuntem: cum procedat ab obiecto, & transeat ad potentiam, in qua recipitur.

Deinde est etiam contra rationem; primo quia experientia constat recepta specie in oculo sæpe non fieri visionem, vt in dormiente, aut vigilante, sed distracto ad alia; ergo non consistit in sola vnione speciei cũ potentia. Nec soluit argumentum, quod dicunt non recipi in his casibus cum aduertentia, aut conatu potentiæ, & ideo non dari sensationem, quia conatus, vel aduertentia non est intelligibilis sine aliqua actiuitate, vel actione potentiæ, nam per solam receptionem alicuius in se non dicitur recipiés conati, neque aduertere; ergo sensatio præter receptionem speciei in potentia dicit actionem eiusdem potentiæ habentis speciem.

19 Secundò probatur ex intellectione, & sensatione internorum sensuum, quibus omnino assimilantur sensationes externæ, vt visio, sed intellectio, & sensatio interna non potest in sola receptione speciei consistere: sed præter illam dicit actionem eiusdem potentiæ informatæ specie; ergo idem habere debet externa sensatio. Minorem probo, quia sensus internus discernit iudicio quodam imperfecto sensatum per visum, non esse sensatum per auditum, atque etiam suo modo externi sensus de suis obiectis iudicant; iudicium vero (quoduis illud sit) aut discretio non potest fieri per solam receptionem speciei: sed actiuitatem potentiæ postulat, ergo sicut intellectio; ita quæcumque sensatio interna, vel externa præter vnionem speciei cum potentia actionem eiusdem potentiæ important, in qua præcipuè consistunt.

20 Tertia opinio etiam asserit sensum esse potentiam purè passiuam: sed alia via procedit, non enim in sola receptione speciei sensationem consistere intelligit: sed in actione quidem, non quam eliciat effectiuè potentia: sed anima media specie recepta: potentiam verò nihil aliud præstare præter passiuum concursum ad speciem recipiendã requisitum, eo ferè modo, quo aqua per calorem receptum ab igne calefacit; nullum tamen concursum actiuum ad calefactionem præstat: sed à solo calore in ea existente effectiue procedit calefactio Ita Albert Magn. 2.par.Summæ de homine, tractatu de sensibus animæ.

Et ad hanc ferè reduci potest sententia illa, quæ asserit potentiam sensitiuam nihil præstare ad sensationem præter receptioné speciei, neque speciem ipsam efficere sensationem: sed quasi obiectiuè excitare animã veluti cõsopitam, à qua sola sic excitata procedit effectiuè sensatio. Ita enim senserunt Plotinus Enneade 4 lib.6. Simplic.2.l.de anima, textu 51.& 52. & vtraque sententia potest probari hoc argumento. Sensatio est vnica, atque simplex actio; ergo ab vnico, ac simplici principio debet procedere: sed anima, potentia, & species sunt res distinctæ; ergo non potest ex omnibus, nec ex duobus effici vnum principium eius: sed ab vno eorum debet procedere, & cum non procedat à nuda potentia ex se indeterminata, necessariò dicendum est, à sola specie procedere effectiuè, vt Albertus docet, vel à sola anima, vt docent alij.

22 Vtraque hæc sententia denegat omnino potentijs sensitiuis effectiuum concursum ad sensationes, & eas efficit purè passiuas, & ideo vtraque probatur falsa. Primo ex doctrina Aristotelis in lib.de Somno, & Vigilia, c.1. vbi docet expresè sensationem non esse animæ solius, neque corporis: sed coniuncti, hoc est, organi compositi ex anima, potentia vitali, & corpore, falsum est ergo eam tribuere soli animæ, vel soli speciei; imo etiam animæ per speciem, & potentiã vitalem omnino ab eius efficientia exclude-

re. Quòd probo duplici argumento; primò, quia potentiæ concessæ sunt animæ à natura: vt per eas tanquam per instrumenta operetur, sicut cæteris rebus inferioribus concessit inferiores potentias ad suas operationes inferioris ordinis tanquam per naturalia instrumenta præstandas. Sed instrumenta concurrant effectiuè ad operationes; ergo falsum est excludere potentias ab omni concursu effectiuo, & eas purè passiuas facere.

23 Secundò, quia si purè passiuæ forent, euidenter sequeretur perfectiores esse potētias animæ vegetatiuæ, quàm sensitiuæ. Probatur consequentia, quia nobilius est agere, quàm pati: sed potentiæ vegetatiuæ sunt actiuæ, & purè actiuæ: ergo nobiliores erunt potentijs sensitiuis purè passiuis.

Argumentum verò pro eisdem sententijs factū, nihil probat, quia falsum est simplex esse debere principium effectiuum cuiuslibet operationis, immo propter rerum imperfectionem sæpe requiritur vnio duorum ad agendum, vt patet in multis trahentibus nauim, ac simulib. Quare nihil repugnat, quod ex potentia vitali, & specie in ea recepta fiat vnum integrum principium sensationis, quo medio eliciatur ab anima.

24 Vera sententia, & tenenda est, *quod sensus sit quidem potentia passiua: non tamen purè passiua, sicut materia prima, sed ex parte passiua, & ex parte actiua, quæ sic explicanda est.* In sensatione tria reperiuntur, primum est obiectum vniti potentiæ per speciem sui, quam ei imprimit, per quàm sufficienter constituitur potentia in actu primo ad operandum, & simul determinatur ad operandum circa tale obiectum. Secundum, potentiam ipsam actuatam per speciem receptam in se ab obiecto elicere sensationem tanquam principium effectiuum eius. Postremum, eandem potentiam recipere actum à se elicitum. Itaque tria hæc præstat potentia sensitiua, non enim verum est, quòd plures ex Græcis interpretibus cap. præsenti sentiunt, obiectum imprimere speciem in nudum organum, & non in potentiam. Sed quòd Latini ferè omnes sentiunt, videlicet in organum quidem potentiæ informatum; ita vt sicut potentia est forma eiusdem organi, per quam operatur; ita etiam sit ratio recipiendi speciem.

25 Quod colligitur ex his, quæ docuit Aristoteles cap. præsenti afferens potentiam sensitiuam passiuam esse, & immutari ab obiecto, & per hanc immutationem quasi excitari ad operandum: immutatio verò non potest alio modo fieri, quam per receptionē speciei eiusdem obiecti; sentit ergo speciem in eadem potentia recipi, & non in nudo organo, alioqui non esset potentia passiua, quia nihil in se recipiens, non pateretur. Supposito verò, quòd potentia ipsa speciem in se recipiat, per eam quoque operabitur, & proprium actum in se etiam recipiet, quia actio immanens (qualis est sensatio) in eodem principio à quo elicitur, effectiuè, tanquam in subiecto recipitur. Hanc sententiam sic explicatam tenent Philop. 2. l. de anima, c. 12. Alex. 1. lib. de anima, c. de intellectu practico, & speculatiuo. D. Thom. 1. p. q. 56. art. 1. & q. 79. artic. 3. Scotus in 1. dist. 3. q. 7 & 2. lib. de anima, q. 1, art. 3. Gregor. & Capreol. ibid. q. 2. Ferrar. 2. contra gentes, c. 82. Sotus in 4. dist. 14. q. 1. art. 7. Tolet 2. lib. de anima, q. 12. Conimb. c. 6. q. 1. artic. 2. & omnes ferè recentiores. Et videtur mihi non solùm probabilis: sed vera, & in doctrina Aristotelis certa, vt ostendunt testimonia aduersus alias opiniones adducta.

26 Quòd autem Arist. in hoc 5. c. docet sensum esse potentiam passiuam, & lib. 3. ca. 4. tex 2. idem prorsus de intellectu, vbi etiā afferit intelligere esse quoddam pati, non est vllo modo contrarium huic sententiæ, quin potius ex eius explicatione à nobis tradita constat germanus sensus vtriusque testimonij: nam ex tribus illis, quæ in sensatione reperiuntur; primum, & vltimum passiones potentiæ sunt, vna quidem antecedens actum sensationis, nempe receptio speciei ab obiecto, & altera consequens eundem actum, videlicet receptio eiusdem actus immanentis in eadem potentia: vnde sic potentia sensitiua est actiua, vt actus eius, in quo sensatio cō sistit, non fiat sine duplici passione antecedēte, & consequente; & ita est passiua ratione vtriusque passionis, vt etiam sit actiua ratione proprij actus, imò præcipua ratio eius est elicere actum vitalem sensationis, nihilominus passiua vocatur ab Aristotele ad distinctionem potentiarum vegetatiuæ animæ, quæ purè actiuæ sunt, & nullo modo passiuæ.

QVÆ-

QVAESTIO II.

An principium effectiuum sensationis sit sola potentia sensitiua, vel simul etiam cum ea species ab obiecto impressa.

27 Quæstione præcedenti definitum est, potentiam sensitiuam informatam specie ab obiecto sibi impressa elicere actum sensationis. An verò ad eundem actũ sola potentia concurrat effectiuè, vel etiam species cum ea, satis difficile est, & propterea propria quæst ione disputandum. Circa quam: Prima opinio tenet speciem non concurrere effectiuè ad actum sensationis: sed solam potentiam, quamuis non possit effectiuum concursum præstare, nisi disponatur prius per receptionem speciei, quæ ideo solùm concurrit disponendo potentiam, & eam obiectiuè mouendo, atque excitando ad actum loco obiecti, cuius virtus est. Ita Henric. quodlib. 4. quæst. 7. Toletus vbi supra conc. 2.

Qui eam probat primò, quia sentire est propria operatio animæ; ergo debet procedere à principio animato media potentia eiusdem animæ: sed species est inanimatum quid, & accidens extrinsecum, & quasi mortuum productum in potentia ab alio accidenti etiam mortuo, vt species visibilis à calore; ergo non potest esse principium vitalis operationis animæ.

28 Secunda opinio communis est, & vera, *quòd species concurrat effectiuè simul cum potentia ad sensationem, ita vt ex vtraque fiat vnum totale principium compositum ex duplici quasi partiali.* Ita D. Thom. 1. p. q. 56. art. 1. & 1. 2. q. 51. art. 5. Scotus in 1. distin. 3. q. 7. §. *Ad quæstionem respondeo, & dico*, & omnes illi, quos citauimus pro nostra sententia, q. præcedente, quod potentia concurrat effectiuè ad sensationem, præter vnum Toletum. Et colligitur in primis ex verbis D. Aug. libro 9. de Trinit. cap. vltim. *Ab vtroque enim pariter notitia à cognoscente, & cognito*, absque dubio tanquam ab efficientibus, sicut partus, vel generatio prolis, cùm procedat à specie impressa potentiæ, tanquam à virtute quasi seminali eiusdem obiecti, a quo ei imprimitur; non enim agit obiectum sensibile per se ipsum cum potentia: sed eam immutando per speciem; ergo effectiuum concursum, quem præstat ad sensationem, non per se: sed per speciem præstat; quare necesse est speciem effectiuè concurrere cum potentia tanquam virtutem obiecti.

29 Probatur deinde ratione, quia potentia sensitiua ex se non est sufficienter constituta in actu primo ad operandum: cum ex se sit indifferens ad quamlibet operationem sui ordinis eliciendam, & ad nullam in particulari determinata, determinatur verò ab obiecto media specie sibi impressa eiusdem obiecti; ergo sicut per speciem terminatur; ita per eam constituitur sufficienter in actu primo, quia non potest operari, nisi determinatam operationem, sicut nec elicit operationem in communi, sed talẽ, determinatur verò per speciem, tanquam per formam sibi inhærentem; ergo species est forma potentiæ determinans, atque complens potentiam, vt sit principium completum, ac determinatum ad eliciendam operationem: sed forma agentis est principium formale effectiuum operationis; ergo species concurrit effectiuè cum potentia ad sensationem; benè igitur concludit Diu. Thom. 1. parte quæst 56. artic 1. agens de concursu speciei ad sensationem his verbis: *Sicut enim calor est principium formale calefactionis in igne, ita species rei visæ est principium formale visionis in oculo.*

30 Vt autem hæc nostra sententia intelligatur melius, explicare oportet quonam modo procedat actus sentiendi à potentia simul, & specie, nempe tanquam ab agentibus totalibus subordinatis, vel partialibus.

In qua re certum mihi videtur, quod non procedat ab eis tanquam à duobus agentib. totalibus sufficientibus, & adæquatis, quia nec sola potentia potest elicere actum vitalem sensationis, nisi determinetur, & compleatur per speciem, nec species potest per se elicere operationem vitalem, quæ ex sua ratione debet procedere à principiò vitali, & proinde intrinseco, quia vita à principio intrinseco prouenit, & consequenter vitalis operatio: vnde necesse est, quòd à neutra procedat sensatio tãquam à principio totali, &

adæquato: sed tanquam à partiali, & inadæquato, ita vt ex vtraque compleatur vnũ totale, & adæquatum principium effectiuum eius.

31 Sed principia partiali alicuius operationis, vel effectus dupliciter se habere possunt, vel modo imperfectissimo, ita vt singula per singulas operationes partiales operentur, & ex multis operationibus partialib. eorum componatur vna operatio totalis, per quam sit etiam totus effectus, qui etiam correspondeat illis quasi per partes, & hoc modo se habent plures portantes pondus: singuli enim per suas actiones partiales distinctas concurrunt, & singulis correspondet pars portationis eiusdem. Hunc autem modum se habendi causarum partialium imperfectissimum voco, quia nõ per se: sed quasi per accidens coniunguntur nullum habentes ordinem, aut subordinationẽ per se. Alio modo minus imperfecto se habere possunt, si per se sint subordinatæ, & vna se habeat ad alteram tanquam actus, vel potentia, quæ per eum determinetur, ac perficiatur in ordine ad operationem; & ita vt non per plures actiones partiales concurrant: sed ita ab vtraque procedat tota ipsa actio, vt singulis non correspondeat pars eius, vel partialis actio, nec actio ab vtroque elicita sit composita ex multis actionib. partialibus: sed actio ipsa in hoc genere simplex sit, hoc est, non composita ex multis actionibus partialibus agentium: & pari ratione nec terminus actionis, vel effectus correspondeat eis per partes: sed singulis totus, quamuis tam actio quam effectus cuilibet eorum secundum propriam ac distinctam rationem formalẽ, vel prædicatum correspondeat, videlicet potentiæ ratione vitalitatis, speciei verò ratione determinationis ad tale obiectum. Et hoc posteriori modo se habent potentia & species in ordine ad operationem vitalem sensationis, non modo priori.

32 Quòd probo, quia nec soli potentiæ, nec soli speciei possunt correspondere omnia prædicata essentialia eius, etiam secundum rationem incompletam, & partialem, nam licet potentiæ correspondeat ratio vitalitatis, non potest ei correspondere ratio specifica, quia sine specie non est determinata etiam modo incompleto ad partialem operationem circa obiectum, aut obiectum tale, sed omnem prorsus determinationem ab eadem specie accipit: speciei verò nõ potest vllo modo correspondere ratio vitalitatis, cum sit virtus obiecti extrinseci.

33 Et ex hoc colligitur modus incompletus, & partialis, quo duo hæc agentia per modum vnius ex vtroque compositi eliciũt eandem operationem. Ita quidem subordinata per se in ordine ad illam, vt sensus sit quasi vniuersalis causa, quia indeterminatus de se ad plures actus, species verò quasi particularis eum determinãs, sed eo ipso, quod singulis non potest correspondere secũdum omnia sua prædicata, non potest modo completo, ac totali singulis attribui, sed incompleto, & partiali.

Quod verò dicimus potentiã, & speciem se habere, vt actum, & potentiam in ordine ad operationem, non debet sic intelligi, vt censeatur potentia passiuè concurrere ad operationem, sed comparatur ad speciem vt potentia, quia licet ex se actiuitatem habeat, non tamen completam, nec determinatam, sed completur & determinatur per speciem tanquam per virtutem obiecti, & per eam tanquam per formam, quam in se recipit constituitur in actu primo completo, & sufficiente ad eliciendam operationem.

34 Et ex his facilè soluitur argument. alterius opinionis: concedimus namque sensationem esse propriam operationem animæ sensitiuæ, & debere procedere à principio animato operante per potentiam vitalem. Et tandem concedimus, speciem, nec animatum esse, nec vitale. Ex quibus non sequitur non posse esse principium effectiuum talis operationis, quia nec anima sentit, nec animatum potest se solo, aut per solam suam potentiam vitalem elicere sensationem, nisi fiat potentia similis obiecto, ab eoque determinetur, & tali similitudine effectiuè cum ea concurrente vice obiecti, elicit operationem. Cùm enim potentiæ sensitiuæ sint passiuæ, operari nequeunt, nisi ab obiecto prius perficiantur, & quasi fœcundẽtur per speciem, & hinc est, quòd nec possunt partum propriæ operationis in lucem edere, nisi coadiuuante, & cooperante cum eis obiecto per propriam virtutem eis impressam.

APPENDIX.

DVBIVM.

An species sit causa principalis sensationis, vel solum instrumentalis, atque etiam potentia.

35 PRæsupposito, quod tam species, quàm potentia sint partiales causæ effectiuæ sensationis constituentes vnam totalem, merito dubitamus; an sint causæ partiales præcipuæ, vel solum instrumentales. Et videntur principales causæ, & non instrumentales: primo, quia potentia informata specie est causa principalis sensationis: ergo partiales causæ, ex quibus constat, nempè potentia secundum se, & species secundum se erunt principales partiales. Antecedens probatur, quia sensatio aliquam causam habere debet proximam, & principalem, hæc non potest esse alia, quàm potentia informata specie; ergo erit causa principalis. Minorem probo, præter potentiam sola anima potest esse causa principalis sensationis, sed anima non est causa proxima, sed remota, quæ per suas potentias operatur tanquam per proximas; ergo istæ simul cum specie obiecti principales, & proximæ sunt. Secundò, causa principalis est illa, cuius virtutem, & perfectionem non excedit operatio, vel effectus; sed in ea continetur, vt calor productus non excedit virtutem caloris producentis, & ideo dicitur causa principalis eius, sed actus vitalis sensationis non excedit virtutem potentiæ vitalis informatæ specie obiecti; ergo causa principalis eius, & non instrumentalis censenda est. Minorem probo, quia potentia vitalis specificatur ab actu vitali, vt sibi proportionato, in quem à natura ordinata est; ergo non excedit virtutem eius.

36 Hanc partem tenent recentiores quidam quantum ad potentiam asserentes causam principalem partialem esse, & non instrumentalem: & quantum ad speciem referunt pro eadem Scotum in 1. dist. 3. q. 7. etiã asserentem esse causam principalem partialem, quamuis ipsi talem causalitatem principalem speciei denegent, & instrumentalem tantùm esse sentiant. Sed Scotum immeritò pro hac parte referunt, quia q. illa 7. nihil de hac re loquitur: quæstione autem sequenti, in qua quærit, vtra earum principalius concurrat ad sensationem, potentia, vel species, nihil aliud asserere inuenietur, quàm quod principalius concurrat potentia, & ideo nec pro vna, nec pro altera parte citari debet Scotus.

Nostra verò sententia asserit neutram esse causam sensationis principalem, sed vtrãque instrumentalem partialem, quod verò ex eis simul sumptis resultat, nempe potentia specie informata, instrumentalis totalis, atque proxima, principalis verò intellectionis quidem est anima simul cum obiecto, ita vt ex vtroque vna causa totalis integra, atque completa constituatur: sensationis verò anima per illam partem, quam vocamus organum potentiæ simul cum obiecto, ita vt ex vtroque integra atque completa coalescat: duo enim hæc per suas virtutes tanquam per instrumenta partialia vniuntur, & efficiunt vnum completum principium sensationis.

37 Probatur primò ex modo concurrendi potentiæ, & speciei, nam modus operandi causæ principalis, & instrumentalis hoc distinguuntur, quod principalis causa operatur per virtutem propriam, & non vt virtus alterius, instrumentum verò præcisè in quantum virtus alterius est, sed tam potentia, quàm species operantur, non virtute propria, sed in quantum sunt virtutes alterius, potentia quidem animæ cuius virtute, vt principij totius vitæ, ac vitalis operationis, (& proximi quidem) potest eandem operationem elicere, species verò obiecti, quod in ordine ad talem operationem eliciẽdam eam sibi substituit, vt vnita potentiæ vices eius gerat; ergo instrumentum vtraque est, & vt tale concurrit ad operationem. Secundò, quia sicut anima principaliter, & proximè est actus primus, & forma corporis, ita principaliter, & proximè est principium effectiuum operationum, quæ proximè, ac præcipuè procedunt ab esse rei, sed hæc immediatio non tollitur per concursum potentiatum; ergo solùm potentiæ concurrunt tanquam instrumenta, nam si tanquam præcipuæ causæ concurrerent, tol-

lceretur prorsus, & anima solùm esset remotum principium operandi; quod patet esse falsum.

Probatur minor, quia anima est vnicum principium totius vitæ, ergo proximum, nó solùm vitæ substantialis, sed etiam operationum, quæ habent esse vitale ab eodem vnico principio vitæ, à quo solo participatur omnis ratio vitalis, sicut ratio vitæ, restat igitur potentias solùm esse vitalia eius instrumenta operationum.

38 Ad primum argumentum pro opposita parte, concessa maiori neganda est minor, quòd anima non sit causa principalis, & proxima sensationis, non enim verum est, quod per suas potentias operetur, tanquã per causas proximas, sed tanquam per instrumenta: cum præcisè, vt virtutes eiusdem animæ eliciant operationes.

39 Ad secundũ distinguenda est maior, quod causa principalis ea sit, cuius virtutem non excedit effectus, nam dupliciter id contingere potest; primo quidem, ita vt virtus, atque perfectio causæ, quàm effectus non excedit, sit ei propria, & non sit virtus alterius, & vt talis operetur: nam si propria sit, præcipua causa erit; si verò sit virtus alterius, & vt talis operetur, potius erit instrumentum; esse autem virtutem alterius, & vt talem operari non consistit in eo solũ, quod ab eo procedat, vel accipiatur, nam plura sunt, quæ ab alio procedunt, & virtutem operandi accipiunt ab eo, sicut accipiunt esse, & tamen non sunt instrumenta eius, sed tanquam propriæ causæ eliciunt suas operationes, & producunt proprios effectus, vt patet in igne producto ab alio igne. Sed sic se habere debet, vt nihil aliud habeat, quàm esse virtutem alterius naturæ eius debitam, & solum in eum finem concessam, vt per illam exerceat operationes sibi proprias, & tunc licet operatio non excedat talem virtutem, aut perfectionem eius, non est verum, quod sit causa principalis eius, sed potius est instrumentum: per quod illud idem cuius virtus est, & à quo emanat, operatur, & hoc modo se habent potentiæ vitales respectu operationum ab eis procedentium, quæ quidem perfectionem earum non excedunt, non tamen, vt eis propriam, sed vt virtutem alterius in eum dumtaxat finem ei concessam à natura, vt per eam eliciat proprias operationes, quod est esse proprium, ac naturale instrumentum eius, idque euidenter constat in cæteris omnibus potentijs animæ, atque etiam rerum naturalium inferiorum, & distinctio prædicta præ oculis habenda est pro multarum similium quæstionum solutione.

QVAESTIO III.

An dentur species, per quas obiecta sensibilia immutent sensum.

40 IN duabus præcedentibus quæstionibus plura de specieb. tetigimus: quasi præsupponentes dari, & ad sensationem eliciendam necessarias esse. In præsenti verò quærimus, an dentur, & necessariæ sint.

Et prima opinio, vel negat omnino tales species dari, aut ab obiectis produci; vel licet dari admittat in medio, vel in organis sensuum, negat tamen produci in potentijs, aut per receptionem earum immutari easdem potentias ab obiectis, immo negat esse necessarias, tanquam aliquid effectiuum sensationis simul cum potentia. Et dari quidem negauerunt omnino Plotinus Ænnead. 4. lib. 5. vbi id etiam tribuit Platoni, Galenus l. 7. de decretis Hippoc. c. 6. Seneca libro 2 naturalium quæstionum ca. 5 produci verò in potentijs, & consequenter concurrere effectiuè cum eis, negauerunt Enricus quodlib. 5. q. 14. Ocham in 2. q. 17. & 18. Gabriel. in 1. dist. 8. q. 2. Gregor. in 1. dist. 8. q. 1. & in 2. dist. 7. q. 3 Durand. in 2. distin. 3. q. 6. Valesf. 2. lib. controu. medicarum c. 29. Et speciatim in visu negauit esse necessarias ad videndum, Thomas Gabius in Summa lib. 1. tract. 5. q. 63. asserens hanc sententiam se defendisse in Bononiensi Academia. Et hi omnes sufficere aiunt ad eliciendam effectiuè sensationem solam potentiam: dummodo obiectum præsens sit. Toletus verò secutus Simplicium, & Philoppon. 2. libro de anima, capitulo quinto, solùm concessit in nudo organo produci, negans effectiuè concurrere ad sensationem, ibidem quæst. 34.

41 Probat Durandus non dari, primò quia si species essent necessariæ ad sensationem,

maxi-

maximè vt rationes cognoscendi obiectum, sed non sunt rationes cognoscendi: ergo nec sunt necessariæ.

Probatur minor, quia ratio cognoscendi aliud prius ipsa debet cognosci, alioqui non potest ducere potentiam in cognitionem alterius, quia nihil potest cognosci per incognitum, sed nullus vnquam cognouit species per sensus externos: ergo non sunt necessariæ ad eorum sensationes, & ideò nec ad sensationes internorum, vel ad intellectionem.

Et confirmat Durandus exemplo imaginis, quā necesse est prius cognoscere, vt per eam cognoscamus rem repræsentatam. Secundo probatur, quia si necessaria foret species, maximè propter similitudinem, vel assimilationē potentiæ cum obiecto, sed hanc assimilationem non potest efficere, ergo nec poterit deseruire sensationi. Probatur minor, quia species non potest esse similitudo obiecti, nec ipsum repræsentare, cum sit alterius naturę ab eo.

42 Communis tamen sententia scholæ est dari species impressas ab obiectis, non solum in medio, vel in nudo organo, sed in ipsismet potentijs, cum quibus effectiuè concurrunt ad eliciendos actus sensationis, quā non solum probabiliorem censemus, sed veram, & ex doctrina Aristotelis efficaciter deductam. Eam tenent in primis Sancti Patres, August. lib. 10. confess. cap. 10 & cap. 15 lib. 12. super Genes. cap 10. & lib. 11. de Trinitat. cap. 2. An sel. in monol cap 36. Damasc. 2. lib. fidei ortho. c. 20 D. Thom. 3. lib. contra gentes, cap. 49 & 1. p. quæst. 55. art. 1. & 3. Deinde Scholastici maioris momēti. Alens. 2. par. summæ, quæst. 22. Alber. Mag. 2. part. Summæ de homine, tractatu 4. quæst. 14 & de quatuor coæuis, quæst. 5. cęteri verò in 2. dist. 3. D. Bonauent. art. 4. quæst. 1. Scotus q. 10. & 11. Ricard. q. 5. Argent. quæst. 2. art. 4. Marsil. in 1. quæst. 7. Ægidius quodlib. 1. q. 11 Henr. quodlib. 5. q. 6.

Et quod Plato eas posuerit saltem in visu, vt simul cum radijs ab oculo ad obiectum emissis visionem eliciat, testatur Chalcidius super Timæum, vbi idem Plato docere videtur.

43 Et concursum quidem effectiuū earum cum potentijs ad sensationem (præsupposito, quod dentur) probauimus q. præcedenti. Ex quo euidenter sequitur, nō solum medio, nec solum nudo organo, sed ipsismet potentijs imprimi, quia nisi in eis sint, repugnat cum eis effectiuè concurrere. Nunc igitur solum est nobis probandum, quod dentur, & necessariæ sint ad sentiendum. Quod ex triplici capite probo, nimirum testimonijs Arist. experientia, & ratione.

Primum testimonium Aristotelis habetur in lib. de memoria, & remin. sum. 2. non longè a fine, vbi cum quæsisset, qua ratione rei absentis per memoriam sensitiuam recordemur. Respondet memorationem fieri per phantasmata earum, quas prius vidimus, vel alio sensu percepimus in memoria reseruata (quas constat species obiectorum esse) verba Aristotelis hæc sunt: *Qui cessasim patiebantur phantasmata dicebant, vt facta & qui meminissent, hoc autem fit cum aliquis non imaginem, tanquam imaginem considerat.* Ex quibus constat pro certo intelligere Arist. quod species obiectorum dentur, imò & custodiantur in sensu interno.

44 De externis verò non minus efficaciter probatur ex 2. lib. de anima, textu 21. vbi sensum vniuersaliter acceptum, his verbis definit. *Sensus est id, quod est susceptiuum formarum sine materia.* Et exemplum definitionis assignat dicens: *Vt cera annulli, sine ferro, & auro recipit signum, accipit autem aureum, aut æreum signum, sed non in quantum aureum aut æs: similiter autem, & sensus vniuscuiusq; ab habente odorem, aut saporem, aut sonum patitur.*

Quo exemplo sensibus externis acutè satis accommodato clarissimè docet, quod sicut sigillum aureum imprimit sui similitudinem in cera, non impresso auro, ita coloratum, vel quodlibet aliud sensibile obiectū imprimit sui similitudinem in potentia sensitiua, non impresso colore ipso, vel sapore, aut sono, & has similitudines obiectorum sensibilium impressas potentijs ab ipsis vocat formas sine materia, vt patet etiam tex. 134. huius lib. vbi sic ait: *Vnumquodq; enim sensorium susceptiuum est sensibilis sine materia vnde, & abeuntibus sensibilibus insunt sensus, & imaginationes in ipsis sensorijs.* Quia non habet illud esse naturale obiectorum, sed aliud magis diminutum, communis verò schola vocat eas species.

Secundum caput ab experientijs sum: & prima sit interni sensus, qua vtitur Ariteles in primo loco cit.

Nam

45 Nam experientia constat, notitiam hominis semel visi, iam verò absentis, in memoria sensitiua permanere, sed hoc esset impossibile, nisi aliqua eius similitudo permaneret in memoria, quæ internus sensus est: ergo negari non possunt species.

Minorem probo, quia obiectum non est præsens per se: ergo nec mouet sensum per se, nec terminat per se sensationem: quare non potest sentiri, nisi per aliquid a se relictum, aut reseruatum in memoria sit præsens, & per præsentiam suæ virtutis moueat sensum, & per aliam virtutem per sensationem productam, sensationem eius terminet, non est igitur hæc neganda. Secunda experientia fit in visu, vtpote notiori sensu.

46 Nam oculus non potest se videre, neq; vnus homo hominem alium a tergo existentem, & tamen experimur oculum vnius se videre in pupilla oculi alterius è regione positi, quod non est intelligibile, nisi ex eo, quod oculus vnius producit aliquam similitudinem propriam in oculo alterius, quæ per reflexionem producit aliam in oculo eiusdem, & ita informatur oculus propria specie, & se videt.

Posito etiam è regione speculo videmus in eo hominem, vel aliud corpus a tergo positum.

Et quod mirabilius apparet, si duo specula è regione ponantur, quodlibet apparet, ac videtur in altero. Horum autem nulla potest dari causa, nisi quod homo a tergo positus producit speciem sui vsq; ad speculum, in quo eadem species producta reflectitur, & per reflexionem aliam similem imprimit oculo alterius, qui a tergo illum habet, & per eam videtur, ac si a tergo speculi, & è regione videntis existeret, & quodlibet speculum multiplicat speciem sui vsq; ad aliud & illæ per reflexionem alias Et tandem experientia constat per inspicilia concaua quosdam acutius videre, quam per plana; cuius nulla ratio reddi potest, nisi quia in centro illorum magis vniuntur species obiecti, & efficaciores redduntur in repræsentando, quia vnita virtus fortior fit se ipsa dispersa.

47 Vltimum caput rationibus constat: quare prima est: cognitio fit per assimilationem potentiæ cum obiecto, vt docuit expresse Aristoteles cap. 5. huius libri, & conuincitur ex modo operandi potentiæ cognoscitiuæ per modum attrahēdi ad se obiectum: cum potentia appetitiua operetur per modum inclinationis in illud.

Sed nec est possibile potentiam attrahere, vel cōiungere sibi obiectum per se ipsum cum sit disiunctum ab ea, nec ei assimilari: cum secundum se sit valdè dissimile, nisi per aliquam sui similitudinem in eadem potentia productam ei vniatur, & intra eam dicatur quasi se recipere, sibiq; similem reddere: negari ergo non potest, quod talis detur similitudo, nisi negetur sensationem esse possibilem.

48 Secundò; potentia sensitiua ex se est indifferens ad plures actus: ergo non potest hunc potius, quam alterum elicere, & ex consequenti nullum, nisi determinetur ab obiecto: sed non potest obiectum per se ipsum determinare potentiam: vt contendunt negantes species, ergo necessariò tenentur cōcedere, quod per aliquam similitudinem sui ei impressam eam determinet, & ideò hæc erit necessariò admittenda. Minorem probant efficaciter experientiæ omnes adductæ: nam obiectum absens non potest per se determinare memoratiuum sensum ad sui cognitionem potius, quam alterius. Sed neque obiectum a tergo existens potest per se determinare visum ad sui potius, quàm alterius visionem: cùm non censeatur ei præsens, sed eodem modo se habens, ac si absens foret.

49 Ad primum. Durandi, concessa maiori, quod species sit necessaria ad sensationē, tanquam ratio cognoscēndi obiectum, neganda est minor, quod non possit esse ratio cognoscendi obiectum, nisi cognoscatur ipsa a sensu: nam duplex est ratio cognoscendi aliud, vna intrinseca ipsius obiecti, ratione cuius a tali potētia cognoscibile est: alia extrinseca, quasi medium extrinsecum est cognoscendi obiectum.

Et hæc adhuc est duplex, vna habens eundem modum essendi cum obiecto, in cuius cognitionem ducit, & hanc vocant instrumentale signum, per quod repræsentatur, atque cognoscitur, & talis est imago externa habens eundem modum essendi cum prototypo, aut re quam repræsentat. Altera non habens eundem modum essendi, sed magis diminutum, obiectum quadam saltem ratione imperfecta repræsentans, & simul se te-

tenens ex parte potentiæ tanquam forma eius, per quam determinatur ad operandum & hoc modo se habet species.

Et de ratione formali intrinseca obiecti certum est, semper & necessariò percipi à potentia, non enim potest videri paries, quin videatur albedo, a qua habet rationem visibilis.

50 Certum quoque est, rationem cognoscendi extrinsecam habentem eundem modum essendi cum obiecto, semper, & necessario percipi à potentia, non enim potest videri res, quam imago repræsentat, quin imago ipsa videatur, quia habet eundem modum essendi naturalem, ac materialem, atque sensibilem cum eo, species verò longè diuersum: nam modus essendi obiecti visibilis naturalis est, ac materialis: modus essendi speciei, intentionalis, ac diminutus, vt quæstione sequenti dicetur.

Et propterea Aristoteles locis nuper citatis vocauit species formas sine materia, hoc est, non habentes eundem modum naturalem, ac materialem essendi cum obiecto: non ergo habet species proportionem cum visu tanquam obiectum eius, sed solum tanquam forma intentionalis aliquo modo repræsentans obiectum, & vniens ipsum cum eodem visu. Quare falsum est, quod debeat ab eadem potentia sensitiua cognosci: cum non habeat esse sensibile sicut obiectum, atq; etiam sicut imago externa: sed esse diminutum, & intentionale, non perceptibile per sensum.

QVAESTIO IV.

An species sint eiusdem naturæ cum obiecto.

PEtit titulus quæstionis, quæ sit natura harum specierum, per quas obiecta sensibilia immutant sensus, & ab eis sentiuntur.

51 Et prima opinio affirmat, non solum esse eiusdem generis: cum vtraque sit qualitas, sed eiusdem atomæ speciei, sicut vna albedo cum alia: quam tenent Durand. in 2. d. 3. q. 6. n. 17 & in 4. d 49. q. 1. n. 13. & Valesi. 2. lib. controu. medicarum, c 18. Probant primò, quia species sensibilis est imago obiecti ipsum repræsentans solum secundum accidentia sensibilia, vt secundum colorem, quantitatem, & figuram, ergo est eiusdem speciei cum eo.

Probatur consequentia, quia euidens est imaginem esse aliquo modo similem obiecto, alioqui non posset illud repræsentare, similitudo verò propria fundatur in conuenientia vniuoca extremorum, vt 7. lib. phys. probauimus: ergo habet eandem naturam specificam cum eo.

Secundò, quia vel species habet naturam corpoream, & materialem, vel incorpoream & spiritualem; non spiritualem, cum inhæreat subiecto materiali, nempe potentiæ sensitiuæ, & organo eius. Habet igitur esse corporeum, & materiale, & consequenter sensibile sicut obiectum, quare erit eiusdem speciei cum illo, cum sit secundum se ei similis

52 Secunda opinio asserit *diuersæ naturæ esse speciem sensibilem ab obiecto*. Ita D. Tho. de sensu, & sensibilibus lect. vlt. 7. metaph. lect. 6. & q. 8. de veritate art. 11. ad 3. his verbis, *Dicendum, quod inter cognoscens, & cognitum non exigitur similitudo, quæ est secundum conuenientiam in natura; sed secundum repræsentationem tantum, constat enim quod forma lapidis in anima est longè alterius naturæ à lapide in materia*. Ita etiam Alber. Mag. 2. lib. de anima, tract 4. c. 11. Tolet. q. 33. & 34. Molina 1 p. q. 12. art 9. & Fonseca 2. Metaphys. c. 2. quæst. 2. sect. 5. in fine, quod etiam sensit Comm. com. 27. imò, & D. August. 7. lib. super Genes. c 2. & videtur nobis probabilior. Probatur testimonio Arist. 2. lib. de anima, tex. 114. vbi receptionem qualitatis naturalis in subiecto vocat passionem cum materia, receptionem verò speciei in potentia, passionem sine materia, & text. 121. easdem species vocat formas sine materia: cum tamen obiectum sit omninò materiale. Ex quibus efficaciter colligitur sentire, quod longè diuersæ naturæ sit ab obiecto.

53 Probatur deinde ratione primò, quia si species, & obiectum essent eiusdem naturæ, sequeretur species obiectorum contrariorum vt albi, & nigri esse contrarias, sicut obiecta ipsa contraria sunt: sed non sunt contra-

trariæ: ergo nec eiusdem naturæ. Minorem probo, quia cōtraria non possunt simul produci in eodem subiecto, quia productionem vnius sequitur naturaliter expulsio alterius: sed species albi, & nigri in quacumq; intensione producuntur simul ab albo, & nigro in eadem parte aeris, vt adnotauit benè D. Th. 7. Metaph lect 6. ergo non sunt cōtrariæ, nec proinde eiusdem naturæ cum obiectis. Secundò, quia in sensu interno permanent species sensibilium externorum, vt soni, odoris, & saporis: ergo si sunt eiusdem naturæ cum obiectis, permanebit verus sonus, verus sapor, ac verus odor in eodē sensu interno, quod planè absurdum est.

54 Ad primum pro opposita sententia, concesso antecedente, quod species solum repræsentet per se obiectum secundum accidentia sensibilia, neganda est consequentia, quod sit eiusdem speciei. Et cum dicitur speciem esse similem obiecto, distinguendū est cum D. Th cuius verba retulimus; nam secundum repræsentationem, verum est: sed secundum esse, apertè falsum, quia, vt statim ostendemus, longè diuersum modum essendi habet species ab obiecto. Quod interim probo ex speciebus intelligibilibus Angelorū, quæ non solum accidentiæ obiectorum repræsentant, sed magis per se substantiam, & tamen constat ipsas esse accidentia: cum inhæreant in intellectu eiusdem Angeli: ergo non requiritur similitudo inter speciem, & obiectum secundum esse: sed solum debet ei assimilari species secundum repræsentationem.

Ad secundum respondeo, species sensibiles habere esse corporeum, & non spirituale: sed non corporeum naturale: sed a naturali valdè degenerans; & ideò vocatur intentionale, & reuera est esse quoddam diminutum, & respectu esse naturalis obiecti longè inferius, & propterea non est sensibile, quamuis sit medium, vt sentiatur obiectum: itaq; esse speciei est proportionatum ad vniendum obiectum potentiæ, non tamen vt sentiatur tanquam obiectum.

QVAESTIO V.

An species sint perfectiores obiectis repræsentatis.

55 SVpposito, quod species sensibiles non sint eiusdem naturæ cum obiectis per eas repræsentatis, sed diuersæ: Occurrit q. 5. an comparatæ secundum entitatem cum obiectis perfectiores sint, vel imperfectiores eisdem obiectis.

Et prima opinio absolutè docet perfectiorem esse speciem sensibilem quocumq; obiecto à se repræsentato. Ita Ferrar. 1. lib. contra gentes cap. 65. §. ad 1. Et potest probari, quia Aristoteles in hoc 2. lib tex. 121. & 124. species impressas externorum sensuum, quas constat esse imperfectissimas omnium, vocat formas sine materia: ergo censet esse immateriales; perfectiores ergo sunt obiectis materialibus repræsentatis.

Et D. Th. affirmat esse minus materiales, quam obiecta q 5. de potentia ar. 8. imò spirituales eas vocat 1. p. q. 78. art. 3. idem ergo sentit.

Non tamen sententia duo asserit. Primum *quascumque species externorum sensuum imperfectiores esse obiectis per eas repræsentatis*.

55 Hæc est communis ferè sententia recentiorum, quam tradidit D. August. epist. 56. Et quam hoc discursu ex præcedentibus quæstionibus elicito sic probo. Species istæ producuntur ab obiecto tanquā à præcipua causa: vt ostendimus, quia non est excogitabilis altera particularis.

Nec in hac parte sine fundamento, vel necessitate recurrendum est ad vniuersales, vel occultas. Deinde producuntur ab eo tanquam a causa æquiuoca; cum sint diuersæ naturæ, & speciei: ergo sunt imperfectiores obiecto.

Probatur euidenter consequentia, quia omnis causa æquiuoca ex propria natura est perfectior suo effectu.

Secundò, quia species istæ non habēt esse physicum, aut naturale sicut obiectum, sed intentionale, & propterea non denominant subiectum, cui inhærent: ergo habent esse inferioris ordinis comparatæ cum obic-

obiectis, & consequenter sunt imperfectiores.

57 Vt autem hæc veritas intelligatur ineius, & modos loquendi Aristotelis, ac D. Thom. explicemus, adnotare oportet species istas intentionales sic vocatas, quia cognitionibus (quæ intentiones, hoc est, quasi attentiones animæ ad cognoscenda obiecta vocantur) deseruiunt id peculiare habere, quod licet ab obiectis procedant tanquam a principijs efficientibus præcipuisq; causis, indifferenter procedunt a qualitatibus actiuis physica actiuitate, & actione, & etiam ab his, quæ nullam actiuitatem physicam, seu naturalem habent, non enim sunt qualitates actiuæ physica actiuitate albedo, nigredo, raritas, densitas, & similes, quia nunquã producunt, imò nec producere posse censentur alias sibi similes, nec dissimiles, & nihilominus producunt effectiuè species intentionales in sensibus, atq; etiam in medio.

58 Et ex hoc efficaciter satis colligitur primò modus agendi imperfectissimus, quem habẽt obiecta ad productionem specierum (qui non vocatur physicus, aut naturalis: sed intentionalis, sicut ipsæ species) longè inferior modo agendi physico, & naturali, qui solum reperitur in qualitatibus naturalibus omnium perfectissimis, quales sunt primæ, ex quarum permixtione procedunt cæteræ omnes: modus verò agendi intentionalis omnibus ferè secundis, quantumlibet imperfectissimis communis est, & proptereà iure vocatur imperfectissimus. Secundo colligitur effectum per talem modum agendi productum, qui est species intentionalis, longè imperfectiorem esse effectu producto per modum agendi physicum, & naturalem, a quo degenerat: cum modus procedendi a sua causa, imò & causa ipsa vt talis imperfectior sit. Et ideo iure posse vocari esse intentionale diminutum respectu naturalis: quod in suo ordine, & gradu integrum, perfectum, & quasi completum est.

59 Et ex hoc colligitur tertiò confirmatio satis efficax nostræ sententiæ, quod species istæ sint imperfectiores suis obiectis, cum obiecta habeant esse naturale, species verò solum esse intentionale ab eo degenerans. & ideò diminutum ac magis imperfectum. Et ex hac imperfectione prouenit, quod species istę non denominant subiectũ, in quo recipiuntur, cum tamen omnes formæ accidentales realem denominationem ei tribuant.

Vltimò colligitur sensus, quem Aristoteles, & D Thom. tenuerunt, du n species vocarunt formas sine materia, vel dixerunt esse immateriales, aut spirituales. Non enim ignorarunt, quin potius expresse docuerunt procedere ab obiectis sensibilibus, & corporeis, atque etiam in subiectis sensibilibus, & corporeis, qualia sunt organa sensuum, & aerem, vel aquam recipi: non ergo potuerunt sentire, quod accidentia forent incorporea, aut immaterialia, vel spiritualia, cum euidentius nossent spiritualia, vel incorporea accidentia recipi non posse in subiectis materialibus extensis, atque corporeis propter manifestam improportionem. In hoc ergo sensu dixerunt esse incorporeas, aut spirituales, vel formas sine materia, quia in gradu essendi materiali, & corporeo diminutæ sunt, & sicut degenerant ab esse naturali materiali, quod intra latitudinem esse corporei perfectum est: ita dicuntur minus habere de materia, & minus de corpore, hoc est, diminutum, atque infimum esse corporeum, & materiale, & ideo nec habent esse sensibile sicut obiecta sensuum.

QVAESTIO VI.

An species sint formales similitudines obiectorum.

60 Certò constat ex præcedentibus speciem esse similitudinem obiecti: sed quærimus nunc, an sit formalis similitudo eius ipsum repræsentans per modum imaginis, vel solum quadam ratione virtuali, quia virtus, & quasi semen eiusdem obiecti sit, & ita sicut semen est principium effectiuum generationis, vt instrumentum viuentis absque alia ratione formalis similitudinis: sic species sit principium effectiuum sensationis tanquam semen, ac virtus obiecti absq; ratione formalis similitudinis imaginis.

Et prima opinio *solum tribuit speciei hoc postremum negans ei rationem formalis similitudinis repræsentantis obiectum per modum ima-*

imaginis. Ita ſentit maior recentiorum pars, a quibus ſolis diſputatur præſens quæſtio. Quorum potiſſimum argumentum hoc eſt, repræſentatio formalis obiecti ſolum poteſt eſſe duplex, aut realis naturalis, qualis eſt in imagine externa, aut realis intentionalis, qualis tribui ſolet ſpeciei expreſſæ à ſenſu productæ: ſed nullo ex his modis poteſt ſpecies impreſſa ab obiecto ipſum repræſentare: ergo non eſt ſimilitudo formalis eiuſdem obiecti.

61 Minorem probant, quia naturalis ſimilitudo imaginis fundatur in vnitate eius cũ obiecto, primò, & per ſe repræſentato, & præterea nõ ducit in cognitionem eiuſdem obiecti, niſi prius ipſa cognoſcatur, conſtat vtrumq; in imagine externa.

Sed ſpecies intentionalis neutrum habet, quia nec eſt eiuſdem naturæ cũ obiecto per ſe primò repræſentato, nec ducit in cognitionem eius prius cognita, vt in præcedentibus oſtendimus: ergo non eſt ſimilitudo formalis naturalis obiecti.

Quod verò nec ſit ſimilitudo formalis intentionalis, probant, quia formalis ſimilitudo intentionalis obiecti informans potentiam, & repræſentans ei obiectum reddit ipſam formaliter cognoſcentem.

62 Sed hoc non præſtat ſpecies impreſſa, alioqui neque expreſſa, neque cognitio ipſa foret neceſſaria: ſed eo ipſo, quod potentia informaretur ſpecie impreſſa, abſque alio quocumq; cognoſcere obiectum, quod patet eſſe falſum: ergo falſum eſt, quod ſpecies impreſſa ſit ſimilitudo formalis obiecti.

Quod vrgeri poteſt, ac declarari ſimul: nam tunc potentia cognoſcit actu obiectum, quando facta eſt ei actu, & formaliter ſimilis, quia cognitio conſiſtit in actuali aſſimilatione eius cum obiecto: ſed ſi impreſſa ſpecies eſt ſimilitudo formalis obiecti, eo ipſo, quod actu inhæret potentiæ eam informans, conſtituet eam actu, & formaliter ſimilem obiecto: ergo cõſtituet eam formaliter cognoſcentem.

Et ſi reſpondeas non ſufficere ſimilitudinem quamcumq; ad cognitionem, ſed perfectam requiri, quam non conſtituit, niſi ſpecies expreſſa, quia hæc ſola eſt perfecta ſimilitudo eius, impreſſa verò imperfecta, quia quaſi habitualis: cum per modum permanentis ſit in potentia: ſola verò expreſſa eſt actualis, & ideò modum actus habens tranſit cum ipſa cognitione.

Hoc non ſoluit argum. quia eo ipſo, quod ſpecies impreſſa ponitur formalis ſimilitudo obiecti, actu informans potentiam, eſt ſimilitudo formalis actualis: ergo conſtituit potentiam actu, & formaliter ſimilem obiecto. Quòd eſt eſſe perfectè ſimilem, quia formalis, & actualis ſimilitudo obiecti perfecta eſt, & nihil aliud habet ſpecies expreſſa.

63 Secunda opinio tenet, quod ſpecies ſit ſimilitudo obiecti per modum imaginis ipſum repræſentantis. Sic videtur ſentire Ariſtot. 2. lib. de anima text. 21. & in lib. de Memoria, & Reminiſc. cap. 1. quibus locis eodem modo imprimere ait obiecta proprias ſimilitudines in potentijs, ſicut ſigillantes annulis imprimunt eorundem ſigillorum figuras, & imagines obiectorum vocat ſpecies intentionales: ſentit igitur ea repræſentare per modum formalium ſimilitudinum.

Et eodem modo loquitur D. Thom. pluribus alijs ſuæ doctrinæ locis vocans ſpeciem ſimilitudinem obiecti vnientem ipſum cum potentia, præſertim 1. p. quæſt. 12 art. 2. contra gentes, c. 98. & lib. 3. ca. 49. ita etiam loquuntur plures interpretes Ariſtot. eiſdem locis citatis.

64 Probatur autem ex eo quod Ariſto. docet c. 5. huius lib. tex. 62. videlicet, quod ſicut corpus phyſicum per phyſicam, ac propriã alterationem contrarij in principio alterationis patitur a diſſimili: ſed in fine factum eſt perfectè ſimile, vt patet de eo, quod patitur ab igne calefaciente: ita ſenſus patitur a ſenſibili paſſione, non propria: ſed intentionali, & ideò in principio, hoc eſt, antequam imprimat illi ſpeciem a diſſimili patitur, quia viſus, & color diſſimiles ſunt: ſed in fine per paſſionem ipſam, quæ eſt receptio ſpeciei, factus eſt idem ſenſus perfectè ſimilis eidem obiecto, verba Ariſtotelis hæc ſunt. *Senſitiuum autem potentia eſt tale, quale iam actu ſenſibile, ſicut dictum eſt, patitur igitur non ſimile exiſtens, paſſum autem aſſimilatum eſt, & eſt quale illud*. Ex quibus efficax videtur deſumi argumentum hoc modo: potentia antequam recipiat ſpeciem ab obiecto diſſimilis eſt eidem obiecto, & per receptionem fit ei ſimilis, & quale eſt obiectum ipſum. Quod eſt eſſe perfectè ſimilem ſecundum eſſe intentionale: ergo ſpecies eſt ſimilitudo

.. de intentionalis obiecti,alioqui nō redderet potentiā ei similem,& est forma eiusdem potentiæ determinans eam ad actum sentiendi obiectum : ergo est similitudo formalis eius.

65 Secundò, euidens est speciem esse virtutem obiecti impressam potentiæ ab illo: vel ergo est virtus eius per modum formalis similitudinis ipsum repræsentantis, vel tantum per modum effectus intentionalis abeo procedentis, & ordinati, vt sit principium sensationis,eo ferè modo,quo semen est virtus animalis ab eo decisa,& naturaliter ordinata ad generationem naturalem viuentis (non est enim alius modus excogitabilis:)si primum dederis, habeo intentum: si solum habet secundum,non potest esse principium effectiuum sensationis: ergo falsa est prior sententia. Probatur minor, quia cognitio sensitiua fit per modum assimilationis: sed species non potest efficere assimilationem potentiæ cum obiecto,si solum sit virtus,vel semen eiusdem obiecti per modum effectus & non per modum formalis imaginis:ergo necessariò est illi co ncedendum hoc postremum. Minorem probo, quia effectus causæ æquiuocæ,cum sit alterius naturæ ab ea,non procedit ei similis:vt patet de calore producto a sole:sed species procedit ab obiecto tā quam a causa æquiuoca,& ideò est extraneę naturæ ab eo, vt probauimus : ergo non potest habere modum assimilationis potentiæ cum obiecto. Et si respondeas speciem impressam non assimilare potentiam obiecto formaliter:sed effectiuè,&quasi virtualiter, tanquam principium productiuum cognitionis,

66 Contra hoc arguo,quia repugnat produci terminum similem, imò nec actionem procedere per modum assimilationis, nisi a principio producenti simili: sed species impressa per se non est similitudo formalis obiecti:sed virtus eius tanquam causæ æquiuocæ:ergo non potest assimilare potentiam obiecto, nec esse principium sensationis per modum assimilationis ei proprium.

Nihilominus prior sententia plausibilior est,& cum non sit minus probabilis,quā posterior,libentius eam amplectimur.

67 Et ad testimonia quæ pro se affert posterior. Resp.Arist.& D.Th.per quandam analogiam,ac similitudinem loqui de impressione speciei ab obiecto in potētiam dum eam explicant per impressionem materialem sigilli, vt melius naturam eius explicent, non quod veram imaginem, aut similitudinem formalem imprimere intelligant,sed virtualem dumtaxat, qua media obiectum vnirur potētiæ,vt expressam ac formalem sui similitudinem exprimat,quæ inhærēs eidem potentiæ sit formalis eius notitia,seu cognitio. Et sic per eam a potentia cognoscatur,& eodem modo debet intelligi,quod idem Arist. docet, nempe potentiam in principio pati ab obiecto passione intentionali, atq; impropria,tanquam ab omninò dissimili: sed recepta iam specie fieri similem quadam ratione virtuali,quasi per semen eius ab eo susceptum,vt tandem fiat perfectè, ac formaliter ei similis per productionem speciei expressæ,quæ est quasi conceptus formalis,expressaq; similitudo, atq; etiam imago eiusdem obiecti.

68 Et sic soluitur primum argumentum ex eodem testi nonio Aristotelis desumptum.

Ad secundum respondeo, speciem esse virtutem obiecti impressam potentiæ abeo quasi seminalem; & ideò non per modum formalis similitudinis: sed per modum effectus,non communis: sed specialis, quo medio idem obiectum cum potentia exprimit propriam, ac formalem sui similitudinem, eo ferè modo,quo viuens medio semine à se deciso producit effectum sibi propriè, ac formaliter similem.

69 Quod verò additur speciem procedere ab obiecto,t anquam a causa æquiuoca, concedendum est,&consequenter esse extraneæ naturæ respectu eiusdem obiecti, quia alterius speciei,sicut decisum semen alterius est naturæ a viuente,a quo decisum est: sed eadem species est virtus obiecti, qua media exprimit perfectam sui similitudinem sicut viuens medio semine.Per talem igitur virtutem impressam fit potentia similis obiecto virtuali quodam, atque imperfecto modo, similis tamen futura modo perfecto,

QVAESTIO VII.

Quonam modo fiat vnum ex potentia, & species in ordine ad sensationem.

70 VT ad difficultatem quæstionis citò perueniamus, duo sunt statuenda. Primum est *species sensibiles non esse paruulas quasdam substantias, vel corpuscula subtilia, vt falsò quidam dixerunt*, quos refert, & reijcit Scaliger exercitatione 128. & hac ratione probatur falsum: quia species istæ procedunt ab obiecto per se sensibili, tanquã a causa præcipua, vt superius ostendimus, sed obiectum per se sensibile non est substantia, sed accidens.

Repugnat verò substantiam produci ab accidenti tanquam a causa principali: ergo impossibile est, quod species sensibiles sint substantiæ, vel corpora subtilia. Et certè si corpora forent quantumlibet subtilia, non possent plura recipi in eadem parte medij, atque sensorij (vt recipi constat) sine penetratione naturaliter impossibili: necesse est ergo fateri, quod accidentia sint, vt ita possint recipi in potentia, & organo, eiq; inhærere, & ita cũ ea concurrere tanquam vnum principium operationis.

71 Secundo statuo, *accidentia hac educi de potentia subiecti, in quo recipiuntur, potentia videlicet, ac sensorio, seu organo in quo residet potentia, atque etiam medio, nempe aere, vel aqua de quorum potentia educi assero per actionem eiusdem obiecti sua virtute immutare potentis intentionaliter eadem subiecta per productionem harum specierum, vt per eas tanquam per proprias virtutes concurrat cum potentia ad sensationem.*

Contra Soncin. 7. Metaph q. 8. & alios id negantes.

Probatur autem duplici argumento efficaci: primò quia educi aliquid de potentia materiæ, vel subiecti est dependere ab eo in esse, & fieri, sed species istæ dependent in esse, & fieri a subiecto, in quo recipiuntur: ergo educuntur de potentia eius;

72 Minorem sic probo, species nõ possunt esse extra subiectum, vel separatæ ab eo: cu sint accidentia realia: ergo dependent ab eo in esse, sed fieri alicuius ordinatur ad esse: ergo sic se habet ad fieri sicut ad esse quare si dependent a subiecto in esse, necesse est dependeant in fieri, & proinde ex eius potentia educantur.

Secundò, si species non educuntur de potentia subiecti: ergo creantur, sed creari ab obiectis (a quibus producuntur tanquam a præcipuis causis) repugnat: ergo necesse est admittere, quod educantur de potentia subiecti.

Probatur prior consequentia, quia creatio est productio rei ex nihilo, hoc est, ex nullo præsupposito subiecto concurrẽte ad productionem in suo genere materialis causæ, vt omnes exponunt, sed si species nõ educuntur de potentia subiecti, non fiunt ex aliquo præsupposito subiecto concurrente materialiter ad productionem earum: ergo fient ex nullo præsupposito subiecto, & ideo creantur.

His præsuppositis, atq; probatis constat species recipi in potentia tanquam formas accidentales in subiecto. Ex quo inferunt recentiores quidam ex specie, & potentia non fieri magis vnum quam ex accidenti, & subiecto quocumque, vt ex albedine, & corpore, & ideo vnum tantum accidentale, vel vnum per accidens. Quod probant, quia species sunt accidentia: ergo non possunt vniri subiecto, nisi vnione accidentali, sed ex quibuscũq; vnitis vnione accidentali non potest resultare nisi vnum accidentale: ergo non resultat ex potentia, & specie, nisi vnum accidentale.

Et ex hoc dicunt colligi falsum esse dictũ illud Commentatoris sæpe in schola vsurpatum. *Ex potentia, & obiecto fit magis vnum, quam ex materia, & forma.* Quamuis à Cajet. 1. p. q 14. art. 1. & ab alijs Thomistis defendatur 3. lib. de anima, text. 5. nam ex materia, & forma fit vnum per se substantiale: ex potentia verò, & specie non nisi vnum accidentale: ergo non magis vnum, sed minus vnum.

73 Huic tamen quæstioni sub distinctione respondendum est: nam species sensibilis duplicem considerationem habet, priorem quidẽ in ordine ad subiectum quatenus ac-

ci-

esse quoddam intentionale est, posteriorem verò in ordine ad obiectum, quod repræsentat, in quantum similitudo eius est. Quam distinctionem posuit Aristot. in lib. de Memoria, & Reminiscentia ca. 1. Si igitur consideretur species modo priori non potest cum potentia efficere, nisi vnum accidentale, quod quasi tertium est ab vtraq; distinctum, si verò consideretur modo posteriori sub ratione qua repræsentat potentiæ obiectum, quasi obiectum ipsum esse censetur, non quidem in esse rei, sed in esse repræsentati, & hoc modo sic vnitur potentiæ, vt nō efficiatur ex vtraq; aliquid tertium: sed ipsamet potentia quodam modo fiat obiectū, nam habens in se similitudinem eius, quodammodo dicitur habere ipsum in se, cum repræsentatum habeat, & sub eadem ratione dicitur esse ipsummet obiectum, sicut species ipsa vocatur obiectum, vt repræsentatum.

74 Et sic obiectum dicitur esse intra intellectum, vel sensum per suam similitudinem, ratione cuius intellectus ipse, vel sensus in actu primo, fit res ipsa intelligibilis secundum esse intentionale repræsentatum. Ita docet expressè D. Thom multis suæ doctrinæ locis ex mente Aristot. præsertim 2. lib. contra gent. c. 98. non longè à fine his verbis, *Intellectus in actu est intellectum in actu secundum doctrinam Aristotelis.*

75 Et in hoc sensu verum dixit Commen. quod ex intellectu, & intelligibili fit magis vnum, quam ex materia, & forma, nam neque materia fit forma, nec forma fit materia, sed ex vtraque fit tertium a qualibet realiter distinctum: ex sensu verò, & sensibili, aut ex intellectu, & intelligibili ita fit vnū, vt sensus ipse quodammodo fiat ipsummet sensibile, & intellectus fiat intelligibile, non quidem in esse rei, sed in esse intelligibili, aut intentionali, hoc est, secundum modum repræsentationis intentionalis expositum, & in ordine quidem ad operationem sensitiuam, aut intellectiuam, cuius sensus factu sensibile ipsum, aut intellectus intelligibile, vnum principium per se est sensationis.

Immeritò ergo a recentioribus hic sensus reijcitur solum considerantibus vnionem speciei cum potentia secundum entitates earum, & ideo quasi materialiter, quo pacto vnum tantum accidentale ex his fieri posse dicendum est, consideratis verò in esse sensibili, & intentionali repræsentatiuo, aut repræsentato magis vnum fit, quam ex materia, & forma, quia nō fit ex duobus tertium, sed vnum potius dicitur fieri aliud, videlicet sensus sensibile, aut intellectus intelligibile, & hoc tantum probat argument. eorum.

QVAESTIO VIII.

An speciebus sensibilibus præter diuisibilitatem, aut extensionem, quam habent a subiecto, sit eis concedenda alia in ordine ad obiectum.

Nihil de diuisibilitate specierum reperietur apud antiquiores, sed a solis recentioribus disputari cœpit. Vnum verò præsupponit titulus quæstionis, & quærit alterum: præsupponit quidem species sensibiles receptas in potētia, aut in medio tanquā in subiecto, esse extensas ac diuisibiles ad extensionem superficiei eiusdem subiecti, quia mediæ recipiuntur in eo, sicut cætera omnia accidentia corporea. Quod probatur 1. quia repugnat accidens corporeum receptum in subiecto media quantitate non coextendi eidem subiecto: cum inter accidens, & subiectum naturalis proportio dari debeat.

76 Tot igitur partes habere debet accidēs, quot habet superficies subiecti. Sed species sensibilis est accidens reale, & corporeum receptum in corporeo subiecto: ergo coextenditur superficiei eius, & tot, quot ea habebit partes. Secundò, quia repugnat ab agēte diuisibili, vt tali procedere effectum indiuisibilem, sed species procedit ab obiecto diuisibili, vt tali, ergo procedit diuisibilis, & habens partes sicut agens ipsum Et hinc sequitur falsum esse, & sine fundamento excogitatum a quibusdam, quod species sint indiuisibiles, & ita tota species recipiatur in toto subiecto, & tota etiam in qualibet eius parte, aut indiuisibili, quod sensisse aiunt Venetum 2. lib. de aīa ad text. 127. & Pisan. in sua perspectiua p. 5 Hanc verò diuisibilitatē specierum possumus vocare extensiuam atq; subiectiuam, cum ex ordine ad subiectum, atq; extensionem eius illam habeat.

77 Qua præsupposita quærit titulus quæstionis, an præter hanc diuisibilitatem extensionis subiectiuam aliam diuisibilitatem extensionis habeat species in ordine ad obiectum, quæ ideo appelletur extensio obiectiua. Et ratio dubitandi est, quia sicut subiectũ in quo recipitur, habet partes extensionis, ita obiectum, quod repræsentat: ergo sicut coextenditur subiecto, ita vt quælibet pars speciei sit in parte subiecti, & non tota in aliqua eius parte, videtur necessarium, quod coextendatur etiam obiecto in modo repræsentandi illud, & cum obiectum sit diuisibile, & extensum, species ipsa modo diuisibili illud repræsentabit, ita vt tota repræsentet totum, & pars partem, & consequenter indiuisibilia speciei indiuisibilia eiusdem obiecti, & ita sicut tribuitur speciei extensio subiectiua ex ordine ad subiectum extensum: pari ratione tribuenda ei sit extensio obiectiua in ordine ad obiectum extensum.

78 Nihilominus prior sententia concedẽs speciei intensionem subiectiuam, denegat illi obiectiuam afferens modo indiuisibili ipsum repræsentare, ita vt sicut tota ipsa species repræsentat totum obiectum, & omnes eius partes, sic pars quælibet speciei repræsentet totum obiectum, & omnes eius partes.

Sic Cardinalis Toletus 2. lib. de anima, quæst. 34. & alij ex recentioribus. Probat exemplo luminis in medio producti ab aliquo luminoso, quod ita se habet ad productionem eius, vt omnes eius partes coniunguntur per modum vnius agentis, sicut omnes partes ignis ad producẽdum calorem in ligno.

79 Vnde sequitur totum ipsum lumen productum, & quam libet eius partem dependere a toto luminoso, & qualibet eius parte & non hæc pars ab illa parte, quod est modo indiuisibili dependere ab eo, pari ergo ratione totum obiectum, & omnes eius partes coniunguntur per modum vnius agentis ad producendam speciem in eodem medio vel potentia: ergo sicut tota species dependet a toto obiecto, ita quælibet etiam pars a toto, & non vna pars ab alia, sed eodem modo repræsentat species obiectum, ac dependet ab illo: ergo tota repræsentabit totum, & quælibet etiã pars totum, & non pars partem, quod est modo indiuisibili, atq; inextenso ipsum repræsentare. Vnde etiam sequitur nullam esse ei tribuendam extensionem obiectiuam.

Secundò probari potest experientia: nam videmus plura obiecta minutissima, quorum quodlibet per se separatum videri non potest, coniunctum cum alijs videri: imò cum nullum posset videri separatum ab alijs, si coniungantur, videri poterunt omnia, & singula, vt plura grana tritici, vel plura oua, quæ ad tantam distantiam non viderentur per se separata, videri possunt coniuncta, nõ solum omnia, sed etiam singula, quod non potest aliunde prouenire, nisi quia mutuo se iuuãt ad productionem speciei, & quasi per modum vnius agentis perfectioris coniuncta, perfectiorem speciem, & quasi magis extensam producunt, per quam videri possunt omnia, & singula; cum tamen singula separata non possent, nisi imperfectas producere species, per quas non possent ad tantam distantiam videri.

80 Ad talem autem speciem perfectiorem non se habent sicut partes eiusdem totalis obiecti, sed ita vt a qualibet dependeat tota species, cum per modum vnius agentis eam producant, & consequenter modo indiuisibili, atq; inextenso repræsententur per eam, tota ipsa specie repræsentante omnia, & singula, & qualibet parte eiusdem speciei omnia etiam, & singula, multo ergò melius hoc verum erit de partibus obiecti continuis, si de discontinuis ostendit experientia esse necessarium: cum continuæ partes magis sint vnitæ, quare nulla potest tribui extensio obiectiua speciei.

Secunda opinio recentiorum probabilior est tribuens speciebus extensionem obiectiuam, ita vt modo diuisibili obiectum repræsentent: tota quidem ipsa species totum, & pars partem eius duntaxat, non totum. Probatur 1 quia si in præsentia alicuius augeatur obiectum aliquod, nouamq; extensionem acquirat successiuè per additionem partium quãtitatis, & albedinis Tũc inquiro, an sicut additur ei noua pars, ita addatur noua pars speciei præexistenti: per quam prius videbatur, ita vt per nouam partem speciei additã repræsentetur noua pars addita obiecto, vel nihil addatur speciei, sed præexistens sine additione repræsentet obiectum cum noua illa parte ei superaddita, ex eo quod incipit dependere tota cum omnibus suis partibus, non solum ab obiecto præexistenti a quo de-

dependebat prius, sed etiam a superuenientе parte præexistentibus vnita per modum vnius agentis ad conseruandam totam præexistentem speciem cum omnibus suis partibus, quę dependentia sufficit, vt per eam re præsentetur non solum antiquum obiectum, sed etiam superueniens pars: sed hoc secundum nō potest esse verum: ergo primum est necessarium, quia non est excogitabilis alius modus repræsentandi in specie, quare concedenda erit speciei extensio obiectiua.

81 Minorem sic probo, species est virtualis imago, ac similitudo obiecti: ergo solum potest repræsentare obiectum, a quo procedit, sed non procedit ab illa parte obiecti de nouo producta: ergo impossibile est eam repræsentare, aut per eam videri. Antecedens prioris consequentiæ iam supra probaui, sed eandem consequentiam probo: nam cetera per se patent, quia species accipit esse ab obiecto, a quo producitur, & non ab alio, a quo postea conseruatur (etiam si posset ab vno produci, & ab alio conseruari, quod statim constabit falsum) ergo accipit ab illo esse repræsentatiuum, quod habet; & non ab alio. Probatur euidenter consequentia, quia esse repræsentatiuum pertinet intrinsecè ad eandem entitatem, atque ad idem esse speciei acceptum ab obiecto producente; quare sicut ab hoc solum accipit esse, & non ab alio postea conseruante, ita ab eo solo accipit repræsentationem, vnde sequitur hoc solum, & non aliud posse repræsentare, & ideo nisi noua addatur pars speciei præexistenti, impossibile est, quod partem de nouo additā obiecto repræsentet: quod si pars noua ei addatur, diuisibilis erit in modo repræsentandi obiectum.

82 Sed probo secundo, quod præexistens species non possit conseruari a nouo, ac distincto obiecto, vel parte obiecti superueniente, & proinde quod non possit ab ea dependere, & ratione dependentiæ eam repræsentare, vt asserit opposita sententia, sed a solo Deo producente illam, quia imago, vt imago, solum habet correspondentiam naturalem cum obiecto repræsentato, cum relatio repræsentationis in naturali esse speciei, vt repræsentatiuo fundetur, vel illud sequatur: sed impossibile est repræsentare speciem aliud obiectum, a quo non accipit esse repræsentatiuum, vt probaui: ergo impossibile est esse repræsentatiuum speciei referri, vel ordinari ad aliud, & ex consequenti impossibile erit conseruari ab alio: cum conseruatio naturalem fundet ordinationem.

Et si aliquis vellet pro opposita sententia respondere his argumentis, quod dum obiectum præsens potentiæ extenditur successiuè, non additur speciei præexistenti pars aliqua repræsentans partem etiam superadditam obiecto, nec ab ea repræsentatur pars superaddita, sed noua species producitur repræsentans ipsum cum superaddita parte, & cæteris omnibus modo indiuisibili. Ex hac solutione sequitur euidenter species totales, & completas actu infinitas successiue producendas esse, atque etiam alias actu infinitas corrumpendas in extensione successiua obiecti.

83 Probatur consequentia, quia cum extensio obiecti successiua fiat per partes proportionales, quæ sunt actu infinitæ, & per additionem cuiuslibet corrumpenda sit tota species, & producenda alia, sequitur actu infinitas esse corrumpendas, & totidem de nouo producendas, quod videtur maximum inconueniens in entitatib. absolutis, atq; completis (quales sunt species) concedere, si alia via possit benè explicari repræsentatio speciei (vt reuera potest) tribuendo illi obiectiuam extensionem: ergo non est vllo modo admittenda repræsentatio speciei indiuisibilis, sed extensio obiectiua ei tribuenda est.

Quam in primis oportet intelligere, vt eadem sit entitas realis speciei habens diuersos respectus ad subiectum, & obiectū, quia sicut eo ipso, quod producitur in subiecto diuisibili, habet partes extensionis subiectiuæ: eo etiam ipso, quod producitur ab obiecto extenso, habet in repræsentando partes extensionis obiectiuæ. Deinde tria sunt necessariò præsupponenda, in quibus fundatur extensio obiectiua specierum.

84 Primum est, quod quælibet pars organi, aut subiecti, in quo producitur species, immutari potest a toto obiecto, & ab omnibus partibus eius. Vnde sequitur sic produci speciem ab obiecto in toto subiecto, & qualibet eius parte, vt ab ea parte possit percipi totum ipsum obiectū, & quælibet eius pars; quare necesse est vt in toto subiecto, & qualibet eius parte tot reperiantur partes obiectiuæ extensionis specierum, quot sunt partes eiusdem obiecti, in ordine ad quod ea-

dem extensio obiectiua accipitur, alioqui non posset percipi ex qualibet parte subiecti totum obiectum, & omnes partes eius, quod repugnat experientiæ.

Eiusmodi autem partes obiectiuæ extensionis suis indiuisibilibus vniuntur, & continuantur, quemadmodum partes intensionis subiectiuæ, quia quælibet res continua iuxta proprium modum essendi debet habere propria indiuisibilia, quibus partes eius copulentur, vt ex eis fiat vnum cõtinuum in tali modo essendi, sicut de partibus intensionis, & extensionis qualitatum naturalium docuimus 6. lib. physicorum, & 1. lib. de generatione c. 4.

85 Et hinc sequitur secundum necessariò præsupponendum, videlicet, quamlibet partem eiusdem extensionis obiectiuæ specierum, & quodlibet indiuisibile, quo continuantur extensum esse per totum subiectum, & tot habere partes extensionis subiectiuæ, quot sunt partes eiusdem subiecti, quemadmodum eisdem locis citatis ostendimus, totam intensionem qualitatis naturalis, & omnes eius gradus: vel partes atq; etiam indiuisibilia extensa esse per totum subiectum, & ideò tot habere partes extensionis quodlibet indiuisibile intensionis, quot sunt partes subiecti, imò tot, quot habet integra ipsa qualitas intensa, & omnes partes intensionis eius, quia cum qualitas ipsa sit extensa per totum subiectum, consequenter extensa est etiam per totum quælibet pars intensionis eius, & cum partes istæ intensionis sint continuatæ per indiuisibilia intensionis, non minus necessarium est, quodlibet horum indiuisibilium extensum esse per omnes partes subiecti, quam totam qualitatem intensam, & quamlibet eius partem, & tot habere partes extensionis quodlibet indiuisibile eiusdem intensionis, ac totam qualitatem intensam, & quamlibet partem intensionis eius.

86 Et tandem sequitur non minus posse percipi totum obiectum, & omnes partes eius per quodcumque indiuisibile extensionis subiectiuæ speciei, ac percipi possunt per omnes, & singulas partes eius: & ideò per totam extensionem subiectiuam specierum, alioqui non possent percipi a qualibet parte potentiæ, vel organi, quod contradicit experientiæ: nam videmus per quamlibet partem oculi videri totum obiectum, & omnes eius partes, quod non esset possibile, nisi per minimam partem extensionis subiectiuæ speciei posset percipi: cum nihil percipiat potentia, nisi informata specie, eodem igitur modo sequitur, per quodlibet indiuisibile eiusdem subiectiuæ extensionis percipi totum obiectũ, & omnes eius partes: cum non minus sit extensum per totum organum, quam partes. Quæ etiam satis efficaciter confirmantur ex his, quæ eisdẽ locis citatis dicta sunt de indiuisibilibus intensionis, & extensionis qualitatum naturalium.

87 Sed vt hæc duo vera sint, & necessaria (vt absque dubio sunt) necessarium est etiam tertium, nempe, quod in qualibet parte medij, atque etiam organi producantur omnes, & singulæ partes extensionis obiecti partes specierum, per quas in qualibet parte organi repræsententur omnes, & singulæ, alioqui extensio subiectiua iam explicata non habebit sufficiens fundamentum veritatis, quia cum pars quælibet speciei non possit repræsentare, nisi determinatam partem obiecti, a qua procedit, si in singulis partibus medij, & organi non producantur partes specierum repręsentantes omnes, & singulas partes obiecti, non poterit ratione obiectiuæ extensionis per quamlibet minimam partem, & per quodlibet indiuisibile speciei repræsentari, ac percipi totum obiectum, & singulæ eius partes in singulis partibus organi, vt consideranti erit manifestum.

Quibus sic expositis, ad primum argumentum oppositæ sententię concedendum est totum antecedens, quod quælibet pars luminis procedit a toto luminoso, cuius partes vniuntur ad producendum illud per modum vnius agentis: sed neganda est paritas rationis, quæ infertur de partibus speciei, quod quælibet procedat a toto obiecto.

88 Et ratio disparitatis consistit in diuersitate luminis, & speciei, nam species repræsentat obiectum quasi per modum imaginis & propterea non sic procedit tota a toto obiecto, quin quælibet etiam pars à toto etiam procedat, sed ita vt per singulas partes producat singulas partes eiusdem speciei, & sic quælibet sicut est determinata, atque distincta ab alia, determinatam quoque partem obiecti repræsentet, atque distinctam a quacumq; alia,

nec

nec vna alteram repræsentare possit.

Quod in obiecto heterogeneæ figuræ probat experientia, cuius pars speciei repræsentans figuram capitis, nequit repræsentare figuram manus, cum sit longè diuersa, sicque de cæteris. Et eadem certè ratio (licet non adeò manifesta) est de specie figuræ homogeneæ, quia modus imprimendi speciem, quem habet obiectum sigillo, aut imagini similis, ex sua propria ratione determinatam repræsentationem, & determinatam rem repræsentatam postulat.

89 Negandum igitur est, quod partes obiecti vniantur ad producendam speciem per modum vnius agentis intentionalis, sicut vniuntur in agentibus naturalibus, in quibus non reperitur modus aliquis imaginis, nam in illis non agunt partes distinctis actionibus partialibus, & ideò nec tribuitur effectus eis quasi per partes, sed modo indiuisibili, ita vt totus toti, & singulis etiam partibus totus, licet modo inadæquato, aut tanquam agenti inadæquato.

Partes verò obiecti sic vniuntur per modum vnius agentis, vt quælibet operetur per virtutem propriam tanquam distinctā a virtute alterius, imò a virtute totius, quare per proprias actiones partiales, quamuis vnitas ad constituendum vnam totalem concurrūt, & totus ipse effectus tribuitur eis per partes, quamuis ex partibus singularum efficiatur vnus totalis.

90 Quod hoc exemplo explicari potest, dum homo aliquis imprimit speciem suæ figuræ oculo, manifestum est, partem speciei repræsentantem brachium non repræsentare caput, quare nec a capite procedere, sed a solo brachio, quia neque caput habet virtutem intentionalem imprimendi similitudinem brachij, neque brachium similitudinem capitis: cum diuersæ sint figuræ, quare necesse est per virtutes distinctas, vt distinctas operari, & consequenter per distinctas actiones partiales, quibus distinctæ partes effectus correspondeant, quamuis ex virtutibus singularum, & ex partialibus earum actionibus componatur vna virtus, & vna actio totalis: atq; etiam ex partialibus effectibus eis corrispondentibus vnus totalis effectus, hoc enim necessaria conditio est vnius agentis diuisibilis.

Pro solutione secundi argumenti, tanquā certum est præsupponendum, quod sicut plura corpuscula eiusdem rationis, aut coloris, vt plura grana tritici coniuncta videri possunt: cum tamen quodlibet separatum ab alijs non posset videri in eadem distantia, ita etiam verum est de pluribus diuersæ rationis, aut coloris, quod facile experiri possumus.

91 Vnde sequitur non id prouenire ex eo, quod se iuuent ad producendas perfectiores species, quam separata produceretur. Probatur consequentia, quia quæ diuersi coloris sunt, non possunt se iuuare: cum repugnet obiectum album iuuare, vel concurrere ad productionem speciei repræsentantis obiectum nigrum, vt per se est manifestum, & tamen non minus certò constat corpuscula diuersi coloris simul sumpta videri, & distinctè videri in ea distantia, ad quam videri non posset quodlibet separatum ab alijs, vel certè non distinctè: ergo hoc non prouenit ex concursu vnius cum altero ad productionem speciei.

92 Quod alia potest experientia confirmari nam contingit idem per paruum corpus a tanta distantia videri ab vno homine, & non ab altero, quod constat non prouenire ex defectu speciei: cum eodem modo eam producat respectu vtriusque: imò si ex defectu speciei proueniret, a neutro videretur, prouenit: ergo absq; dubio ex perfectiori, aut imperfectiori potētia, aut organo, quia potentia quælibet, vel organum eius iuxta mensuram propriæ perfectionis petit perfectiorem, vel imperfectiorem speciem secundum intensionem, & extensionem ad operādum: ita vt cū improportionata specie omninò non possit operari, vel certè non ita benè, vel non ad tantam distantiam secundum maiorem, vel minorem improportionem: quod ergo contingit parua corpuscula inter se separata non posse videri ad tantam distantiam, videri autem non solum omnia, sed etiam singula ad eandem distantiam, si sint coniuncta, defectui potentiæ tribuendum est, atq; etiam paruitati cuiuslibet per se sumpti, ratione cuius improportionatum est potentiæ, & imperfectam producit speciem, per quam videri non potest ab ea, quę improportio ex parte vtriusque proueniens suppletur per coniunctionem eorum, quia licet quodlibet coniunctum alijs non producat perfectiorem speciem, quam produceret separatum, nec maioris extensio-

nis, omnia tamen coniuncta producunt simul plures species eiusdem extensionis, & ita multitudo supplet defectum singularum & visus immutatur multo fortius ab omnibus simul, quam à qualibet separata, & ideò operari potest circa singula: quia simul operatur circa oĩa: cum tñ circa singula separata nõ posset, & id quidẽ contingit absq; concursu vnius obiecti cum alio ad productionem speciei, ex eo solum quod simul operantur omnia, simulque immutant potentiam, & simultanea illa immutatio omnium æquiualet maiori, aut fortiori immutationi singulorum potentiæ proportionatæ in tali distantia, illa etiam omnia corpora parua, quamuis per proprias species, propriasque immutationes potentiam immutent, & per singulas visiones percipiantur ab ea, quasi inadæquata censentur respectu vnius, & eiusdem obiecti æqualis magnitudini omnium, quod per vnicam immutationem, & visionem vnicam adæquatam videre posset potentia in eadem distantia, & ex his constat solutum esse argumentum.

QVAESTIO IX.

An species impressa ab obiecto diuisibili secundum intensionem sit etiam diuisibilis secundum intensionem.

93 PArs negatiua, quod species impressa nullam habeat diuisibilitatem intensionis, videtur probari primò, quia dupliciter potest intelligi, quod species impressa ab obiecto sit diuisibilis secundum intensionem: primo ex eo, quod plures gradus intensionis obiecti repræsentat: secundo quia eosdem repræsentat magis, & minus perfectè. Vterque autem modus videtur impossibilis: ergo impossibile est, quod species sit diuisibilis secũdum intensionem. Euidens est cõsequentia, quia non supersunt alij modi, quibus diuisibilis possit excogitari species secundum intẽsionem, præter hos duos. Sed probatur antecedens, quia plura in primis dantur obiecta sensibilia, in quibus nulla datur latitudo intẽsionis, vt de multis sensibilibus communibus, nempe magnitudine, numero, & figura constat: ergo ab his non potest produci species diuisibilis secundum diuersos gradus intensionis obiecti, quos repræsentat: sed nec repræsentans eundem gradum, vel entitatem eiusdem obiecti magis, aut minus perfectè, quia cum obiectum careat gradibus intensionis, non operatur perfectius, aut minus perfectè intensiuè: sed eodem modo semper, quia per eandem entitatem omninò in se immutatam: ergò non producit speciem se repræsentantem secundum maiorem, vel minorem perfectionem: nec proinde diuisibilem secundum intensionem adhuc hoc modo.

94 Secundò probatur in obiectis sensibilibus habentibus plures gradus intensionis, quia omnes isti gradus constituunt eandem numero qualitatem tantę intensionis, & cõsequenter tantæ virtutis ad agendum, vt octo gradus albedinis, vel caloris constituunt vnam numero albedinem, aut vnum numero calorem intensionis, vt octo, & virtutis, vt octo ad agendum: ergo omnes isti gradus vniuntur ad agendum, & per modum vnius agentis operantur. Vnde sequitur effectum a tali agente productum dependere à toto ipso agente sic intenso, & a qualibet parte, vel gradu intensionis eius; sed species, quam producit est effectus adæquatus totius intensionis: ergo dependet a tota ipsa intensione, & a qualibet eius parte, vel gradu, & proinde repræsentabit totam, & quamlibet partem modo indiuisibili secundum intensionem.

Probatur hoc vltimum, quia species repræsentat obiectum, a quo procedit secundum modum procedendi ab illo, erit igitur indiuisibilis secundum intensionem.

95 Nec locum habet solutio tradita quæstione præcedente, quod in effectibus naturalibus verum hoc sit, non in intentionalibus, qualis est species, quæ cum sit quasi imago obiecti, nõ potest quælibet pars eius repræsentare aliam partem obiecti, præter illam a qua procedit, & multo minus totum ipsum obiectum, & ideò per partes, & modo diuisibili debet repræsentare. Nam diuersa longè ratio est de intensione, & extensione obiecti, extensio enim diuersas partes entitatis eius dicit, nec in vna reperitur, in eadem subiecti parte: sed necessariò in diuersis, & ideò quælibet potest agere per propriam

priam virtutem distinctam ab alia ad productionem speciei, & propterea modo diuisibili, secundum extensionem debet procedere ab omnibus, & singulis, & propterea modo diuisibili eas repræsentare.

Tota autem intensio obiecti, & omnes eius gradus reperiuntur in eadem parte subiecti, & in eadem parte extensionis, vel entitatis obiecti, quia intensio formæ est perfectio eius circa eandem partem: ergo non potest operari obiectum, vel pars eius, quin operetur secundum omnes gradus intensionis, quos habet, nec proinde producere speciem, quin ab omnibus simul, & necessariò dependeat, omnesque, & singulos simul, & necessariò repræsentet, quod est modo indiuisibili obiectum intensum, & omnes gradus intensionis eius, repræsentare. Et ita tenent nonnulli ex recentioribus.

Nam antiquiores interpretes Arist. hanc diuisibilitatem intensiuam specierum non attingunt, sicut nec extensiuam.

Nihilominus probabiliorem iudico sententiam oppositam, *tribuentem his speciebus modum diuisibilitatis intensiua natura obiecti proportionatum, quam maior recentiorum pars sequitur*. Eam verò his duabus assertionibus explico.

96 *Prior est, species impressa diuisibilis est secundum intensionem in ordine ad plures gradus intensionis obiecti, quos modo diuisibili, & per partes repræsentat; ita vt nec vna pars intensionis eius repræsentet totam intensionem obiecti, neque aliam partem intensionis eius, sed qualibet pars suam partem determinatam intensionis, & non aliam.*

Hanc assertionem sic prius declaro, & deinde eam probabo. Eadem numero albedo extensa per totam manum, & singulas partes eius, perfici potest in tota ipsa manu, & singulis eius partibus per additionem noui gradus, vsq; ad octo, & gradus isti, qui ei adduntur, vocantur partes intensionis eius, & ad similitudinem eius intensionis intelligi debet intensio speciei repræsentantis eandē albedinem, vt hic excogitemus per quandam alterationem continuā intendi albedinem.

97 Et in principio huius intensionis successiuæ produxisse in medio, vel potentiā quandam speciem repræsentantem ipsam secundum paruam illam intensionem quam tunc habet, procedente verò intensione, sicut additur eidem albedini in eadem manum, & in eisdem partibus eius existēti alter gradus eductus de nouo ex potentia subiecti: ita suo modo additur speciei prius productæ ab ea in medio, vel organo alter gradus, vel pars tantò perfectior in repræsentando, quantò intensior, ac perfectior facta est albedo repræsentata, a qua producitur, & de potentia eiusdem organi, aut medij educitur, & sic intenditur species iuxta intensionem obiecti: ita vt sicut in fine totius intensionis vna, & eadem numero albedo existens in eodem subiecto, aut in eadem parte eius habet octo gradus intensionis in essendo, quorum quilibet est diuisibilis in infinitum per partes proportionales intensionis: ita eadem numero species in principio producta sub intensione repræsentatiua imperfecta habeat octo gradus intensionis, aut perfectionis intensiuę in repræsentando obiectum, quorum quilibet est diuisibilis in infinitum per partes proportionales intensionis correspondentes infinitis partibus proportionalibus intensionis eiusdem obiecti, quas repræsentant.

98 Et rursus quemadmodum omnes gradus intensionis obiecti, & omnes partes eorum vniuntur, & continuantur proprijs indiuisibilibus intēsionis, sic suo modo gradus intensionis speciei, & partes eorum illos repræsentantes vniuntur, & continuantur indiuisibilibus sibi proportionatis repræsentantibus eadem indiuisibilia, quibus continuantur gradus, & partes intensionis obiecti, & iste est modus indiuisibilitatis intensiuæ, quam tribuit hæc prior assertio nostra speciebus sensibilibus.

99 Quam sic probo primo, quia obiectum extensum producens speciem sui communicat ei extensionem, quam habet: ita vt sicut totum obiectum producit totam speciem, & propterea totum ab ea, tanquam à similitudine repræsentatur, sic singulæ partes extensionis eius concurrunt per proprias entitates distinctas ad productionem eiusdem speciei, quæ cum eiusdem rei, a qua producitur quasi imago sit, & non alterius, sequitur quamlibet speciei partem solum esse repræsentatiuam determinatæ partis obiecti, a qua producitur, & non alterius: quod in figura heterogenei corporis ostendimus: sed obiectum non minus est diuisibile secundum partes graduales intensionis, quam secundum partes extensio-

nis, vt de albedine constat: ergo sequitur producere speciem sui secundum eandem intensionem: ita vt quælibet pars secundum maiorem, vel minorem intensionem, quam habet, concurrat ad producendam partem speciei eiusdem intensionis, & non alterius, & cõsequenter pars illa speciei eandem partem sic intensam, & non alteram, neque totum ipsum obiectum intensum repræsentet, quod est modo diuisibili ipsum, & partes eius repræsentare, & suas partes intensionis habere.

Quod efficaciter potest ostendi in obiecto habente partes magis, & minus intensas, vt si albedo intensior sit in facie, quam in manu, vt sæpe contingit, sequitur producere perfectiorem partem speciei in medio, aut in oculo.

100 Probatur consequentia, quia cum producat eam secundum perfectionem, quam habet, & in facie habeat maiorem, absque dubio producet partem speciei maioris perfectionis intensiuæ: nam eò est perfectior species, quò perfectius obiectum repræsentat.

Tunc ergo negari non potest primo, quod species albedinis a toto homine producta habeat partes magis, ac minus perfectas secundum intensionem, quæ repræsentent partes eius magis, & minus intensas in eadem albedine.

Ex quo efficaciter satis infertur speciem esse diuisibilem secundum partes intensionis.

Secundò negari non potest eandem speciem habere modum repræsentandi diuisibilem secundum intensionem, quia in eo consistit modus diuisibilis secundum intensionem, quod est nullam partem repræsentare totum obiectum sic intensum, neque aliam partem intensionis eius: sed vnam tantum determinatam: ex hoc enim sequitur necessario, nec vnam partem speciei dependere a toto obiecto, nec ab alijs partibus; sed quamlibet a parte distincta, eamq; dũtaxat repræsentare: sed pars speciei procedens ab albedine existente in facie, non potest procedere ab albedine existente in manu; cum sint diuersæ intensionis, ac perfectionis: ergo modo diuisibili secundum intensionem repręsentant tota ipsa species, & singulæ partes eius. Secundo probatur, quia si obiectum præsens potẽtiæ intendatur successiuè, vel speciei præexistenti a qua repræsentabatur prius additur noua pars intensionis, per quam magis ipsum intensum repręsentet, vel non: sed alia species perfectior de nouo producitur: a qua cum maiori illa intensione repræsentatur, & si primum concesseris habetur intentum, quod species habeat partes intensionis, quarum quælibet repræsentet partem intensionis obiecti determinatam, & non aliam, quod est esse diuisibilem secundum intensionem: si verò corrumpi dixeris, & produci nouam, sequitur corrumpi actu infinitas totales, atque completas, & alias etiam actu infinitas produci de nouo.

Probatur consequentia, quia successiua intensio obiecti habet partes proportionales actu infinitas, & ad nouam productionem cuiuslibet sequitur productio nouæ speciei totalis, atq; completæ repræsentantis totum obiectum cum noua intensione: cum de nouo debeat repræsentari pars illa proportionalis intensionis obiecti de nouo producta, nec possit repræsentari per speciem præexistentem, si nulla pars intensionis ei additur, admittere autem productionem specierum cõpletarum actu infinitarum satis magnum incommodum est nullo modo admittẽdum, si repræsentatio obiecti de nouo intensi alio modo probabili saluari potest eo non admisso, (vt reuera potest) concessa diuisibilitate speciei secundum intensionem: hęc igitur concedenda est.

101 Et si dixeris in tali intensione successiua obiecti, nec produci nouam partem speciei, nec nouam speciem: sed nouam illã intensionem obiecti per speciem præexistentem repræsentari, absq; vlla additione partis, quia eo ipso quod noua intensio obiecti producitur, incipit dependere species præexistẽs ab ea, sicut a toto ipso obiecto, & omnibus partibus eadem ratione, ac noua intensio caloris inciperet dependere a toto igne, & omnib. partibus eius, & consequenter poterit repręsentari per eandem speciem, quia species totum illud a quo dependet in suo esse, repræsentat. Probatur efficaciter hoc esse impossibile, quia cũ species sit quasi naturalis imago obiecti modo iam explicato: repugnat aliquid repræsentare, a quo non sit producta, quia a quo nõ accipit esse, nec potest accipere repræsentationem, in qua consistit eius esse, nec proinde ab ea poterit repręsentari,

tari, quare apertè falsum est, quod præexistes species possit dependere à noua parte intensionis obiecti producta, etiam in conseruari, quia species nec in esse, nec in conseruari potest dependere, nisi ab obiecto quod repræsentat, & à quo producitur, & hoc habet ex propria ratione, ac natura intentionalis similitudinis.

103 Assertio posterior, *non solum species habet diuisibilitatem intensionis ex eo, quod plures gradus, aut graduales partes obiecti repræsentat, sed etiam ex eo, quod eosdem, vel eundem potest magis, & minus perfectè repræsentare, atque etiam obiectum nullam habens intensionem*. Hæc etiam prius declaranda est, deinde probanda. Eam verò declarat experientia, quia videmus idem obiectum prorsus in se immutatum, magis, & minus perfectè repræsentari per speciem à se productam ratione medij, vel organi meliusdispositi, & per eam perfectius videri ab eadem potētia eodem modo disposita; vbi autem magis, & minus datur, necesse est dari intēsionem, & hoc est, eam habere speciem in modo repræsentandi obiectum, & esse diuisibilem secundum intensionem.

104 Quàm diuisibilitatem sic probo esse concedendam speciei, si ponatur obiectū alicuius intensionis in loco ita distanti à potentia, vt imperfectè, aut confusè videatur, & tunc incipiat potentia moueri, & accedere ad ipsum, quo propinquior fit, perfectius, hoc est, distinctius, atque clarius illud videt, secundum eundem, vel eosdem gradus intensionis, ita vt possit eosdem gradus obiecti, vel obiectum ipsum nullam habens intensionem repræsentare species secundum vnum gradum perfectionis, & secundum duos, & tres, ac plures; ergo perfectius sibi repræsentantur ijdem gradus per speciem, quā prius repræsentabantur, & si propinquior fiat, per fectiùs ei repræsentabūtur, habet igitur species præter diuisibilitatem intensionis respectu graduum intensionis obiecti, in quātum potest pauciores, atque etiam plures repræsentare, aliam distinctam respectu eorundē, vel eiusdem: in quantum potest eos repræsentare magis, ac minus perfectè, & consequenter secundum maiorem, & minorem intensionem.

105 Et quod diuisibilitates istæ sint distinctæ in specie, possumus probare ex reali separatione earum in obiecto nullam intensionem habente hoc modo. Eadem figura, vel magnitudo obiecti videtur imperfectius, magisque confusè, quo plus distat à potentia, & quo magis ad eam accedit, videtur clarius, atque distinctius, ergo magis, & minus perfectè repræsentatur per speciem, non quidem diuersam de nouo productam, quia cum distantia habeat partes infinitas percurrendas per infinitas partes motus eiusdem obiecti accedentis ad potentiam, vel potentiæ accedentis ad obiectum, sequeretur species actu infinitas produci de nouo, & alias actu infinitas corrumpi; quod nullo modo admittendum est; ergo per eandem numero speciem, quam magis, & minus perfectè repræsentare idem obiectum impossibile est, sine aliqua additione partis vel gradus intensionis, quia quo perfectiùs repræsentat, eo est perfectior in suo esse, perfici verò in suo esse sine additione alicuius nouæ entitatis repugnat, sicut repugnat qualitatibus naturalibus, vt probauimus 1. lib. de generatione, c. 4. necesse est ergo eidem speciei concedere gradus intensionis in modo repræsentandi idem obiectum, & omnino immutatum, & secundum eos aliam diuisibilitatem intensiuam, præter eam, quàm habere probauimus in priori assertione.

106 Sed posset aliquis huic argumento respondere concedendo, quod magis, & minus perfectè videatur idem obiectum in se immutatum, quo magis accedit ad potentiam, vel potentia ad ipsum, quia nullo modo negari hoc potest, sed negando, quod ex hoc infertur, videlicet id contingere ex eo quod magis, & minus perfectè repræsentetur per speciem, quia benè potest magis, & minus perfectè videri, etiam si secundum eandem perfectionem repræsentetur ex parte speciei propter maiorem, aut minorem distantiam à potentia; nam approximatio obiecti est conditio necessaria, vt percipiatur à potentia, & ideo sola maior, vel minor distantia potest esse sufficiens causa, vt magis, aut minus perfectè, vel distinctè percipiatur. Vnde sequitur posse magis, & minus distinctè, aut clarè percipi immutata omnino specie; quod sic probo: obiectum omnino immutatum percipitur magis, & minus distinctè propter maiorem, vel minorem distantiā à potentia, vt docet experientia; ergo immutata

omnino specie, poterit magis, & minus clarè percipi propter solam maiorem, vel minorem distantiam.

107 Probatur consequentia, quia quò propinquior est potentia respectu obiecti, eo perfectius operatur circa illud cæteris paribus ex parte aliorum, vel cœteris omnino immutatis, sicut propter maiorem, vel minorem approximationem alijs omnibus omnino immutatis perfectius operatur quodcunque agens naturale. Et ratio vtriusque est modus operandi cuiuslibet agentis naturalis limitatæ virtutis, quòd fortius operatur in passum, vel circa obiectum proximum, quàm remotum, quare non probat argumentum intensionem speciei, vel diuisibilitatem secundum illam.

108 Hæc tamen solutio aliquam habet apparentiam veritatis, sed nec potest esse vera, nec argumento satisfacere, quia ratio ipsa, in qua fundatur, probat, non posse prouenire visionem magis, & minus perfectam eiusdem obiecti, magis, vel minus distantis, nisi à specie magis, aut minus clarè, atq; distinctè ipsum repræsentant. Quòd sic probo; agens naturale fortius agit in passum sibi proximum, quàm in remotum; ergo perfectiorem ei imprimit effectum, sed obiectū agit naturaliter in medium, atque etiam in organum, & potentiam imprimendo illis speciem; ergo quò minus distat ab eis, perfectiorem producit speciem, hoc est, clarius, atque distinctius se repræsentantem, & si successiuè propinquius fiat per maiorem accessum ad potentiam, vel potētiæ ad ipsum, intensiorem producet speciem, quemadmodum naturale agens intensiorem qualitatem producet, quo magis appropinquat ad passum.

Vnde sequitur nō posse videri perfectius à potentia propter solam minorem distantiam, sed per se primò videri perfectius, propter intensiorem speciem, quàm à minori distantia producit, ad cuius productionem euidens est iuuare minorem distantiam, aut maiorem approximationem, tanquam conditionem necessariam. Quare falsum est, & omnino negandum, quòd in argumento assumitur, nempè clarius, atque distinctius videri obiectum appropinquans ad potētiam propter solam minorem distantiam cœteris paribus ex parte speciei, immo præcipua causa perfectioris visionis est intensior species, quam obiectum à minori distantia producit.

109 Quòd sic vrgeo, perfectior operatio non potest produci, nisi ex perfectiori principio, ac perfectiori concursu eius, sed species cum potentia est principium sensationis; ergo repugnat perfectiorem sensationem procedere, nisi à perfectiori specie, vel eadem perfectius concurrente, quòd patet non esse possibile ab eadem distantia. Itaque eodem argumento, quo probatur potentiam perfectius operari circa obiectum magis sibi approximatum, conuincitur planè obiectum magis approximatum potētiæ perfectius operari circa illam, & intensiorē sui speciem ei imprimere, & cùm prius sit obiectum imprimere potentiæ speciem sui, quàm operari potentiam circa illud, & species impressa sit principium operationis cū potentia, à posteriori probatur ex perfectiori visione eiusdem obiecti à minori distantia maior perfectio intensiua speciei, & consequenter diuisibilitas intensiua eius, & ita ex solutione obiectionis propositæ fortius confirmatur assertio nostra. Duas itaque diuisibilitates secundùm intensionem concedimus his speciebus, vel duos modos diuisibilitatis intēsiuæ per duas assertiones nostras: prior diuisibilitas est ratione plurium graduum; vel gradualium partium intensionis obiecti, quas potest repræsentare; posterior ratione maioris, vel minoris perfectionis secundum quàm potest repræsentare eundē vel eosdem gradus intensionis obiecti, vel certè eandem eius entitatem nullam intensionem in se habentem, sed solum respectu speciei.

110 Ad primum argumentum pro negatiua parte propositum, negāda est minor, quòd impossibilis sit vterque ille modus diuisibilitatis intensiuæ. Et cùm impugnatur posterior ex eo, quòd plura sunt obiecta nullam intensionem in se habentia, distinguendum est de intēsione obiectiua. Nam duplex est; formalis vna, & virtualis altera; formalis est, quàm habet qualitates ipsæ, quæ sunt obiecta sensuum per additionem graduum. Virtualis verò est perfectio essentialis, aut entitatiua, quàm habet in se obiectum ex propria naturā quantumlibet indiuisibili, in quantum magis, aut minus clarè, ac distinctè potest percipi à potentia, quæ versatur circa illud, quæ (nisi ego fallor) etiam in diui-

na

næ essentia in se simplicissima necessario ponenda est: cum possit magis, & minus clarè ac distinctè videri à beatis, quorum beatitudo essentialis magis, & minus perfecta est ratione huius intensionis: virtualis quidem in obiecto, formalis verò in actu intellectus illud videntis. Et ex ea intelligitur ratio à priori, propter quam non potest comprehēdi diuina essentia ab aliquo intellectu creato, quia intenso illa virtualis obiectiua est actu infinita, sicut entitas eius infinitè perfecta est in se: ergo non potest secundum totam videri ab intellectu creato, & proinde nec ab eo comprehendi, cum comprehensio sit cognitio obiecti, quantum cognoscibile est.

111 Et hæc distinctio intensionis obiectiuæ sic est applicanda ad obiecta sensibilia, vt aliquando formalis sit in eis, nempè in omnibus, quę sunt qualitates intensibiles, & remissibiles, aliquando verò virtualis, vt in eisdem in quantum secundum eandem intensionem adhuc possunt clarius, ac distinctius videri, atque repræsentari per speciē, atque etiam in his, quæ non suscipiunt intensionem, & remissionem, vt in quantitatate, & figura, in quantum entitas earū magis, & minus clarè, ac distinctè potest repræsentari per speciem iuxta perfectionē eius, & sic repræsentata magis, ac minus clarè, ac distinctè percipi à potentia. Itaque obiecta quædam habēt vtramque, ea videlicet quæ habent in propria entitate latitudinem intensionis, & remissionis; alia verò virtualem tantùm, si latitudine intensionis propriæ entitatis careant, vtraque tamen intensio obiectiua causat formalem intensionem in specie expressa, & cognitione, per quam percipitur obiectum, quia species ipsa in se, atque etiam cognitio formaliter repræsentāt obiectum secundum maiorem vel minorem claritatem, ac distinctionem, & ideo maior perfectio, vel minor repræsentandi, in qua consistit intensio earum, necessariò debet esse formalis: cùm non detur in imagine repræsentatio virtualis, sed repræsentatio ipsa sit perfectio formalis eius. Negandum igitur est, quòd species non habeat semper diuisibilitatem intensiuam formalem, siue obiectum, à quo producitur, & quòd repræsentat, formalem habeat, aut virtualem tātùm: nam vnam, aut alteram habere omnino necessarium est, & qualibet sufficit ad producendam speciem, & cognitionem magis, aut minus intensam formaliter, vt expositum est.

112 Ad secundum neganda est maior, quòd omnes gradus intensionis totius obiecti, & cuiuslibet partis eius sic vniantur per modum vnius agentis, vt per eandem actionem simplicem operentur ad producendam speciem, sicut vniuntur omnes gradus eiusdem obiecti in ratione qualitatis naturalis intensæ ad producendam aliam qualitatem naturalem intensam eiusdem speciei. Quia cum species sit velut imago obiecti, ipsum repræsentans (modo superius) & ex se ordinata ad productionem speciei expressæ, quæ vera, ac formalis imago est, quælibet pars intensiua speciei est quasi imago alicuius determinatæ partis intēsionis obiecti, & non alterius, sicut de partibus extensionis eiusdem speciei probauimus.

QVAESTIO X.

An omnes species sensibiles, quæ multiplicantur in medio, atque in potentia, producantur immediatè ab obiecto, vel quædam medijs alijs.

113 Circa hanc quæstionem tres sunt opiniones, duæ extremæ, & altera media.

Prima opinio extrema negat vllam speciem producere alteram, sed omnes asserit produci ab obiecto immediate, & per se, tam in medio, quàm in potentia. Hanc tenet in visione luminis Scotus in 2. dist. 16. q. vnica asserens lumen productum à sole in medio esse speciem intētionalem, per quam videtur, nec tamen producere aliud sibi simile, immo nec esse vllo modo actiuum pro tali productione, sed quoduis lumen, aut partem eius immediatè produci à sole. Et cum eadem ratio esse videatur de coloribus, atque speciebus ab eis productis, vniuersaliter videtur sentire, nullam speciem producere alteram, vel actiuè concurrere cum obiecto ad productionem eius.

114 Cum Scoto sentiunt sectatores eius,

& ex

& ex recentioribus nonnulli. Probatur primò, quia omnes dependent per se immediatè ab obiecto in conseruari, & nulla earum ab altera: ergo etiam in esse, & fieri. Euidēs est consequentia, quia hæc accidentia intentionalia ab eodem producente dependent in esse, & fieri, & conseruari. Sed probatur antecedens, quia permanente obiecto præsente, potest perire vna species permanentibus alijs, vt species producta in medio non pereunte specie producta in organo, ergo non dependebat ab ea in conseruari.

Secundò, species repræsentat rem à qua procedit, & sicut ab ea accipit esse, sic accipit repræsentationem: sed omnes species repræsentant per se immediatè obiectum, & nulla repræsentat aliam: ergo nulla procedit ab alia, sed omnes immediatè ab obiecto. Probatur minor, quia illud repræsentat species, quod per eam cognoscitur, sed per nullam cognoscitur altera; sed per omnes obiectum, & nihil aliud; ergo omnes repræsentant solum obiectum, & nulla repræsentat alteram.

115 Probatur tandem duabus experientijs, prima, quia constat obiectum existens extra cubiculum non videri à quocunque angulo eiusdem cubiculi, sed videretur necessariò, si species productæ immediatè ab obiecto, producerent alias, ergo non est hoc vllo modo admittendum. Probatur minor, nam si species producta ab obiecto produceret alteram, eodem modo eam produceret, ac producta est ipsa ab obiecto, sed obiectū producit species versus omnem partem medij, aut versus omnem differentiam loci, cū ab omni parte medij videatur, aut videri possit: ergo etiam vna species multiplicaret aliam versus omnem partem medij, aut versus omnem differentiam loci, quare in toto aere cubiculi, & non solùm in medio eius, producta vero specie in toto cubiculo videri posset obiectum ex quocunque angulo eius, quia statim ac species peruenit ad potentiam, sequitur necessariò visio obiecti per illam: cum principium sensationis sufficiēs sit potentia informata specie.

116 Secunda experientia est; quia experimur obiectum ingentis magnitudinis non videri totum ex angusto loco, vt turris magna ex parte aliqua interiori cubiculi non videtur tota, sed tantum pars eius, quæ per fenestram mouere potest visum, & actū eius terminare, sed si vna species producat aliam, sequitur necessario totam videri, ergo talis productio vnius speciei ab alia experientiæ aduersatur. Minorem sic probo, in qualibet parte medij producitur turris, & omnes eius partes speciem, per quam tota potest videri ex quacunque parte eiusdem medij: si ergo species hæc producta in medio multiplicat aliam in potentia; ergo producet eam in oculo existentis in cubiculo à regione turris, & ideo informabitur specie totius turris, & eliciet visionem totius turris contra manifestam experientiam.

117 Secunda opinio extrema, non solum cōcedit produci species aliquas ab alijs, sed ab eis solis, quia absque vlla dependentia ab obiecto eas producunt. Itaque obiectum ad certam quandam distantiam multiplicat species, & hæ vel earum partes per se immediatè producunt alias in potentiam sine vllo concursu obiecti. Ita Albert. Magn. 2. lib. de anima, tractatu 3. quem recentiores quidam sequuntur. Probatur primo, ex fine, in quem producuntur species ab obiecto, videlicet, vt per ipsas perueniat ad potētiam, & ei coniungatur, constat autem dum maximè distat obiectum à potētia, non posse per se immediatè producere in eam speciē, sed solùm in medio sibi proximiori; quare nec potest coniungi potentiæ per species immediatè à se productas, vt igitur ei coniūgatur necesse est concedere: quod species istæ productæ ab obiecto possint alias producere in potentiam, atque in partes medij propinquiores, & sine vlla dependentia ab obiecto. Minorem sic probo, species istæ sunt separatæ ab obiecto: cum sint ab eo productæ in medio, & non in se ipso, dum ergo producūt alias in potentiam, vel producunt eas tanquam instrumenta eiusdem obiecti; & hoc non, quia species productæ non sunt perfectiores ipsis, sed æqualis perfectionis, aut minoris; ergo non concurrunt ad productionē earum tanquam instrumenta, sed tanquam præcipua causa, sed eo ipso, quod concurrūt, vt præcipua causa, non potest esse cum depēdentia ab obiecto, nec potest obiectum immediatè concurrere, sed solùm vt causa remota; ergo ita tenendum est, quod species istæ sine dependentia ab obiecto producant alias.

118 Probatur minor, quia præcipua causa alicuius effectus solum potest agere cum de-

dependentia à causis vniuersalibus, & non ab aliqua causa particulari, nam si à particulari dependet, neque ipsa, neque alia particularis, à qua dependet, erunt totales causæ, sed partiales: cum duæ causæ particulares, & totales non possint simul concurrere ad eundem effectum, quia subordinari nō possunt, nam subordinatio solū reperitur inter particulares ex vna parte, & vniuersales ex altera. Constat autem species, & obiectum nō esse partiales causas alterius speciei, quia quælibet habet sufficientem virtutem producendi illam; ergo vna species producit alteram sine dependentia ab obiecto.

119 Tertia opinio est media duo asserens contra duas extremas propositas; Primum est, *quod species producta ab obiecto in medio possint quidem multiplicare alias, vel certè nouas partes in medio, atque in potentia, Postremum, quod eas producant cum actuali dependentia ab obiecto, à quo ipsa producta sunt, & sine illa non possint.* Ita Palacius 2. lib. de anima c. 12. fol. 193. referens pro se Ioannem Assianum, ita etiam recentiores multi, & videtur nobis probabilior. Quàm primo colligimus ex D. Thom. quæst. 16. de veritate art. 1. ad 1. vbi asserit, quod dum lapis videtur in speculo per reflexionem, species eius producitur in oculo, non immediatè ab ipso lapide, sed à speculo, hoc est, à specie eiusdem lapidis producta ab eodem lapide, & reflexa in speculo, quare sentit speciem productam ab obiecto prodicere aliam per reflexionem in potentia, per quam videtur, & virtute quidem obiecti, quia reflexio speciei fit virtute eiusdem obiecti.

120 Probatur autem primum, quod species producta in medio ab obiecto producat alteram, aut partem eius in potentia cui denti experientia obiecti à tergo positi, & visi in speculo per reflexionem, non enim potest videri per speciem immediatè productam ab obiecto: cum nec sit in situ, vel distantia, à qua possit eā in oculo videntis producere; ergo per speciem productam ab eo in speculo, ratione cuius idemmet obiectū apparet in eodem speculo ab ea repræsentatum, sed non potest videri, nisi per aliā productam in oculo, quam cum non possit obiectum per se producere, necesse est eam producat media eadem specie in speculo reflexa, & ita vna species producit alteram.

Pobatur secundum, quod non possit vna species producere aliam effectiuè, nisi cum actuali dependentia ab obiecto, ex duobus: ex priori quidem, quia species producta ab obiecto est virtus eius, quam sibi substituit ad immutandam potentiam, & concurrendi cum ea ad sensationem; ergo quidquid agit in tali ordine, operatur tanquam virtus, atque instrumentum eiusdem obiecti, & proinde dependenter ab illo. Ex posteriori verò probatur, quia species producta ab obiecto in medio non dependet quomodocumque in conseruari ab eo, sed ex continuata emanatione; ergo ex eadem continua emanatione ab obiecto depēdebit agere eius ad producendam aliam speciem.

121 Ad primum argumentum, primæ opinionis distinguenda est maior, quod secundæ qualitates non sint actiuæ; nam de actiuitate naturali, verum est; de intentionali verò falsum; hæc autem actiuitas intentionalis non solum ipsis qualitatibus naturalibus concedenda est, sed speciebus intentionalibus ab eis productis tanquam virtutibus earum, quarum actiuitate media immutant potentias, & cum eis concurrunt ad sensationes.

Ad confirmationem negandum est antecedens, quod omnes dependeant per se immediatè ab obiecto, & nulla ab alia, quia sicut vna producitur ab altera cum actuali dependentia ab obiecto, ita dependet in conseruari ab ea, vel certè ab eodem obiecto per eam. Quare negandum est, quod permanere possit naturaliter species producta ab altera pereunte producente, quia sicut producitur ab obiecto per illam, ita etiam per eandem conseruatur.

122 Ad secundum distinguenda est maior, quod species repræsentet illud à quo procedit: nam solum est vera de eo, à quo procedit tanquam à præcipua causa, & cuius virtus est, quæ cum omnes habeant respectu solius obiecti, & non respectu alterius, fit vt solius obiecti sint similitudines, sicut solius obiecti sunt virtutes.

Ad primam experientiam, quam affert vltimum argumentum, concessa maiori, quod obiectum extra cubiculum existens non videatur ex quocunque angulo eius, neganda est minor, quod videatur, si species producta in medio multiplicet alteram, quia non multiplicat eam, nisi eo modo, quo obiectum, à quo procedit obiectum autem

visus

visus sicut non videtur per lineam transuersalem, sed solum per lineam rectam, vt docet experientia, ita non multiplicat species per lineas transuersales, sed solum per lineas rectas, quamuis versus omnes differentias loci, & ita species producta in medio hoc tantummodo potest producere alteram, ex quo non sequitur, quod producat eam in angulis cubiculi, nec proinde, quod ab eis possit videri obiectum.

123 Ad experientiam de turri negandum est, quod videatur tota ab existente in cubiculo. Negandum quoque est, quod species à turre producta in medio producat aliam repræsentantem totam ipsam turrim in oculo eius, sed solum producit speciem repræsentātem partes eius, quæ per lineam rectam percipi possunt ab existenti in cubiculo. Cuius ea est ratio, quia species producta ab obiecto non potest producere aliam, nisi cum actuali dependentia ab eo, & iuxta modum, quo potest obiectum cum ea concurrere. Constat vero obiectum non posse concurrere, nisi per lineam rectam, quia iste est modus eius immutandi potentiam, sicut est etiam modus operandi eiusdem potentiæ. Vnde fit, quod licet species producta in medio à turre totam ipsam turrem repræsentet ratione extensionis obiectiuæ, non tamen possit producere aliam in tali oculo repræsentantem integram turrim, sed solum secundum eas partes eius, quę per lineam rectam possunt immutare oculum existentem in cubiculo, quia solum secundum illas potest turris concurrere cum eadem specie ad immutandum oculum; limitatur ergo virtus, atque concursus talis speciei ad producendum aliam in oculo ab obiecto, quod solum potest secundum aliquas partes ad talem speciem producendam concurrere: quare non videbitur integra turris, sed solum secundum aliquas partes, vt docet experientia.

124 Ad primum secundæ opinionis concessa maiori, neganda est minor, quod possit vna species producere aliam, sine dependentia actuali ab eodem obiecto, & cum additur speciem productam ab obiecto in medio esse separatam ab eo: distinguendum est, nam si nomine separationis intelligatur distinctio realis ab illo, atque existentia in subiecto ab eodem discontinuo, verum est, si verò separatio neget actualem, & quasi continuam emanationem ab eo, sicut luminis à sole, falsum erit. Itaque eidem obiecto coniuncta est, cum sit ab eo producta, actuque conseruetur ab eodem, & ita quidem, vt inter speciem ipsam in aere productam, atque obiectum nihil sit medium: quod satis est, vt ad producendum nouam aliam speciem, aut nouam partem in potentia coniungi possint per modum vnius agentis, sicut calor productus ab igne in aerem, & ignis ipse coniunguntur ad producendum calorem in aquam. Quo supposito dum quærit argumentum, an species medij producat aliam tanquam instrumentum obiecti, vel tanquam præcipua causa. Respōdeo non vt præcipuam causam, sed vt instrumentum, quia præcisè tanquam virtus obiecti à se substituta.

125 Sed vnum est discrimen in hac parte obseruandum inter modum, quo luminosum multiplicat lumen per medium, & obiectum species; nam licet vtrumque per lineā rectam operetur, lumen verò cum maiori diffusione per idem medium propter maiorem perfectionem agendi, ideo potest ad latera declinare effectus eius, non solum in actione directa, sed etiam in reflexione: Obiectum verò solum multiplicat speciem per lineam rectam, tā in actione directa, quàm in reflexa, quia modus agendi intentionalis imperfectior est, & ideo magis limitatus; quare multiplicatio specierum, nec ad latera, nec ad cubiculum declinat, sicut diffusio luminis: & hinc procedit, quod non possit videri obiectum ex cubiculo, vel angulis eius: quia non producuntur ibi species sicut lumen.

QVAESTIO XI.

Quid, & quotuplex sit commune sensibile, & quo pacto immutet sensum.

Prior quæstionis pars.

126 IN duas partes placet quæstionem diuidere: in quarum priori duo explicanda erunt, nempè quid per commune sensibile intelligamus, & quotuplex sit commune

ne sensibile; in posteriori verò modum quo commune sensibile moueat sensum discutiemus.

Circa primum, non est intelligendus nomine sensibilis communis, aliquis cóceptus communis abstractus à particularibus sensibilibus, quia nec ratio ista communis à sensu potest percipi, nec ab ea immutari, & ideo nec ad ipsum aliquo modo pertinere, nam sensus singularia tantum sensibilia percipere possunt: quare per communia sensibilia singularia absque dubio intelliguntur. Sed nec intelligitur per sensibile commune illud singulare sensibile, quod percipitur à solo sensu cómuni interno, vt asseruit Apollinaris 2. lib. de anima, c 8. nam experientia constat sensibilia communia, quæ ab Aristotele, & omnibus pro talibus numerantur, à sensibus externis percipi, vt magnitudinem, figuram, & motum. Nec etiam dicuntur talia, quia non possunt percipi à sensibus externis sine concursu eiusdem sensus communis interni, vt Perspectiui quidam voluerũt, quos citat Toletus 2. lib. de anima q. 15. quia sensus externi non indigent operatione sensus communis interni ad exercendas proprias Nec tandem significatur nomine sensibilis communis illud tantum, quod ab omnibus externis percipitur, vt placuit Themistio c 6 huius libri, & videtur esse mens Aristotelis ibidẽ textu 63 & 64. vbi distinguens propria sensibilia à communibus asserit illa esse propria, quæ ab vno tantum sensu percipiuntur, communia verò quæ ab omnibus Nam certum est non omnia sensibilia communia percipi ab omni sensu externo, quia per olfactum non percipimus figuram rei. Vnde Aristoteles ipse eodem loco se explicuit probans motum esse sensibile commune, quia per visum, & per tactum percipitur Ex quo deducimus, quid sit per sensibile commune intelligendum: videlicet illud, quod pluribus sensibus percipi potest, & iste est communis ferè sensus expositorum in eodem 6. c. Ideo autem omnibus sensibus esse commune asseruit Aristoteles, quia omnia ferè sensibilia communia ab omnibus sensibus percipi possunt.

Circa numerum vero communium sensibilium adnotare oportet, plura, vel pauciora numerari, prout magis, vel minus vniuersaliter numerantur. Ideo Perspectiuos speciales rationes eorum considerantes 19. enumerasse refert Buelio lib. 3. in principio, & Aristoteles ipse alijs locis quædam alia enumerasse constat, præter illa quæ recensuit c. 6 huius libri; vt Vnitatem 3. lib. de anima, textu 32. & in libro de sensu, & sensibili, cap. 4.

128 Obtusum, Acutum, Asperum, & Lene. Congruentius tamen fuit quinque solum enumerare tanquam vniuersaliora capita, sub quibus comprehenduntur omnia, & ad quæ reducuntur facile. Vt ita sub breuiori numero comprehensa memoria retineri possint. Hæc autem sunt, motus, quies, numerus, figura, & magnitudo. Et ad numerum quidẽ reducuntur, discretio, & vnitas, quia & numerus discretionem importat, & principiũ eius vnitas est. Obtusum verò, & acutum, asperum, & lene, curuum, & rectum ad figuram, distantia, & situs ad magnitudinem. Singularis est igitur, & falsa sententia Galeni 3. lib de cognoscendis pulsibus, quam sequutus est Vega, lib. 1. de arte medendi, c. 5. motum, & quietem à numero communium sensibilium reijciens, quia motus, inquit Galenus, non est per sensum cognoscibilis, sed solum per intellectum, & proinde neque quies, vltra hoc habens, quod in negatione, vel priuatione consistat, de qua etiam videtur certum non cognosci per sensus. Singularem nihilominus esse affirmo sententiam hanc, quia omnes interpretes Aristotelis, ca. 6. huius libri motum, & quietem inter sensibilia communia cum eo enumerant Falsam vero, quia experientiæ contrariam, qua constat motum percipi per visum, & tactum, vt docuit idem Aristoteles in eodem capite, & consequenter quietem, quæ non sumitur pro ratione formali priuationis, aut negationis in hac parte, sed pro stabilitate, vel consistentia rei, in qua fundatur negatio, aut priuatio motus: quare falsum est, quod per solum intellectum, & non per sensum percipiantur.

129 Ad motum tandem reducitur tempus, vel sub eo comprehenditur, quia licet sensu percipiatur, & per se, vt docet Arist. 4. lib. physicor c. 11. textu 98. non secundum rationem formalem temporis, sed solum vt consequitur motum, eiq; coniunctum est, & hęc de significatione, & numero sensibilium communium.

130 Quæ sic explicari debent, vt per numerum, nec ratio formalis discretionis intelli-

telligatur, nec ordo numerabilitatis, nã nec sensus numerat, nec rationem formalem discretionis percipit, sed materialiter omnino accipitur, vt est commune sensibile pro multitudine rerum sensibilium discontinuata. Sed nec figura pro formali ratione qualitatis, quam nec sensus percipit, sed pro materiali terminatione quantitatis, vt corporib. naturalibus inhærente, nec motus sumitur, prout dicit rationem formalem viæ, aut fieri termini, sed pro sola ratione materiali cõsistente in variatione situs, & loci, aut localis præsentiæ; quies verò pro consistentia, seu permanentia rei sensibilis in eodem situ, vel loco.

DVBIVM.

Quidnam per Magnitudinem intelligatur.

131 CVm Magnitudo idem sit, quod extensio partium, ratione cuius proprium sensibile dicitur tãtum vel maius, aut tantæ, vel maioris extensionis, hoc modo distinguunt extensionem recentiores quidam. Quædam est intrinseca, atque propria cuiuslibet rei, vel accidentis corporei, quàm non accipit à quantitate, sed à se habet: consistit autem in hoc, quod est habere proprias partes integrantes suæ entitatis proprijs etiam indiuisibilibus copulatas, & distinctis partibus spatij correspondentes, licet non coextensas eidem spatio, nec partes eius occupãtes, ratione cuius extensionis vna entitas dicitur maior, vel minor altera, vel æqualis, si plures, vel maiores, aut æquales habeat partes aliquotas: & cum totum hoc habeat à se, & non à quantitate, possitque illud habere separata à quantitate, sequitur per se posse sentiri sine quantitate, saltem, vt commune sensibile: cum habeat intrinsecam extensionem, quæ est sensibile commune. Præter hãc verò extensionem dicunt aliam accipere à quantitate, hanc tamen non intelligi nomine communis sensibilis: sed propriam tantum. Sed hanc sententiam non recipiunt antiquiores, immo neque vllus ex interpretib. Aristotelis inuenitur, qui nomine magnitudinis hac in parte non intelligat verã quantitatem, aut veram extensionem prædicamenti quantitatis, quam si aliquo modo non habeat sensibile proprium, non posse sentiri docent ca. 6. huius libri, atque D. Thom. verbis superius citatis se sentire testatur, nec minus expressè id asserit Scot. in 4. dist. 11. q. 3. Et potest sic efficaciter probari primò, quia si magnitudo, vt est commune sensibile, significat propriam illam extensionem in eo solum consistentem, quod res habeat partes integrantes propriæ entitatis copulatas proprijs indiuisibilibus, in quas diuisibilis sit, licet nullam accipiat extensionem à quantitate, sequitur substantiam ex propria natura, & intrinseca extensione esse per se sensibilem, sicut cætera sensibilia communia, vt recentiores isti concedunt.

Hoc autem expressè contrarium est doctrinæ Aristotelis asserentis substantiam nõ esse vllo modo per se sensibilem, hoc est, nec tanquam proprium, nec tanquam commune sensibile: sed omnino per accidens ad finem 6. capitis, textu 65. his verbis. *Secundum accidens autem dicitur sensibile, vt si album sit Dioris filius, secundum accidens enim hoc sentit, quoniam accidit albo hoc, quod sentit, quapropter nihil patitur secundum quod huiusmodi est à sensibili*. Secundò probatur, quia si proprium sensibile, per illam intensionem, (quam propriam vocant) sentiri potest sine vlla extensione quantitatiua, quã accipiat à vera quantitate, euidenter sequitur albedinẽ, & quoduid aliud sensibile proprium per suam intrinsecam extensionem modificatam sentiri, & non modificatam per quantitatem.

132 Et ex consequenti naturaliter posse sentiri etiam separatam à quantitate. Et ex hoc sequitur albedinem corporis Christi, vt in Eucharistia existentis naturaliter videri posse, & consequenter Christum ibi existentem contra communem sententiam Scholasticorum. Probatur consequẽtia: nam albedo est sensibile proprium Et habet extensionem sibi propriam, & ratione eiusdẽ extensionis est sensibile commune, quamuis nullam ibi accipiat extensionem localem à quantitate, quod non tollit ab ea rationem proprij, neque communis sensibilis, quia talis extensio localis obiecti non requiritur apud recentiores istos ad sensationem; ergo nec tollit, quin sentiri possit naturaliter. Probatur consequentia, quia etiam si separaretur à quantitate, posset videri naturaliter, vt

vt fatentur: cum tamen nullam haberet extensionem localem: ergo etiam si eam non habeat in Eucharistia, naturaliter sentiri potest.

Argumentum hoc solum posset effugere, qui negaret Christum in Eucharistia habere propria accidentia, quæ habet in cęlo, & quæ naturaliter conueniũt corpori eius, quantitatem videlicet, & qualitates, vt asseruit Durand. in 4. dist. 10. q. 2. Sed ex hoc multa sequuntur incommoda, vt probauit Pater Suarius in 3. p. D. Tho. tomo 3 disp. 51. sect. 2. Propterea hæc sententia recentiorum tribuens accidentibus proprias extensiones distinctas ab extensione quantitatis falsa censenda est, & quæ vocabulo extensionis abutitur.

133 Non enim consistit vera, ac propria extensio in eo, quod est habere partem extra partem secundum entitatem: sed secundum modum, quo res coëxtendi potest spatio, illudque replere, aut occupare: ita vt quęlibet pars petat coextendi distinctæ parti spatij, eamque occupare, & aliam excludere ab ea quod est esse cum quacumque alia impenetrabilem. Quam extensionem paret non habere vllas partes entitatiuas ex se: sed solas partes quantitatis prædicamentalis, à quibus eam recipiunt partes integrantes substantiæ, & aliorum accidentium, & sine illa non tam extensæ dicuntur, quàm entitatiue distinctæ, & aptæ, vt per quantitatem extendantur, quare abusus vocabuli extensionis est, nimisque impropria locutio quamcumque multitudinem partium entitatiuarum extensionem vocare. Hæc igitur extensio quantitatiua, quæ sola vera est, & propria, necessaria conditio est cuilibet agenti corporeo ad agendum in extrinsecum, vel illud immutandum: & cum sensibilia communia per se sint immutatiua sensuum, nec debet, nec potest vlla alia extensio præter hãc commune sensibile vocari, & hæc de priori parte quæstionis.

Posterior quæstionis pars.

His de significatione, & numero sensibilium communium ita expositis discutiendum restat, quonam modo immutent sensum, vel ab eo percipiantur, videlicet per speciem, aut sine illa, & si per speciem, an per distinctam à specie, per quam immutatur, atque percipitur sensibile propriũ, vel per eandem.

134 Et prima opinio asserit aut sine vlla specie percipi à sensu, vel omnino per speciem proprij sensibilis ab hoc solo impressam, & nullo modo ab eisdem communibus sensibilibus. Ita Ferrar 2. lib. de anima, q. 11. Caiet. & Palacius ibid. c. 6. Fonseca 2. libro Metaphysica. 2. q. 2 sectione 5. Sed hæc sententia falsa est, quantum ad vtrumque. Et quantum ad primum quidem probo esse falsam testimonio Aristotelis, & ratione, Aristoteles enim ad finem 6 capitis definiens sensibile per accidens asserit nihil pati ab eo sensum, neque aliquid in sensum agere: sed ex eo solum percipi, quia accidit sensibili per se. Ex quo ita arguo, sensibile commune est sensibile per se; ergo per se immutat sensum, & non per accidẽs, & sensus per se ab eo patitur: sed non immutatur sensus à sensibili, neque hoc agit in sensum, nisi per impressionem speciei; ergo contra sensum Aristotelis est dicere, quod sensibile commune sentiatur sine vlla specie. Quod verò sit contra rationem sic probo. Perfectiorem rationem sensibilis habet proprium, quàm commune: sed proprium non potest percipi à sensu, nisi ei vniatur per suam speciem, qua media concurrat cum eo ad sensationẽ; ergo multò minus poterit percipi sensibile commune à sensu, nisi ei vniatur, vt sic possit esse cum principio sensationis; sed constat non posse per se, hoc est, sine specie vniri, quia nec potest proprium, licet sit perfectius: ergo impossibile est, quod sentiatur, & non per vllam speciem. Quod vero non possit percipi per speciem omnino alienam, quam ipsum nullo modo producat, videlicet per speciem sensibilis proprij, sic probo.

135 Non potest obiectum vniri potentiæ per speciẽ, nisi ab ea repræsentetur: sed non potest secundum communem ordinem rerum species sensibilis repræsentare obiectum; à quo non procedat aliquo modo; ergo nec est possibile, quod commune sensibile vniatur potentiæ per speciem proprij nullo modo procedentem ab eo, vt asserit eadem sententia.

Secunda opinio per extremum opponitur præcedenti, asserens sensibile proprium imprimere sensui propriam speciem se repræsentantem, atq; distinctam à specie

proprij sensibilis, & per illam percipi. Ita Scot in 4 dist.12.q 3.Gandau.2 lib.de anima q.17.Ægid.in eodem lib.ad textum 65. dub. 2.& Iandun q.18.

136 Probatur primo,quia sensibile proprium,& commune per se mouent sensum; ergo imprimunt ei propriam speciem, non vnam,& eandem;ergo distinctas,quare per cipitur commune per speciem propriam, sicut percipitur proprium. Probatur minor, quia sensibile proprium, & commune non solum specie,sed genere differunt, vt albedo,& quantitas; ergo non possunt repræsentari per eandem speciem, quia rerum adeo diuersarum non potest dari eadem imago; necesse est ergo per diuersas repræsentari sẽ sui. Secundo,quia cõtingit sensibile propriũ videri per propriam speciem, & variari cõmune,cum quo simul videbatur, vt si videatur album sub figura triangulari, & hæc fiat postea quadtangularis; tunc ergo inquiro,an mutata sit species,per quam videbatur prius idem album,vel nõ: si mutatam esse dixeris in alteram,cum solum sit mutatum commune sensibile,sequitur propriam speciẽ imprimere,& illam esse corruptam: nam cum ex parte proprij nihil sit mutatum, nec potest noua eius species esse producta,sed per antiquam permanentem, atque immutatam videri:si vero eadẽ perseuerat species proprij variato communi,sequitur hoc nihil imprimere sensui, & ideo vel omnino sine specie videri,aut per speciem proprij,quam nullo modo producit, quod esset incidere in præcedentem opinionem refutatam.

Probatur tandem,quia sensibile commune percipitur à sensu sine proprio: ergo per distinctam speciem,quia omnino sine specie percipi repugnat.

137 Probatur antecedens in eo,qui manu tangeret cœlum,quod sine sensatione tactus non posset fieri: sed cœlum nullum habet sensibile proprium pertinens ad sensum tactus, quia caret omni qualitate tangibili ratione suæ incorruptibilitatis: ergo solum sentiretur magnitudo eius, quæ est commune sensibile, & consequenter commune sine proprio,quod videtur etiam contingere, dũ à longè videtur turris nullo in ea viso colore:sed solum magnitudine.

Tertia opinio quasi media est inter primam, & secundam, asseritque *sensibile proprium per speciem videri, quam aliquo modo producit contra primam, non tamen per distinctam à specie sensibilis proprij, sed per eandem à se modificatam contra secundam*,& hæc est ferè cõmunis, & vera, quam tenet D.Thom. 2.lib. de anima lect 13.1.p.q.17.art.2.& q.78. art. 3 ad 2 & ibidem Bannez,Philop.Tienensis, & Paulus Venetus,cap.11. huius libri,Toletus q.14 Ferarr.cap.6. & omnes ferè recentiores.

138 Quam in primis oportet explicare,& deinde probare. Explicatur autem hoc modo, sensibilia propria non percipiuntur à sensibus separata à subiectis sensibilibus: sed in eis, non enim videtur albedo abstracta ,sed in concreto: in concreto verò naturaliter,& necessario sunt coniuncta cũ sensibilibus communibus, & ab eis determinantur ad talem modum essendi, & cum ex determinabili, ac determinante fiat aliquid vnum ,sequitur quod sensibile proprium,& commune ex natura rei percipiantur à sensu per modum vnius obiecti; sed eo modo, quo percipiuntur, immutant sensum; ergo per modum vnius eum immutant: & immutatio fit per productionem speciei;ergo per modum vnius imprimunt ei speciẽ,& consequenter vnam speciem repræsentantem vtrumque sub ratione vnius, & non plures: nam si plures imprimerent, vt plura ac distincta immutarent,& nõ vt vnum.Per modum autem vnius coniungi dicimus ad immutandum sensum, & producendam in eo speciem, proprium, & commune sensibile, non quidem per accidens: sed per modum vnius per se, quia in ordine sensibili per se modificatur, ac determinatur proprium per commune, licet in ratione entis non constituant,nisi vnum per accidens.

139 Quod hoc exemplo fiet manifestũ, visus non videt albedinem separatam à subiecto:sed in eo existentem,in quo talis,aut tanta extensio reperitur, talis etiam figura videtur etiam cum motu,vel in eodem loco consistens, hæc autem sunt communia sensibilia,quibus per se coniuncta,atque modificata percipiũtur propria naturaliter;& ideo per modum vnius per se,atq; per vnam speciem per se modificatam. Vnde fit speciem, per quam percipitur sensibile propriũ, duo habere,videlicet entitatem,& modum,& ratione entitatis repræsentat proprium sensibile:ratione vero modi repræsentat commune; & ideo vtrumque concurrit ad productionem

ctionem eius per modum vnius, & singulis correspondet species ipsa secundum eam rationem, qua cōcurrit ad productionem eius proprio quidem correspondet secundum entitatem, communi verò secundum determinationem, & modum. Et eodem modo correspondet eis sensatio ipsa, cuius simul cum potentia principium sunt.

140 Ad probandam verò hanc sententiam sic explicatam præsupponendum est, quod licet vtrumque sensibile tam propriū, quàm commune sit sensibile per se; propriū tamen per se primo, & ideo tanquam primarium obiectum sensus; commune verò eius ratione, hoc est, tanquam aliquid eius, vt tanquam extensio, figura, aut motus eius. Et ideo tanquam determinatiuum, vel modificatiuum, nam quantitas, vel figura non possunt per visum percipi, nisi ratione coloris, vel lucis: sensibile igitur commune, quasi per se secundo percipitur. Hoc igitur supposito sic arguo; sensibilia communia non sunt obiecta primaria sensuum, & consequenter nec separata à proprijs sunt immutatiua eorum, sed vt aliquid eorum sunt, naturaliter eis coniuncta immutant; ergo non possunt imprimere speciem sui in sensu nisi præsupposita immutatione proprij, sed nec propria possunt immutare nisi determinata, & quasi modificata à communibus, quia agens debet esse determinatum in singulari existenti. Vnde sequitur neutrum posse immutare sensum, nec producere in eo speciem saltem naturaliter nisi vt vnitum alteri, quare per modum vnius principij immutare possunt, & non alio modo, & proinde per vnam tantum actionem, sed ab vno principio per vnā tantum actionem non potest procedere nisi vnus effectus; ergo nec possunt plures, ac distinctas species imprimere, sed vnicam secūdum diuersas rationes vtrisque correspondentes modo iam exposito.

141 Secundo probatur, quia nec sunt necessariæ plures species sed per vnam percipi possunt: cum percipiantur per modum vnius sensibilis determinati. Nec sit intelligibilis modus, quo vniri possint tanquam principium vnius, eiusdemque sensationis: si plures, ac distinctæ ab vtroque producantur.

142 Ad primum argumentum secundæ opinionis concessa maiori, neganda est minor, quod sensibile commune, & proprium non producant vnam, & eandem speciem. Et cum dicitur esse diuersa, non solum specie, sed genere, distinguendum est, & in esse rei concedendum, sed in esse sensibilis negandum. Hoc enim modo sumpta per se communicant in eadem ratione obiectiua immutandi eandem potentiam sensitiuam, à qua vtrumq; percipitur sub ratione vnius, atque eiusdem obiecti, quia commune est quasi modus proprij, & determinatiuum eius, cum quo constituit vnum per se immutatiuum potentiæ, ac productiuum vnius, atque eiusdem speciei, à qua sub tali ratione, & conuenientia potest vtrumque repræsentari.

Illud verò, quod in secundo argumento quæritur, an variato sensibili communi, & permanente inuariato proprio, pereat species, à qua repræsentabatur vtrumque. Distinguendum est, nam secundum entitatem, nō perit, sed integra perseuerat, quia secundum eam non procedebat nec tribuebatur communi sensibili, sed proprio; perit verò secundum modum, ratione cuius tribuebatur, & procedebat à sensibili communi, illudq; repræsentabat.

143 Et quod pro incommodo inferri potest ex hac solutione, videlicet infinitos modos speciei perire posse, & alios infinitos de nouo produci, concedendum est, quia sicut sensibile proprium, quod mouetur, acquirit, & amittit infinitas præsentias locales, atque etiam infinitas partes motus, non mirum est, si pro earum acquisitione, ac deperditione infinitos modos eas repræsentandi acquirat, ac deperdat species, nec debet reputari incommodum: cum tam præsentias, quàm modos, quibus repræsentantur sint entia incompleta.

144 Circa solutionem vltimi argumenti, Caietanus cap. 6. huius libri, concedit sensibile commune posse percipi à sensu sine proprio. Nihilominus ex doctrina à nobis nuper tradita probatur efficaciter hanc sententiam esse falsam, quia repugnat secundarium obiectum percipi à potentia, sine primario, sed sensibile proprium est primariū obiectum sensus; commune verò non nisi secundarium tanquam aliquid eius: ergo non potest sine illo percipi. Secundò, commune sensibile solum pertinet ad sensum, in quantum determinat, ac modificat proprium: & ideo nec species ratione suæ entitatis ipsum repræsentat, sed ratione modi, per quam

determinatur, sed modus non est vllo modo separabilis à re, quam modificat; ergo nec potest species repræsentare commune sensibile separatum à proprio, & consequenter sine illo nequit à potentia percipi.

Ad argumentum igitur, præsupposito quod cœlum nullam habeat qualitatem tangibilem, (quod valdè probabile est) negamus, quod posset per tactum sentiri quantitas eius, quemadmodum, nec posset videri, nisi haberet lucem: manus verò illum tangens impediretur, ne posset vlterius progredi à quantitate eiusdem cœli ratione suæ impenetrabilitatis, propter quam non admittit naturaliter aliam in eodem loco, & tunc si manus ipsa tangens cœlum conaretur progredi, causaretur compressio aliqua in brachio, & ratione compressionis dolor sine aliqua impressione qualitatis à cœlo, vel sine distemperie, quia sola compressio partium, sicut sola diuisio sufficiens causa doloris est, nullam igitur sensationem tactus causaret cœlum, vel quantitas eius, quare nec probatur hoc exemplo, quod commune sensibile possit sine proprio percipi à sensu.

QVAESTIO XII.

An sensibile proprium indiuisibili modo existens possit per sensum percipi saltem per potentiam Dei absolutam.

144 Asseruimus quæstione præcedente nullum sensibile proprium percipi posse sine extensione aliqua quantitatiua, aut sine locali præsentia, quæ communia sensibilia sunt. Quærimus modo, an ita sit necessaria extensio hæc communis sensibilis ad percipienda propria, vt si per miraculum ea caruerint, & indiuisibilem modum habuerint, possint percipi à sensu naturaliter, vel saltem per potentiam Dei absolutam, possumusque exemplum designare in corpore Christi existentis in Eucharistia, & nullam habentis extensionem localem, sed modum potius indiuisibilem, & ita totum in tota hostia contineri, atque etiam in qualiber parte totum, an videlicet sub eo modo indiuisibili possit oculis corporeis videri color eius, atque etiam quantitas, & consequenter Christus ipse, sicut modo videtur à nobis Petrus.

145 Et prima opinio affirmat proprium sensibile nullam habens magnitudinem, aut extensionem quantitatiuam, vel localem præsentiam, sed modum indiuisibilem, non solùm naturaliter videri posse, sed de facto videri, nisi impediatur visio eius, & ideo corpus Christi, vt in Eucharistia existens ratione proprij coloris quantumlibet modum indiuisibilem habentis videri posse naturaliter: & nisi propter meritum fidei per miraculum occultaretur, de facto videretur ab omnibus intuentibus hostiam consecratam. Ita Ocham in 4. dist. 10. q. 5. art. 3. Maior q. 5. & probabilem censet Gabriel. lect. 45. in can. Missæ lit. P. Probat Ocham, quia corpus Christi ratione sui coloris est visibile, & licet non habeat præsentiam circumscriptiuam, est tamen præsens speciebus sacramentalibus; ergo habet virtutem imprimēdi speciem sui in oculo, sicut potest alias actiones exercere circa medium, vel aliud extrinsecum corpus; nihil ergo obstare potest, quin naturaliter videatur, nisi aliquod extrinsecum impedimentum.

146 Hęc tamen sententia tanquā singularis, & falsa reijcienda est, nam cæteri omnes Scholastici, quos statim citabimus, in eo conueniunt, quod corpus Christi vt indiuisibiliter existens sub speciebus sacramentalibus non sit naturaliter visibile, vel sensibile per quemuis alium sensum. Quod verò sit falsa probant omnes, quia vt videatur Christus, vt ibi existens, immutare debet visum imprimendo ei speciem, & diuisibilem quidē, quia in subiecto diuisibili nēpè in oculo pròduci, atque inhærere debet, sed secundū modum indiuisibilem, quem habet, non potest producere effectū diuisibilem: ergo nec potest immutare sensum, nec ab eo percipi.

147 Secundò, quia corpus Christi, vt sic existens modo inextenso non respicit vllo modo extrinseca corpora, circa quæ possit agere, vel à quibus possit pati: vnde nec percuti potest, vel lædi ab aliquo extrinseco, neque extrinsecum lædere, vel quoquo modo in ipsum agere, quia agere, & pati approximationem corporum tanquā conditionē ne-

cessa-

cessariam postulat: ergo nec potest imprimere speciem sui sensui, vt ab eo percipiatur: nec sensum ipsum aliquo modo respicere, vt corpoream eius, atque extensam actionem terminet: quia impressio speciei realis actio vnius corporis in alterum est, quamuis intentionalis.

Propterea secunda opinio negat naturaliter videri posse proprium sensibile sub modo indiuisibili existens, nec proinde corpus Christi, vt est in Eucharistia, bene tamē per potentiam Dei absolutam Ita videtur sentire D. Thom. in 4. dist. 10. q. vnica, art. 4. q. 1. præsertim ad 2. vbi loquens de oculo glorificati corporis, ait non implicare contradictionem, & 1. par. q. 76. art. 7. ad 2. affirmat oculum Christi existentis in Eucharistia videre se ipsum, quamuis non videat modum, quem in ea habet.

148 Ita etiam Alex Alens. 4 p. q. 10. mēb. 7. art. 3. § 8. versic. *Consequenter quæritur*, addens pium esse credere B. Virginem oculis suis vidisse Christum prout in Eucharistia existentem, quod speciali priuilegio ei fuit concessum, atque etiam Sot. in 4. dist. 10. q. 1. ar. 7. & habetur in Summa Victoriæ, Eucharistia num. 61. Et pro eadem sententia citātur Bonau. & Vualdens. sed immerito, quia non id asserunt. Citatur tandem Scot. qui oppositam potius sententiam quodammodo tenet, vt statim ostendemus. Eam tamen sequuntur nonnulli ex recentioribus.

Et quātum ad priorem eius partem, quod non possit videri naturaliter, efficaciter probara ex duobus illis argumentis, quibus præcedentem impugnauimus. Solum igitur restat probanda quantum ad posteriorem, quod per potentiam Dei absolutam non repugnet.

149 Quod probant primo hoc discursu: color existens in corpore Christi est sensibile proprium, & eiusdem rationis, & naturæ cum colore aliorum corporum; ergo, est per se visibile, & accommodatum visui, vt videri ab eo possit. Solum potest obstare, vt videatur defectus sensibilis communis, nēpe extensionis localis; aut præsentiæ quantitatiuæ, quam in Sacramento non habet, aut modus indiuisibilis, quē loco eius habet, sed hæc nō obstant, quin videri possit: ergo non repugnat videri.

Minorem probant, de defectu localis præsentiæ; quia præsentia localis est ratio formalis vbicationis, vel ipsummet vbi, quod acquirunt corpora per motum localem, sed eiusmodi vbi non est obiectum sensus, sed solum potest percipi ab intellectu: tum quia importat respectum ad spatium, quē non potest sensus percipere, tum etiam, quia nō est certum, quod sit aliquid intrinsecum in ipso mobili, quod ideo per sensum possit percipi, sed plures asserunt esse solam denominationem extrinsecam, quam habet corpus à loco se circunscribente; si autem esset commune sensibile certissimum foret, ergo non est necessaria talis præsentia, vt videatur, sed sine illa videri poterit ratione specierum, quibus præsens est: & si moueatur ad motum illarum, poterit etiam videri, vt in naui mota constat, cuius motum ab aliquo cubiculo nō percipimus, nisi per aquam, & corpus aliud interiectum.

150 Quod verò modus indiuisibilis, quem Christus habet in Eucharistia nō obstet, vt videatur, dupliciter probant: primo, quia indiuisibilitas non est modus positiuus, sed sola negatio extensionis, negatio verò non est perceptibilis per sensus: ergo vt sentiatur obiectum indiuisibili modo existens, non est necessarium, quod indiuisibilitas ipsa sentiatur. Probatur antecedens, quia rem indiuisibiliter existere, hoc est, totam in toto, & totā in qualibet parte, benè potest per solam negationem extēsionis intelligi; ergo non est ponendus modus positiuus, cum non sint positiuæ entitates multiplicandæ, sine vrgenti necessitate.

Et esto concedatur modum indiuisibilitatis, quem Christus habet in Eucharistia esse positiuum, non sequitur, quod sit imperceptibilis per sensum, quia non esset supernaturalis secundum substantiam, vel entitatem; cum reperiatur in substantia naturali, sed solum ex parte efficientis, aut ex modo, quo efficitur, sicut visus restitutus ex eo naturalis est secundum substantiam, & ideo naturaliter videri potest, etiam si ex modo, quo restituitur ab efficienti sit supernaturalis.

151 Imò etiam si talis modus indiuisibilis supernaturalis esset, videri posset, quia si daretur color supernaturalis absq; dubio foret sensibile proprium, nō minus quā naturalis: ergo posset per sensum percipi, & consequēter poterit videri præsentia indiuisibilis, etiam si concedatur supernaturalis secundum enti-

entitatem. Et consequenter Christus ipse, vt eam habet. Secundò probant, quia licet sensibile commune non possit vllo modo percipi à sensu sine proprio, non tamen repugnat percipi proprium sine communi: ergo nec repugnabit percipi sub modo indiuisibili. Probatur antecedens, quia commune sensibile non est ratio sentiendi proprium: ergo proprium non dependet à communi, quantum ad sui sensationem dependentia essentiali, quemadmodum nec à subiecto, sed solùm dependet secundum modum naturalem, quia naturalis modus essendi eius est inhærere in subiecto media quantitate; ergo sicut non repugnat, quod separetur color à subiecto, atque etiam à quantitate, figura, & alijs communibus sensibilibus: non repugnabit, quod separatus ab eis videatur, separatus verò ab eis haberet modum indiuisibilem: ergo sub tali modo potest percipi à sensu, quamuis non naturaliter; benè tamē per potentiam Dei absolutam.

152 Cuius exemplum sumere possumus in accidentibus Eucharistiæ, quæ sicut separauit Deus à substantia panis, posset separare etiam inter se, ita vt quantitas sola existeret separata ab omnibus qualitatibus, & quę libet harum separata ab alijs: cum sit certū distingui realiter à quantitate, & inter sese. Tunc ergo posset sentiri color per visum, quia nulla apparet implicatio contradictionis, & tamen haberet modum indiuisibilem: cum esset separatus à quantitate.

Probatur tandem, quia color per se primò est visibilis: ergo vt videatur, non depēdet per se à modo diuisibili, vel indiuisibili, cum quolibet ergo videri, aut sine vtroque non dicit intrinsecam repugnantiam, quare poterit cum modo indiuisibili videri per potentiam Dei absolutam.

153 Probatur prior consequentia: quia visibilitas coloris non dependet ab his modis: cum sit ei intrinseca. Et vrgeri potest argum. hoc modo, duo solum requiruntur per se, & sufficiunt ad sensationem, videlicet potentia, & obiectum ei vnitum per se, vel per suam similitudinem, sed non implicat contradictionem, quod Deus imprimat speciem visui talis coloris indiuisibiliter existentis: cum sit per se repræsentabilis per speciem: ergo nec potest implicare contradictionem quod vt sic existens videatur.

Tertia opinio negat omnino, quod proprium sensibile sub modo indiuisibili existens videri possit, nō solum naturaliter sed per potentiam Dei absolutam, & ideo affirmat implicare contradictionem, quod Christus prout in Eucharistia existens videatur, aut sentiatur alio sensu. Ita Ricard in 4. dist. 10. ar. 5. q. 2. Palu & Capr. q. vlt, Hisp q. 1 ar. 3. ad 6. contra quintam conclusionem, Suar. in 3. p. D. Thom. tomo 3. disp. 53. sectione 4. fundamenta huius sententiæ mox proferenda sunt,

Vltima opinio videtur media inter secundam, & tertiam, quia visionem sensibilis proprij sub modo indiuisibili existentis, aut corporis Christi in Eucharistia, duobus modis sumi posse docet; primo quidem secundum considerationem absolutam: secundo cum reduplicatione, vt sub tali modo indiuisibili existentis; & vt modo priori videatur, necessarium non est videri talem modum indiuisibilem, & ideo per potentiam Dei absolutam videri potest: sed modo posteriori implicat contradictionem videri, quia modus indiuisibilis, non est visibilis: nec proinde proprium sensibile, vt sub eo existens. Ita expresè Scot. in 4. dist. 10. q. 9. §. *Ad quæstionem dico.*

154 Probat primum; quia visio est forma absoluta potentiæ visiuæ; ergo fieri potest sine vllo respectu ad modum pręsentialitatis obiecti diuisibilem, vel indiuisibilem: quare non repugnat videri proprium sensibile, vel corpus Christi in Eucharistia, etiā si non habeat indiuisibilem præsentiam, atq; etiam si non videatur modus indiuisibilis, quem habet, sed ita vt corpus ipsum videatur neutro horum modorum viso.

155 Probat verò secundum, quia si videatur proprium sensibile, vt sub modo indiuisibili existens, sequeretur, quod prout est tali modo, causaret primo in potentia visionem sui: & etiā eam primo terminaret, sed hoc implicat contradictionem: quia causare primo visionem sui, & eam primo terminare requirit necessario in obiecto primo causante, & primo terminante debitam dispositionem, hoc est, debitam approximationē, & debitam distantiam à potentia, sed tale sensibile prout sic existens, vel corpus Christi, prout est in eucharistia, nec potest debito modo ab ea distare, quia vt habens tale modum essendi non est in loco, & ideo nec potest esse approximatum, vel distans ab alio

cor-

corpore: ergo si sub tali modo essendi reduplicatiuè accipiatur, non est vllo modo visibile, aut sensu perceptibile.

Nostra sententia duabus continetur assertionibus. Prior est, *neque proprium aliquod sensibile, prout habet modum indiuisibilē, aut extensum, neque corpus Christi, prout est in Eucharistia, vllo modo videri potest per sensum, etiam de potentia Dei absoluta.* Sensus huius assertionis est, implicare contradictionem, quod videatur modus indiuisibilis corporis Christi, aut cuiuslibet alterius corporis eum habens, & ideo implicare contradictionem, quod videatur, vt sub tali modo indiuisibili existens.

156 Hæc est contra secundam opinionem, & eā tenent omnes authores citati pro tertia, atque etiam Scotus verbis expressis. Est etiam expressa apud D.Th. 3.p.q.76 art. 7 in corpore vbi ita ait: *Et ideo propriè loquē do corpus Christi secundum modum essendi, quē habet in hoc Sacramento, neque sensu, neque imaginatione perceptibile est, sed solo intellectu, qui dicitur oculus spiritualis.* Et in solutione ad secundum, *Oculus corporalis Christi videt seipsum sub Sacramento existentem, non tamen potest videre ipsum modum essendi, quo est sub Sacramento, quod pertinet ad solum intellectum.*

Et probatur efficaci ratione hoc modo, non potest videri sensibile secundum modū indiuisibilem, nisi viso modo ipso indiuisibili, quem habet, neque Christus prout est in Eucharistia, nisi viso modo, quem ibi habet; sed talis modus indiuisibilis non est vllo modo sensibilis: ergo neque Christus in quantum illum habet vllo modo sentiri potest.

157 Maior expressa est in verbis Diui Thom. citatis, & etiam est per se euidens; quia euidens est non posse videri corpus, vt album, nisi visa albedine, & etiam est euidēs non posse videri corpus, vt habens figuram, nisi visa figura: ergo euidens est non posse videri sensibile proprium secundum modū indiuisibilem, neque Christum, vt habētem talem modum indiuisibilem in Eucharistia, nisi viso modo indiuisibili. Minorem verò, nempè contradictionem implicare, quod videatur talis modus indiuisibilis; probo hoc discursu. Sensibile diuisum est ab Arist. c.6. huius libri adæquata diuisione, in sensibile proprium, commune, & per accidens, sed modus essendi indiuisibiliter nullum horū est; ergo non pertinet ad sensus, nec vllo modo sentiri potest. Euidens est consequentia, quia nulla potētia potest versari circa illud, quod est extra rationē sui obiecti; ergo sensus versari non potest circa id, quod non est vllo modo sensibile. Sed probatur minor de sēsu visus in speciali, cuius proprium obiectū solum est color, & lux, sed modus indiuisibiliter essendi non est color, neque lux: ergo nō est proprium sensibile visus. Quare apertè falsum est, quod asserit secunda opinio, videlicet modum essendi indiuisibiliter (etiam si positiuus concedatur) non esse supernaturalem secundum entitatem, sed naturalem, & solum ex modo, quo producitur ab efficiēte supernaturalem, vt oculus restitutus cæco, quod apertè falsum voco, quia si esset naturalis secundum entitatem, connaturalis foret colori, sicut visus restitutus cæco sed non est ei cōnaturalis, quin potius opponitur modo eius connaturali; nam cum color ex propria essentia, & natura sit accidens corporeum aptum inhærere subiecto media quantitate: sua natura postulat modum essendi diuisibiliter: ergo non potest esse ei connaturalis; quare necesse est esse supernaturalem secundum substantiam.

158 Et ex hoc etiam efficaciter colligitur non esse vllo modo sensibilem, nec videri posse. Quod enim excogitari posset visibilem fore colorem supernaturalem, cui modus iste connaturalis esse posset: fundamēto caret, quia sicut communis ferè omnium sententia tenet, non posse vlla ratione dari supernaturalem substantiam creatam, quia ex propria essentia est ordinis naturalis, eodē modo non potest dari corporeum accidens supernaturale secundùm substantiam, vel entitatem: quia ex intrinseca sua ratione naturale est accidens, sicut nec dabilis est quantitas supernaturalis: qua media inhærere aptum esset, si daretur. Hinc ergo constat talem modum indiuisibiliter essendi non esse propriū sensibile visus. Quod verò non sit commune, euidentius est, cum nullum sit ex quinque enumeratis ab Aristotele, ca. 6. ad quæ reducuntur omnia.

159 De sensibili vero per accidens non est minus euidens, quia sensibile per accidēs, vt locis citatis docuerunt Arist. & D.Thom. & docent omnes, comparatur ad commune, & proprium tanquam subiectum eorum, cuius formæ sunt, & ideo perceptis per se for-

mis dicitur per accidens percipi subiectum, licet nullam habeat rationem sensibilis ex propria natura, sed constat hunc modum nō posse sic comparari ad sensibilia propria, & communia; ergo nec potest esse sensibile per accidens.

160 Quod vero dicitur ab his, qui defendunt secundam opinionem, videlicet modū indiuisibiliter existendi non esse entitatē positiuam, sed solam negationem extensionis, & ideo non esse sensibilem; quia negationes non sentiuntur; quare vt videatur proprium sensibile secundum talē modū, vel Christus in Eucharistia, vt ibi existens non esse necessarium videri modum; In primis est falsum, quia modus iste īdiuisibilis (vt docuit D. Th. loco cit.) similis est modo essendi substantię sua natura indiuisibili, ac positiuo iuxta omnium sententiam, quia magna perfectio substantiæ est: ergo positiuus esse debet modus indiuisibilis communicatus sensibili proprio vel corpori Christi.

161 Secundo, quia modus diuisibilis dicit intrinsecam imperfectionē, ergo modus indiuisibilis e contra dicit intrinsecam perfectionem: quare necessario debet esse positiuus, quia negatio pura nullam perfectionem importare potest. Et etiam si daremus in sola negatione consistere, & ideo non esse visibilem, falsum esset, quod posset videri Christus, vt sub tali modo existēs; quia repugnat videri aliquid vt sub tali modo existens, nisi videatur modus ipse (vt probauimus:) si igitur indiuisibilis esset talis modus, quia in sola negatione cōsistit, euidenter ex hoc sequitur Christum non posse vllo modo videri, vt habentem talem modum, quem certum est in Eucharistia habere.

Assertio posterior, *non solum est naturaliter impossibile: sed implicat contradictionem videri proprium sensibile modo indiuisibili existēs, vel Christus in Eucharistia praciso modo indiuisibili, aut non viso.* Priorem partem tenent omnes sententiæ, præter Ochamum, & probata est euidenter ab omnibus duobus illis arg. quibus sententiam eius refutauimus.

Quòd vero non sit possibile videri etiam per potentiam Dei absolutam præciso modo, aut non viso, vel sine vllo sensibili communi, vt asserit secunda pars eiusdem assertionis; probatur primò, quia aut videretur per speciem productam à se, vel immediatè à Deo, aut sine vlla specie supplente Deo cō cursum speciei: sed neutro modo videri potest; ergo omnibus modis est inuisibile.

162 Minorem probo primo, quòd non possit videri per speciem productam a se in potētia, quia nullum ordinem habere potest ad illam, propinquitatis, vel præsentiæ, aut approximationis: ergo implicat contradictionem in potētiam agere, aut speciem ei imprimere, propria virtute: sed nec virtute diuina, vt instrumentum eius, quia repugnat produci speciem à colore, eum repræsentantem modo indiuisibili, nisi sub modo etiam diuisibili concurrat, ad eam producendā: sed species producta in oculo necessario debet esse diuisibilis habens partes integrantes, cum sit accidens corporeum receptum in subiecto corporeo ac diuisibili: ergo repugnat produci ab obiecto, vt habēte modum indiuisibilem. Quòd vero non possit videri per speciem à solo Deo productam in potētia, probatur; quia vel talis species ita repræsentaret obiectum, vt tota repræsentaret totum, atq; etiam quælibet pars totum, vel ita vt tota repræsentaret totum, & pars solum partem; non est enim possibilis alter modus repræsentandi: sed nec repræsentaret modo priori, nec posteriori: ergo nullo modo. Probatur minor, quia prior modus repræsentandi est modus indiuisibilis: ergo nō potest ita repræsentari obiectum, quin repræsentetur modus ipse indiuisibilis, quemadmodū nec potest repræsentari modo diuisibili, quin repræsentetur modus ipse extensus, ac diuisibilis; & ideo nec videri per eam sic repræsentantem, quin videatur modus indiuisibilis, de quo probauimus iam non esse vllo modo visibilem.

163 Et eadem ratione probatur non posse repræsentari modo diuisibili; quia nec talem modum habet obiectum repræsentatū: sed oppositum, nec posset videri, nisi viso modo diuisibili, si diuisibiliter repræsentaretur. Secūdo probatur argum. Theologico, quia corpus Christi, vt in Eucharistia existēs est organicum, & vt organicum continetur sub specie panis per se, hoc est, ex vi verborum; ergo non potest videri, nisi organicum videatur: sed non potest videri corpus organicum, nisi videatur figura eius, quæ est commune sensibile, ergo repugnat videri sine sēsibili communi. Minorē probo, quia corpus organicum dicit corpus heterogeneum habens partes organicas diuersæ rationis, sed

par-

partes organicæ diuersæ rationis sunt diuersæ figuræ: ergo non potest videri organicū corpus,nisi visa figura. Probatur tertiò,quia organum sensus, imò & sensus ipse habet esse extensum,ac diuisibile,ergo nō est capax speciei indiuisibilis: siue ergo recipiat speciem sibi ab obiecto impressam, vel immediatè adeò diuisibilis debet esse, atq; extensa,imò,& modo diuisibili repræsentare, ita vt quælibet pars determinata eius repræsentet partem obiecti determinatam, vt superius probauimus, & non aliam, neq; totum obiectum, sed modus iste repræsentandi est diuisibilis: ergo implicat contradictionem repræsentare obiectum, nisi sub modo diuisibili existens, quia inter speciem repræsentantem, & obiectum repręsentatum intrinseca proportio requiritur,non solum in esse rei,sed in esse sensibilis repræsentati: quare obiectum sensibile sub modo indiuisibili non est repræsentabile per speciem sensibilem vllo modo,nec sentiri potest per eam.

164 Probatur tandem,quod non possit videri sine specie supplente Deo concursum speciei:quia visio est forma diuisibilis inhærens subiecto diuisibili, nempe visui, & per eam producitur omninò necessariò species expressa diuisibilis, non solum in modo essendi,sed in modo repræsentandi:ergo concursus,quo Deus suppleret vicem speciei impressæ, diuisibilis esse deberet eisdem modis: cum sit eadem ipsa visio, vt a Deo proueniens:quare non posset per eam videri obiectum,nisi modum diuisibilem habens, sicut probatum est non posse videri per speciem a se impressam.

Ad argumentum igitur Ochami concedendum est antecedens, quod corpus Christi secundum se sit visibile per suum colorem cęterum vt videatur postulat pro conditione intrinseca modum diuisibilem sine quo, nec potest agere in potentiam,nec eam vllo modo respicere: cum careat ordine ad extrinsecum : quare nec potentia potest in ipsum ferri,nec ipsum videre.

Ad primum argumentum secundæ opinionis concessa maiori neganda est minor. Quod verò dicitur præsentiam quantitatiuam, quæ vocatur vbi circumscriptum, non esse sensibile commune secundum rationem formalem vbicationis extensæ: distinguendum est.

Nam præsentia localis duo importat in sua ratione formali, & tertium tanquam materiale: primum est extensio, seu commensuratio corporis in ordine ad spatium verum,aut imaginarium: secundum est respectus eiusdem extēsi corporis ad spatium. Tanquam materiale verò,& non necessariū dicit circunscriptionem a loco,sine qua constat supernaturaliter saltem dari posse in quolibet corpore.

Ex duobus autē primis in ratione formali importatis, verum est respectum non percipi sensu,falsum verò,quod extensio corporis in spatio non percipiatur: nam ratione huius est sensibile commune localis præsentia,sine qua cōtradictionem implicat,quod corpus percipiat per sēsum, vt probauimus.

195 Et quia ea caret corpus Christi in Eucharistia, visibile non est,falsum est ergo sufficere, vt videatur, quod præsens sit speciebus,&ad motum earum moueatur:nā quod in se,& per se non est sensibile, videri non potest ex eo,quod alterum, cui præsens est, vtcumque videatur. Negandum est etiam, quod modus indiuisibilis pręsentiæ non obstet,quò minus videatur Christus in Eucharistia. Quod verò dicitur esse solam negationem extensionis,iam probauimus falsum, & ostendimus esse modum positiuum communicatum eidem corpori Christi, & accidentibus eius,& adiecimus,quod etiam in sola negatione consisteret, & ideo videri non posset, satis hoc foret, vt non posset videri corpus Christi, vt ibi existens,cum impossibile sit videri corpus, vt est hic,si non videtur illud ratione cuius dicitur esse hic.

Ad secundum quod est primum de modo indiuisibili,negandum est,quod talis modus indiuisibilis non sit supernaturalis quoad entitatem, vel substantiam, vt efficaciter a nobis fuit probatum,quare ex hoc etiam c. tepugnaret videri.

Ad 2. de illo modo, negandum est etiā antecedens, quod sensibile proprium possit vllo modo percipi sine aliquo communi, quia licet cōmune sensibile non sit ratio sentiendi propriū,sicut proprium est ratio sentiendi commune:est tamen conditio intrinseca, vt sentiri possit, sine qua non est vllo modo proportionatum sensui,nec potest repræsentari per speciem,vt probauimus.

166 Quod ergo additur proprium sensibile non habere essentialem dependentiam a communi, vt sentiatur, distinguendum est:

est: nam tanquam a ratione suæ sensibilitatis non dependet, bene tamen tanquã a conditione intrinseca, quæ dependentia ad essentialem reduci potest, quare non potest vllo modo suppleri,

Et tandem assero, quod licet non probetur euidenter implicare cõtradictionem, quod proprium sensibile videatur sine communi, vt Christus in Eucharistia, probatur tamen efficaciter intra latitudinem probabilitatis: ita vt non bene possit argumentis satis fieri, nisi negando aliqua ab omnibus ferè in schola recepta, atq; etiam alia valde proxima principijs veræ philosophiæ, aut metaphysicæ, vt facile potest constare, ex discursu totius quæstionis. Et hoc satis est, vt teneamus implicare contradictionem, in qua nulla sit iniuria diuinæ omnipotentiæ.

167 Quod verò attinet ad D.Th satis expressa est eius sententia in vltimo loco, in quo diuerso modo loquitur ac in alijs in quibus sub dubio id reliquisse videtur, quod videatur corpus Christi in Eucharistia. Re tamen melius considerata in Summa firmiter asseruit non posse vllo modo videri, & huic testimonio tanquam extremæ eius sententiæ standum est. Quod verò in solutione ad secundum asseruit oculum Christi videre se ipsum in Eucharistia existentem, ex duobus alijs, quæ in eadem solutione addit, facile explicatur: primum est, quod neque oculus Christi videat modum, quem habet in Eucharistia, qui nullo modo visibilis est. Postremum, quod non est eadem ratio de alio oculo glorioso, ac de oculo Christi: nam aliter oculus non est in Eucharistia sicut oculus Christi. Ex primo enim euidenter sequitur sentire D.Th. quod neq; oculus Christi videt se secundum modum, quem habet in Eucharistia, quia repugnat videre se, vt ibi existentem: si non videatur modus, quo ibi existit.

168 Quo supposito ex secundo intelligitur, quem sensum tenuerit, dum asseruit oculum Christi in Eucharistia existentem videre seipsum, videlicet ratione identitatis numericæ eiusdem Christi, & eiusdem eius oculi in cęlo, & in Eucharistia existentis. Ratione cuius verum simpliciter est quod oculus Christi videt seipsum in Eucharistia existentem: cum videat seipsum extra Eucharistiam, non enim requiritur ad veritatem huius: *Oculus Christi videt seipsum in Eucharistia existentem*, quod vt in Eucharistia existens habeat visionem sui: sed sufficit, quod alicubi eam habeat: nam cum idem numero sit oculus eius extra, & intra Eucharistiam existens, sufficit vtcumque, & vbicumque se videre, vt dicatur se videre in Eucharistia existentem. Quemadmodum sola indentitas numerica eiusdem oculi sufficit, vt verum sit affirmare de eo, Oculus Christi in cœlo existens habet modum indiuisibilem, nec requiritur, vt eum habeat secundum modum, quem habet in cęlo. Et possumus exẽplum afferre in corpore existente simul Compluti, & Romæ per potentiam Dei absolutam, quod sufficeret Romæ calefieri ab igne, licet non calefieret Compluti, vt verum foret de eo affirmare: *Petrus existens Compluti calefit ab igne*, vt autem significaret D.Thom. hunc se tenere sensum, adiecit hæc verba. *Nec tamen est simile de alio oculo glorioso: quia etiam oculus Christi est sub Sacramento, in quo non conformatur ei alius oculus gloriosus*, quasi dicat ideò non esse verum, quod alius oculus gloriosus videat oculum Christi in Eucharistia existẽtis, sicut verum est de oculo Christi, quod se videat in Eucharistia existentem. Quia numerica identitas non conuenit alteri oculo glorioso ab eo distincto.

QVAESTIO XIII.

An præter speciem impressam sit necessaria præsentia obiecti ad sensationem externam.

169 Sensus quæstionis est, an præter speciem sui, quam obiectum imprimit potentiæ, per quam concurrit ad sensationem cum potentia tanquam principium eius, necessariò requiratur actualis existentia, ac præsentia eiusdem, vt per se terminet eandem sensationem: vel sufficiat esse ei pręsens per eandem speciem ad terminandum, & ideo in absentia, vel iam non existens percipi possit a sensu.

Et prima opinio tenet, præsentiam obiecti ita esse necessariam, vt nisi præsens per se ipsum sit, non possit per vllum sensum externum percipi, etiam per potentiam Dei absolutam. Ita Gabr. in 2.d.3.q.2.concl.2. quem recentiores aliqui sequuntur. Probatur

tur testimonio Arist.2.lib.de anima, text.6. vbi propria obiecta sensus, & intellectus his verbis distinguit: *Singularium quidem secundum actum sensus, scientia autem vniuersalium, hæc autem in ipsa quodammodo sunt anima, vnde intelligere in ipso est, cum vult, sentire autem non est in ipso, necessarium est enim esse sensibile.*

170 Ex quibus ita arguo, nulla potētia pōtest versari circa illud, quod intra latitudinē sui obiecti non continetur, etiam per potentiam Dei absolutam, vt visus non versatur circa sonum: sed proprium obiectum sensus est res singularis actu existens ex mente, & verbis Arist. ergo nullo modo operari potest circa sensibile non existens, & consequenter nec circa absens: nam ita se habet absens ad effectum sensationis, ac si nō esset in rerum natura, Quod etiam D Aug. sensisse videtur, vt probant verba sequentia ex 11.lib.Cōfes. c.19. desumpta. *Quoque modo se itaq; habeat arcana præsentia futurorum: videri nisi quod est, non potest.* Probatur deinde ratione; primò ex fine, in quem dati sunt sensus isti a natura animalibus, qui absq; dubio non est alius, quam vt per eos regere se possint circa sensibilia præsentia: nā pro absentibus, aut præteritis, etiam iam non existentibus dati sunt eis sensus interni, & ex hoc fine desumitur modus, quo immutantur omnes a suis obiectis, videlicet per speciem in eis productam qua repræsentantur.

171 Et ex vtroq; sequitur sensationem externam adeo necessariò postulare præsentiam obiecti sensibilis, circa quod versatur, vt non possit etiam supernaturaliter versari circa obiectum absens, vel actu non existens, quia nec potest, nisi per se præsens immutare potentiam.

Secundò, quia si sensibile potest in absentia, vel actu non existens percipi a sensu: ergo poterit sonus non existens audiri, cælum ab homine in terra degente tangi, atq; etiā mel gustari, & consequenter nutrire corpus quæ quidem portentosa in primis videntur, & deinde apertè falsa, quia omnes sensationes externæ sunt intuitiuæ notitiæ, de ratione autem intuitiuæ notitiæ est, quod tendat ad obiectum per se præsens, alioqui si absens sit, non dicetur intueri ipsum: ergo impossibile omninò censendum est, externum sensum percipere posse sensibilia, nisi actu præsentia.

172 Secunda opinio huic ex diametro opposita asserit actualem sensibilium præsentiam nullo modo esse necessariam: sed percipi posse a sensibus obiecta absentia, aut nō existentia per sui speciem, non solum supernaturaliter: sed etiam naturaliter, & sæpe contingere, quod ita percipiantur. Ita Burid. 2.lib.de anima, q.21.& 22. quem sequuntur recentiores quidam non vulgaris authoritatis. Probantq; egregijs in primis testimonijs eiusdem Arist ac D Aug. Arist. enim in lib.de insomnijs c 2. iuxta antiquam translationē id expresè asserit hisce verbis. *Manifestum autem id est, cum continenter aliquid sentimus: nam licet sensum transferamus, ea nihilominus comitatur passio, vt de sole ad vmbram, contingit enim nihil tunc cernere ob motiunculam a lumine adhuc in oculis restantem.*

173 Et vniuersaliter de omni sensu externo, ac de omni sensibili docuerat in principio eiusdem capitis in hæc verba: *Sensibilia enim secundum singulum sensoriorum in nobis efficiunt sensum, & quę fit ab eis passio, non solū inest in sensorijs, dum sensus agunt: sed, & dum abierunt.* Et D.Aug.11.lib. de Trin. c.2. non minus expresè id docet sic loquens: *Nam insertarum fenestrarum cancelli, si eos forte intuebamur sępe in illis apparuere coloribus, vt manifestum sit hanc effectionem nostro sensui ex ea re que videbatur impressam attenderimus quęque luminaria, & inde oculos clauserimus, quasi versantur in conspectu.* Probant deinde ratione a simili, quia dum proiectus lapis sursum mouetur, imprimitur ei impulsus quidam aliquandiu durans: qui tandem se ipso, ac sine contrario paulatim languescit, ac deficit: ita ergo res se habebit in specie impressa a sensibili præsenti, vt post sensationem factam absente iam obiecto languescere incipiat, & tandem deficiat, non enim probari potest plus dependere speciem ab obiecto, quam a proijciente impulsum: permanebit ergo visio aliquantulum in absentia obiecti: cum permaneat species, quæ cum potentia, & tanquam virtus eiusdem obiecti sufficiens principium sensationis est, quare non erit necessaria semper obiecti præsentia ad sensationem, etiam naturaliter.

174 Vltima sententia quasi media est inter duas priores, & asserit duo. Primum, *naturaliter quidem non posse percipi a sensu externo obiectum absens, vel non existens; sed præsentiā eius naturaliter esse necessariam, vt sentiatur.*

Se-

Secundum, *per potentiam Dei absolutam percipi posse a sensu sine præsentia reali, & sine existētia actuali, per speciem sui conseruatam a Deo in sensu, aut de nouo ab eo productam, per quam dicitur præsens in esse cognito, vel obiectiuo.* Ita Mol.1 p q 55 art.2.d.2.memb.5.Suar.tom.3 in 3.p.D Tho. d.53.sect.4 & d.55.sect.2 & est iam fere communis inter recentiores. Et colligitur euidenter ex doctrina D.Th.3.p. q.76.art.8. vbi docet aliquando in Eucharistia miraculosè videri Christum sub specie pueri, aliquando sub specie iuuenis, aliquando etiam videri carnem eius, aut etiam sanguinem, in cuius testimonium perseuerat vsque in hodiernum diem miraculum illud continuatum in oppido Scalabitano in regno Lusitaniæ bis in anno expositum, vt ab omnibus videatur, his modis apparente, aut viso Christo, & carne, & sanguine eius.

175 In his verò apparitionibus miraculosis ait D.Th. numquam videri verum corpus Christi, aut veram eius carnem, aut sanguinem: sed repræsentari hęc in oculis videntiū per species eis impressas a Deo, ac si vere ibi essent, eo ferè modo, quo Christus Dñs sub peregrini specie a duob. discipulis visus est. Sentit ergo in his apparitionibus apparere res ibi non existentes, vel non præsentes per species productas in potentia: sed absq; mēdacio, quia tales apparitiones ostenduntur, & fiunt in confirmationem veritatis fidei, & nō ad decipiendos homines. Pro hac etiā sententia possunt referri omnes, qui cum D. Tho. eodem modo loquuntur de his apparitionibus, vt Scot. in 4.d.10.q.1 Ledes.1.p.q. 14.art vlt. Ant 3 p.Theolog.tit.13.c.14.Victoria in relatione de Eucharistia, nu.62. & Sot. in 4.d.10.q 1.art 8 & hęc vltima sententia videtur mihi probabilior.

Ad cuius veritatem ostendendā duo sunt a nobis probanda: Primum, quod sensus externi non possint naturaliter operari, nisi circa res per se ipsas præsentes: quod probo expresso in primis testimonio Aristot.2.lib.de anima, text 60. in fauorem primæ opinionis relato, quo testatur Arist. intellectum operari posse quotiescunq; voluntas eum applicauerit, quia habet intra se obiecta vniuersalia, circa quæ operatur repræsentata per species conseruatas in memoria: sensus vero cū operetur solum circa singularia sensibilia actu existentia extra se, non potest operari: nisi eisdem sensibilibus actu existentibus.

176 Probatur deinde ratione, primo, quia obiectum non potest concurrere ad sensatio nem per se ipsum nec sit præsens potentiæ, nec ei proportionatum, concurrit igitur per speciem, quam in sensu producit, per quam consequitur præsentiam, & proportionem sed species dependet ab eo, tanquam a causa naturali, non solum in esse, & fieri, sed etiam in conseruari: ergo non potest permanere in potentia eo absente, vel non existente, & ex consequenti, nec poterit fieri sine illo sensatio naturaliter. Et si respondeas non posse diu durare, nec omninò permanere absente obiecto, nisi vehementer fuerit ab eo immutata potentia, vel ipsa intensò quodam conatu in eum prius intenderit, & tunc nō nisi paruo tempore, & ita vt non tam sensatio prçterita permanere dicatur secundum eam perfectionem, quam habuit prius, quam secundum quasdam reliquias eius.

177 Probo hoc esse falsum duplici argumento: primò, quia dependentia effectus a sua causa naturali in conseruari non minus est naturalis, quam dependentia in esse, & fieri: ergo sicut semper dependet eodem modo in esse, & fieri, ita etiam in conseruari, sed euidens est eodem modo, & semper dependere effectum a sua causa naturali in esse, & fieri, siue sit intensior, vel remissior, siue paruo, vel magno tempore, ita vt nec per minimum tempus possit esse, vel fieri naturaliter, nisi cum actuali dependentia ab ea: ergo eodem modo dependebit in conseruari semper, siue remissior sit, vel intensior, siue paruo, vel magno tempore, ita vt nec per minimum tempus possit conseruari, sine actuali dependentia ab ea, & consequenter, sine actuali eius præsentia, vel existentia. Et certè a semel conceditur posse conseruari, sine actuali dependentia a causa paruo tempore, euidenter sequitur posse etiam diu cōseruari: nam si aliquo tempore sine illa conseruatur: ergo actualis dependentia ab ea non est necessaria ad sui conseruationem: quare sine illa poterit quocumq; tempore conseruari, & multò melius secundum esse intensum, aut perfectum, quam secundum esse remissum, aut imperfectum, quia quò debilius est, plus dependet a sua causa.

178 Et vrgeri potest euidenti experientia in lumine, & quocumq; alio effectu dependente a sua causa in conseruari, quod nec remissum, nec paruo tempore, imò neq, vllo alio

alio modo potest, sine actuali dependentia naturaliter conseruari: ergo vel negandum est, quod species dependeat naturaliter in conseruari ab actuali præsentia obiecti contra manifestam experientiam, & rationem, vel negandum quod possit vllo modo, vel vllo tempore, quamuis minimo conseruari, sine actuali eius præsentia, vel sine illa percipi a sensu, vel sensationem eius durare. Probatur tandem falsitas huius sententiæ, quia si abeunte sensibili perseuerat eadem eius visio: ergo videtur per eam in eodem situ, & in eadem distantia, sed dum prius videbatur, erat extra oculum, & in tali distantia ab illo: ergo in eadem dispositione videri debet, sed non potest clausis oculis videri aliquid extra illos propter impedimentum appositum, imò nec apud defensores primæ opinionis extra videtur, sed intra oculos, quod manifestam continet repugnantiam: ergo naturaliter est impossibile, quod clausis oculis permaneat eadem species, eadem visio, & eiusdem obiecti, ac anteà.

197 Probatur iam secundum, quod per potentiam Dei absolutam possit videri obiectum absens, vel non existens contra secundam opinionem.

Primò, quia si id non foret possibile, maximè quia species obiecti producta in potentia non solum habet naturalem dependentiam ab eodem obiecto in conseruari: sed omninò intrinsecam, hoc autem est falsum, ergo nulla potest assignari ratio talis repugnantiæ. Probatur minor, quia lumen productum in medio dependet in conseruari à luminoso, a quo producitur, & nihilominus potest conseruari a Deo extincto luminoso, & vniuersaliter loquendo, omnem effectum purè efficienter productum a causa secunda, potest conseruare per se prima, sicut potest producere: sed species nō dependet ab obiecto plusquam efficienter, sicut a luminoso lumen: ergo potest Deus supplere efficientiam obiecti, a quo conseruabatur.

Secundò, quia Deus potest ex se solo producere speciem cuiuscumq; obiecti, & in quacumq; potentia, quę versatur circa illud: cum constet eas produxisse in intellectu Angeli a principio: atq; etiam cum infinita virtus eius eminenter contineat obiectū quodcumq; atque etiam virtutem eius obiectiuā, ac productiuam specierum. Et eadem ratione potest speciem a se productam sine obiecto conseruare, in eadem potentia: sed ex potentia, & specie tanquam virtute obiecti constituitur vnum principium sufficiens sensationis, quia per speciem determinatur potentia, & constituitur sufficienter in actu primo ad operandum circa tale obiectum: ergo poterit elicere actum sine præsentia obiecti vel actuali existentia eius.

181 Sed respondent obiectum duobus modis cōcurrere ad sensationem, videlicet tanquam cōprincipium eius media specie impressa in potentia, atque etiam terminando eandem sensationem, per se quidem pręsens quia sensationes externæ sunt quasi notitiæ quædam intuitiuæ, quibus intrinsecum est terminari ad rem præsentem: vndè licet possit Deus supplere priorem concursum obiecti per speciem a se productam in potentia, non tamen posteriorem.

Hæc tamen ratio solum habet apparentiam, non tamen probat repugnantiam, quam intendit: nam licet sensationes quasi intuitiuæ sint notitiæ, non est tamen necessarium ad rationem intuitiuæ notitiæ, quod terminetur ad rem secundum esse reale præsentem, sed satis est terminari ad eam, vt habentem esse præsens repræsentatum potentiæ, quod habet per speciem expressam tanquam per rationem intrinsecam terminantem a qua repræsentatur obiectum, vt actu, & expressè cognitum, quo pacto terminus est quasi intrinsecus eiusdē cognitionis.

182 Non est igitur necessarium, quod hæc ratio causæ formalis extrinsecæ suppleatur a Deo per aliquem concursum, quia non est necessarium, quod eam exerceat obiectum per propriam præsentiam realem, sed potest per præsentiam quasi extrinsecam, quā habet in specie expressa eiusdem cognitionis eam terminare, supposito quod species ipsa expressa proxima, atque intrinseca ratio terminandi est eiusdem sensationis, sicut potest per esse sensibile, quod habet repræsentatum in specie impressa esse principium eius.

Ad testimonium Aristot. pro prima opinione adductum respondeo, ita existimasse Arist. non posse sensus externos operari circa sensibilia absentia, vel non existentia, quia solum cognouit ordinem naturalem rerum, iuxta quem verissimum idest: per potentiam verò supernaturalem nō cognitam ab eo, aliter fieri potest, vt probauimus.

Ad

183 Ad argumentum vero ex testimonio deductum concessa maiori, distinguenda est minor, quod obiectum adæquatum externi sensus sit res singularis actu existens, vel actu præsens, nam secundum naturalem modú operandi visus ita est, quia circa illam tantú operari potest; absolute verò falsum, sed adæquatum obiectum externi sensus est singulare sensibile externum, realiter præsens, vel repræsentatum præsens per speciem. Testimonium verò D.Aug. eodem modo intelligendum est de potestate naturali sensus, supernaturaliter verò conseruata specie obiecti, etiam in absentia eius operari potest.

Ad primum argumentum concesso antecedente, quod in eum finem sint sensus a natura concessi animalibus, neganda est consequentia, quod non possint supernaturaliter operari, nisi circa præsentia, quia ex fine naturali potentiæ solum potest colligi modus naturalis operandi eius tali fini cósentaneus Deus vérò eleuare potest eam ad operádum cum sola specie, vt probauimus.

184 Ad secundum concedenda est consequentia, quod possint gustus, & tactus per solam speciem obiecti elicere sensationes in absentia earum, quod portentosum non debet existimari, sed miraculosum, & supernaturale ex parte conseruationis speciei absente obiecto. Quod verò infertur mel degustatum per solam speciem posse nutrire, negandum est; quia nutritio est alia operatio per quam alimentum conuertitur in substátiam aliti, quam euidens est postulare verum, & reale alimentum, circa quod versetur. Quod verò dicitur externas sensationes esse notitias intuitiuas, concedi potest, quia notitia intuitiua eo distinguit ab abstractiua, quod hæc nó est cognitio obiecti in se, sed in alio cognito, quo pacto Deus à nobis cognoscitur per creaturas prius cognitas. Intuitiua verò est cognitio obiecti in se, hoc est non in alio cognito.

165 Quod verò in se cognoscatur, vt per se præsens, vel solum, vt præsens in esse cognito, aut repræsentato per speciem, non variat essentialem rationem intuitiuæ notitiæ, sed accidentalem tantum, quemadmodum notitia illa, qua Deus cognoscit ab æterno futura contingentia intuitiua est, etiam si futura ipsa non sint Deo ab æterno præsentia secundum esse reale, sed solum secundum esse cognitum, vel repræsentatum in diuina essentia per modum speciei, aut in diuinis ideis, (quod iam ferè omnes sequuntur) & intuitiua etiam esset si eadem futura forent Deo præsentia secundum esse reale, sed solum in ratione intuitiuæ accidentali modo diuersa.

Ad testimonia Arist & D. Aug. pro secunda opinione opposita, quæ eodem modo loquuntur, Respondeo ex his, quę asserit Ar. in eodem lib. de Insomnijs lect. 3. & 4. organum visus non solum pati a sensibilibus passione intentionali, sed etiam reali (præsertim vehementibus) vt ibidem docet Aristot. cum enim sit corpus lucidum ex vehementi luce solis, & colorum eam maximè participantium intenditur aliquando lux eius, & cum ex luce imprimi soleant calor, ac siccitas, etiá per hæc patitur, ac læditur propriú eius temperamentum, & ex hac simul passione, & aliqua actione eius circa medium, nec non ex reflexione lucis eorundem vehemétiorum sensibilium circa ipsum disturbatur & patitur etiam motiones aliquas, non solú alterantes, sed etiam locales quæ sunt quasi ebullitiones quædam eius, & huiusmodi impressiones reales, ac reales motiunculæ permanent abeuntibus sensibilibus aliquantulú.

186 Ex quibus licet re vera nulla resultet visio, resultat tamen in imaginatione deceptio quædam, per quam inducat permanere actum visionis circa eadem obiecta: imaginátur enim se adhuc videre illa, eo ferè modo, quo cótingit dormientibus, aut infirmis propter nonnullas impressiones receptas ab obiectis, quatum ratione imaginantur se videre, vel audire illa. Et hunc sensum tenuerunt absq; dubio D.Augu. & Arist quamuis loquentes simul de externis, atq; internis sensibus obscurè loquantur, ita vt facile sit quædam eorum verba de internis intelligenda externis tribuere, & ita decipi, sed considerata natura, & modo operandi vtriusq; sensus prædicto modo intelligenda sunt.

Sed obijciunt recentiores non posse de imaginatione intelligi prędicta testimonia, quia in potestate voluntatis est imaginationem diuertere a quocumq; obiecto, efficereq; vt ab actu circa illud cesset: ergo si ad imaginationem pertineret opus illud, & nó ad visum, posset homo, cú vellet a tali actu sensationis cessare: sed docet experientia oppositum, nempe quod pro paruo illo tempore non est in potestate eius cessare: ergo non est

est imaginationi tribuendus talis actus, sed sensui externo, qui voluntati non subditur.

187 Ego verò respondeo falsum esse, & contra euidentem experientiam, quod opus imaginationis semper sit in potestate voluntatis: imò sæpe constat ita vehementer rapi imaginationem, vt non possit detineri, vel prohiberi a suo actu, nec sit in potestate hominis eam alio diuertere, aut efficere, quod cesset ab operando, circa vehemens sensibile, & ita censendum est in casu nostro, quod pro paruo illo tempore, non est in potestate voluntatis imaginationem sic vehementer excitatam cohibere.

Ad argumentum eiusdem sententiæ ex similitudine impulsus desumptum respõdeo, impulsum non dependere a proijciente, a quo imprimitur in conseruari, & ideò potest permanere in absentia eius: sed species dependet ab obiecto in conseruari, & ideò, nec pro paruo tempore potest eo absente permanere.

QVAESTIO XIV.

An possit sensus elicere sensationem circa obiectum absens, vel non existens etiam sine specie eius per potentiam Dei absolutam.

188 Dubium hoc solum habet locum inter eos, qui nobiscum tenent, per potentiam Dei absolutam posse operari sensus abeuntibus sensibilibus, vel actu non existentibus. Quo supposito meritò dubitatur, an non solum possit fieri sensatio circa sensibile, quod non est per se præsens, sed etiam si non sit præsens potentiæ per speciem sui in ea productam a se, vel a Deo. Itaq; sensus quæstionis est, an possit videri Petrus absens sine specie, supplente Deo omnem concursum obiecti, & speciei, & concurrente cum potentia visiua nuda ab omni specie.

Et quod fieri hoc possit videtur tenere noster Mol. 1. p. q. 55. art. 2. d. 1. ante medium, qui asserit necessarium esse concursum obiecti, vel speciei tanquam virtutis eius ad eliciendum actum cognitionis, quando obiectũ & eius species non continentur eminenter in re alia, quæ efficienter cum potentia concurrat, quibus verbis sentire videtur possibile esse quod nuda potentia, hoc est sine obiecto præsente, aut specie eius eliciat actum cognitionis, Deo cum ea concurrente, atq; per suum concursum supplente eum, quem obiectum, vel eius species præstarent: quia eminenter continent obiectum, & speciem, atq; etiam virtutem eorum ad concurrendum cũ potentia, imò & cõcursum, quem præstarẽt: potest igitur illum præstare per se, & proinde supplere præsentiã obiecti, atq; speciei. Et hoc idem tenent recentiores alij.

189 Probantq; hoc argumento: Deus potest supplere omnem concursum efficientis principij, vel causæ, quę non sit vitalis (nam ab hac pendet essentialiter operatio vitalis & ideò sine concursu eius elici repugnat) cũ possit per se ipsum efficere, quidquid efficit per causas secundas, vt docet expreſsè D. Th. 1. p. q. 105. art. 5. his verbis: *Erroneum est dicere, Deum non posse facere per se ipsum omnes determinatos effectus, qui fiunt per quãcumq; causam creatam.* Sed cõcursus, obiecti per se, aut per suam speciem est efficiens, & nõ vitalis, cum non sit causæ intrinsecæ, sed extrinsecæ, ergo poterit Deus eum supplere, ita vt potentia cum solo concursu diuino, sine vllo obiecto præsente per se, vel per suam speciem eliciat cognitionem cuiuscumq; obiecti ad se pertinentis.

Oppositam sententiam, quod non sit hoc possibile vllo modo in sensationibus externorum sensuum, sed omninò necessaria sit in eis species saltem obiecti, tenent Conimbri cens. 2. lib. de anima, c. 6. q. 3. a. 1. Probantq; quia sensus externi talis naturæ sunt, vt tendant in obiecta, prout se habent hic, & nũc hoc est, prout materialibus, motus, distãtiæ, & quãtitatis conditionibus affecta existunt, atq; adeò, vt præsentia apertè rei, vel saltẽ repræsentata tanquam præsentia: quare non poterunt vllo modo versari circa rem omninò absentem qua talis est, & hanc conditionem intrinsecam addunt obiecta externorũ sensuum supra obiectum intellectus, & phãtasiæ, nam intellectus fertur in rem tam absentem, quam præsentem, tam singularem, quã vniuersalem, phantasia etiã in rem præsentẽ, & absentem, sed singularem tantum.

190 At externi sensus tanquam in infimo gradu potentiarũ cognoscitiuarũ existentes tendũt in solã rem singularem, & pręsentẽ vel exhibitam in specie, vt præsentem.

Alij

Alij verò sine limitatione tenent eam sen sum, quam intellectum creatum ad cognitionem cuiuslibet obiecti creati singularis, vel vniuersalis indigere præsentia obiecti per se, vel per speciem, & ita implicare cōtradictionem, quod potentia nuda omnispe cie obiecti possit in absentia, eiusdem obiecti elicere cognitionem. Ad hoc autem probandum prçsupponunt, tanquam certissimũ fundamentum, quod ad naturam, & essentiam cuiuscumq; cognitionis omninò necessariò requiritur quod potentia cognoscitiua, vt sit principium cognitionis, fiat similis obiecto a se cognoscendo, vt docent Arist. 3. lib. de anima, tex. 36. & 37. & D. Tho. 1. p. q. 12 art. 2. & q. 14. art. etiam 2.

191 Hoc fundamento præsupposito probatur hæc sententia: primò, quia concursus obiectiuus ad sensationem, vel intellectionẽ non est efficientis quomodocumq; sed efficientia obiectiua in eo consistens, quod obiectum, vt actu sensibile, vel intelligibile à potentia per talem sensationẽ, vel intellectionem ei sic vniatur, vt sit cōprincipium eiusdem sensationis, vel intellectionis cum eadem potentia, sed repugnat potentiam ita fieri similem obiecto per solum concursum diuinum, quia similitudo debet fieri per formam inhærentem, auxilium autem, vel concursus diuinus non est forma inhærens, sed extrinsecum quid: ergo per eum non fit potentia similis obiecto, nec poterit esse sufficiens principium operandi circa illud. Et vrgeri potest argumentum hoc modo. Actus sentiendi, vel intelligendi est expressa similitudo obiecti, vt tale obiectum est, & producit speciem expressam, quæ est expressa, ac formalis atq; perfecta similitudo eiusdem: ergo procedit à principio simili eidem obiecto, vt tale obiectum est, sed per solum concursum diuinum non fit nuda potentia similis obiecto, vt probauimus: ergo nec potest elicere sensationem, vel intellectionem sine specie, per quam, vt formam inhærentem similis fiat.

192 Nihilominus priorem sententiã probabiliorem iudicamus, quia non probatur per argumenta posterioris repugnantia, vel implicatio contradictionis in eo reperiri, quod Deus suppleat concursum obiecti, atq; speciei, ita vt cum eo possit potentia elicere sensationem, vel intellectionem. Et in primis ferè expressa est apud D. Th. vt ostendũt verba eius pro eadem opinione citata. Sed probatur ratione, quia concursus obiecti per se, aut per speciem quantumcumq; obiectiuus, non est intrinsecus: cum sit efficiens, & non vitalis, non est enim excogitabilis concursus causę efficientis intrinsecus, vel a quo essentialiter dependeat actus vitalis, præter vitalem animæ, aut potentiæ, & propterea de his solum probari potest, quod non possint suppleri a Deo: his igitur adhibitis poterit Deus supplere quemuis alium concursum efficientis causæ, etiam obiectiuum, nã obiectiuus concursus solum determinat efficientiam eius, circa quod versatur operatio vitalis, nihil verò intrinsecum addit respectu eius: ergo ratio obiectiui concursus non tollit, quin possit suppleri a Deo: cũ sit efficientis extrinseci, etiam vt obiectiuus concursus est, & possit bene intelligi, quod operatio vitalis versetur circa obiectum sine concursu eius effectiuo: sine quo produci potest a potentia species expressa eius supplente Deo concursum obiectiuum, & tunc terminabit idem obiectum operationem vitalem per speciem expressam repræsentatam a Deo cum potentia productam, per quam dicetur esse eidem potentiæ præsens, imò intra ipsam in esse repræsentato, eiq; vnitum, vt actu intellectum, quamuis non fuerit vnitum vt actu intelligibile, quia vnio hæc purè efficientis extrinseci est, & ideo non repugnat quin a Deo suppleatur.

193 Vnio verò per speciem expressam suppleri non potest, quia formalis ratio cognitionis consistit in actuali inhæsione speciei expressæ cum potentia, & hęc eadem actualis inhæsio speciei expressę est vnio intentionalis obiecti, vt actu intellecti cum potentia, quia ab eadem specie repræsentatur expressè, & ideò per eam vnitur perfectissimo modo potentiæ.

Ad primum igitur argumentum sententiæ oppositæ distinguenda est maior, quod potentia ad eliciendam sensationem debeat esse similis obiecto, nam de similitudine, & identitate virtuali verum est; de formali verò falsum, quia vt sit principium sensationis, vel intellectionis sufficit virtualis similitudo, per quam consequitur formalem producta specie expressa, per quam fit actu, & formaliter similis, sicut fit actu, & formaliter cognoscens, nam per impressam tantum fit cognoscens, vt principium, & potens elicere

esse cognitionem, hoc est, habens virtutem cognoscendi. Et hanc virtualem similitudinem, quam acquirit per speciem impressam cum sit purè efficiens, & non vitalis, potest ei tribui a solo Deo præstante per se concursum quem præstaret species. Quod verò talis concursus sit obiectiuus: nihil refert, cum sit efficiens, & non vitalis, sed extrinsecus vt probat ratio nostræ sententiæ.

194 Ad secundum concessa maiori in sensu prædicto, neganda est minor, quod per concursum diuinum non fiat potentia virtualiter similis obiecto, quia esse ei similem virtualiter non est aliud, quam esse potentem producere expressam, & formalem similitudinem eiusdem obiecti, quod habet per concursum diuinum per quem etiam determinatur ad operandum circa tale obiectum. Terminatur verò operatio eius ab specie expressa tanquam a termino intrinseco, a quo suppletur extrinseca terminatio obiecti non necessaria, nisi secundum naturalem modum operandi potentiæ. Itaq; virtualis similitudo, cum non sit, nisi virtus ad operandum, non est necessario constituenda per intrinsecam formam inhærentem potentiæ, sed per auxilium diuinum, quamuis extrinsecum constitui potest.

QVAESTIO XV.

An sensus errare possit circa proprium sensibile.

195 QVæstionem hanc excitauit definitio sensibilis proprij assignata ab Aristotele c. 6 huius libri hisce verbis, *Dico autem proprium quidem, quod non contingit alio sensu sentiri, & circa quod non contingit decipi.* Ex qua definitione sequi videtur nunquam contingere, quod sensus aliquis erret circa sensibile sibi proprium, vt visus circa colorem, vel auditus circa sonum: quod cum multis experientijs videatur constare oppositum, meritò vocatur in quæstionem, an sensus circa proprium sensibile errare possit: quæ non est intelligenda de errore, aut falsitate formali (quam compositam vocare solent) nam hæc solum reperitur in formali iudicio intellectus, qui iudicare simpliciter potest, & vnum attribuere alteri, vel remouere ab eo per modum compositionis, aut diuisionis, quam perfectionem iudicandi non attingunt sensus.

Sed intelligitur de errore apprehensionis (si propriè error vocari potest) per quē potentia non apprehendit rem, sicut est in se: sed aliter, & sua apprehensione occasionem errandi tribuit intellectui, vt dum visus apprehendit solem sub parua quantitate: cum magnam in se habeat.

196 Et in primis circa vniuersalē sensum quæstionis, an errare possint sensus, vel non: fuit opinio Epicureorum asserentium, nunquam omninò errare sensus, cuius meminit Tullius in quæstionibus Academicis, & D. August. lib. 8. de ciuitate cap. 7. & quam videtur magna ex parte sequi Tertullianus in suo lib. de anima capit. de quinque sensibus. Et probari potest primò, quia sensus omnis apprehendit rem sicut ei repræsentatur per speciem, sed species producitur ab obiecto, & est naturalis imago eius: ergo non potest illud repræsentare aliter, quam est: & consequenter non potest decipi.

Secundo, quia si admittatur error in sensibus, sequitur euidenter admittendum esse in nostris scientijs, imò in principijs earum, & quod maius absurdum est, in fide diuina.

Probatur consequentia, quia intellectus noster pro hoc statu, nec notitiam principiorum, nec alicuius scientificæ conclusionis (præsertim philosophiæ procedentis semper ab effectibus ad causas) nec aliquem assensum diuinæ fidei assequi potest, nisi medijs operationibus sensuum: quare si in his admittitur error necessariò redundabit in fide, in scientijs, atq; principijs, & ideò nihil erit certum.

Secunda opinio fuit ex diametro opposita, quæ frequenter adeo errare sensus asseruit, vt nulla sit penitus eis adhibenda fides. Ita senserunt ex Academicis Philosophis nonulli, aduersus quos libros quosdam scripsit D. August. qui habentur in primo tomo operum eius. Probari autem potest multis experientijs: nam visus decipitur frequenter, vt circa magnitudinem solis. Et his, qui iterica laborant infirmitate, alba omnia pallida videntur: infirmi etiam amara sentiunt omnia, quare nulla potest certa fides eis concedi.

197 Tertia opinio videtur medium tenere inter hæc extrema duo afferens. Primum est, circa propria sensibilia rarò decipi sensus. Secundum, circa sensibilia communia plus deceptionis admittere. Hæc est expressa sententia Aristot.2.lib.de anima,tex.161. cuius hæc sunt verba. *Sensus circa proprium quidem est verus, aut quam paucissimum habens falsum, secundo autem eius cui accidunt hæc, & hic iam contingit, vt falsus sit.*

Sed diuersis modis exponitur a diuersis interpretibus. Et prima expositio est Alberti Magni 2.lib. de anima, tract.3. cap.5. & Apollinar.ibid.quæst.13.afferentium sensum non posse errare circa proprium sensibile.Probant,quia licet obiectum aliquando appareat aliter, quam est, nunquam tamen apparet sensui aliter, ac sibi repræsentatur per speciem,imò repugnat aliter apparere: sed iudicans de illo secundum quod sibi repræsentatur,falli non potest: cum repræsentatio sit naturalis: ergo nec possibile erit errare sensum circa proprium sensibile,nec vi detur in quonam error eius possit consistere. Hæc tamen expositio,nec vera esse potest,nec satisfacit difficultati. Primò, quia eadem ratione probatur sensum non posse falli circa sensibile commune, quod constat esse falsum, cum illud semper cognoscat, vt sibi repræsentatur per speciem ab eo productam,vel modificatam, & repræsentatio sit naturalis.Secundò,quia error consistit in eo, quod aliter cognoscatur obiectum, ac est in se: sed sæpe hoc accidit, vt probant omnes illæ experientiæ pro secunda sententia allata: ergo decipitur sensus circa proprium sensibile.

198 Secunda expositio est Simplicij, atq; Themistij 2 lib. de anima cap.12. quam videtur sequi D.Thom ibidem lect.13.& alij; & afferit sententiam Aristotelis cum triplici conditione intellectam esse veram. Prima conditio est,quod organum potentiæ sit bene dispositum:nam defectu huius conditionis decipitur infirmus iudicans amara esse, quæ dulcia sunt. Secunda conditio est, quod medium etiam sit bene dispositum,defectu cuius rubea apparet manus, vel facies, si per intermedium vitrum rubeum videatur. Tertia conditio est debitæ distantiæ: nam si nimia intercedat inter obiectũ,& potentiã, decipi solet circa illud iudicans esse alterius coloris:cum sit in se album. Sed nec expositio hæc satisfacere potest, quia cum his tribus conditionibus sicut nõ potest errare sensus circa proprium sensibile, sic etiam nec circa commune,quare non erit verum discrimen positum ab Aristotele.

199 Propterea Toletus q. 13. huius libri alio modo exponendum esse Aristotelem docet,&expositio eius consistit in tribus.Nã primo afferit sensum circa rationem communem proprij sensibilis non posse errare, vt circa rationem coloris, non enim potest sensus iudicare coloratum esse,quod nullum colorem habet. Ita docet etiam D.Tho.1.p.q. 85. art.6. & rationem eius talem assignat, quia repugnat potentiam versari circa aliquid, quod non contineatur intra latitudinem sui obiecti proprij, vt auditus non potest audire, nisi sonum: sed si sensus erraret circa rationem communem proprij sensibilis: versaretur circa aliquid, quod extra obiectum eius est: ergo repugnat errare circa proprium sensibile sub ratione communi sumptum.

200 Secũdò afferit circa sensibilia propria in particulari errare posse, vt circa albũ, vel nigrum,vt talia sunt,accipiẽs tanquã nigrũ, quod in se est album. Afferit tertiò circa applicationem proprij sensibilis ad tale subiectum, vel ad talem locum errare posse sensum,sicut errat applicando rubeum colorem manui, quam medio rubeo vitro rubeã percipit.

Sed nec expositio hæc videtur sufficiens quia eisdem modis verum est errare posse sensum, vel non errare circa sensibile commune: ergo nunquam erit verum discrimen positum ab Aristotele inter vtrumque. Probatur antecedens,quia circa particularia sensibilia communia,vt circa motum,aut circa quietem constat errare sensum percipiens corpus,vt in quiete, quod reuera mouetur. Et similiter in applicatione sensibilis communis ad tale subiectum,vel locum: cũ constet aliquando applicare paruam extensionem rei habenti magnam, vel ad tantum locum,aut spatium extendi,quod ad maius, vel minus extensum est. Et tandem circa rationem vniuersalem sensibilis cõmunis,non potest falli sensus, sicut nec circa rationem cõmunem sensibilis proprij, quia sicut nihil potest visus percipere,quod non sit visibile: ita nihil visibile potest percipere, quod non sit modificatum per cõmune sensibile, æqua

igi-

igitur est vtriusq; ratio sic sumpta in ordine ad deceptionem sensuum.

201 Omnes istæ expositiones, & singulæ earum plura continent menti Arist. atq; etiã veritati consona, sed nulla earum vtramq; planè attingit. Duabus ergo assertionibus propositæ quæstioni respondeo.

Prima talis est. *Sensus externi per se loquendo non possunt falli circa sensibilia propria, siue in communi, siue in particulari considerata: sed solum per accidens*. Circa communia verò etiam per se falli possunt, & multò magis circa sensibilia per accidens. Hanc reperio apud D. Th. 1. p. q. 17. art. 2. in corpore: eam autem sic probo quantum ad priorem eius partem de sensibilibus proprijs, sensus respiciunt per se primo adæquatas rationes propriorum sensibilium, tanquam propria, & adæquata obiecta, a quib. speciem accipiunt: ergo habent naturalem, atque intrinsecam proportionem cum eisdem sensibus, & sensus cum ipsis: quare ex hac parte repugnat operationem sensuum deficere à perfectione sibi debita: sed quæcumque deceptio, vel error est maxima imperfectio sensitiuæ operationis: ergo repugnat ex parte proprij sensibilis prouenire, & consequenter, quod per se circa illud decipiatur.

202 Et ex hoc infero per accidens contingere quemlibet errorem sensus circa proprium sensibile: nempe ex defectu alicuius conditionis, seu accidentis, vel extrinseci ad eam requisiti: & cum medium sit conditio requisita ad sentiendum ex defectu, aut indispositione eius per accidens decipitur sensus circa proprium sensibile, vt experimur in visu, qui turbato medio circa colores decipitur. Deinde quia bona dispositio organi, in quo residet potentia sensitiua, requiritur ad bonam operationem eius: decipi etiam solet sensus ob aduersam dispositionem organi, vt experiuntur infirmi, quibus cibi omnes amari videntur. Et tandem, quia debita approximatio obiecti requiritur ad eandem operationem eliciendam, quemadmodum ad operationem cuiuslibet agentis approximatio passi circa quod operaturum est, & ideo ex defectu debitæ approximationis errare etiam solet sensus longè ab eo distante obiecto, & existimare album esse nigrum.

Posterior vero pars, quod per se errare possint sensus circa sensibile commune, & facilius multo circa sensibile per accidens, probatur: quia commune sensibile non pertinet per se primò ad sensum, nec conuenit ei ratio obiectiua sensus, nisi ratione proprij in quantum modus eius est, vnde sequitur nec ab eo speciem sumere sensum: sed a proprio tantum, nec habere essentialem proportionem cum eo.

203 Et hinc est etiam, quod error circa commune sensibile non tangit entitatem, vel substantiam sensationis: sed quandam modificationem eius, qua variata eadem manet sensatio secundum substantialia, vt quod Solem apprehendat visus sub pedali magnitudine, aut eum apprehenderet sub tota, quam habet, non lædit, aut variat visionem eius, nisi sola accidentali ratione, & propterea per se dicitur errare posse sensum circa illud: non tamen circa sensibile proprium, quod essentialiter respicit. Sensibile verò per accidens non mouet sensum: sed solum percipitur, quia sensibilium per se subiectum est, non ergo mirum si frequentius circa illud errare contingat sensum.

204 Secunda assertio, *sensus secundum communem modum operandi, quem habent, rarò decipiuntur circa sensibilia propria, etiam secundum speciales rationes considerata: circa communia vero frequenter, & multo magis circa sensibilia per accidens*. Hæc est absq; dubio expressa sententia Aristotelis, & iste eius sensus: ita vt nec loquatur de solis sensibilibus proprijs secundum vniuersalem rationem eorum tãtum: sed etiam secundum speciales, nec loquatur cum limitatione illarum trium conditionum quas posuit secunda expositio: sed secundum communem modum operandi, quem habent sensus sublata quacumq; conditione.

Probatur primum ex verbis eius, quæ habentur 2. lib. de anima text. 161. vbi ita ait: *Sensus propriorum quidem est verus, at quã paucissimum habet falsum*, & paucis interpositis, *quod enim album sit, non est falsus* & paulo inferius. *Dico autem, vt motus, & magnitudo, quę accidunt sensibilibus: circa quę maxime iam est decepi secundum sensum*: euidens est ergo eum loqui de sensibilibus tam proprijs, quã communibus in particulari.

205 Quod verò non loquatur cum illis limitationibus: sed vt operari solent sensus: probatur primo, ex vltimis verbis relatis, quibus asserit maximè decipi sensum circa

communia ſenſibilia, quod non poteſt eſſe verum, ſi cum illis limitationibus intelligatur, cum quibus conſtat vix, aut nunquã decipi. Imò nec verum eſſet, quod plus deceptionis haberet circa cõmunia, quam circa propria: nam ſeruatis illis conditionibus: ita rarò circa communia, quam circa propria errat, vt conſideranti eſt manifeſtum. Et tandem quod ſecundum cõmunem modum operandi rarò decipiatur circa propria, & frequenter circa ſenſibilia communia, & per accidens, docet euidens experientia in omnibus ſenſibus, quam negare nemo poteſt. Et probatur ex prima aſſertione, ex qua talis ratio deduci poteſt: ſenſus non poſſunt per ſe errare circa ſenſibilia propria: ſed ſolum per accidens, circa communia vero non ſolum per accidens: ſed etiam per ſe, vt probatum eſt in tertia aſſertione: ergo frequentius errare poſſunt circa communia, quam circa propria. Probatur conſequentia, quia, quod eſt per ſe, frequentius contingit, quam quod ſolum eſt per accidens.

206 Sed contra vtramq; aſſertionem hãc ita poteſt quiſpiam obijcere, ſi circa proprium ſenſibile non poteſt per ſe errare ſenſus, ſed ſolum per accidens ex defectu alicuius conditionis, vel accidentis extrinſeci: circa commune verò etiam per ſe errare poteſt ſequitur quod poſito ſenſibili proprio in debita diſtantia, organo, ac medio bene diſpoſitis nullo modo errare poſſit circa illud. Et ex oppoſito adhuc his poſitis poterit errare circa commune, & vtrumq; videtur falſum: primum quidem, quia exiſtente iride in debita diſtantia, atq; etiam collo columbę percipit lucem pro colore: ergo fallitur circa proprium: circa commune verò non videtur, qua ratione poſſit falli. Reſpondeo non falli circa proprium, quia ſi duo illa ſint debitè approximata iuxta cõmunem modum operandi ſenſuum non iudicabit ſenſus colorem in eis eſſe: ſed lucem, quamuis valdè ſimilem colori ſecundum apparentiam, vel certè, ſi id iudicet rarò illud iudicabit. Circa commune verò frequenter adhuc errare poſſe oſtendunt motus, & quies.

207 Ex his colligitur falſas eſſe duas illas ſententias extremas in principio quæſtionis propoſitas. Et prior quidem Epicureorum, quod nunquam ſenſus errant, euidentibus experientijs omnibus manifeſtis oſtenditur falſa: nam guſtus infirmi dulciores cibos ſentit amaros. Poſterior etiam Academicorum, quod ſempor errent ſenſus & ideò nulla ſit eis adhibenda fides, quia ſapientibus, & inſipientibus notum eſt ſæpiſſimè ſenſus percipere res, vt in ſe ſunt, ſed veritas cognitionis conſiſtit in conformitate cum re cognita: ergo ſæpiſſime vera eſt cognitio externorum ſenſuum. Probatur etiam ex vtraq; philoſophia naturali, & morali quarum principia, & concluſiones aliquam habent certitudinem, experientiæ ſenſuum innitẽti, quod foret impoſſibile, ſi ſemper ſenſus errarent. Et tandem quia veritas diuinæ fidei habetur etiam medijs ſenſibus: iuxta illud Chriſti Ioannis vlt. *Quia vidiſti me Thoma, credidiſti*. Et illud etiam Pauli: *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti*. Et rurſus: *Quomodo credent in eum, quem non audierunt? &c.* ergo non ſemper errant ſenſus, quia ſi ſemper errarent, nihil certum in fide per cognitionem aſſequi poſſet intellectus.

208 Ad primum igitur, & tertium argumentum ſententiæ prioris reſpondeo, ſatis eſſe, quod ſenſus, nec per ſe vnquam decipiantur circa propria ſenſibilia, nec etiã per accidens frequenter: ſed vt plurimum res apprehendant, ſicut in ſe ſunt, vt media eorum notitia poſſit intellectus certam, vt plurimũ cognitionem naturalium, & moralium effectuum conſequi: nam materia harum ſcientiarum, & modus abſtrahendi ab illa, non ſemper poſtulat maiorem certitudinem. Nec tollitur certitudo hæc ex eo, quod per accidens decipiantur ſenſus, quia non innituntur ſingularibus ſenſationibus, vel experientijs: ſed vniuerſali experimento ex multis ſingularib. experientijs repetitis collecto, vt docuit Ariſt. 2. lib. Poſteriorum, ca. vlt. vniuerſale verò experimentum fallax eſſe non poteſt. Veritas verò diuinæ fidei eiſdẽ experimentis, vt conditionibus iuuatur, eis tamen non innititur, tanquam rationi credendi, vel aſſentiendi veritatibus fidei, ſed teſtimonio infallibili primæ veritatis reuelantis credenda omnia: quare licet decipiatur aliquando ſenſus, non propterea poterit eſſe falſa fides.

Ad ſecundum argumentum eiuſdem ſententiæ reſpondebitur quæſtione ſequenti.

Ad argumentum ſecundæ opinionis ab experientijs deſumptum, reſpondeo ſolũ ex eis ſequi, quod ſenſus decipiuntur ſępe

circa

circa communia sensibilia, & frequentius circa sensibilia per accidens, circa propria verò nec semper, nec sæpè, sed rarò: vt plurimum verò ea cognoscunt sicut in se sunt: quare non sequitur nullum esse eis adhibendam fidem.

QVAESTIO XVI.

An dum sensus errant, operantur per speciem veri sensibilis, ac si non errarent, vel per aliam diuersæ rationis.

209 SEcundum argumentum postulat quæstionem aliam satis difficilem, & a nemine huculque agitatam, videlicet, an, dum sensus errat videns apparentem colorem, qui verè lux est, & non color, videat illum per speciem veri coloris, aut per speciẽ lucis, & ita eiusdem rationis sit talis visio, ac si videret sine errore lucem, vel diuersæ rationis.

210 Et videtur, quod per speciem veri coloris eum videat: primò, quia in tali visione errat: & ideò aliter sibi apparet obiectum, ac in se est: sed non potest ei aliter ac est, apparere, nisi aliter, ac est, repræsentetur ei per speciem, ergo quod ei apparet, repræsentatur sibi per speciem, quia quod ei apparet, id sentit, sed nihil sentire potest nisi media specie: ergo quod ei apparet, nempe color repræsentatur ei per speciem: sed color non potest repræsentari per speciem lucis, cum differat specie a luce: ergo repræsentatur ei per speciem coloris: quare non potest esse talis visio eiusdem rationis, ac si nõ errans videret lucem. Secundò quia si colorem apparentem videret per speciem lucis, non erraret in tali visione, vt supponimus: probatur apertè, quia per speciem lucis non potest ei repræsentari, nisi vera lux, nec videri nisi vera lux, ergo repræsentatio, atq; etiam visio essent conformes obiecto, & consequenter nulla esset deceptio, quod cum sit falsum: necesse est concedere, quod non per speciem lucis, sed coloris videatur. Ideò hãc partem probabilem esse docet noster Fonseca 1. lib. Metaph. c. 2. q 3. sect. 8.

211 Opposita nihilominus sententia tenenda est, *quod in his deceptionibus fiat sensatio per speciem obiecti, vt in se existentis, ita vt dum oculus videt lucem in iride apparentem sibi colorem rubeum, vel alterius speciei, non per speciem coloris, sed eiusdem lucis eam videat, & proinde visione eiusdem rationis cum ea, per quam sine deceptione videretur idem obiectum.* Quod sic probo: colorem illum apparentem, qui verè lux est, videt oculus per speciem, non coloris: ergo lucis. Euidens est consequentia, quia cum obiectum sit vera lux, & appareat color, non potest dari alia species, per quã videatur, nisi lucis, vel coloris. Sed probatur minor, quod nõ videatur per speciem coloris primo, quia species producitur naturaliter ab obiecto existente in rerum natura: cũ euidens sit obiectũ non existens, non posse producere speciem sui, sed ibi non est color existens, a quo producatur: ergo non potest produci, nisi a luce, nec potest aliud quam lucem repræsentare. Secundò probatur, quia si lux, quæ videtur in iride sub apparentia coloris propè esset, produceret absq; dubio speciẽ sui in oculo, per quam videretur tanquã vera lux: ergo procul existens producit eandem speciem sui in eodẽ oculo, quamuis imperfectam: quia omne agens naturale magis & minus approximatum semper producit effectum eiusdem rationis, magis, aut minus perfectum, sed lux est naturale agens respectu speciei: ergo a maiori distãtia producet speciem eiusdem rationis, ac produceret a minori: longè tamen imperfectiorẽ, minusque distinctẽ se repræsentantem, per quam fiet visio eius, licet sub apparentia coloris.

212 Circa solutionem verò argumentorũ consistit maxima difficultas præsentis quæstionis posita in assignãda vera causa vniuersali ac sufficienti erroris cuiuslibet sensus, tã circa sensibilia propria, quam circa communia, atq; explicando modo, quo talis sensatio erronea fiat, & per quam speciem.

Et prima opinio asserit, quod dum sensus errat propter organi indispositionem, sensationem elicit per speciem veri sensibilis, in eo autem errat: quod sensibile verum applicat subiecto: cui non conuenit, vt dum infirmus amara sentit omnia elicit sensationem veræ amaritudinis, & per speciem eandem amaritudinem repræsentantem, & ex hac parte non accidit error, sed ex applicatione veræ amaritudinis ad alienum subiectum, in quo re vera non est, nempe ad cibum verè dulcem.

Quo autem modo fiat, vt cibus dulcis imprimat ſenſui ſpeciem amaritudinis: inde euenire docent, quod ſenſorium infirmi eſt affectum humore bilioſo, & eius ratione amaritudine, quam imprimit cibo dulci, eum inficiens, cibus autem dulcis eo humore infectus verè amarus fit, & ideò habet vim imprimendi ſpeciem veræ amaritudinis, per quam ſentitur amarus. Et ſi dicas talem ſenſationem nõ poſſe eſſe falſam; quia id quod ſentitur amarum per ſpeciem veræ amaritudinis, verè eſt amarũ, ergo ſentitur ſicut eſt, & proinde vera ſenſatione.

213 Reſpondent adhuc eſſe ſenſationem falſam, quia cum cibus non ſit verè amarus, niſi ſecundum quid, hoc eſt, ſecundum eam partem ſecundum quam afficitur humore bilioſo, guſtus tamen iudicat eum amarum ſimpliciter, & ideò aliter de eo iudicat, ac eſt in ſe, quod eſt falsò iudicare. Hæc tamen ſententia nec in guſtu poteſt eſſe vera, nec in alijs ſenſibus. Oſtendo primum: quia guſtus non iudicat, imò nec poteſt iudicare de obiecto, niſi per ſpeciem quam ei imprimit, & ideò nõ poteſt iudicare cibum ſecundum omnes partes eſſe vere amarum, quia non imprimit ei ſpeciem veræ amaritudinis, niſi ſecundum priores partes infectas humore illo, non ſecundum alias; vnde ſequitur nec elicere falſam ſenſationem: Probatur conſequentia, quia de parte illa infecta, quam tantum cognoſcit per ſpeciem veræ amaritudinis, non eſt falſum eſſe amaram, ſicut ſentitur: de cæteris verò non infectis, non poteſt ferre iudicium: cum non recipiat ab eis ſpeciem: ergo nullo modo verum eſt, quod in tali ſenſatione erret, vel falſum habeat iudicium.

214 Secundò quia vel ſenſorium infirmi inficit cibum producendo in eo veram amaritudinem, vel ſolum ei applicando aliquã ſubſtantiam, in qua vera amaritudo cum humore illo bilioſo inhæret, vt ſaliuam, vel quid aliud, per quam euidens eſt non poſſe penetrare omnes eius partes, & ideò nec eas inficere, ſed ſuperficiales tantum, quare nec omnes poterunt imprimere eidem ſenſorio ſpeciem veræ amaritudinis, aut per eam ſentiti, ſed imprimet ſpeciem propriæ dulcedinis, & per eam ſentientur: quare non ſentientur amaræ, quod patet eſſe experientiæ contrarium: ſi verò dicatur veram amaritudinem producere in toto ſenſorio infecto.

Probatur falſum eſſe ex duobus: ex priori quidem, quia ſapor eſt ſecũda qualitas, ſicut albedo, & cæteri colores, & ideo non eſt productiua ſui ſimilis per alterationem, ſed ſolum ſpeciei intentionalis, ergo falſum eſt, quod producat aliam amaritudinem in cibo, & iam, quod eam produceret, neceſſe foret per realem alterationem eam producere expellendo dulcedinem contrariam ab eodem cibo, ſed alteratio inter cõtraria eſt ſucceſſiua: ergo nõ poteſt dari in primo inſtanti, quo cibus tangit ſenſorium, ſed immediatè poſt: datur verò in eodem inſtanti productio ſpeciei intentionalis eiuſdem cibi in eodem ſenſorio: cum ſit inſtantanea: ergo prius imprimet cibus ſpeciem propriæ dulcedinis per eam, quam in ſe recipiat veram amaritudinem per alterationem: quare prius ſentietur per ſpeciem dulcedinis, quam veræ amaritudinis: falſum igitur eſt, quod per ſpeciem veræ amaritudinis fiat ſemper ſenſatio cibi ab infirmo.

215 Quod euidentius adhuc conuinci poteſt, quia ſi totum cibum per amaritudinem ei impreſſam inficeret, & ideo in toto ſentiret veram amaritudinem, nunquam ſenſus infirmi deciperetur: cum ſemper amarum ſentiret id, quod re vera amarum eſt, vt ab eo ſenſatum.

Sed, quod modus iſte, nec ſit vniuerſaliter verus in alijs ſenſibus, nec poſſit per eum explicari deceptio eorum, probatur (niſi ergo fallor) euidenti ratione: quia dum viſus propter eandem indiſpoſitionem organi decipitur, obiectum verè album tanquam pallidum iudicans, vt contingit his qui laborãt iterica infirmitate (quam Hiſpani vocamus *Tiricia*): impoſſibile eſt talem ſenſationem falſam, fieri per ſpeciem veri palloris: cum nullum ſit obiectum verè pallidum, a quo imprimatur, nec poſſit ab obiecto albo imprimi, vnde nec poteſt eo modo explicari falſitas talis ſenſationis.

216 Noſtra igitur ſentẽtia vniuerſalis eſt: *quod dum ſenſus decipiuntur, ſiue circa communia ſenſibilia, ſiue circa propria, non fit ſenſatio per ſpeciem apparentis ſenſibilis, ſed veri: aliter tamen apparentis, ac in ſe eſt, atque etiam aliter ac per ſpeciem repræſentatur, & in hoc conſiſtit deceptio.* Gratia exempli, dum omnia apparent pallida viſui iterico, non videt ea per ſpeciem palloris, ſed albedinis, vel alterius coloris, quem intuetur, & a quo ſpeciem recipit,

cipit, propter indispositionem tamen organi, id quod verè album est, & cuius speciem habet, & per quam operatur circa illud, apparet sibi pallidum.

217 Itaq; obiectum quod sentitur, album est: & per speciem albedinis sensorio impressam sentitur, & operatio ipsa verè est sensatio albedinis, sed sensui sic indisposito apparet sub ratione palloris, & ideò falsò iudicanti (eo modo, quo iudicare potest) esse pallorem, & in hoc iudicio apparenti consistit falsitas, quia iudicat sensus de obiecto, aliter ac in se est, applicans ei pallorem, quem non habet, & tota causa falsi iudicij est indispositio organi, quæ facit, vt vera albedo per speciem propriam repræsentata sensui indispo sito, appareat ei, ac si esset pallor, & ratio huius apparentiæ est, quia sensus sic dispositus, vel ad magnam distantiam recipiens speciem, vel per turbatũ medium, adeo imperfectam, vel adeo imperfectè eam recipit, vt per eam non distinguat lucem a colore, vel dulcedinem ab amaritudine, sed vna pro altera recipiat, eamq; applicet subiecto eam non habenti, sed potius oppositam. Nec ad hanc deceptionem est necessaria species obiecti apparentis: imò nec possibilis natutaliter: cum non existat, vel non sit præsens, & eo ipso, quod daretur in sensu, non posset per illam falsam elicere sensationem, quia per illam nõ iudicaret album esse pallidum in quo consistit falsitas, sed verum sentire pallidum, cuius speciem habet, & per quam ipsum percipit esse pallidum, quod verissimum est. Et modus iste explicandi deceptionem in sensu similis est modo, quo intellectus decipitur.

218 Nam per species veri hominis, ac veri lapidis iudicat hominem esse lapidem, & in tali iudicio decipitur attribuens, vel applicans homini verum significatum lapidis, quod ei non conuenit, eo quod ei apparet conuenire, & apparentia hæc est tota ratio deceptionis, quod verò intellectus efficit per iudicium verum, atq; perfectum, sensus efficit per imperfectũ, & quasi inchoatum, aut virtuale, quod non est difficile intelligere.

Et ex hac doctrina facile soluuntur argumenta, pro opposita parte. Nam ad primum concedendum est, quod dum sensus errat, aliter ei appareat obiectum ac in se est, sed negandum, quod repræsentetur ei per speciem aliter, ac in se est, non enim apparet sensui aliter ac in se est propter indebitam repræsentationem speciei, sed ratione alicuius extrinseci, videlicet maximæ distantiæ, aut indispositionis organi, vel medij, in quibus species eius recipitur: nam licet species repræsentet obiectum, vt est in se, sed recepta in organo indisposito non potest causare cum potentia sensationem, nisi cum illa imperfectione apparentiæ obiecti diuersi.

219 Ad secundum negandum est antecedens, quantum ad illam partem, quod si videatur lux apparens color per speciem lucis, non possit visus errare circa illam, quia licet per speciem repræsentetur, imperfectè tamen, quia ad maximam distantiam producta est, atque etiam propter maximam distantiam non potest visus per illam distinguere lucem a colore, sed potius iudicat esse colorem. Et vniuersaliter loquendo maxima distantia, vel indispositio organi, aut medij sufficiens causa est, vt sensus non distinguat inter diuersa obiecta, aut opposita, sed vnum pro alio accipiat, hoc est, sub apparentia eius, & ideo aliter ac in se est.

220 Quod verò de gustu infirmi afferebat illa sententia veram amaritudinem sentire; falsum est, quia licet humor biliosus aliqua ex parte cibum inficiat, non imprimit ei veram amaritudinem, quam non habet, sed infectio illa solum inducit in quibusdam partibus eius dispositionem impedientem rectam sensationem naturalis dulcedinis. Vnde nec facit, quod partes illæ cibi infectæ producant speciem veræ amaritudinis, sed solum, quod per speciem dulcedinis impressam, non valeat sensus dulcedinem repræsentatam percipere, nec eam ab amaritudine distinguere, sed tanquam veram amaritudinem eam apprehendere, & ita falsam habere apprehensionem.

CAPVT VII.

De visu, visibilibus, ac medio, perspicuo, ac lumine.

TEXTVS ARISTOTELIS.

Cuius igitur est visus, hoc est visibile, visibile autem est, & color, &c.

Breuis expositio textus.

1 POst tractatum de sensibus in communi, ac modo operandi eorum, incipit iam Aristoteles agere de eisdem in particulari, & incipit à visu, tanquam à perfectissimo omnium: quod ex tribus probari potest, videlicet ex perfectiori organo, quod pro perfectiori absq; dubio potentia natura ipsa constituit, & maiorem eius perfectionem ostendit oculorum compositio omnibus manifesta. Ex perfectiori etiam obiecto, sub quo lux comprehenditur, quæ est omnium qualitatum naturalium perfectissima, & perfectissimis corporib. atq; incorruptibilibus conueniens, nempe cęlestibus sub eodẽ obiecto visus eius ratione comprehensis. Et tandem ex modo operandi perfectissimo, & valde simili intellectuali, quę omnia ex eiusdem capitis expositionibus constabunt. Intentum igitur Aristotelis in capite isto est explicare naturam potentiæ visiuæ. Diuisio autem bimembris, nam in priori parte de obiecto eiusdem potentiæ, & eorum quæ sub se comprehendit, differit, in posteriori verò quodnam, & quale sit medium videndi explicat.

2 Principio igitur adæquatum obiectum visus esse ait visibile, hoc est, quod videri potest, sub quo non solum omnes colores, sed lux, & quæuis alia lucem, vel splẽdorem participantia comprehenduntur, vt putrefacta quædam ligna, quorundam piscium squamæ, & id genus alia. Vt autem singulorum visibilium naturam explicet, agit in primis de colore, quem tali definitione explicat, *color est, motiuus perspicui in actu,* quid autem perspicuum sit, his verbis explicat, vt definitio coloris innotescat: *Perspicuum autem dico quod est quidem visibile, non autem secũdum se visibile, vt simpliciter dicam, sed per externum colorem, vt aer, inquit, & aqua.* Nomine autem externi coloris lumen intelligit quia in ordine ad visum cum colore communicat, nec aliter potest intelligi color in eadem explicatione, quia neq; aer, neq; aqua colorem alienum suscipiunt, & tamen perspicua esse docet: ergo per externum colorem lumen intelligit ab extrinseco eis prouenientes. Quod etiam probatur efficaciter, quia definiens statim lumen, inquit esse: *Actum perspicui, vt perspicuum est*, sit autem actu visibile per lumen: ergo cum dicit perspicuum esse visibile per externum colorem: lumen potius nomine externi coloris intelligit, non verum colorem. Quod satis apertè insinuauit statim post definitionem luminis declaratam, his verbis: *Lumen autem, vt color est perspicui, &c.*

3 Deinde, quia in explicatione perspicui colorem pro lumine posuit, & idem lumen est præcipuum visibile, definit lumen hoc modo: *Lumen est actus perspicui, vt perspicuum est*, ac si diceret albedinem esse actum albi, vt album est, sicut enim albedo cõstituit corpus actu, & formaliter album, ita lumen cõstituit corpus, in quo recipitur perspicuum, hoc est, illustratum, aut splendens. Dixit verò lumen esse actum perspicui, vt perspicuum est, quia duplex est perspicuum, actu, vel potentia: perspicuum potentia dicitur omne corpus capax lucis, etiam si illam non habeat: actu verò perspicuum non est, nisi sit luce perfusum, seu illustratum, vt perspicuum in potentia est aer tenebrosus, perspicuum actu, dum illuminatus est.

4 Ex quibus colligit falsam esse sententiã Empedoclis, & aliorum asserentium lumen esse corpus. Quod probat triplici argumento: primò, quia cum euidens experientia nos doceat lumen peruadere totum aerem, hoc est, per omnem dimensionem eius se diffundere, si lumen esset corpus, euidenter sequeretur se penetrare cum corpore diaphano, in quo recipitur, penetratio autem corporum naturaliter est impossibilis. Secundò quia tenebræ opponuntur lumini, tanquam priuatio eius, sed oppositio priuatiua est inter priuationem, & habitum seu formam circa idem subiectum; ergo lumen forma quædam est.

Fal-

Falsum igitur est, quod sit corpus, nam corpus substantia est, & non forma in corpore alio recepta.


5 Et tandem, quia si lumen esset corpus, localiter moueretur, dum se diffundit per medium, sed motus localis, cum sit ex propria natura successiuus, necessario fit in tempore: ergo illuminatio totius medij à sole facta per se, & necessario fieret successiuè, & in tempore contra euidentem experientiam, quia videmus luminosum in medio spatio positum in momento ipsum illuminare; & etiam contra rationem, quia lumen contrario caret, & propterea non potest per se produci in tempore. Nec satisfacit (inquit) huic argumento Empedocles asserens, breuissimo quidem tempore, & ideo imperceptibili per sensum lumen percurrere totum medium, & ideo videri in instanti diffundi. Quia licet breue spatium fortè posset imperceptibili tempore percurrere, sed magnum adeò, quale est interuallum ab Oriente in Occidentem, repugnat pertransire, nisi in mora temporis sensu perceptibili, quare non posset nos latere successio talis motus.

Præter colorem verò, & lumen quædam alia esse ait visibilia per se, vt fungos, cornu, capita quædam piscium, squamas, & oculos cati. Et hæc quidem non sunt visibilia sicut color, qui non potest videri sine aduentitio, aut externo lumine, quo illuminetur mediū, sed per se, hoc est, non per extrinsecum lumen necessariò in medio præsuppositum videri possunt: quod patet experientia: cum in tenebris videantur.

6 Vnde falsam esse ait Democriti sententiam asserentem medium corpus inter obiectum, & potentiam quantumlibet diaphanum impedimento nobis esse ad videndum, quare, inquit, si interuallum inter cœlum, & terram existens vacuum foret, longè melius videremus, ita vt vel formicam in cœlo existentem possemus distinctè visu percipere. Falsam verò probat esse hanc sententiam, quia non potest fieri visio nisi immutato oculo ab obiecto, sed non potest immutari ab eo, nisi species transeant per medium, quia sensibili supra sensum posito non fit sensatio: ergo non posset per vacuum fieri visio, & hæc est sententia totius capitis.



TRA-



TRACTATVS DE NATVRA, Et ratione visiuæ potentiæ, ac de organo, vel sensorio eius, colore, & lumine, ac cæteris ad actum, & obiectum eius pertinentibus.

QVÆSTIO I.

An color sit qualitas diuersa à lumine, & quæ sit propria ratio eius.

7 De Natura, & diuersitate colorum libellum quendam composuit Aristoteles inter opera eius relatum post Metaphysicam, quamuis Theophrasto potius, vel alteri eius expositori antiquo tribuendum omnino esse censeant nonnulli ob aliquam styli diuersitatẽ. De eisdem etiam disserit (quamuis obscurè satis, vt solet) in lib. de sensu, & sensibilib. c.3. per totum, Vbi refert primam opinionem Pythagoreorum asserentium colorem esse ipsammet extremam superficiem cuiuslibet corporis. Quod hoc argumento probant; color ex propria natura diuisibilis est, sed sola quantitas est per se diuisibilis; ergo color quantitas esse debet, & nõ est corpus, nec linea, vt per se patet; ergo superficies, non quæcunque, sed extima, vel extrema corporis, nam hæc sola visibilis est.

8 Secunda opinio non distinguit colorem à lumine, sed asserit lumen ipsum, prout receptum in corpore opaco, præsertim mixto colorem esse: iuxta diuersitatem verò dispositionum eiusdem corporis, diuerso modo apparet, & vt apparens tanquam disgregatiuum visus vocatur albedo, apparens verò sub alijs formis induit nomina aliarũ specierum coloris. Itaque absente lumine nullus est color in corporibus, neque albedo, nec nigredo; sed eo adueniente fiunt omnes, hoc vel illo modo diuersi, iuxta diuersum modum, quo lumen ipsum recipitur in corporibus opacis. Ita sensit Plato in Timæo, ita etiam omnes ferè Arabes, Auempace, vt citat Commen. 2. lib. de anima, com ment. 65. Auicenna 4. lib. naturalium, p.3. c. 2. vbi citat Alpharab. Alphrodis. lib. 1. naturalium quæstionum, q.1. c.2. & eadem videtur fuisse sententia Alberti Magni, in lib. de sensu, & sensibili tractatu 2. c.1. vbi existimauit colorem duo importare; vnum quidem tanquam materiam, nempe qualitatem secundam ortam ex mixtione primarum, aliud vero vt formam, nempè lumen, vnde extincto lumine per absentiam luminosi (inquit) non permanere colores formaliter, & ita colorem formaliter sumptũ idem esse cum lumine.

Imò etiam D.Thom. 2. lib. de anima lect. 14. ad finem, vbi sic loquitur de colore, *color nihil aliud est, quàm lux quædam quodammodo obscurata ex admixtione corporis opaci.* Probatur hæc sententia primò, ex definitione per-

perspicui tradita ab Aristotile capite præsenti textu 68. his verbis: perspicuum autem dico *quod est visibile per externum colorem*, sed constat esse visibile per lumen ex ipsomet Aristotele statim definientem lumen *quod sit actus eiusdem perspicui, vt perspicuum est*: ergo putauit Aristoteles idem esse colorem, & lumen.

10 Probatur consequentia, nam alioqui non posset definitio perspicui omnibus perspicuis conuenire, cum plura eorum nullum alterum colorem externum habeant præter lumen, vt aer, aqua, cœlum, & id genus alia. Prior verò definitio coloris hoc etiam loco assignata, ita ait, color est: *Motiuus perspicui in actu*: sed hæc definitio conuenit lumini; ergo nō distinguitur ab eo color. Minorem sic probo; lumen solis videtur per aerem illuminatum, quod constat esse perspicuum actu: ergo producit speciē sui in eo, sed hoc est eum mouere, quia non alio modo eum mouet color, nisi producendo in eo speciem sui transeuntem ad oculum, vt per eam videatur; ergo lumen est motiuum perspicui in actu, & proinde non distinguitur à colore. Et tandem ex posteriori definitione coloris tradita in libro de sensu, & sensibili, c. 3. sic inquiens color quippe erit, *Perspicui in corpore determinato extremitas.*

11 Ex qua sic arguo, corpus terminatum, seu determinatum est corpus opacum, in quod terminatur visio: nam corpus purè diaphanum, vt aerem, videre non possumus, nisi in aliud corpus opacum terminetur visio, ergo color iuxta hanc definitionem est extremitas huius perspicui densi, vel opaci terminantis, seu determinantis visionem, sed constat, hoc perspicuum esse tale per lumen in extremitate eius, hoc est, in superficie extrema receptum, per quam vt sic illuminata videtur; ergo color erit extremitas eiusdem perspicui sic illuminati, & proinde erit lumen ipsum ratione cuius illuminatur, & visibile est idem corpus.

Probatur deinde ratione; primo, quia lumen facit colores omnes actu visibiles; cum ipsi solùm sint visibiles in potentia: ergo est actus, & forma eorum, & consequenter colores ipsi formaliter sumpti erunt idē, quod lumen. Euidens est consequentia, & antecedens expressum apud Aristotelem 3. lib. de anima textu 18. his verbis: *Quodam enim modo, & lumen facit potentia existentes colores, actu colores.* Quod etiā cecinisse videtur Poeta 6. l. Æneidos, dicens: *Rebus nox abstulit atra colorem*, atq; etiam Ecclesia in quodam Hymno: *Rebusque iam color redit, vultu nitentis syderis.*

12 Secundo, quia eiusdem prorsus rationis sunt colores qui videntur in iride, atque etiam in collo columbę, cum his, qui videntur in cæteris corporibus, vt docet experientia visus, sed de illis constat esse lumen in nube vel alio corpore refractum: ergo & cæteri colores lumen erunt.

Secunda opinio *distinguit duplicem colorē, verum, & apparentem; & hunc non esse distinctum à lumine censet, illum verò specie distingui.* Ita omnes ferè interpretes Aristotelis in cōmentarijs huius capitis.

13 Et est communis, & vera, sed primo declaranda est; deinde probanda; Declaratur autem hoc modo. Veri colores sunt secūdæ qualitates resultantes ex permixtione primarum, atq; adeo ex certo temperamento mixti, vt docet Aristot. in lib. de colorib. c. 1. 2 & 3. atque etiam in lib. de sensu, & sensibili, c. 3. & hinc est, quod cum temperamētum mixtorum causa intrinseca sit, & ferè semper stabilis, verus ipse color ab intrinseca causa proueniat, & ferè semper sit qualitas permanens, apparens verò ab extrinseca causa prouenit, à qua dependet, etiam in conseruari, & ex eius motu, vel mutatione, atque ex facili variatione alterius extrinseci facile variatur, ex sola enim reflexione radiorum lucis causatur, quæ refractio cum dependeat ex situ, & dispositione corporis opaci, circa quod fit, atque etiam ex præsentia corporis luminosi, & hæc facilè mutentur, atque etiam luminosum facilè moueatur, ita etiam apparentes colores non solum facile mutentur, sed facile dispareant. Non tamen dicuntur apparentes, quia non habeant veram entitatem, sed quia cum vera entitas eorum sit lumen ipsum, habent tamen apparentiam colorum, & diuersorum colorum, ex diuersa reflexione lucis.

14 Vnde experimur ex tali modo reflexionis lucis in corpore opaco apparere in eo colorem album, ex alio verò rubeum, & ex alio viridem, & ex remissione eiusdem lucis refractæ apparere nigrum colorem. Itaque dicimus hos colores apparentes esse lumen ipsum diuerso modo refractum in corpore opaco; quare non distinguuntur inter

ter se specie, à veris verò coloribus specie distinguuntur, non ita vt color sit genus ad veros colores, & apparentes, quia non habent vniuocam conuenientiam cum eis, sed analogicam tantùm; nam licet veram habeant entitatem lucis, solam tamen habent similitudinem, & apparentiam colorum, & ideò dicuntur colores per attributionem ad veros colores; & propterea non distinguntur specie ab eis sub genere immediato coloris, sed sub alio superiori qualitatis, in quo conueniunt veri colores cum lumine.

15 Nostra igitur sententia sic explicata, Probatur testimonio Aristot. qui capite præsenti diuersis definitionibus, definit vtrumque: nam colorem esse ait: *motiuum perspicui in actu*, lumen verò, *actum eiusdem perspicui*; ergo color præsupponit lumen in subiecto, per quod idem subiectum fiat perspicuum actu, & ipsum mouere possit producendo in eo speciem propriam. Gratia exempli, aer secundum se est perspicuum in potentia, quem proinde non potest mouere color producendo in eo speciem, nisi prius fiat perspicuum actu; fit verò perspicuum actu per lumen in se receptum; ergo color ex propria ratione præsupponit lumen in subiecto; quare necesse est, quod sit qualitas realiter, atq; essentialiter distincta ab eo. Et si dicas lumē etiam esse motiuum perspicui in actu, quia si aer aliquantulum sit illuminatus, moueri potest ab aliquo luminoso per productionem specierum, & ita videri per tale medium.

16 Respondeo res distinguendas esse ex his, quæ eis conueniunt per se, non ex his quæ conueniunt per accidens, color igitur per se habet mouere perspicuum actu, nec potest illud actu perspicuum constituere: lumē verò per se illud constituit perspicuum in actu, quare per se habent rationes distinctas. Vnde per se color quicumque intensus, vel etiam remissus præsupponit lumen in subiecto, lumen verò non præsupponit per se colorem, neque etiam aliud lumen, sed per se solum præsupponit perspicuum in potentia, & illud constituit in actu formali; quare non habet per se, quod sit motiuum perspicui in actu, sed quod illud constituat in actu. Contingit verò per accidens, quod factum iam perspicuum actu per lumen remissum, moueatur ab intensiori, quod non tollit distinctionem eius à colore ex rationibus per se, ac proprijs per definitiones explicatis desumendam. Capite etiam de Qualitate in prædicamentis, docet expreßè Aristoteles colores esse passibiles qualitates tertiæ speciei habentes contrarium, & 7. li. Physicor. terminare per se motum alterationis, constat autem lumen nō terminare motum per se, quia contrario caret, & ideo per se producitur in instāti, veri autem colores per se successiue; ergo diuersa qualitas est color à lumine ex mente Aristotelis.

17 Probatur deinde ratione, quia lumen contrario caret, & solum habet oppositionem priuatiuam cum tenebris, conuenit etiã incorruptibilibus corporibus, & perfectissima omnium qualitas est habens virtutem producendi calorem, & omnes ferè primas qualitates elementorum; veri autem colores contrarij sunt vt albedo, & nigredo: quibus nihil horum conuenit; ergo realiter, atque essentialiter distinguuntur à lumine. Secundò colores distinguuntur specie inter sese, vt albedo, & nigredo, & permanent absente, vel extincta luce; absurdum est enim dicere veros omnes colores extingui abscedente sole, aut quouis alio luminoso, & eisdem aduenientibus de nouo produci, sed lumina omnia sunt eiusdem speciei, & dependent in conseruari à præsentia luminosi, eoq; absente extinguuntur prorsus in medio; ergo dubitari non potest, quod præter lumē dentur veri colores, qui sint qualitates realiter, & specie distinctæ ab eis.

18 Vt respondeamus argumentis oppositæ sententiæ, exponendæ in primis sunt tres illæ definitiones perspicui, & coloris Aristotelis, vt intelligatur nihil continere contra nostram sententiam. Prima est definitio perspicui, quod asserit esse visibile per externum colorem, nomine autem coloris lumen intelligit vt explicui, atque probaui in expositione textus; quare ex hoc non sequitur colorē esse lumen, nisi per quandam similitudinem, quia sicut corpus coloratum dicitur visibile per colorem superueniērem accidentaliter, sic perspicuum dicitur visibile per lumen ei ab externo luminoso prouenienns accidentaliter, colorem ergo sumit Aristot. in hac parte sub communissima ratione ad verum colorem, & lumen, non sub propria; nec definit omne perspicuum: cum constet perspicua quædam esse visibilia per internam lucem vt ignem, & semper esse ta-

lia actu, sed ea tantum, quæ non semper in actu sunt: sed aliquando in potentia, & hæc fiunt in actu per lumen externum. Expositio secundæ definitionis, quæ est prima coloris, ex doctrina nuper tradita constat: atque ex ea realis, atque essentialis distinctio coloris à lumine.

19 Illud tamen adnoto, quod perspicuum in hac definitione nō sumitur vniuersaliter pro quocumque: sed solum pro diaphano, aut transparente, quod potest esse medium visionis: nam multa sunt perspicua, quæ ob densitatem medium videndi esse non possint, de quibus certum est, non posse à colore moueri.

20 Quare in duabus definitionibus coloris, & in definitione luminis tribus modis sumit Aristoteles perspicuum, magis, & minus vniuersaliter, in definitione quidem luminis pro quocumque, quia cuiuscumq; potest esse actus; nam quodcumque est capax luminis: in prædicta verò definitione coloris, pro eo tantum, quod medium videndi esse potest: & in posteriori definitione eiusdem coloris mox explicanda solum pro perspicuo per se terminato, vt dicemus, & nisi diuersi isti modi accipiendi perspicuum distinguantur, impossibile erit has definitionis intelligere. Præter has verò tres acceptiones perspicui adhuc secidum aliam distinctam definir illud Aristot. vt nuper in eius definitione adnotauimus, quod etiamsi non aduertatur, non erit intelligibilis illa eius definitio. Nec vitio tribui debet Aristoteli, quod diuersis acceptionibus perspicui vtatur, quia necessarium fuit ad naturam luminis, & coloris, atque etiam ipsiusmet perspicui commode explicandam.

21 Altera denique definitio coloris obscurissima est; quare licet in eius expositione desudauerint recentiores interpretes, nescio an sensum eius, mentemque Aristotelis attigerint. Germanum igitur sensum Aristotelis eruere, nisi ex contextu capitis impossibile est, quod semel, & iterum attentè percurrens, simulque egregiam commentationem D. Thom. hoc modo declarandam esse censeo. Eo in primis tanquam certo fundamento præsupposito, quod in definitione hac nō sumit colorem Arist. prout est secunda qualitas ex mixtione primarū orta: sed in quantum rationem visibilis habet, quamuis priorem illam rationem tanquam fundamētum posterioris, a quo oritur, ibidem quoque explicet.

22 Hoc supposito duplicia corpora distinguit, quædam quidem interminata, quæ sicut ex se non habent terminum suæ extensionis, vel difficile eum habent, nisi alieno terminentur, vt patet de aere, igne, & aqua, ita nec habent determinatam partē: vel terminum in ordine ad visum, per quem videantur: sed vel secundum totam profunditatem penetrari possunt per visum, vel certè secundum magnam partem eius, & adhuc indeterminatam, cuius non est à nobis assignabilis terminus, vel extremū, & si omnino careant termino, vel extremo, per quod videātur; vt aer, & ignis elementaris, videri non possunt nisi per aliquod corpus opacum terminetur visio eorum, si verò magna tantum ex parte extremo per quod videantur, careant, non indigent corpore opaco pro termino extrinseco suæ visionis: sed sufficit sibi naturalis dēsitas, quam habent ad eam terminandā, quia eius ratione visus non potest omnem eorum profunditatem peruadere, aut penetrare, & talia sunt corpora magna ex parte transparentia; non tamen omnino ob densitatem, vt vitrum, crystallum, & lapides quidam, atque etiam stellæ, & id genus alia.

23 Alia sunt corpora, quæ sicut proprijs extremis suæ extensionis materialiter terminantur, sic etiam in ordine ad visum per propria extrema ex se determinata videri possunt, hoc est, per superficiē extremam; nam licet in profunditate etiam visibilitatem habeant: non possunt per eam videri nimia eorum densitate, & opacitate impediente, & quasi eam suffocante, & talia sunt corpora nimis densa, & omnino opaca, hoc est, nulla ferè ex parte transparentia.

24 Secundò adnotat Diu. Thom. perspicuitatem (quæ non est aliquid quàm capacitas lucis) diuersos habere gradus in corporibus; & ideo diuersis modis sumi ab Aristotele iuxta illos diuersis locis; primus, ac perfectissimus gradus tribuitur corporibus omnino diaphanis, aut transparentibus, & inter hæc primum locum perfectionis obtinent corpora cœlestia; deinde ignis, & aer, multo verò inferiorem aqua ob densitatem, his vero succedunt corpora illa magna ex parte transparentia, vt vitrum, crystallum, & tandem corpora omnino opaca, qualia sunt mixta omnia ex elementis

com-

composita, quæ ex ea parte, qua participant perspicuis elementis, nempè igne, aere, & aqua, aliquam perspicuitatem habent, maiorem, vel minorem, secundum quod plus habent de his elementis, & minus terrestria sunt.

25 Ex his patet iam sensus definitionis: qui talis est, color est extremitas perspicui non cuiuscumque; sed per se terminati in ordine ad visum, vt excludantur diaphana non per se terminata in ordine ad visum: sed per extrinsecum corpus opacum, atque etiam vt excludatur lumē, quod ex propria ratione non respicit extremitatem corporis determinatam: sed indifferenter quodcumque perspicuum & quamlibet eius dimensionem, ac dimensionis partem tanquam actum formalem eius: hoc est, constituendo illud actu, & formaliter perspicuum; & ideo definitur, quod sit: *actus perspicui, vt perspicuum est.*

26 Itaque lumen, & color adhuc in ordine ad extremitatem perspicui valdè differunt per diuersum modum eam recipiendi: nam licet vterque sit in ea, lumē quidem constituendo eum actu, & formaliter perspicuam, sicut constituit perspicuum totum corpus diaphanum, & quamlibet eius partē, nullam verò efficiendo terminatam, per quam videatur totum; quare non est in extremitate tanquam in per se terminante visionem, quod constat habere colorem, & in hoc consistere rationem eius, vt per hanc definitionem explicatur, & in qua non accipitur perspicuum prout commune quid ad perfectè, & imperfectè perspicuum, qualia sunt diaphanum, & opacum, & multo minus pro perspicuo perfecto, quale est solum corpus diaphanum: sed pro imperfecto tantum, nempè pro opaco habēte aliquam participationem perspicuitatis ex propria permixtione elementorum, qua constat, & ad hanc rationem perspicui imperfecti terminatur, per vltimam particulam, nempe corporis per se terminati. Et ita exposita definitione constat per eam optimè explicatam esse ab Aristotele naturam coloris, vt ordinatur ad visum, & à lumine, ac cœteris distingui. Cuius sensus talis est, color est: *Extremum perspicui per se terminati in ordine ad visionem*. Definitur autem per extremum perspicui tanquam per subiectum loco generis positum, quod per aliam particulam, per se terminati, determinatur ad imperfectissimum perspicuum, & distinguitur à lumine, & cæteris.

27 Ad 1. argumen. respondeo, negando vtramq; partem antecedentis, nempè, quod lumen constituat colores actu visibiles tanquam forma eorum; constat enim ex verbis expressis huius capitis eos habere in se causam visibilitatis; & ideo esse per se visibiles, vt omnes ferè interpretes docent. An verò lumen tanquam conditio necessaria ex parte ipsorum compleat hanc rationem visibilitatis, vel solum sit necessariū ex parte medij, inferius explicabitur, atque etiam comparatio eiusdem luminis cum intellectu agente constituta ab Aristot. in 3. lib. Sensus verò vtriusque testimonij in eodem argumento adducti est, noctem quidem colores abstulisse, sed diem eos restituisse in ordine ad actum videndi, in quantum extincta luce aufertur conditio requisita, vt videantur, nempè dispositio medij, & species eorundem colorum in eo existente, sine quibus videri non possunt, & per lumen diei restituuntur.

Vltimum argumentum solutum est ex doctrina tradita. Et ad formam eius neganda est maior, quod idem sint colores veri, & apparentes in ordine ad visum: nam licet in communi ratione visibilis conueniāt, distinguuntur tamen in proprijs naturis per definitiones explicatis ab Aristotele, & in multis alijs à nobis adductis.

QVAESTIO II.

An lumen sit qualitas naturalis, & physica, vel intentionalis tantum.

28 QVamplura lucis encomia afferre possemus, quibus disputatio de natura eius illustrior fieret: sed breuitatis studio ea omittimus, præsertim cum à Conimbricensibus nostris, non minus copiosè, quàm eruditè tradantur 2. lib. de cœlo, & mundo, c. 3. q. 5. art 2. Vt autem ad propositam quæstionem veniamus, præsupponendum est iuxta communem sententiam perspectiuorum, quam

quam affert, & approbat D.Thom. q 9. de verit artic. t. ad 7. & 2. lib. de anima, lect. 14. atque etiam Albert Magn. quem citat, & sequitur Toletus 2. lib de anima, q. 18. lucem, & lumen non distingui essentialiter: sed ex eo solum, quod eadem met qualitas, vt est in corpore luminoso, à quo emanat, vocatur lux: sed vt producta est ab eodem luminoso in alio corpore diaphano, aut perspicuo, vocatur lumen. Quo supposito circa eius naturam non eodem modo sentiunt omnes. Et in primis corpus esse dixerunt Empedocles, & ex Academicis philosophis plures, imò & D. August. 2. lib. de libero arbitrio asserit lumen primum locum tenere inter corpora, & Theod. in quæst. super Gen. q. 7. lucem ait esse substantiam per se cohærentem, eandemque sententiam tenuit Damasc. 2. lib. orthod fidei, cap. 7. Quorum fundamentum videtur fuisse, reflexio radiorum, & mirabilis effectus eius.

29 Experimur namque radios lucis refrangi in speculo, aut alio denso, ac terso corpore, & per coniunctionem eorumdem radiorum aerem intercipi, & quasi partes eius comminui, & in ignem conuerti: sed constat refractionem corporibus tantũ conuenire, & corpus à solo corpore alterari, aut comminui posse: ergo ex vtroque probatur radios lucis, & consequenter lucem ipsam esse corpus.

Hanc tamen sententiam duplici ratione euidenti refutauit Aristoteles cap. præsenti. Prima, quia cum lumen peruadat totam profunditatem corporis diaphani, si lumen esset corpus, duo corpora essent in eodem loco, & ideo se penetrarent. Secundo, quia motus localis fieret in instanti: nam cum lumen careat contrario: euidẽs est illuminationem fieri per se in instanti, & ideo lumen extẽdi in instanti: sed extensionem luminis per medium comitatur motus localis: ergo iste fieret in instanti, quod repugnat.

30 Secunda sententia asserit lucem esse formam substantialem corporum lucidorũ, quam tenuerunt nonnulli, quos citant D.Th. 1 p. q. 67. art 3. & Ægidius 2. lib. exam c. 11. probarique potest primo, quia caret contrario, omne autem accidens sensibile contrarium habet; ergo potius censenda est substantialis forma; cui conuenit carere contrario. Secundo quia nullus effectus accidẽtalis formæ dependet ab ea in conseruari, vt euidenti inductione constare potest: sed experientia docet, lumen productum in medio depẽdere in sua conuersatione à luminoso, à quo producitur: & quo abeunte extinguitur; ergo non est accidentalis forma: sed substantialis. Sed hæc etiam sententia euidenter falsa probatur, quia substantia non est per se sensibilis, vt superius docuit Aristot. sed solum per accidens; sed constat lumen esse per se sensibile, ergo non est forma substãtialis corporum lucidorum.

31 Secundò, quia si esset forma substantialis, informaret materiam eorũ; ergo duæ formæ substantiales informarent simul eandem materiam. Probatur consequẽtia, quia præter lumen habent corpora diaphana, vt aer, & ignis proprias formas substantiales, quas constat retinere in tenebris extincto prorsus lumine. Et tandem, quia experientia docet lumen intendi, atque remitti, intensio autem, & remissio pugnat cum natura substantialis formæ.

Ad has duas sentẽtias reduci possunt duæ aliæ; nam quidam tenuerunt lumen productum esse ipsammet substantiam solis, quam per medium diffundit, & cum substantia solis sit corporea, consequenter dicunt lumen esse corpus.

32 Quod præter inconuenientia illa deducta ex prima sententia id asserente, quæ non minus euidenter ex hac sequitur, vt cõsideranti patebit: Duplici alia ratione probatur falsa, priori quidem, quia euidens experientia docet absente sole lumen hoc in medio productum extingui, quod non est intelligibile, nisi per annihilationem: cum neque aliquid eius permaneat actu, vel in potentia materiæ, & si dicas ad motum solis retrocedere, & tandẽ se reducere ad illum, & ideo non corrumpi. Probatur falsum, quia si hoc ita esset, nihil aliud foret illuminatio, quam extẽsio substantiæ solis ad maiorem locum, & rarefactio ad eundem, quod non est excogitabile fieri sine rarefactione, & condensatione, nec sine motum locali recto, quæ non possunt naturaliter ei conuenire. Posterior ratio est, quia cum talis diffusio propriè substantiæ sit continua, & ea quæ diffunditur extinguatur, consumpta iam foret tota substantia solis.

33 Alij vero existimarunt lumen esse speciem ignis, quod videtur idem esse, ac dicere formam esse substantialem; Ita Proclus

in commentarijs ſuper Timæum Platonis c. 3. & videtur id ſentire Ariſtot vt teſtatur D.Thom.1.p.q 67.art.2. ad 2. Sed probatur falſum, quia ſiue per ſpeciem ignis intelligatur ignis compoſitus ex materia, & forma, ſiue ſola forma ignis, eadem omnino inconueniētia allata contra duas illas priores ſententias ſequuntur.

His igitur refutatis ſententijs cœteri omnes authores tenent lumen, nec eſſe corpus, néc ſubſtantialem formam, neque omnino ſubſtantiam, ſed affirmant eſſe formã quandam realem accidentalem, tam in corpore luminoſo, quam in corporibus ab eo illuminatis. Ita vt in ſole, vel igne ſit qualitas quędam propria, & quaſi innata, in aere verò ab extrinſeco producta.

34 Hoc verò non ab omnibus intelligitur eodem modo: ſed quidam aſſerunt lumē eſſe qualitatem intentionalem, hoc eſt, non habentem eſſe naturale in ſubiecto, ſed intentionale, ſicut ſpecies coloris in aere, eſt enim lumen lux producta à ſole in aere, vt per eam videatur. Ita Scot in 2.diſt.13 quæſ. vnica. Ægidius ibidem, atque etiam 2. lib. de anima, ad textum 76 dub.2. & 3 Thienenſis ad text.71. Burid.q 17. eiuſdem libro, & Aſſian. in quæſtionibus perſpectiuis. Huius autem ſententiæ meminit D Thom. eamq; refutauit 1 p.q.76. art. 3 Probatur verò falſa, primo quia qualitates intentionales, cū non habeant eſſe naturale, ſed diminutum, non poſſunt producere effectus naturales, nec ſentiri, aut videri, conſtat vtrumque in ſpeciebus intentionalibus aliorum obiectorum: ſed euidens experientia docet lumen productum in medio calefacere aerem ipſum, & cætera corporea in eo exiſtentia: ergo non habet eſſe intentionale.

35 Et ſi dicatur habere vtrumque modum eſſendi, probatur euidēter eſſe falſum, quia inferioris, & ſuperioris ordinis ſunt modus eſſendi naturalis, & intētionalis valdeque diuerſi: ergo repugnat eidem rei conuenire Et vrgeri ſic poteſt: lux, & lumen ſolum differunt ex communi ſententia perſpectiuorum, ſicut calor exiſtens in igne, & calor, quem producit in medio, ſed cōſtat hos calores eſſe eiuſdem ſpeciei: ergo ſic ſe habebunt lux ſolis, & lumen medij: quare ſi illa eſt accidens naturale, & intentionale, pari ratione hoc.

36 Et tandem, quia ſi lumen in toto medio productum eſſet ſpecies intentionalis, repræſentaret ſolem, aut [illegible] lucem, vel vtrumque in ea magnitudine, ſitu, & figura, quàm habet, ſicut ſpecies cuiuſcumque alterius obiecti, à quo procedit, repræſentat illud. Vnde ſequitur, quod ex quacum[illegible] parte medij, & ab oculo ſub quacumque diſpoſitione, vel ſitu exiſtente, quamuis non è regione eius poſito, non ſolum videri po[illegible] ſed neceſſario videretur, quod contra [illegible] experientia. Probatur conſequētia, quia oculus habens ſpeciem obiecti, etiam à tergo exiſtentis, neceſſario illud videt.

Communis igitur, & vera ſententia eſt *lumen eſſe qualitatem realem, phyſicam, naturalem, & non intentionalem.* Ita Alexan. Simp. Alb. Magn. & alij interpretes Ariſtot. c. præſenti, atque etiam D.Thom.1.p q.67. art.7. & q.10. de Veritate art. 8. ad 10 & alij Scholaſtici in 2. diſt.13. quam efficaciter ſatis probant argumenta: quibus omnes præcedentes refutauimus.

37 Huius autem veritatis ſignum eſt, quod accidentia intentionalia propter diminutum eſſe, quod habent, non denominant ſubiectum, vt patet de ſpeciebus intentionalibus omnium ſenſuum, ſed quodcumq; corpus capax lucis denominatur lucidum ab ea; ergo non eſt qualitas intētionalis, ſed phyſica & naturalis.

Ad argumentum primæ ſentētiæ reſpondeo, reflexionem radiorum non eſſe materialem, quæ per motum localem lucis fiat, non enim tranſit vnum accidens ab vno ſubiecto in alterum, ſed per quandam ſimilitudinem dicuntur radij reflecti, non quidē ita vt ijdem retrocedant per motum localē, quia hoc eſt contra rationem accidentis, ſed per extenſionem, ita vt noui producantur verſus anteriores partes medij, vel ſaltem nouæ partes radiorum

38 Et ex hoc intelligitur, quod quamuis materialis reflexio corporibus tantum conuenire poſſit, metaphorica ex eius ſimilitudine deſumpta poſſit conuenire accidenti corporeo, quare non probatur lumen eſſe corpus ex reflexione radiorum, ſed ſolum eſſe qualitatem corpoream. Nec verum eſt radios ſolares producere ignem in partibus aeris, in quibus concurrunt, vel vniuntur, per attritionem, vel comminutionem earūdem partium, ſed quia vniti maiorem vim habent ad calefaciendum eandem partē aeris,

in qua vniuntur, & ideo intensiorem caloré in ea producunt, & consequenter intensiorem siccitatem, quibus simul cum raritate naturali disposita facile conuertitur in ignē.

39 Et sancti Patres hac distinctione explicandi sunt. Lumen dupliciter sumitur, aut pro qualitate, quæ est accidens luminosi corporis, aut pro corpore ipso luminoso, à quo qualitas hæc emanat, & cui propria est, & corpora hæc perfectiora sunt alijs in suo ordine, vt patet de sole, & igne. Patres vero locuti sunt de luce posteriori modo, non priori, & ideo eam dixerunt esse corpus, & huius sensum eos tenuisse colligitur ex contextu eorundem locorum.

Et eundem tenuit Aristoteles, vel si lumen ipsum aliquando adducit in exemplum tanquam corpus, non ex propria sententia, sed illorum Philosophorum, qui corpus esse dicebant, tale exemplum affert, nam aliquando vtitur exemplis ex aliorum sententia, quia melius per illa res declaratur, quibus & nos cum multis alijs authoribus vti solemus. Theodoretus vero per substantiam per se cohærentem veram entitatem realem lucis intellexit, quamuis accidentalem, sicut in communi modo loquendi vocare solemus entitatem realem coloris eius substantiam.

40 Ad primum argumentum secundæ sententiæ negandum est antecedens, quod omne accidēs sensibile habeat contrarium: nam licet verum hoc sit de accidētibus mixtorum corporum, quæ ex contrarijs componuntur, & ideo ex eorum temperamento oriuntur qualitates secundæ etiam contrariæ, non tamen de accidentibus superioris ordinis, quæ incorruptibilibus corporibus præcipue conueniunt, à quibus longè abest contrarietas qualitatum, præcipuè actiuarū, ex quarum permixtione oriuntur cætera contraria, & talis est lux tanquam ex præcipuo fonte à sole orta; quare non probatur esse formam substantialem ex eo, quod careat contrario, sed solum quod sit qualitas longè perfectior his, inter quas reperitur contrarietas.

Et ex hoc etiam soluitur secundum argumentum: nam falsa est vniuersalis illa propositio in argument assumpta, quod nullus effectus aliarum qualitatum sensibilium dependeat in conseruari ab eis, vt ostendunt species intentionales. Hæc enim maxima dependentia aliquando ex imperfectione effectus prouenit, vt in intentionalibus, aliquando ex maxima perfectione eius, vt in luce, aliquando etiam ex maxima perfectione suæ causæ, vt in Deo cernimus, à luce verò dependet in conseruari, non solum effectus intentionalis, qualis est species, sed etiam realis vniuocus, qualis est lumen, quod argumento est eximiæ perfectionis eius.

QVAESTIO III.

An lumen videatur per se sine specie intentionali, vel per speciem à se productam sicut videntur colores.

41 PRobauimus in præcedenti tractatu necessarias esse species intentionales in sensibus, vt per eas externa sensibilia vniantur potentijs, simulque cum eis constituant integrum principium sensationis. Et hoc ideo, quia cum nimis materialia sint obiecta, non possunt per se vniri potērijs. De luce verò cum sit qualitas omnium perfectissima, & ex consequēte longè immaterialior cæteris, specialis est difficultas, an per semet ipsam vniatur potentiæ visiuæ, vel non minus quam cæteræ indigeant specie intentionali, per quam vniatur. & ab eadem potētia visiua percipiatur. Et hoc est, quod titulus quæstionis sciscitatur.

Circa quam prima opinio affirmat lumē per se ipsum videri, & non per speciē, quia cum sit perfectissima qualitas, ita est realis, & naturalis, vt contineat etiam perfectionē qualitatū intentionalium, nempe specierū, & ideo vocari potest naturalis simul, & intētionalis, sed perfectissimo modo, quia nó habet esse intentionale diminutū, atq; imperfectū, sicut habent species, sed perfectissimū & quasi per eminētiam, ratione cuius per se immediatè, ac sine specie vniri potest potentiæ, tanquam obiectū actu visibile, & vt tale per se eidē potentiæ pręsens, & per se immediatè videri, imò non potest naturaliter producere speciē sui, quia vt minimū esset superflua. Ita Caiet quē sequuntur plures. Et videtur expressa sententia D.Th.1.p.q.56.ar.3.in cor-

corpore his verbis. *Considerandum est, quod aliquid tripliciter cognoscitur: vno modo per præsentiam suæ essentiæ in cognoscente, sicut si lux videatur in oculo, & sic dictum est, quod Angelus intelligit se ipsum, alio modo per præsentiam suæ similitudinis in potentia cognoscitiua, sicut lapis videtur ab oculo, per hoc, quod similitudo eius resultat in oculo.*

42 Quibus duo asserit expressè, primum quod lux videtur ab oculo per se ipsam immediatè præsentem oculo, sicut essentia Angeli intelligitur per se ipsam immediatè præsentem intellectui proprio. Secundum, quod alio modo videtur lux ab oculo, ac lapis, nam hic præsens fit oculo per speciem sui productam in eo: lux verò per suam essentiam præsens est oculo, & ideo per eam videtur & neutrum potest esse verum, si lux videatur per speciem, nam nec videretur, sicut intelligitur essentia Angeli; nec alio modo, ac videtur lapis præsens oculo per speciem sui, & idem docet, q. 8. de Veritate art 3. ad 17. & q. 10. art 8. ad 10.

43 Sed ratione probatur primò, nam species ideo necessaria est ad videndum colores, quia non possunt esse per se præsentes oculo, nec ideo per se ei vniri, vt obiecta actu visibilia, sed lumen est præsens per se potentiæ, cum sit diffusum per medium, vsque ad potētiam ipsam, immo & organum ipsum illuminet, sicut parietem simul ac medium, vsque ad ipsum, & est actu, ac perfectissimo modo visibile: ergo nihil ei deficit, vt per se immediatè videatur, nec indiget specie ad sui visionem. Et si forte dicatur, quod licet hæc habeat, nihilominus specie indiget, quia vniuersaliter loquendo sensibile supra sensum positum impedit sensationem sui.

44 Contra hoc est maxima perfectio luminis, quod sicut per medium diffusum, & inter potentiam, & obiectum positum non impedit sensationem aliorum obiectorum magis distantium, sicut impediunt colores, ita quamuis ponatur iuxta sensorium, imo supra illud, non impediet visionem propriã nec aliorum.

Et vrgeo argumentum, quia ipsummet sensorium visus maxima ex parte diaphanũ est, & lumen in se habet, à quo non solum non impediuntur sensationes, sed nulla posset fieri sine vllo, impedirent tamen colores, ergo lumen per se immediatè, inhærere potest organo, & esse præsens potentiæ, quare nullo modo erit necessaria species.

Secundò, quia si lumen esset qualitas purè naturalis, & non simul intentionalis, sequetur duo accidentia purè naturalia solo numero diuersa simul esse in eodem subiecto, quod a nemine admittitur.

Probatur consequentia, quia si inter duo luminosa se respicientia ponatur corpus solidum, vel opacum, resultant duæ vmbræ: ergo producunt duo lumina numero distincta.

45 Probatur consequentia, quia vmbra non est aliud, quam priuatio luminis, vel remissum lumen, duæ autem priuationes inferunt duas formas oppositas; quare etiam si nullum esset tale corpus intermedium, duo lumina producerent in eisdem partibus medij, & ita darentur duo talia accidentia solo numero distincta in eodem subiecto, quod à nemine ferè admittitur; propterea concedendum est lumen esse qualitatem naturalem simul, & intentionalem, & ita non indigebit specie, vt videatur, sed per se immediatè videri potest.

Nostra tamen sententia est opposita, *quod sicut colores non videntur per se immediatè, sed per speciem sui productam in medio, atque etiam in potentia, sic etiam lumen, vel lux quæcunque non videtur nisi per speciem sui, quam producit in medio, atque in potentia, vnde non est qualitas vllo modo intentionalis, sed purè naturalis.* Ita expressè D. Thom qu. art. 10. de Veritate artic 8 in solutione ad 10. argument. ex his, quæ præposuit in 2. loco in hæc verba: *ipsa enim lux, quæ est in sole, non videtur à nobis, nisi per similitudinem eius in visu nostro existentem.* Ita etiam Alexand. Simp. Albert. Toletus cæterique omnes interpretes capite præsenti, & ideo communis est iam in schola.

46 Quam sic probo; primo de luce distante ab oculo hoc modo, non potest obiectum concurrere cum potentia ad operationem vitalem nisi ei coniungatur per se, vel per sui similitudinem productam in potentia, sed lumen distans ab oculo non potest ei vniri per se, cum sit per se separatum ab eo; ergo necesse est, quod propriam speciē producat in eodem oculo, per quam vniatur potentiæ, & videatur ab ea, sicut colores. Et si dicas per lumen quod est in ipso oculo, vel prope ipsum videri lumen extra existens.

Pro-

Probatur hoc esse falsum primò, quia omnes partes luminis sunt eiusdem rationis: ergo neutra repræsentat alteram, nec per illam videri potest.

Secundò, quia si lumen quod est in oculo, vel prope ipsum, repræsentaret aliud distās ab oculo, & ideo per illud videretur, sequeretur, semper & in quacumque positione, vel situ videri, etiam si esset à tergo videntis, immo etiam si valdè distaret à potentia, vel omnino extingueretur, quod patet esse falsum. Probatur consequentia, quia potentia informata specie obiecti est sufficiens principium sensationis, vt superius ostendimus. Secundò probatur de lumine in oculo existente, quia experientia docet, idem lumē pupillæ, quod sine reflexione non videtur à proprio oculo, videri per reflexionem in speculo è regione posito; ergo non videtur per se, sed per speciem.

47 Probatur consequentia, quia si per se videretur, sine reflexione videretur. Et propterea, quia hæc fuit potissima ratio superius tradita ad probandam necessitatem specierum: ergo hæc eadem conuincit videri lumen per speciem in eadem reflexione.

Probatur tandem, quia euidens experientia ostendit, nullum prorsus videri obiectū, siue sit lumen, vel color, nisi aliquali medio interiecto inter ipsum, & potentiam: ergo nullum potest per se immediatè videri, sed necessario per speciem. Probatur consequentia, quia eo ipso, quod aliquale intercedat medium, non potest obiectum vniri per se potentiæ: cum sit per se separatum ab ea: ergo nec potest per se immediate concurrere cum ea ad visionem, sed vtrumque debet præstare per speciem.

48 Ad testimonium D. Thom. respondeo illis verbis non affirmare, quod lumen existens in oculo videatur per suam essentiam, & non per speciem, sed sub conditione loquitur, inquiens, quod si lux videretur in oculo, videretur per præsentiam suæ essentiæ immediatè, & non per speciem, & quod ita intelligitur essentia Angeli, & conditionalis illa vera est, sed cum nihil affirmet, non deducitur ex hoc testimonio Diu. Thom. sentire, quod lumen per se immediatè, & non per speciem videatur. In alijs verò duobus testimonijs videtur clarius dicere, quod vno modo videtur res per essentiam suam, sicut quando essentia visibilis coniungitur visui, sicut oculus videt lucem, sed eundem plane sensum conditionalem tenet, quem expressit postea in loco primæ partis iam exposito, nam eisdem ferè verbis, & ad idem propositum allatis loquitur, ad quod nihil referebat, quod lumen videatur per speciem, vel sine illa, nam idem argumentum desumitur, si ex conditione supposita videretur per se: ac si de facto videatur.

49 Per posteriorem igitur locum primæ partis explicantur benè hæc priora tanquā per præcipuum, & vltimum, atque etiā alia, si quæ sunt, in quibus eodem modo loquatur D. Thom. verba autem nostri testimonij non solum sunt absoluta, sed clara, atque perspicua, per quę fatetur lumen videri per speciē, quibus omnino standum est.

Ad primum argumentum concessa maiori, neganda est minor, quod lumen sit per se præsens potentiæ, ex eo quod per totum medium sit diffusum vsque ad potentiam, nam lumen illud, quod attingit organum, sicut non videtur, vt experientia docet, quia sine aliquo medio inter ipsum, & potentiam interiecto videri non potest: ita nec potest per se vniri potentiæ, vt cum ea concurrat ad sui visionem, quia eo ipso, quod medium intercedat, per se separatum est à potentia, & ideo non potest nisi per speciem sui eidem vniri, quantumcumque sit per se visibile.

50 De lumine verò in pupilla eiusdem oculi existente, iam probauimus videri non posse per se, nec per speciem. Aliud verò, quod additur de perfectione luminis, ratione cuius positum inter potentiam, & alia sensibilia non impedit visionem eorum, concedendum est: sed negandum, quod ex eo infertur, esse qualitatem intentionalem, & ideo sine specie videri per se immediatè, quia non impedire visionem aliorum habet ex maxima perfectione qualitatis naturalis, non ex ratione intentionali, & ideo, nec videri sine specie potest, vt probauimus. Quod tandem lumen pupillæ, vel sensorij non videatur, non procedit ex vniuersali illa causa, quod sensibile positum supra sensum impediat sensationem: nam hoc fortè non est vniuersaliter verum: vt inferius ostendetur: sed prouenit ex ratione speciali [illegible] sensus euidenti experientia comprobata, qui operari non potest, nisi medio aliquo interie-

cto inter ipsum; & obiectum.

51 Ad secundum neganda est consequentia, videlicet duo accidentia pure naturalia, & solo numero diuersa dari in eodem subiecto, quia nec casus argumenti id probat: nã licet duæ causentur vmbræ propter opacum corpus inter duo illa luminosa positum, non tamen duo lumina numero distincta, quia vmbra non est priuatio luminis: cum videamus in ea existentes obiecta, etiam intra ipsam posita, sed est remissio luminis in ea parte medij quæ non tollit continuationem luminis ab vtroque luminoso producti, & consequenter, nec identitatem numericam eius, quia vnum continuum, & vnum numero idem sunt. Negandum igitur est, quod luminosa illa sic se respicientia producant duo lumina numero distincta, siue opacum corpus inter vtrumque intercedat, siue non.

QVAESTIO IV.

An lumen sit in solo diaphano, tanquam in subiecto, vel etiam in corpore opaco.

52 DE hac re parum, aut nihil reperietur apud antiquos authores. A recentioribus verò breuiter attingitur, &

Prima opinio eorum negat omnino in corpore opaco recipi lumen, sed solum hæc illuminari quadam ratione extrinseca à lumine existente in parte medij attingente superficiem eorum, vt paries v. g. non recipit in se lumen, nec illuminatur formaliter à lumine sibi inhærente, sed extrinseca ratione à lumine existente in aere eundem parietẽ attingente, quod lumẽ formaliter illuminat aerem, & ex formali illuminatione aeris resultat extrinseca parietis

53 Probatur testimonio Aristotelis, & ratione. Nam Aristoteles capite præsenti definit lumen, quod sit actus perspicui, vt perspicuum est, sed perspicuum idem est ad diaphanum secundum communem expositionem interpretum: ergo sensus definitionis erit lumen esse actum diaphani, vt diaphanum est, per quod euidens est definiri tanquam per proprium subiectum; vnde sequitur nullum corpus præter diaphanum esse susceptiuum luminis, sed corpus opacum non est diaphanum vt constat ex terminis: ergo nõ est susceptiuum luminis. Quod etiam probat ratio, quia si corpus opacum recipit in se lumen, vel illud recipit in sola superficie extrema, vel etiam in profunditate, sed vtrumque est impossibile; ergo impossibile quoq; erit, quod in se recipiat lumen. Minorem sic probo, quia lumen est accidens corporeum; ergo sua natura aptũ inhærere corpori, vt corpus est, sed non est corpus ratione superficiei, sed ratione profunditatis, quã terminat superficies (imò solũ habet superficies in corpore, quod terminet profunditatẽ eius) ergo non potest inhærere corpori ratione solius superficiei, sed necesse est inhærere ei etiam secundum profunditatem.

54 Quod verò non possit in profunditate opaci corporis recipi, probatur, quia si in partibus profunditatis recipitur, non est maior ratio ob quam in his, quàm in illis recipiatur: cum omnes sint eiusdem rationis, & idem impedimentum densitatis habeant; quare vel in omnibus recipietur, vel in nulla: sed in tota profunditate recipi impossibile est, & à nemine excogitarum, quia iam lumẽ peruaderet, & quasi penetraret totum corpus opacum secundum omnes dimẽsiones, ac omnes partes earum, sicut peruadit diaphanum, totumq. illuminaret, sicut totum aerem illuminat, quod planè absurdum est. Et ideo omnino negandum, quod in corpore opaco recipiatur lumen per informationem. Quod videtur sentire D. Thom. in lib. de sensu, & sensato, lect. 6. docens corpora nimis opaca, qualia sunt valdè terrestria, nõ esse lucis capacia.

55 Secunda opinio concedit corporibus opacis aliquam capacitatem luminis, per quam non solum extrinseca ratione, sed formaliter illuminantur. Sed diuerso modo à diuersis intelligitur.

Nam quidem solum secundum extimam vel extremam superficiem posse recipere lumen concedunt, & ideo non illuminari secundum profunditatem, quod videtur sentire D. Thom. in 2. distinct. 14 articul 3. d. 10. & illud confirmare ex D. Dionysio. Verba D. Thom. sunt: *Dicendum, quod sicut dicit Dionysius in 4 cap de diuinis nominibus lumen solis recipitur in diuersis corporibus diuersimodè*

fimo lè secundum diversam capacitatem eorum: & ideo aliqua sunt, quæ illuminantur in superficie tantum, vt corpora opaca, aliqua etiam sunt, quæ illuminantur in profundo sicut diaphana.

Alij verò *etiam secundum profunditatem illuminari volunt, non quidem secundum omnes eius partes, sed solum secundum quasdam eidem superficiei externæ proximiores*. Ita Caiet. cap. præsenti. Toletus quæst. 17. huius libri ad primum, & est iam ferè communis inter recentiores, videturque nobis, vt probabilior sequenda. Duo igitur probanda sunt, vt maiorem eius probabilitatem ostendamus;

Primum est, quod lumen recipiatur in corpore opaco.

56 Secundum, quod non in sola eius superficie extrema, sed etiam in partibus profunditatis ei proximioribus. Primum probatur ex definitione luminis ab Aristotele tradita: *Lumen est actus perspicui, vt perspicuum est*, ex qua ita arguo; proprium subiectum luminis est perspicuum, vt perspicuum est: ergo corpus in tantum est susceptiuum luminis, in quantum est perspicuum; & quo plus habet de perspicuitate eo magis est capax luminis: sed corpora opaca habēt aliquid perspicuitatis: ergo habent aliquam capacitatem recipiendi lumen, & ideo necesse est fateri; quod in eis recipiatur. Minorem probo ex definitione coloris assignata ab Aristot. lib. de sensu, & sensibili, c. 3. & q. 1. huius tractatus à nobis elucidata. *Color est extremitas perspicui in corpore determinato*. In qua per corpus determinatum non intelligit diaphanum, alioqui lumen esset color: cum sit in extremitate eius; sed intelligit corpus opacum, quod per se habet partem determinatam, per quam visionem terminat, & vocat illud perspicuum, in cuius extremitate asserit esse colorem: ergo capax lucis absque dubio esse censet.

57 Probatur deinde ratione, quia corpus opacum præcipuè differt à diaphano ratione densitatis transparentiæ oppositæ: ergo omne corpus habens dēsitatem opacum est, & quo densius, magis opacum, quia magis oppositum diaphano; sed euidens est plura corpora densa, atque opaca esse lucis capacia, & formaliter recipere in se lumen, vt patet de speculo, crystallo, Luna, & Stellis: ergo negari non potest, quod corpus opacum sit capax luminis, & ex consequenti corpora alia magis opaca erunt quoque lucis capacia, minus tamen, quia quo plus densitatis habent, eo minus de perspicuitate, & ideo minorem lucem recipere poterunt. Sicut constat de alijs qualitatibus, quæ magis, vel minus perfectè recipiuntur in subiectis secundum maiorem, vel minorem capacitatem eorum.

Et tandem, quia constat reflexionem luminis fieri in corpore opaco, hoc est, denso, ac terso, vt in speculo, aut in pariete albo, sicut fit etiam in aqua; sed non potest intelligi, quod reflexio fiat in corpore, nisi sit capax luminis, & verè, ac formaliter illuminetur; ergo lumen recipitur in corpore opaco.

Probatur secundum, quod non recipiatur in sola superficie, quia lumen ex propria natura est accidens corporeum; ergo aptum inhærere corpori secundum trinam dimensionem longitudinis, latitudinis, & profunditatis, pugnat igitur cum natura eius, quod in sola superficie inhæreat.

58 Secundò, quia si lumen inhæret in sola superficie corporis opaci, sequitur dari extensionem latitudinis qualitatis corporeæ separatam à partibus profunditatis extensionis eiusdem, quod est idem, ac dari superficiem separatam à corpore. Probatur consequentia, quia lumen, quod informat aerem contingentem parietem illuminatum, secundum omnes dimensiones eiusdem aeris extensum est: ergo vel idemmet informat superficiem parietis, vel aliud distinctum: sed idem esse non potest, quia idem accidens numero non potest inhærere in duobus subiectis discontinuis, est ergo aliud, si igitur non est extensum, nisi in superficie parietis, & non in profunditate, ergo datur accidens extensum secundum solam latitudinem, sine profunditate, quod est dari quasi superficiem extensionis qualitatis separatam ab extensione profunditatis: hoc est, accidens longum, & latum, & non profundum, & hoc non est minus impossibile, quàm dari corpus latum, sine profunditate: nisi quod hoc est per essentiam, & illud per participationem, sed æqualiter repugnat vnum, ac alterum comparatum cum natura corporis, & corporei accidentis, vt consideranti facilè constat.

59 Pro solutione primi argumenti adnotare oportet perspicuū in definitione luminis, non

non sumi pro omni corpore pellucido, sed solum pro eo, quòd lucere potest lumine externo ab alio suscepto, vt in eius definitione dicitur; sic autem sumptum plures gradus habet, vt superius ostendimus; & in primo gradu eius est corpus diaphanum, vel omnino transparens, quod perfectissimè recipit lumen ab alio, hoc est, secundum omnes dimensiones, & omnes earum partes, & id quidem perfectissimo modo, vt patet de aere, atque etiam de corpore cœlesti, quo modo solem, & omnes Stella videmus, hoc autem impossibile foret, nisi esset perfectè diaphanum. In secundo gradu collocantur corpora illa magna ex parte diaphana, sed non omnino propter naturalem densitatē, ratione cuius inter opaca numerantur, vt patet de crystallo, Luna, & Stellis. In tertio gradu perspicuitatis sunt densiora, ac imperfectiora corpora, quorum extremitatem colorem appellauit Aristoteles: & quo eiusmodi corpora densiora, ac magis terrestria sunt, eo sunt minus perspicua.

60 Hanc distinctionem desumpsi ex D. Thom. lib. de sensu, & sensibili lectione 6. ex qua deducitur Aristotelem in definitione luminis sumpsisse perspicuum prout quid commune ad hos tres gradus, quia secūdum omnes sunt corpora lucis capacia ab externo suscipiendæ, vt ita dicantur visibilia per externum colorem, hoc est, per lumen ab externo susceptum, quia per colorē externum in definitione perspicui lumen intelligere Aristotel. docui, & probaui: ergo & lumen potest esse actus eorum, vt perspicua sunt. Vel si pro solo diaphano sumpsit perspicuum, voluit certè per subiectum perfectissimum susceptiuum luminis ab externo illuminante illud definire: ita tamen vt omnibus possit accommodari iuxta gradum perspicuitatis cuiuscumque.

61 Quare non bene infertur ex definitione Aristotelis, solum corpus diaphanum vel transparens esse subiectum luminis ab extrinseco recepti, licet hoc solum sit subiectum perfectissimum, & propterea non repugnat cum definitione, quod etiam corpora opaca iuxta gradū suæ perspicuitatis sint luminis receptiua.

Ad secundum argumentum respondeo, lumen recipi in corpore opaco, non secūdum solam superficiem: sed etiam secundum partes profunditatis. Et quod dicitur omnes partes profunditatis esse eiusdem rationis, etiam est concedendum, negandum tamen, quod infertur, videlicet omnes illuminari, vel nullam: sed proximiores quidem illuminantur, non remotiores. Et ratio huius duplex est, vniuersalis vna; quia virtus luminosi est finita; & ideo nō potest nisi limitatam extensionem formæ efficere, etiam si forma, quam extendit, careat contrario, & per diaphanum extendatur, vt patet de luminosis particularibus.

Altera ratio particularis est, quia cum corpus nimis opacum nimiam densitatem habeat, & perspicuitatis parum, non præbet facilem transitum lumini; & ideo non potest peruadere, nisi proximiores partes profunditatis, & id quidem imperfectè ob capacitatem, & dispositionem subiecti imperfectissimam, iuuat etiam, quod cum pori eiusdem corporis sint aliqualis dispositi ad suscipiendum lumē in partibus profunditatis, & pori non recta via, sed obliqua procedār, & passim contrahantur, & aliquando occludantur, difficilis etiam efficitur via, & transitus eiusdem luminis per easdem partes profundas ex hac parte. Et hinc est quod non possit, nisi in proximioribus recipi, & remissius multo, atq; imperfectius, quàm in superficie. Sensus autem verborum D Thom. non est, quod lumen inhæreat in sola superficie, vt in diuisibili, atque condistincta à profunditate, eamque terminante: sed nomine superficie partes etiam profunditatis superficiei proximas, quas superficiales vocare solemus, intellexit.

QVAESTIO V.

An lumen sit necessarium ex parte medij ad videndum quodcumque obiectum visibile.

62 VT difficultatem quæstionis aperiamus, tanquam certum, atq; euidenti experientia comprobatum præsupponi debet, potentiam visiuam non posse naturaliter operari circa vllum obiectum visibile, nisi medium aliquod intercedat inter vtrumque.

Quod vt ostenderet Aristoteles de colore,

re, definiuit eum dicens, *esse motiuum perspicui in actu*, hoc est, medij inter ipsum, & potentiam interiacentis, quasi dixerit non posse immutare potentiã, nisi immutando prius medium, & eadem prorsus ratio est de lumine, vt ostendimus. Supposita igitur necessitate medij, meritò inquirimus, an necessariò debeat esse illuminatum, vt possit per illud fieri quælibet visio.

Et prius quam probabiles sententias referamus: reijcienda est singularis quædam, & planè falsa, non solum vniuersaliter negans necessitatem luminis ex parte medij: sed affirmans penitus impedire visionem. Quam tenuit Andreas Cisalpinus quodlib 5. q. 7. & verum esse posset, si solum vellet aliquando impedire: nam adeo intensum potest esse lumen in medio, vt vel colores, vel minora quædam luminosa offuscata non appareant, nec videri possint, vt constat de Luna, & Stellis, quæ in præsentia Solis, non videntur, propter medium nimis illuminatum, atque etiam ex opposito propter medium remisiè illuminatum non videntur colores.

63 Quod etiam constat in quibusdam corporibus noctu lucentibus, quorum colores ob paruam illuminationem medij, tunc non apparent: sed medio magis illuminato diu videntur. Ex quibus intelligitur lumen ex parte medij contemperatum esse debere, ac proportionatum naturæ, & qualitati obiectorum, vt visionem iuuet, & non impediat. Vniuersaliter verò asserere, quod impediat semper, & nunquam iuuet, euidenti experientiç repugnat: cum experiamur omnes idem obiectum, & in eadem distãtia videri à nobis, aut melius videri per mediũ magis illuminatum: cum prius, vel non videretur, vel minus benè per medium obscurum vel remissiori lumine illustratum. Hac igitur exclusa sententia duas alias extremas, atq; probabiles reperio.

Prima affirmat ad quamlibet visionem, non solum coloris: sed etiam luminis necessarium esse medium illuminatum; ita vt per medium omnino tenebrosum, nullum prorsus obiectum videri possit.

64 Ita videntur tenere Comment. 2. lib. de anima, comment 67. D. Thom. lect. 14 atque etiam Auicen lib. naturalium quæstionũ p. 3. c 3. & expresè Ferr. q. 13. huius li. Sonc. lib. Metaph. q 9. Tolet. q. 17. huius li. Hi enim omnes asserunt, quæcumquè lucida, quæ noctu videntur imperfectè saltem illuminare medium, sufficienterque, vt videri possint. Et probatur, quia color vt definit Aristot. c. præsenti, est motiuus perspicui in actu: ergo actu illuminati; sed mouet illud per impressionem speciei: ergo impressio speciei coloris necessario præsupponit medium illuminatum; ita vt tenebrosum non sit subiectum capax illius: sed lumẽ videtur etiam per speciem productam ab eo in medium: ergo prçsupponit medium illuminatum.

65 Probatur consequentia, quia sicut non est capax speciei coloris, nisi illuminatum, pari ratione non est capax speciei eiusdem luminis; quare non potest lumen producere speciem sui in medio, nisi illuminatum præsupponatur, & consequenter, nec videri per illud, nisi illuminatum. ideo necessarium erit lumen ex parte medij ad videndum lumen ipsum, & quoduis aliud obiectum visibile.

Secundo quia siue color sit, qui videtur, siue lumen, impossibile est videri, quin medium aliquo modo illuminet; ergo nec potest visio vlla fieri, nisi per illuminatum medium. Antecedens probo, quia de colore docuit expresè Aristot. cap. præsenti non posse videri sine lumine: ergo sentit necessario esse requisitum, vel ex parte medij, vel obiecti: & si primum concedatur, habetur intentum: atque etiam si postremum; quia si color qui videtur necessariò debet esse illuminatus, idem lumen, à quo illuminatur, illuminabit medium, saltem secundum partes ei proximas, quod necessarium planè est, vt possit medium immutare, & per illud videri. Si verò sit lumen, quod videtur, multo magis necessarium erit illuminare aliqua saltem ex parte idem medium; & ita efficietur necessarium, quod nulla visio fieri possit, nisi per medium aliquo modo illuminatum.

66 Secunda opinio extrema tenet, nec ad visionem coloris, nec ad visionem luminis esse necessarium lumen ex parte medij; sed vtrumque videri posse per medium omnino tenebrosum. Ita recentiores quidam putãtes se eam probare efficaciter, hnc argum. ab experientia deducto, contingit hominem in loco obscuro existentem videre colorem illuminatum à tali loco valdè distantem; immo & corpus lucidum, vt qui intra puteum

valdè obscurum latet, videre solet stellas cœli: ergo conuincitur ad similes visiones non esse requisitum lumen ex parte medij. Et si dicatur primò, non requiri lumen ex parte totius medij; sed solum ex parte proximiori eidem obiecto, vt circa illam speciem producat, & ab ea in potentiam multiplicetur; & ita obiectum videatur, sic vrgent;

67 Quodcumque agens naturale fortius operatur in partes sibi proximas, quàm in remotiores eodem modo dispositas: sed species producta ab obiecto in partibus propinquioribus illuminatis potest multiplicare aliam in partibus remotioribus non illuminatis: ergo multo melius poterit obiectum producere speciem in eisdem partibus propinquioribus, etiam si non sint illuminatæ, quia species producta ab obiecto in partibus propinquioribus illuminatis multiplicat aliam in remotioribus non illuminatis virtute obiecti, à quo processit: ergo principalius procedit secunda species ab obiecto, quàm à prima specie: tunc ergo argum. manet in suo robore.

68 Probatur euidenter consequentia, quia si obiectum media specie à se producta, potest producere aliam in partibus remotioribus non illuminatis, multo melius potuit per se immediatè producere priorem speciem, in partibus propinquioribus, etiam non illuminatis: sed obiectum in casu argumenti potest producere speciem in partibus remotioribus non illuminatis: ergo multo melius poterit eam producere in proximioribus etiam non illuminatis: quare absque illuminatione alicuius partis medij poterit speciem producere in eo, & per ipsum in potentia.

Alij verò respondent in omni loco quantumuis tenebroso, ex quo dicetur obiectum, esse aliquid luminis, ratione cuius (licet imperfectè) dicitur medium illuminatum: sed hoc esse falsum probant, quia videmus lumi nosa quædam noctu videri, & eo melius videri, quo medium est magis obscurum: ergo non requiritur ad visionem eorum, quod sit illuminatum. Præterea quia si color illuminatus extra obscurum locum existens potest producere speciem in loco illo tenebroso, atque etiam in potentia visiua in eodem loco existente, quia aliquantulum est illuminatum, non minus poterit eam producere, si ponatur intra eundem locum tenebrosum parum illuminatum. Probatur consequentia; quia quo agens magis est passo approximatum melius potest operari circa illud, videretur ergo etiam in loco tenebroso positus, quod est contra experientiam.

69 Nostra sententia medium ponit inter hæc extrema, & ideo duo asserit. Primū est *ad videndū lumen non esse necessarium quod medium sit illuminatum: sed per medium omnino tenebrorum videri posse, & ideo lumen non esse necessarium ex parte medij ad videndum aliud lumen contra primam opinionem*. Hæc est expressa sententia Aristot. in libro de sensu, & sensibili, c. 2 vbi asserit, corpora quædam esse splendida, quæ in tenebris videntur, vt sunt vermiculi, quos Hispanicè vocamus, *lucernigas*, atque etiam fungi oculi cati, & capita quædam piscium, sentit, ergo ad videnda hæc non esse necessarium medium illuminari. Sed respondent non illuminari medium ab aliquo luminoso extrinseco, & ideo docet Aristot. videri in tenebris, nihilominus non videri omnino, sine aliquo paruo lumine ab eis producto in medio, quod cum minimum sit, non tollit, quin medium dicatur simpliciter tenebrosum, & solum secundum quid illuminatum. Hæc tamen solutio expressè contraria est eidem Aristot. ibidem docenti splendentia hæc fulgere quidem in tenebris: sed lumen non facere: ergo falsum est dicere, quod vllo modo illuminent medium: nam quæcumque parua illuminatio medij est productio luminis in eo. Verba autem Aristotelis hæc sunt. *Leuia enim in tenebris nata sunt fulgere, non tamen lumen facere.*

70 In quorum expositione D. Thom. tribuit causam huius fulgoris dicens eum habere eiusmodi corpora, quia polita, & tersa sunt, fateturque nullum lumen producere in medio his verbis; *Quamuis in se aliqualiter fulgeant huiusmodi corpora, non tamen habent tantum de fulgore, quod de se possint facere medium lucidum in actu.* Probatur deinde experientia: nam corpora lucida non solum videntur in tenebris: sed quo magis obscurum est, ac tenebrosum medium, videntur melius, vt de igne, & stellis est manifestū: ergo non est necessarium lumen ad visionem eorum.

Secundum quod asserit nostra sententia est, *lumen esse necessarium ad videndum colorem contra secundam sententiam*. Hoc non solum colligitur ex verbis Aristotelis: sed

con-

continetur expressè in eis: ita vt nullā prorsus explicationem patiantur. colorem enim his verbis definit c. præsenti text. 67. *Omnis enim color motiuus est eius, quod est secundum actum perspicui, & hoc est, ipsius natura. Vnde non est visibilis sine lumine: sed omnis cuiusq; color in lumine visibilis*. Loquitur autem de lumine medij in his omnibus, vt ipsamet verba, & eorum contextus ostendunt: ergo expressa est eius sententia, quod sit necessarium ex parte medij ad videndum colorem, quod nō minus expressis hisce verbis docuit text. 73 eiusdem capitis: *Id quidem, quod in lumine hoc enim erat ipsi colorem esse, motiuum esse secūdum actum perspicui, actus autem perspicui lumen est*. Quibus tale constituit argumentum: omnis color est motiuus perspicui in actu: sed actus perspicui est lumen: ergo omnis color est motiuus perspicui illuminati, ex quo euidenter sequitur vniuersalis negatiua, videlicet nullum colorem posse videri nisi per medium illuminatum, & ex consequenti, nec sine lumine ex parte medij.

Ratio autem a priori ad id probādum ex natura luminis, & coloris desumenda est.

72 Nam lumen longè perfectior qualitas est colore, non solum secundum suam naturam: sed etiam secundum rationem visibilitatis eam consequentis: ergo sicut habet ex maiori hac perfectione cōstituere actu perspicuum per realem, & naturalem illuminationem, & ideo solum præsupponit perspicuum in potentia tanquam subiectum, pari ratione habet mouere posse intentionaliter idemmet perspicuum in potentia, quod est propriam speciem ei imprimere posse sine vlla præcedenti illuminatione. Color verò longe imperfectior est, & multo magis materialis, & ex eadem imperfectione, & materialitate habet, vt non possit naturaliter immutare mediū, sed neq; intentionaliter, nisi dispositum per illuminationem: quare verū est vtrumq; a nobis assertum, nempe ad visionem luminis non esse necessarium mediū illuminatum, sed per tenebrosum videri posse, esse tamen omninò necessarium ex parte medij ad videndum colorem, ita vt non possit in tenebris videri. Quod verò D. Th. asseruit medium illuminari saltem imperfectè a lucidis, quare noctu videntur, de quibusdā perfectioribus intelligi debet, quæ non solum fulgent, sed lumen efficiunt.

73 De alijs verò non potentibus lumen efficere, ipsum et D. Th. docuit expresè in postremo loco a nobis citato non efficere perspicuum actu: quia non valent lumen in eo producere.

Ad 1. arg. prioris sententiæ oppositæ concedenda sunt omnia, quæ in maiori, & minori assumuntur de specie coloris necessario præsupponente illuminatum medium, in quo recipiatur, sed neganda de specie luminis: imò potiùs sicut lumen ipsum solum præsupponit pro subiecto, in quo recipiatur perspicuum in potentia, sic etiam species eius. Et discrimen hoc fundatur in eiusdem luminis perfectione; vt ostendimus.

74 Quod exemplo eiusdem aeris, vel aquæ fit manifestum: nam calor perfectior est frigore, & frigus perfectius humiditate, & tamen non postulat perfectius subiectum, sed in eodem prorsus recipiuntur: perfectus tamen efficiunt, quia idem corpus perfectius esse habet per calorem, quam per frigiditatem, & perfectius per hanc, quam per humiditatem, & par est ratio de albedine, & nigredine.

Ad secundum negandum est antecedens, quod nullum possit videri obiectum, siue sit lumen, vel color illuminatus, quod non illuminet medium: nam de multis noctu fulgentibus ostendimus videri omninò in tenebris & nullo modo illuminare medium, quia licet splendentia sint, non tamen efficientia luminis, & ideo nec illuminatiua medij.

Ad argumentum secundæ opinionis concedendum est colorem illuminatum videri ex obscuro loco, nō tamen omninò tenebroso, sed aliquantulum illuminato lumine, quo illustratur idem color: sufficit enim aliquantulum illuminari, vt possit idem obiectum producere aliqualem speciem sui, licet imperfectam in eo, & ea media in oculo. Quod verò infertur, videri posse eundem colorem illuminatum extra obscurum locum existēs, si intra eundem obscurum locum ponatur, concedendum est, sed negandum, quod hoc sit contra experientiam; nemo enim expertus est aliquando in simili casu non videri. Et quod tandem de lumine affertur, posse videri in tenebris, concedendum est, sed negandum de colore propter discrimē adductum.

QVÆ-

QVAESTIO VI.

An lumen non solum sit necessarium ad videndum colorem ex parte medij, sed etiam ex parte obiecti, nempè ipsiusmet coloris.

75 QVæstio hæc longè difficilior est præcedente, & de sola visione coloris procedit, an dum videtur color lumine per totum medium vsq; ad parietem (in quo color ipse residet) diffuso, non solum lumen ipsum concurrat necessariò illuminando medium, sed etiam ex parte eiusdem coloris coadiuuando, vel disponendo ipsum, aut aliquo modo cum eo concurrendo ad sui visionem, vel non habeat talem concursum cum obiecto, nec sit necessarius ex parte eius.

Et prima opinio affirmat necessarium esse concursum luminis ex parte obiecti ad visionem. Ita videtur sentire D Thom. pluribus suæ doctrinæ locis, præsertim in 1.d.45. art.2 ad 1 & dist 48. art 2 & in 2. dist. 20. q. 2. art 2. ad 2. 1 contra gent. cap. 67. 1.2.q.8. art.3 ad 2. vbi idem videtur sentire Conradus, & Medina, & tandem 22.q 1.ar.3 Hanc tenent Palacios, Petrus Martinez, Sebast Perez, Conimb & plures alij recentiores c.præsenti.

Probant testimonio Aristotelis in lib. de sensu, & sensibili cap.3. vbi definit colorem: *Quod sit extremitas perspicui in corpore determinato*, vel ergo definit colorem secundum propriam naturam, & hoc nō: quia hoc modo non solum est in extremitate corporis, sed etiam in profundo eius: vel definit colorem, vt visibilem, sed dicit esse extremitatem perspicui: ergo illuminati.

76 Probatur consequentia, quia corpus capax lucis perspicuum non est in tenebris existens, nisi luce ipsa perfundatur: idem ergo est dicere, quod sit extremitas perspicui, & quod sit extremitas illuminati, vnde sequitur colorē, vt visibilem, & proinde, vt obiectum visus lumen includere ex mente Arist. & ideo ex parte obiecti necessarium esse ad visionem coloris.

Probant deinde multis experientijs: Prima, quia ex loco obscuro videtur color illuminatus, sed ex loco eiusdem coloris illuminati non videtur color alius in eodem obscuro loco positus. Quare discrimen hoc ex parte solius obiecti illuminati, vel non illuminati prouenit: ergo lumen tenet se ex parte coloris, tanquam necessarium ad eum videndum.

Secunda experientia est, quia quò magis illuminatus est color, etiam si medium eodem modo se habeat, melius videtur.

Tertia, si maior sit illuminatio medij, quam obiecti, offuscatur obiectum, ita vt penitus non videatur, vt patet in quibusdam splendentibus, quæ noctu videntur splendoris ratione, sed latet color eorum, quousq; sole illucescente illustretur magis, & tunc apparet, & videtur lumine eorum ob imperfectionem offuscato.

77 Probant tandem ratione, quia non est naturaliter possibile, quod illuminetur totū medium, quin illuminetur simul color existens in superficie corporis opaci: ergo nec potest videri color, nisi illuminatus: quare frustrà negatur necessitas luminis ex parte eius.

Antecedens probatur, quia non potest illuminari totum diaphanum, vsq; ad parietem, quin vltima superficies eius illuminetur, alioqui daretur extensio luminis naturaliter, sine vllo termino, sed non potest illuminari vltima superficies diaphani, quin illuminetur vltima superficies parietis ei contigua, imò cum ea penetrata: ergo illuminato medio necesse est colorem illuminari; quare non poterit nisi illuminatus videri, & sic erit necessarium lumen ex parte obiecti.

Hæc tamen sententia non defenditur eodem modo ab omnibus: sed quinq; modis valde diuersis.

78 Primum tenuit Auempace, vt testatur Comment. 2 lib. de anima, comment. 67. atque etiam Auic. lib. 6. naturalium, p.3. c.1. asserentium, non dari colores in corporibus absente lumine, sed per illuminationē produci ab eo, & per absentiam corrumpi, quia re vera nō sunt aliud a lumine ipso in varijs corporibus recepto.

Secundum modum tenet maior pars eorum, quos citauimus, præsertim Alb. Mag. in Summa de homine, quæstione de substantia

co-

coloris fol. 95. asserunt verò lumen concurrere ex parte obiecti, tanquam formam coloris, vt visibilis, quia tribuit ei visibilitatem hoc modo, vt ipse solum sit visibilis in potentia, per lumen verò constituatur visibilis actu, & ita adæquatum, vt totale obiectum cuiuslibet visionis coloris coalescat ex materiali, quod est color, & ex formali, quod est lumen.

79 Sic etiam videtur sentire D. Thom. locis citatis, & cum eo Conrad. Medina, Palacios, Petrus Martinez, Sebast. Perez, & alij: fauet autem huic viæ comparatio illa constituta ab Aristotele 3. lib. de anima, tex. 18. inter intellectum agentem, & lumen, his verbis: *Quodam enim modo, & lumen facit potentia existentes colores, actu colores.*

Tertius modus defendendi eandem sententiam asserit lumen non concurrere ex parte coloris efficiendo illud visibile formaliter, & ideò nec tanquam rationem formalem videndi colorem, sed solum tanquā aliquid cum quo color habet necessariam connexionem non secundum propriam naturam, sed in ordine ad visionem, ita vt non possit videri, nisi cum eo coniunctus, nec nisi eo viso: eo ferè modo, quo sensibile proprium habet necessariam connexionem cum communi, vt idem color cū extensione, vel figura, quia non potest videri nisi extensus, vel figuratus, sic etiam non potest videri nisi illuminatus.

80 Vnde dicunt, quod sicut sensibile proprium, & commune videntur per eandem speciem totalem modificatam, siue per proprias partiales vnitas, inter se, quasi rem, & modum, & ideo quasi integrantes vnam: pari ratione lumen, & color videntur per eandem speciem totalem, siue per proprias species partiales vnitas inter se, & integrantes vnam Speciem totalem. Ita sentiunt ex recentioribus nonnulli.

Quartus modus non tribuit lumini respectu coloris efficientiam aliquam in ordine ad visionem, sed colorem censet se solo producere speciem sui in medio illuminato, atque etiam in potentia, vt tamen eam producat, quasi pro dispositione postulat, quod lumine perfundatur, ea ferè ratione, qua postulat eandem illuminationem in medio, vt possit ei imprimere speciem Et hæc necessitas luminis ex parte coloris, tanquam dispositionis videtur insinuata illo verbo Christi in Euang. *Omne quod manifestatur, lumen est*, quasi dicat, omne quod manifestatur, medio lumine fit manifestum.

81 Et hæc via soluit omnia, quæ Arist. de colore docet, atq; etiā ab omnibus difficultatibus, quæ aduci sus alias obijciuntur, expedit se, vt mox videbimus: distinguitq; sem per speciem coloris ab specie luminis, atque etiam visionis vtriusq; sed ponit necessariā esse simultatem speciei, & visionis, luminis cum specie, ac visione coloris tanquam vniuersalis dispositionis requisitę ad videndum quæcumque, vt videri posset color. Dicemus verò statim quantum probabilitatis habeat.

Vltimus modus asserit lumen requiri ex parte coloris, non vt sit forma eius tribuens ei visibilitatem, neque vt concurrat cum eo ad producendam eandem speciem, per quam repræsentetur vtrumque, ad modum, quo sensibile commune concurrit cum proprio, neque vt dispositione sine efficientia, sed vt concurrat cum colore, tanquam partialis causa ad producendam speciem eiusdem coloris, simul etiam producendo speciem sui, per quam videatur. Docet itaque hæc sententia ex colore, & lumine, tanquam ex duplici causa partiali coalescere vnā causam totalem speciei coloris, totalem quidem efficientem, sed non totalem obiectiuā, quia solus color est causa obiectiua suæ speciei, sed non potest solus præstare totam efficientiam requisitam ad productionem eius, nisi adiuuetur per causalitatem partialem luminis

82 Et hinc est, quod cum species solum repræsentet obiectum sub ratione obiecti, species coloris quamuis a colore simul, & lumine producta, tanquam a duplici causa partiali efficiente, nihilominus solum repræsentet colorem, quia ab eo solum procedit tanquam ab obiecto efficiente, a lumine verò tanquam a puro efficiente, hoc est, non obiectiuo.

Quod quidam explicant exemplo intellectus agentis, quod quasi vniuersalis causa omnium specierum intelligibilium simul cum obiecto, aut phantasmate concurrit, & ideo tanquam omninò necessarium ad quālibet intellectionem rei materialis, nec per vllam repræsentatur species eius: sic lumen concurrit cum omnibus coloribus ad producendas proprias species quasi vniuersalis

falis

salis causa partialis, & ideò non repræsentata per easdem species, ita enim Arist. comparauit intellectum agentem cum lumine, & ita dixit fieri ab eo colores actu visibiles 3. lib. de anima text. 18.

Et fundamentum huius vitæ asserunt esse, quia per eam facile intelligitur, & defenditur necessitas luminis ad visionem coloris, nec potest alio modo commodè defendi.

83 Cui addunt in ipsa etiam natura coloris, & luminis fundari, nam lumen est perfectissimum visibilium, & longè diuersæ rationis ab alijs, & propterea posse per se solum, atque independenter ab alijs immutare medium, atq; potentiam: colores verò tanquam imperfecta visibilia non posse sine dependentia ab illo, & ideo habet se ad visionem eorum, quasi vniuersalis causa concurrens cum omnibus.

Vltima sententia negat omninò lumen requiri ex parte obiecti, sed illuminato medio posse absque aliquo concursu efficienti, vel dispositiuo luminis videri colorem. Ita Comment. 2. lib. de anima commen 67. Thienensis, & Iandunus ibidem q. 19. Ferrar. 2. li. de anima q. 14 & ibidem Aquarius, Tolet. 2. lib. de anima q. 17. affirmans esse cōmunem sententiam, & propriam atq; expressam D. Th. pro qua etiam citantur Ægid. & Soncinus.

84 Præcipuum fundamentum huius sententiæ desumitur ex definitione coloris tradita ab Aristotele ca præsenti, hisce verbis: *Color est motiuus perspicui in actu*, cui addit Aristoteles, hoc esse naturam eius, idest, à natura eius emanare, vt exponunt omnes interpretes nullo excepto, sed mouere perspicuum in actu, est producere in eo speciem sui: non enim habet aliam actionem color circa perspicuum, nec habere potest: ergo ex sua definitione, & naturali proprietate habet posse producere speciem in medio, atq; adeo in potentia, non ergo a lumine externo.

Sed huic argumento respondere conantur recentiores diuersis locis, modis etiam diuersis exponentes prædictam definitionem, & verba Aristotelis. Et primo fatentur negari non posse, quin Aristoteles senserit colorem esse per se visibilem, quia per se ipsum terminat visionem, sed non intellexisse, quod sit per se sufficienter visibilis, ita vt nullo indigeat, quantum est ex parte sua, vt videatur: indiget enim lumine, a quo adiuuetur, vt possit producere speciem sui, & videri.

Quod verò expositio hæc non satisfaciat, probo, quia si color per se ipsum est motiuus perspicui in actu; ergo non per lumen, quia cum lumen etiam in ordine ad visum sit a se distinctum, repugnat quod conueniat ei per se, quod conuenit ratione luminis, sed esse per se motiuum perspicui est esse productiuum speciei in eo, per quam illud mouet: ergo per se habet virtutem mouendi visum, & concurrendi cum eo ad visionem: quare ex parte sua non indiget lumine vt videatur.

85 Quod verò visibilitas coloris sit virtus sufficiens producendi speciem in medio illuminato: probatur: quia color est sensibile proprium talis speciei: ergo ex se habet sufficiētem proportionem obiectiuam cum potentia, vt ab ea sentiatur: sed ex sola potentia, & obiecto completur sufficiens principium sensationis: ergo color sufficiens principium effectiuum sensationis est, & proinde poterit simul cum potentia absque adminiculo alterius ex parte sua requisiti efficere sui visionem.

Affirmans ergo Aristoteles, quod color sit per se visibilis, euidenter docere voluit, quod nec lumine, neq; aliquo alio indigeat ex parte sua vt videatur. Et multò minus satisfacit expositio aliorum asserentium sentire quidem Aristotelem, quod color sit per se visibilis, non tamen actu visibilis, sed potentia.

Quia colorem asseruit Aristoteles per se, & ex propria natura esse motiuum perspicui in actu, sed mouere ipsum est per productionem speciei propriæ, per quam euidens est fieri actu visibile: ergo sentit planè Aristoteles esse visibile actu, quia non alia ratione lumen est visibile, nisi quia potest producere speciem sui in potentia, & hoc est esse visibile actu.

86 Germanum igitur sensum huius definitionis, quem euidenter tenuit Aristoteles, vt perspicua verba eius ostēdunt, attulit D. Th. 3. lib. de anima textu 18. (explicans comparationem illam ibidem constitutam ab Aristotele inter intellectum agentem, & lumē) hisce verbis: *Vnde dicit, quod est habitus, vt lumen, quod quodammodo facit colores existentes*

scientes in potentia esse actu colores, & dicit (quodammodo) quia superius ostensum est, quod color secundum se ipsum est visibilis, hoc autem solummodo facit lumen ipsum esse actu colorem, in quantum facit diaphanum esse in actu, vt moueri possit a colore, & sic color videatur, &c. Hanc igitur sententiam, vt Aristot. & D. Thom. propriam, ac probabiliorem teneo.

87 Quæ cum sufficienter sit testimonijs vtriusque probata, probanda nunc est: primò ex refutatione aliarum, deinde positiua ac propria ratione.

Prima igitur via Auicenæ, & aliorum, quod colores non sint aliud, quam lumen ipsum, vt in diuersis corporibus receptum sufficienter fuit a nobis superius impugnata, atque expugnata.

Secunda verò via, quod lumen sit forma coloris, non secundum suam naturam considerati, sed in ordine ad visum, expressè con traria est doctrina Aristotelis, vt probant testimonia citata. Ex quibus sic arguo, color est per se, atque ex propria natura visibilis, atque etiã per se motiuus perspicui in actu: ergo vtrumque habet a se formaliter. Probatur consequentia, quia quæ prædicantur de aliquo per se, formaliter de eo prædicantur, & ideo formaliter ei conueniunt: ergo non fit per se visibile a lumine, tanquam a forma. Quod verò sit contraria rationi probo, quia color distinguitur specie a lumine, vt modo probauimus contra primam sententiam, sed vna species non potest esse forma alterius: ergo lumen non potest esse forma coloris.

88 Et si dicatur non esse formam eius secundum suam naturam consideratí, sed in ordine ad visum, & adhuc modo non intrinseca, sed extrinseca.

Contra hoc est, quod proprietas sequitur essentiam, & emanat ab ea: ergo si repugnat vnam speciem esse quomodocumque formam alterius per propriam naturam, vel essentiam: repugnabit quoq; ratione proprietatis, sed visibilitas est proprietas luminis, atq; etiam coloris: ergo repugnat, quod per visibilitatem lumen sit forma coloris, nõ minus quam ratione naturæ, vel essentiæ.

Deinde probatur falsum, quia quędã sunt colorata, quę simul habent exiguum lumen: ratione cuius noctu videntur, sed non eorum colores, quos tamẽ videmus diu: ergo lumen adhuc in ratione visibilis non est forma coloris. Probatur consequentia, quia si forma esset, sicut patua illa lux noctu videtur, videretur etiam color in eodem subiecto cum ea existens, a qua fieret formaliter visibilis, visa enim forma, non potest non videri res per eam constituta.

89 Secundò quia si lumen est forma coloris, & per eandem speciem indiuisibilem repræsentatur, sequitur, quod si alter eorum successiuè intendatur, color quidem per se, lumen verò saltem per accidens, corrumpatur species illa, quia repugnat rem alio modo se habentem eodem modo repręsentari, & repugnat etiam eandem indiuisibilem speciem repræsentare res diuerso modo se habentes, corrupta verò illa specie producenda erit altera totalis, atq; completa, & cum intensio procedat per infinitas partes proportionales, corrumpentur species totales, atq; completæ actu infinitæ, & totidem producentur de nouo, quod non potest admitti.

90 Tertium modũ afferentẽ lumen cõcurrere ex parte coloris ad visionẽ per modum vnius obiecti cũ eo, & ita vt per eandẽ speciem vtrumq; repræsentetur, vel per singulas quasi partiales, & vnitas ad concurrendũ cũ potentia: sic impugno. Lumen & color, sunt sensibilia propria specie distincta: ergo quodlibet est per se primò repræsentabile per propriã speciem distinctã ab alio: quare repugnat, quod per eandẽ repræsentetur. Probatur consequentia, quia impossibile est eandẽ speciẽ esse similitudinem duorum specie distinctorum. Nec est simile exemplum de sensibili proprio, & cõmuni, quia sensibile cõe non est per se primò repræsentabile per speciẽ: sed quasi secũdario, in quantũ est modus proprij: color verò, & lumẽ sunt per se primò repręsentabilia sicut sensibilia: quare non possunt per eandẽ speciem repræsentari: cũ ex alia parte sint specie diuersa, & ea dẽ ratione non possunt per modũ vnius cõiungi ad producendam eandem speciem, & ex cõsequenti nec videri per eandẽ visionem sed necessariò per diuersas. Quod verò nec possint repræsentari per distinctas species partiales vnitas ad eandem sensationẽ, probatur, quia color est per se, & ex propria natura visibilis, & visibile cõpletum: cum habeat cõpletam naturã, & speciẽ indepẽdentẽ a quocũq; alio visibili: ergo per speciẽ cõpletã repræsentabilẽ, & ideò non per partialẽ.

Se-

Secundò, quia si color, & lumen essent partialia visibilia: se haberent, tanquam materia, & forma: nam alio modo vniti tanquã partes ipsæ, vel species eorum repugnat: lumen ergo esset forma coloris, quod iam impugnauimus.

Et tandem si per diuersas species partiales concurrerent, per diuersas visiones partiales viderentur, & cuilibet corresponderet pars eiusdem visionis totalis, & non tota ipsa visio, quod non est intelligibile.

91 Vltimum deinde modum prius impugnare placet, quam quartum, de cuius probabilitate quid sentiam statim explicabo. Duo igitur præsupponit hæc vltima via: & duo alia asserit.

Primum præsuppositum eius est non posse colorem, & lumen repræsentari per eandem speciem, nec videri per eandem visionem.

Secundum præsuppositum, vtrumq; esse per se visibile, vt expresse docet Aristoteles, & tenet ferè omnes, sed diuerso modo, quia lumen est primum, ac perfectissimum visibile, colores verò imperfecta tantum visibilia, & quasi per participationem eius.

Et ex hoc colligit primum assertum, videlicet nõ posse colores immutare medium & potentiam per productionem speciei, nisi dependenter a lumine necessariò cum eis concurrente, non quidem tanquam forma eorum, quia alioqui non essent per se visibiles contra secundum præsuppositum, sed tanquam partiali causa integrante cum eis, ac potentia vnum principium totale visionis, non sui, sed eiusdem coloris, cum ex primò præsupposito, non possint per eandem speciem repræsentari, nec per eandem visionem videri.

Secundò asserit hunc concursum partialem luminis cum colore non esse obiectiuũ, alioqui concurrerent per modum vnius obiecti ad producẽdam speciem coloris, & ideo necessario deberent repræsentari per illam quia quidquid producit speciem, tanquam causa obiectiua non potest non repræsentari per eam, efficiunt ergo color, & lumen vnam causam totalem speciei, totalem quidem efficientem, non totalem obiectiuam, sed coalescentem ex partiali obiectiua, & partiali purè efficiente, posse autem lumen præstare concursum purè efficientem ait, quia quasi vniuersalis causa est concurrens cum omnibus coloribus.

92 Et duo quidem ab hac via præsupposita vera sunt, sed duo asserta planè falsa. Quod probatum erit, si ostendamus impossibile esse, quod lumen concurrat cum colore ad producendam speciem nisi concursu obiectiuo, & ideo necessario deberet repræsentari per eandem speciem coloris. Ostenditur autem primo, quia color ex primo præsupposito est per se visibilis: ergo habet a se propriam visibilitatem, & non a lumine. Vel ergo per hanc visibilitatem est sufficiẽs causa obiectiua speciei, vel insufficiens ac diminuta: si primum dederis, euidenter ex eo infero posse solum colorem sine concursu effectiuo luminis producere speciem sui in medio, & potentia, per quam videatur. Probatur consequentia, quia causa obiectiua sensationis est etiam efficiens, atq; sufficiens ad producendam speciem, & per eam simul cũ potentia sensationem: ergo sufficiens causa obiectiua erit etiam sufficiens in genere efficientis: quare si non indiget lumine, vt causa obiectiua, non potest indigere illo vt efficiente.

Si verò dicas visibilitatem coloris esse diminutam, aut imperfectam, & ideo non esse sufficientem causam obiectiuam speciei, sequitur hunc defectum causalitatis obiectiuæ suppleri a lumine, sed non potest suppleri, nisi per concursum obiectiuum: ergo falsum est, quod non præbeat obiectiuum concursum, sed purè efficientem. Minorem probo, quia species est virtus solius obiecti, quam sibi substituit ad concurrendum cum potentia ad sensationem: ita vt ex potentia, & specie constituatur vnum principium sufficiens sensationis: ergo solum obiectum sub ratione obiecti producit speciem: quare solus color sine concursu luminis producit speciem.

Probatur consequentia, quia illud solum habet rationem obiecti, a quo solo producitur species, sicut illud solum per eam repræsentatur: nullus ergo concursus obiectiuus deficit colori, qui suppleri debeat, vel possit per lumen: quare commentitius est concursus iste luminis ex parte obiecti cum colore.

93 Quod ex alijs sensibus efficaciter probatur: quia nullum datur in eis proprium sensibile, quod per solum concursum obiectiuum, non possit producere speciem in po-

potentia, & per eam concurrere ad sensationem, absque alia causa efficiente ipsum colorem illuminante, præter primam: ergo non minus erit sufficiens color absq; concursu efficienti luminis ad producendam speciem in potentia, & cum ea visionem.

Quod sic vrgeo, & probo talem concursum luminis cum colore non posse esse vniuersalem, vt asserit hæc sententia, sed necessario particularem, quia vniuersalis concursus non potest esse partialis, vt per se est manifestum, sed concursus luminis cum colore conceditur ab hac via partialis, ergo non potest esse vniuersalis, vel si vniuersalis vocatur, propterea quod ad quamlibet visionem concurrit necessariò lumen: friuolum profectò est propterea ipsum vocare causam vniuersalem visionis coloris, atque etiã concursum eius vniuersalem: nam species obiecti concurrit ad omnes sensationes, atq; etiam potentia sensitiua, & tamen nemo vnquam dixit speciem esse causam vniuersalem.

94 Et de concursu eius euidenter constat non esse vniuersalem, sed particularem, quia hæc species ad hanc solam visionem particularem concurrit, & ideò tanquam causa particularis, quamuis aliæ species concurrãt ad singulas sensationes alias particulares, quod patet sufficiens non esse, vt aliqua earũ sit, vel dicatur causa vniuersalis, nec eius concursus sit vniuersalis: si verò particularis & partialis est, eo ipso non est necessarius, quia cum solus color sit totalis causa obiectiua producendi speciem, eo ipso est totalis causa efficiens eius, quia species a solo obiecto producitur obiectiuè: sicut ipsum solum repræsentat: ergo ab eo solo producitur efficienter, quia nulla causa efficiẽs præter obiectiuam, & vniuersales concurrit, nec concurrere potest ad sensationem, vt probauimus.

Probatur tandem (nisi ego fallor) euidenter: quia lumen cõcurrit cum colore ad producendam speciem tanquam causa partialis: ergo concurrit obiectiuè, & concursu obiectiuo, & proinde vt constituens cum eo vnum totale obiectum per eandem speciem coloris repræsentatum.

95 Probatur primò consequentia hoc modo: lumen est obiectum visus sub ratione visibilis, sicut etiam color: sed lumen concurrit cum colore ad productionem speciei sub ratione visibilis, i. per visibilitatem, quam habet: ergo concurrit tanquam obiectum visus & ideo concursu obiectiuo.

Secundò eam probo, quia lumen concurrit cum colore, tanquam perfectissimum visibile habens visibilitatem independentem ab alijs, & a qua dependent cætera visibilia & propterea potest supplere defectum visibilitatis eorum: ergo concurrit per visibilitatem, & ideo tanquam obiectum visus perfectissimum, & consequenter concursu planè obiectiuo.

96 Quod hoc modo vrgeo: color, & lumen vt sunt qualitates absolutæ talis naturæ nullam habent inter se connexionem: ergo neq; hoc modo color indiget lumine, neque lumẽ est necessarium colori: quare solum possunt eam habere, vt visibilia sunt, & non alio modo.

Vnde si lumen necessario debet cum colore concurrere, talem concursum non præstabit secundum rationem qualitatis: sed secundum rationem visibilis: sed vt visibile est obiectum visus: ergo per concursum obiectiuum debet necessariò concurrere, & non alio modo.

97 Restat iudicium ferre de secunda via asserente lumen requiri ex parte coloris, non ad adiuuandum colorem concursu obiectiuo, nec efficiente, sed solum tanquam dispositio necessaria, aut quasi dispositiuo cõditio, vt possit producere speciem suĩ, eo sere modo, quo concurrit ex parte medij ipsum disponendo, vt possit recipere speciem coloris, in quo solum potest esse discrimen, quod ex parte medij est quasi dispositio materialis subiecti ad recipiendum, ex parte vero coloris, non subiecti: sed agentis, vt possit virtus eius prodire in actum intentionalem producendi speciem, quia bene potest intelligi, quod virtus actiua ex se sufficiens ad agendum, postulet certam dispositionem in subiecto, vt possit in actum exire, sine qua non poterit, & exemplo nobis esse potest potentia visiua, aut quælibet alia sensitiua postulans necessariò tales dispositiones in organo, vt possit per illud propriam exercere operationem: ita vt ex defectu alicuius non possit exire in actum, & similiter potentia motiua, quod experimus passim.

De hac igitur sententia censeo probabilem esse, & inter omnes vias, quibus defendi potest, colorem esse necessarium ex parte obie-

obiecti, esse a difficultatibus magis expeditam, & absque dubio probabiliorem, & faciliorem, & habet pro se argumenta illa, quibus communi ratione probatum est lumen esse necessarium ex parte coloris, cuius necessitatem ad dispositiuam reducit, quia non videtur alia via commodè defendi posse.

Sed vt ad nostram sententiam reuertamur, hoc breui argumento ex prædictis omnibus eliciendo probanda est, color est per se visibilis, vt ex definitione eius constat: ergo sua sola virtute potest producere propriam speciem in medio illuminato, per quam videatur absque aliquo concursu luminis, non solum obiectiuo, atque effectiuo: sed dispositiuo.

98 Consequentia satis efficaciter probata est ex impugnatione aliarum opinionum, quantum ad effectiuum concursum luminis, quantum ad dispositiuum verò efficaciter satis conuincitur ex eo, quod nulla potest adduci ratio alicuius momenti ad probandam talem necessitatem, quæ proinde ponenda non est, quia nihil est ponendum tanquam necessariò requisitum ad visionem ex parte obiecti præter illa, quæ ponuntur necessaria ad alias sensationes sine vrgenti ratione id probante.

99 Restat soluere argumenta pro secunda opinione proposita ad probandam necessitatem luminis ex parte obiecti. Et ad definitionem Aristotelis respondeo, hæc distinctio, perspicuum, quod significat corpus capax lucis, dupliciter sumitur; pro perspicuo actu, quod est tale per lumen, & pro perspicuo in potentia: & hoc modo sumitur in illa alia definitione coloris, quod sit: *Extremitas perspicui in corpore determinato*, quod est sufficiens subiectum coloris: ita vt etiam si actu non sit illuminatum, nihilominus color eius erit per se visibilis, poteritq; in medio illuminato imprimere speciem sui absque alio concursu effectiuo luminis, vt probauimus: non est ergo sensus definitionis, quod color sit extremitas perspicui, id est, illuminati: sed solum, vt lucis capacis, quod habet partes in tenebris, & ideo eius extremitas tunc est verus color per se visibilis.

Quod verò additur iuxta hanc sententiam non magis esse colorem in extremitate perspicui, quam in profundo, negandum est, quia in extremitate existens, potest mouere perspicuum constitutum in actu per lumen, vt aerem illuminatum, quod non potest existens in partibus profunditatis: nam latitudo profunditatis corporis ratione opacitatis hoc planè impedit, & hæc fuit ratio ob quam per extremitatem perspicui definiuit colorem Arist. in ordine ad visum consideratum, quia medium videndi diaphanum esse oportet.

100 Ad primam experientiam cōcedimus colorem valdè illuminatum videri ex obscuro loco, quia lumine eius illuminatur aliquātulum totum medium, vsque ad obiectum, quo eodem lumine plus illuminato medio iuxta colorem extra existentem offuscatur color in eodem loco obscuro existens, & apparere non potest, & ideo non videtur.

Ad secundam verò respondeo, quod si totum medium sit illuminatum vsq; ad superficiem parietis, apparebit color, & videri poterit per speciem, quam statim producet in medium.

Ad tertiam negandum est, quod magis videatur color, quo magis fuerit illuminatus, medio eodem modo se habente: nam eo ipso, quod magis sit illuminatus, etiam erit magis illuminatum medium, & si non esset, non videretur magis, quia visibilitas obiecti quantum ad proprium actum omninò proportionatur dispositioni medij, cum debeat fieri per speciem de potentia eius eductam, & in eo tanquam in subiecto proportionato recipi. Vnde eadem experientia docet pro ratione illuminationis medij attemperatæ, videri magis, aut minus obiectum, quomodocumq; se habeat circa illud lumen.

101 Ad vltimam verò concedendum est corpora exiguæ lucis diu non videri propter maximam illuminationem medij ab intensiori luminoso factam, & videri in tenebris, quia non indigent illuminatione medij. Verum est etiam colorem eorum non videri noctu: sed diu, quia requirit illuminationem medij, & per illuminationem diu existentem non offuscatur.

Ad rationem verò de illuminatione coloris necessaria illuminato toto medio, concedendum id est, sed neganda est consequentia, quod ideo sit necessarius concursus eius ex parte coloris, quem licet perfundat lumē simul cum medio, nullum tamen concursum ex parte eiusdem coloris præstat ad produ-

ctio-

ctionem speciei, aut visionem eius; sed propriam tantum producit speciem distinctam a specie coloris, per quam videtur distincta visione.

Comparatio tandem adducta pro secunda via, quam constituit Aristoteles inter intellectum agentem, & lumen, iam fuit ex mente D. Thom. explicata pro nostra sententia. Cætera verò, quæ afferuntur a recentioribus pro vltima via, ex nostris argumentis, quibus eam refutauimus soluta sunt.

102 Pro sensu autem D. Thom. circa quæstionem hanc, adnotauit bene Bannez, 1. p. quæst. 79. art. 3. in fine, & ex parte Ferrar. 1. lib. contra gentes, cap. 76. in principio D Thom diuersis illis locis citatis vtramque sententiam, vt probabilem acceptare, vt patet ex 1. p. quæst. 79. art. 3. ad 2. & modo vna, modo altera vti, prout magis ei fauet ad explicandam Theologicam doctrinam, quam eisdem locis tradit: nam ad intentum hoc nihil referebat, quod probabilior sit, vna vel altera. Quare ex his omnibus locis non licet colligere, quid de hac re senserit. At vbi commentatorem Aristotelis agebat, vt loco a nobis citato, propriam mentem explicare oportebat, eamque esse docuit expressè, quod lumen non sit necessarium ex parte coloris: sed solum ad illuminandum medium.

QVAESTIO VII.

An visio fiat per extramissionem alicuius a potentia visiua, vel per receptionem speciei ab obiecto.

103 Circa modum, quo fit vel procedit visio a potentia visiua, celebris fuit in schola opinio Platonis in Timæo, & in Theæteto asserentis fieri per emissionem alicuius a potētia ipsa extra se obiectum, quod etiam sequuti sunt Stoici cum Empedocle, Galen 7 lib. de placitis Hippocratis, & Platonis ad finem lib 10. de vsu partium, & li r prognost. sent. 19 Seneca 1. natural. quæst Aphrodis. 1 lib. problematum, q 76. Euclydes in libello de perspectiua Ptolomæus in catoptico, Chalcidius in commentarijs super Timæum. Alchindus in lib. de aspectibus, Lactantius in lib. de opificio Dei, ca. 8. & quamuis ab alijs alio modo explicetur sensus Platonis, hi tamen omnes, & cum eis Plutarch. lib. 4. de placitis philosophorum, cap. 13. & Gregorius Nyssen lib. 4. de viribus animæ, cap 2. hunc sensum tenuisse docent, vt potentia visiua nullam ab obiecto speciem recipiat: sed ex se emittat radios quosdam lucis (quos visorios appellant Spiritus, Galenus verò fulgorem, aut splendorem egredientem ab oculo) per medium vsque ad obiectum, quod attingunt & suo contactu visibile efficiunt, ijdem verò spiritus postquam obiectum contigerunt ad oculos reuertuntur quasi alterati, aut infecti ab eodem visibili ab eis alterato, aut infecto, & cum primum attingunt pupillam fit visio.

Et in primis videtur in eadem sententia fuisse Aristoteles, 2. lib. de cœlo, & mundo, text. 49. asserens nihil referre siue dicamus quod visus moueatur ad visibile vel hoc ad visum, & 3. lib. Meteor. Summa 2. cap. 3. concedit visum egredi à potentia reflecti ad ipsum, & ibidem affirmat hominē quendam fuisse qui continuò præ oculis ferebat simulachrum, seu idolum proprium, quod semper intuebatur, quod non videtur possibile, si per speciem fiat visio intra potentiā, & oculum recepta: sed ex eo solum, quod extra eam fiat in medio.

105 Præterea 5 lib de generatione animalium, cap. 2. sic de visione quorumdam hominum loquitur: *Qui intus in concauo oculos positos habent, longè aspicere possunt, quoniam motus in vastum non dissipatur: sed recto tramite meat.* Quibus verbis sentire videtur, visionem fieri per motum alicuius emissi ab oculo, quem motum ait non dissipari: sed firmiter tendere in obiectum. Atque etiam D. August. lib. 6 Musicæ, vbi asserit radios visuales productos vsq; ad rem visam vegetari ab anima viuentis.

Probatur autem experientia fascinantiū, qui obiectum, quod aspiciunt reali alteratione, & qualitate afficiunt, per quam vehementer lædere solent & aliquando occidere & nos quoq; experimur in tenebris emicare ab oculis nostris eiusmodi radios, aut spiritus, vel splendorem: ergo horum visio per extramissionem alicuius a potentia emissi in obiectum sit.

106 Probatur deinde ratione, primo quia idem obiectum a longe visum apparet minus, quam si è propinquo videatur: ergo nõ percipitur per speciem: sed per aliquid a potentia emissum.

Probatur consequentia, quia species ad quamcumq; distantiam repræsentat naturaliter obiectum, & omnes partes secundum eandem magnitudinem, quam habent: ergo impossibile est per eam visum interdum maius, interdum verò minus apparet: censebitur verò possibile, si per emissionem radiorum videatur, quia radij minores euadent ad maiorem distantiam: cum virtus potentiæ a qua emittuntur finita sit, & consequenter minorem habebit effectum ad distantiam maiorem, sicut cætera agentia naturalia.

107 Secundò, quia potentia visiua non solum percipit obiectum: sed distantiam eius ab oculo: sed distantia non potest cognosci per speciem, sicut nec potest per eam repræsentari: cum non sit sensibile per se, nec per accidens: poterit verò cognosci si per extramissionem radiorum fiat visio, qui totum medium vsq; ad obiectum percurrentes, inde ad potentiam regrediantur, & suo motu quasi distantiam metientes eam manifestam efficiant potentiæ.

Secunda opinio quasi media asserit vtroque modo visionem fieri, videlicet per emissionem alicuius ab obiecto in potentiam, atque etiam a potentia in obiectum; ita tamen vt prius obiectum emittat a se speciem in potentiam: potentia verò recepta in se specie emittat a se spiritum visorium videndi facultate præditum: quo spiritu attingente obiectum fit visio, non in oculo, sed in medio, vbi spiritus attingit obiectum, in qua attingentia consistit visio. Ita Vales. 2. lib. controuersiarum medicarum, cap. 18. eisdem verò rationibus, & experientijs potest probari hæc sententia, ac probata est præcedens.

108 Hæc tamen sententia contradicit principijs veræ philosophiæ, quod sic probo, aut spiritus ille visorius, seu splendor, vel radius, qui egreditur ab oculo, & tendit in obiectum, permanet extra eundem locum, vel reuertitur ad illum sine aliquo ei super addito, vel onustus aliquo alio, sed nullo ex his modis se habere potest, ergo commentitia est, & falsa talis emissio eius a potentia pro efficienda visione. Probatur minor, quia si extra oculum manet, fieret visio in aere, vel in obiecto, & non in oculo, & ideo nec esset actio vitalis, neque immanens, nec videret homo propriè loquendo, sed aer, vel obiectum. Hæc verò veræ Philosophiæ aduersantur, & euidenti experientiæ.

109 Quod verò vacui, aut nudi reuertantur spiritus ad oculum, aut etiam onusti, fundamento prorsus rationis caret, quia nulla datur virtus in obiecto, vel in medio, a qua compellantur regredi: cum vtrumque sit corpus infimi ordinis, hoc est, vita carens, & quasi emortuum: quare absque vllo fundamento fingitur, quod per talem emissionem, & regressionem spiritus fiat visio.

Secundò, quia vel illud, quod egreditur à potentia est substantia, vel accidens, sed neutrum esse potest: ergo commentitia est talis egressio. Minorem probo primo, quod non sit substantia: quia nec a tam paruo corpore, ac est oculus totus, emitti posset, nec ad tantam distantiam.

Secundò, quia non posset visio in instanti fieri, vt experientia docet, cum substantia illa egrediens corporea esse deberet: vnde nec ad obiectum peruenire posset, nisi per motum localem, quod constat non posse in instanti fieri.

Tertiò, quia corpus illud, nec cęlos posset imò nec visum penetrare, vt fieret visio: & stante magno vento, huc atque illuc deferretur corpusculum illud, ita vt non posset visio in directum fieri ab eo, quod contradicit experientiæ. Quod verò non sit accidens, non minus euidenter probatur: quia omne accidens est in subiecto per realem inhæsionem dependentem ab ipso subiecto, & ideò ita fixam, atque stabilem, quæ variari non potest per transitum eiusdem accidentis ad aliud subiectum, qui naturaliter proinde repugnat, quare talis visio naturaliter impossibilis est.

110 Propterea oppositam sententiam, quod visio non fiat per emissionem alicuius a potentia, sed potius per emissionem speciei ab obiecto in ipsam, & receptionem eius intra eandem potentiam: qua receptione media idem obiectum vnitur potentiæ, & a potentia, & obiecto sic vnitis per modum vnius principij elicitur visio propria. Est Aristotelis expressa in hoc 2. lib. de anima, c. 7. textu 67. & 74. c. 12. textu 121. lib. 3.

c. 1. 2. & 3. & in lib. de sensu, & sensibili, c. 2. quam semper sequuta est tota Peripatetica schola.

111 Et probatur efficaciter: nam species emittuntur ab obiectis ita necessariæ ad visionem, vt in multis casibus conuincatur, non posse nisi per illas visionem fieri, vt patet in reflexione facta in speculo, per quam euidens experientia probat videri obiectū a tergo videntis positum, quod per solam emissionem visorij spiritus, vel visualis radij fieri repugnat: cum non sit possibile spiritum quasi recto tramite egressum ab oculo, & eodem modo ad illum reuersum obiectum in ea dispositione existens tangere. Vnitur verò per speciem ab eodem obiecto egressam, & reflexam in speculo, per reflexionemq; producentem alteram in eadem potentia, & ita fit absq; vlla difficultate visio: ergo absq; fundamento excogitatur fieri per extramissionem visorij spiritus tot difficultatibus implicatam.

112 Ad argumenta oppositæ sententiæ respondeo Aristotelem, ac D. Augustinum, ex sententia Platonis loqui, vt D. Augustinus, docet D. Thomas, in quæstione de spiritualibus creaturis, art. 9. ad 12. parum enim referebat ad institutum illorum locorum: quod vno, vel alio modo fieret visio, & fortè melius explicabatur iuxta sententiam Platonis, & propterea illa potius, quam propria vtuntur, reseruantes propriam suis locis tradendam.

Exemplum verò illud ab Aristotele de homine proprium simulacrum semper præ oculis ferente in quæstionem vltimam huius capitis commodius explicandum remittimus. Sensus autem alterius loci est, eos, qui reconditos habent oculos, longius, & acutius videre, quam qui prominentes habent, quia in reconditis oculis melius vniuntur species, quod experimur per fistulam aspicientes. Et ratio Aristotelis optima est, quia motus in vastum non dissipatur, sed recto tramite procedit, motus quidem qui fit ab obiecto in potētiam per emissionem specierum, vt ibidem docet Aristoteles, non a potentia in obiectum, vt docuit Plato.

113 Quamuis alia posset reddi ratio eiusdem effectus, quia prominentiores oculi nimia luce perfunduntur, qui magna ex parte offuscantur, & ideo imperfectius, & ad minorem distantiam aspicere possunt oculi verò reconditi lucem magis temperatam suscipiunt, a qua non impediuntur, sed potius adiuuantur, cuius signum est, quod cū versus solem inspicimus, solemus manum supra oculos extendere, ne nimia luce impediantur.

Exemplum verò fascinantium difficultate caret, quia nociua illa qualitas ab eorum oculis egressa, nihil ad visionem confert.

Fulgor verò ille, qui noctu egreditur ab oculis clausis, deriuatur planè ab aliqua parte oculi luminosa, vel ab aliquo spiritu vitali quasi incenso, sed temissus adeò est, vt nihil ad visionem alterius ob iecti conferat, sed per aliquam reflexionem speciei in parte densiori eiusdem oculi facta videatur ipse.

114 Aliud verò de perceptione distantiæ, verum est, sed falsum, quod distantia ratione extensionis, non sit commune sensibile, quod percepto medio sentiatur, & quia obiecta a maiori distantia imperfectiorem producunt speciem, & imperfectius mouentem potentiam, fit, vt appareant partes, & consequenter totum minorem habere extensionem, quam re vera habent.

Opinio verò Valesij tria continet, non solum doctrinæ Aristotelis, sed communi sensui scholæ contraria.

Primum, quod visio non sit operatio vitalis.

Secundum, quod non sit actio immanens sed transiens, cum non possit recipi in potentia, sed in medio, vel obiecto vbi fit, permanere debeat.

Tertium, oculum non videre, imò nec hominem, sed aerem vel obiectum, in quo fit visio. Quæ omnia falsa sunt, & ideo sententia ipsa, tanquam falsa est reijcienda.

QVAESTIO VIII.

An oculus sit sensorium visus, & in qua eius parte resideat potentia visiua, & fiat visio, & an vna sit potentia visiua in vno animali, vel duplex.

TRia proponit titulus quæstionis: duo priora pertinent ad sensorium huius potentiæ, aut proprium, atque proximum subiectum eius: postremum verò ad vnitatem. Vt autem explicari possint omnia, breuiter agendum est de structura, & compositione oculi, qua exposita longè facilius explicabuntur cętera.

115 Vt autem structura, & compositio oculi expliceiur, adnotandum est ex obseruatione anatomica, atque etiam ex Arist.2.lib. de histor. animalium, c.9. & lib.4. c.8.5. de gen.animal.c.1. & lib.2. de partibus animal. cap.1. ex Galeno 8. lib. de vsu partium cap 6. & lib. 10. cap. quod oculi structura quinque constar tunicis, tribus humoribus, & septem musculis: licet hæc omnia non attingantur ab omnibus his aut horibus, sed præcipua, quæ vt distinguamus, & explicemus: Supponendum est illud omnibus peruium, videlicet oculum habere quasi globi figuram ex se aptissimam, & accommodatissimam, vt possit ex omni parte, & versus omnem partem inspicere.

In centro igitur, & quasi medio oculi residet humor quidam pellucidus, atque crystalo valde similis, & ideo *Crystallinus* appellatus, quamuis aliquantulum mollis sit, habetque figuram similem lupino, vel lenticulæ.

116 Hunc humorem circumdat tenuissima quædam tunica *Specularis*, seu, *Aranea* nuncupata, quia & speculi valde similis est, quia & niter, & splendet, atq; etiam aranearum telæ ob tenuitatem similis est, & propterea, vtramq; denominationem habet. Deinde humor crystallinus quasi immersus est alteri humori qui vocatur *Vitreus*, qui vitri liquefacti, atque splendentis persimilis, sic verò huic humori immersus est crystallinus, vt media eius pars supereemineat, ac si globus ligneus in aquam immergeretur. Et quod valde mirandum est: cum humor iste crystallinus diaphanus sit, ac pellucidus ad modum speculi, non possint in eo reflecti species, per quas posset quisque in oculo alterius se videre, sicut nec in speculo, nisi habeat opacum corpus a tergo constitutum, propterea nigrorem quendam eidem humori crystallino a tergo adiunxit, vt quasi pro speculo nobis esse posset, & verum de eo foret vulgatum illud sæpe vsurpatum, quod sicut speculum est oculus artis, ita oculus ipse speculum est naturæ.

117 Humorem verò vitreum circumdat secunda tunica *Retina* nuncupata, quia venulis multis, & quasi arterijs intexta, modum quendam retis habet, & ad eam partem desinit, qua crystallinus humor eminere incipit super vitreum, vtrumq; autem humoré prędictum ambit tertia tunica, quam *Vueam* vocant, quia similis est vuæ folliculo, a quo pendulum detraxeris, propter foramen in eo relictum.

118 Hæc verò tunica non est omninò diaphana, sed affecta colore aliquo subobscuro, & propterea non debuit omni ex parte cōtegere pupillam, sed ex anteriori parte patentem relinquere, ne visio impediretur, nec eodem colore afficitur tunica vuea, in quibuscumque oculis, sed diuerso, ex cuius diuersitate diuersis nominibus vocantur oculi diuersorum, nempe, cæsij, nigri, virides, aut alterius coloris, vt docet Aristoteles 1. libro de historia animalium, c.10. nihilominus vocari solet eadem tunica, *nigrum oculi*. Hanc tertiam tunicam, sequitur tertius quoque humor, qui *Aqueus, vel Albugineus* dicitur similis albo oui, a quo humore aqueo humectatur pupilla ne exsiccata ab intrinseco destruatur temperamentum oculi, & potentia ipsa pereat.

Et hunc humorem sequitur quarta tunica, quam *Corneam* vocant, quia valde similis est laminæ corneæ, sed splendida, ac diaphana totum ambiens oculum.

Itaq; aqueus humor, quasi inter has duas tunicas vueam, & corneam residet. Et tandem sequitur quinta tunica *Alba* quodam prædita foramine, sicut vuea, per quod pupilla conspiciatur: ad eandemque transmitti possint species. Et tunica hæc vltima fortis est, & *adhærens* etiam vocari solet, quia integrum oculum quasi firmat;

&

& in propria sede consistere facit, deriuaturq; a tunica caluariam ambiente, ex quo alio nomine vocatur pericranium, estque calidior cæteris, vt suo calore prædictos oculi humores foueat ne congelentur, & destruatur organum, & appellari eadem solet album oculi.

Totus vero hic oculi globus quasi ligatus est septem musculis, qui non sunt aliud, quam ligamenta quædam facile mobilia, quibus oculus sustinetur, & in varias partes hinc inde moueri facile potest, hoc est, sursum, deorsum, in partem dexteram, & sinistram, & reliquas.

119 Ad eandem quoq; oculorum structuram (quamuis extrinseca quadam ratione) concurrunt duo nerui originem trahentes a cerebro, & ad oculos vsque protracti, vnus quidem per partem dexteram, alter vero per partem sinistram, sed protracti, vt postquam tantisper a cerebro distant inter se coniugantur, & rursus priusquam oculos pertingant, separentur: vocantur verò eiusmodi nerui *optici*, seu *visorij*, quia, & per eos tendunt species ab externis sensibus vsque ad internos, & spiritus animales deriuantur a cerebro, vsque ad oculos, vt his medijs possint ijdem oculi suam visionem elicere, quam sine eis minimè possent, ambiunturque duplici tunica, intimiori quidem tenui, externa vero dura, ex quibus ortum habent duæ aliæ tunicæ vuea, & cornea. Vnde ex his duobus neruis adeò dependet bonus status potentiæ visiuæ, vt si forte disconuenientem aliquam patiantur alterationem, ex hoc solum quasi haberetur: & operationes eius maxima ex parte debilitentur, & aliquando omninò impediantur.

120 Situs denique corporis, in quo natura collocauit oculos, ac visiuam potentiam, accommodatissimus est pro operationibus ab eis exercendis, videlicet in parte capitis anteriori, vt quasi in specula constituti omnia inspicere, & omnibus partibus corporis prospicere possint, & huius rei gratia oportuit palpebris, atque etiam cilijs, ac supercilijs, ab eadem natura protegi aduersus externas iniurias, vt exponit Aristoteles primo libro de historia animalium, capitulo nono, & hæc de primo, hoc est de oculorum structura dixisse sufficiat.

121 Quibus prælibatis sequitur disputandum, in quanam parte resideat potentia visiua, tanquam in proprio subiecto, vel organo, in quo visio fiat.

Et prima opinio tenet in coniunctione illa duorum neruorum opticorum residere, & ibidem visionem fieri. Ita Auicenna 6. naturalium p. 3. c. 8. & alij.

Cuius vnicum fundamentum est, quia vnica est potentia visiua in vno, & eodem animali: ergo vnicum debet esse organum eius: nam ex vnitate subiecti sumitur vnitas numerica accidentis: sed oculi sunt duo ac omnino distincti: ergo si in eis ponatur potētia visiua, non erit vna sed duplex, quare necesse est eam ponere in vno subiecto: quale est coniunctio neruorum.

122 Secunda opinio est opposita, potentiam visiuam in oculis tanquam in proprio subiecto, vel sensorio collocans: quam cæteri omnes interpretes Aristotelis tenent, & ideo communis est (quamuis Albertus Magnus, quasi medius incedere videatur dicens quantum ad initium esse in oculo, quantum ad progressum in neruo, quantum ad perfectionem vero in sensu interiori:) quam sic omnes intelligunt, vt sensorium visus in quo residet potentia, & fit visio, sit oculus, nō tamen sit in toto oculo, sed in parte quadam determinata eius, quæ ab omnibus vocatur pupilla, quod hoc discursu efficaciter satis probari potest.

123 Nam tota structura oculi ordinatur ad recipiendam, & conseruandam potentiam visiuam, eo ferè modo quo structura anuli ordinatur ab arte, ad includendam in eo gemmam pretiosam; ergo sicut pretiosior pars totius anuli, & quasi centrum eius est illa, in qua gemma ipsa proximè recipienda est, sic pars illa oculi, in qua proximè recipienda est pretiosa gemma nempe potentia visiua, perfectior, atque pretiosior pars oculi debet esse, sed pupillam esse perfectiorem, ac pretiosiorem partem oculi, plurisque æstimandam colligitur planè ex verbis Scripturæ sacræ Psalm. 16. *Custodi me, vt pupillam oculi.* Et Zachar. *Qui enim teti gerit vos: tangit pupillam oculi mei:* ergo hæc pars oculi pro organo haberi debet, in quo potentia visiua collocanda est.

Sed quænam pars potius, quam alia pupillæ nomine intelligatur, non est inter omnes certum: sed quidam humorem vitreum, quidam tunicam retinam, alij araneā intel-

ligunt, quos omnes refert Tolet. q.17. huius lib. ipse verò Tolet. duo asserit: primum pupillæ nomine nullum posse humorem intelligi, nec proinde in humore vllo collocandam esse potentiam, tanquam in sensorio: in quo visio fiat. Quod probat, quia neq; vllus humor potest habere vitam sensitiuam, nec omninò sentire, ergo nec potest esse subiectum sensitiuæ potentiæ, vel organum eius. Asserit secūdo, pupillam in qua residet hæc potentia esse tunicam araneam, quod probat ex duobus: ex priori quidē, quia læsio quæcunq; in ea facta visionem impedit; imò & aufert: ergo signum est in ea residere potentiam. Ex posteriori verò, quia ad hanc dirigitur quodcunq; obiectum videndum recto tramite, rectaq; oppositione.

124 Nostra sententia duo asserit: Primum est, *quod organum huius potentiæ, nec neruus esse potest, nec neruorum coniunctio, sed omninò ponenda est in oculo.* Hoc est contra primam sententiam Auic & aliorum. Postremum, *quod organum huius potentiæ, quod pupilla nomine intelligi debet, nec vlla ex quinq; tunicis superius enumeratis est, nec vllus ex cęteris humoribus, sed solus crystallinus.* Hoc est contra Tolet. & alios opinantes. Quod tenet expresè Arist. lib.1. de hist. animalium, c.9. hisce verbis, *Humor oculi interior, quo videmus, pupilla est, quod eam ambit, nigrum dicitur. Quod postremo nigrum circundat, candidum, siue albugo*, atque etiam libro de sensu, & sensibili, c.2, & lib.5. de gener. animal. c.1. ita etiam Galen. lib 8. de vsu partium, c.6 & li.1. c.10. quod sequuntur etiam insigniores Medici, vt Vega in Galen. de locis affectis, li 4.c.1, Valesi. lib.2. controuer medic. c.8. & alij, & est iam communis sententia recentiorum omnium.

125 Circa quam illud obiter adnoto, recentiores quosdam humorem crystallinum cum vitreo confundere, & pro eodem numerandum esse censere, ex eo solum quod Arist. locis cit. nullam mentionem fecerit humoris vitrei, sed crystallini dumtaxat. Hæc tamen ratio friuola est, quia Arist. non omnia, quæ ad structuram oculi pertinent expresè tetigit, & ideo non sequitur: quod nō sint distinguenda, nisi quæ ipse, vt distincta nominauit. Standum igitur est Galeno, qui in posteriori loco cit. vtrumq; humorem distinguit, docens crystallinum proximè nutriri ex vitreo, vitreum verò ex sanguine in venulis tunicæ reticularis præparato. Et ita sentiunt omnes ferè recentiores solum humorem crystallinum, & non vitreum pupillam vocantes, & in eo solo collocantes potentiam visiuam.

126 Probatur ergo iam primum assertum nostrum, quod coniunctio neruorum non sit sensorium visus, quia experientia anatomicæ artis constat aliquando hos neruos nō coniungi, sed a cerebro vsq; ad oculos diuisos semper procedere, vt testatur se vidisse Vesal lib.4. de fabrica corporis humani, c.4. falsum est ergo, quod in eorum coniunctione ponenda sit potentia visiua. Secundo, eadem experientia docet, quod altero oculo clauso, alter acutius videt, idque adnotauit Arist. & rationem eius tradidit sect.31 problem. q.4. quia virtus animæ applicanda per duplicem potentiam applicatur per vnam, & ideo perfectiorem habet effectum: cum quo stare non potest, quod visio fiat in neruis, vel eorum coniunctione, sed necesse est fateri, quod fiat in oculis, quia nisi in oculis fieret, nulla posset reddi ratio eiusdē experientię, imò nec experiētia ipsa vera esse posset.

127 Probatur deinde postremum assertū, quod solus humor crystallinus sit pupilla, & proprium sensorium visus, quia in eo maximè, ac præcipuè concurrunt conditiones requisitæ ad organum visus. In primis enim hęc pars oculi maximè splendida est, conspicua, atq; diaphana, habetq; a tergo opacum alium humorem eo modo quo speculo a tergo adiunctum est plumbeum, vel stanneum bitumen, vt possit in eo fieri specierum reflexio, & propterea iure vocatur humor iste quasi speculum, in quo per reflexionem specierum videt se homo è regione positus.

128 Est etiam in centro oculi, atq; etiam in medio aliarum omnium partium collocatus, ita vt omnes videantur ordinatæ a natura ad eum ornandum, tuendum, & conseruandum, omnibusq; quasi septus, atq; munitus videatur. Ex quibus facile potest colligi esse partem oculi omnium perfectissimam: sed certum est in parte eius perfectissima esse collocandam potentiam, ad quam recipiendam, & actus eius exercendum ordinatur a natura tota structura oculi: ergo in hac parte potius quam in cæteris (merito suæ perfectionis pupilla vocata) residere debet potentia visiua, & per eam exercere visionem.

129 Ad argumentum igitur primæ opinio nis

nis concedendum est, duplicem esse potentiam visiuam in singulis animalibus, non solum realiter, sed numero distinctam, quia cũ organum eius sit pupilla (vt probauimus) & hæc sit duplex, quia non continuatur vna cũ altera, duplex est etiam potentia visiua, quia distinctio numerica accidentium efficaciter probatur ex distinctione subiectorum. Hanc vero potentiam multiplicare, non solum nõ est inconueniens, sed fuit omninò necessarium duplicem ponere, sicut etiam duplicẽ potentiam auditiuam, propter duo.

130 Primum est perfectio, atq; necessitas harum potentiarum ad cęteras operationes vitæ exercendas, atq; etiam ad opera intellectus, quod per se est manifestum. Postremum, quia cum sint in parte, aut situ valde eminentiori corporis collocatæ, externorũ corporum iniurijs patent: propterea quasi duplicare oportuit has duas potentias, vt vna saltem permanere possit, si corrumpatur altera. Et si forte duplicatur olfactus, non tam propter necessitatem sui actus, quam propter alios vsus organorum factum est, vt suo loco dicetur.

131 Ad 1. Toleti negandum est antecedẽs quod nullus humor possit habere vitam sensitiuam, nam licet verum hoc sit de sanguine, & cęteris humoribus fluidis, qui nõ continuantur cum partibus solidis, & ideo non possunt ab eadem anima informari, falsum tamen de pupilla, quę non est humor fluidus sed quasi cõgelatus, sicut crystallus est quasi congelata aqua, & ideò valde similis est partibus solidis, cum quibus continuatur. Benè ergo potest informari anima, & accipere ab ea vitam sensitiuam, esseq; organum sensitiuæ potentiæ. Quod verò visus ex læsione tunicæ araneæ læditur, non probat esse organum eius, quia non solum potentia læditur ex læsione organi, sed eorum a quibus dependet conseruatio eius; constat verò pupillam dependere ab his, a quibus circumscribitur in propria conseruatione, quia temperamentum eius per coniunctionem cum eis conseruatur. Præcipuè verò atq; directè læditur potentia visiua ex sola læsione pupillæ, ad quam recto tramite diriguntur obiecta videnda, potius quam ad tunicam araneam.

QVAESTIO VLT.

An quòd per reflexionem videtur in speculo, sit species, vel imago obiecti, aut obiectum ipsum, vel vtrumq;.

132 IN quibuscumq; corporibus politis, ac pellucidis experimur reflexionem fieri, & per eam videri corpora è regione eorum posita, etiam si a tergo videntis sint, ex quo oritur dubium an illud, quod videtur in corpore, in quo fit reflexio, vt in speculo, sit species intentionalis obiecti, vel obiectum ipsum.

Et prima opinio affirmat vtrumque vidẽri, nempe obiectum, atque speciem, vel simulacrum eius. Ita D.Thom. q. 8. de Veritate, art. 5. & 1. p. q. 58. art. 3. in quibus locis asserit lapidem, & imaginem eius simul videri in speculo, quem sequuntur Capreolus in 2. d. 35. q. 2. ar. 1. in solutionibus argum. contra secundam conclusionem. Caietan. 1. p. q. 56. art. 3. comment. in lib. de sensu, & sens. cap. 1 Scotus in 2. d. 13. q. 1. Cęlius lib. 15. c. 1. Ioan. Gand. in lib. de sensu, & sensib. q. 9. Tim. 3. lib. meteo. q. 4.

133 Probatur testimonio Aristot. 3. lib. meteo. cap. 4. vbi refert hominem quendam propriam imaginem in aere reflexam ante oculos per totam vitam detulisse, quod non foret possibile, nisi id quod videtur in reflexione præter obiectum, esset etiam ipsius imago.

Probatur deinde ratione, quia id quod videtur per reflexionem in speculo, minoris longè magnitudinis est, quam obiectum ipsum. Situs quoque ac dispositio, in quibus videtur, longè diuersi sunt ab his, quos obiectum habet: nam magis distans ab oculo videtur, quam sit secundum se. Imò, & aliquando suprema pars obiecti apparet infima, & è conuerso. Et aliquando in quibusdam speculis tali modo compositis plura apparent obiecta: cum solum extet vnum.

134 Ex quibus euidenter sequi videtur, vel non videri obiectum, vel non videri ipsum tantum, sed etiam simulacrum eius, ratione cuius his modis diuersis apparere potest: nã si ipsum dumtaxat videretur, eodem modo appareret semper.

Probatur tandem, quia si obiectum videretur, & non simulacrum eius, in ea distantia videretur, in qua fit reflexio speciei, sed constat videri in alia longè diuersa, nam reflexio speciei fit in superficie speculi, obiectum verò videtur in profundo eiusdem speculi, imò aliquando distans ab eo ex posteriori parte, quod non videtur possibile, nisi ratione simulacri simul cum eo visi.

135 Secunda opinio *negat omninò videri per reflexionem speciem, vel simulacrum obiecti, sed obiectum dumtaxat videri censet*. Ita Ricard. in 4.d. 11.q.1. ad 6. principale. Palatius in 2.d. 3.disp 5. Apollinar. 1. lib.de anim.q.17. Tolet.q.vltim.& omnes ferè recentiores, & est communis omnium ferè Perspectiuorũ, vt constat ex Ciruelo lib 2. Perspectiuæ, c.2. concl. 13. & Vitellione lib. 5. nec est probabilior tantum, sed vera. Quam probo primo, quia obiectum visus, ex omnium consensu solum comprehendit lucem, & colores, sed species intentionalis obiecti non est lumen, neque color, sed quædam alia diminuta qualitas specie distincta: ergo non pertinet ab obiectum quod videtur, quare nec videri potest. Probatur minor de veris coloribus: quia colores sunt secundæ qualitates, & ideo non actiuę physica ac naturali actione ad producendum alias habentes esse naturale, & physicum, quod solum conuenit primis qualitatibus: ergo colores obiecti non possunt producere alios per reflexionem in speculo, ita vt tanquam simulacrum eorum aut eiusdem obiecti videantur: & multò minus potest dici, esse colorem apparentem illud, quod videtur in speculo, quia colores apparentes verum lumen sunt, verum autem lumen non potest produci a colore: cum sit longè perfectius illo: quare ex hoc etiã conuincitur simulacrum illud, vel speciem apparentem non esse lumen, quod videatur.

136 Præterea colores apparentes non sunt permanentes, sed mox euanescunt, præsente etiam luminoso, a quo causantur: sed colores visi in speculo permanent, quandiu præsens est obiectum: veri ergo sunt, & non apparentes.

137 Secundò probatur, quia species obiecti producitur in speculo, & ab eo fit reflexio ad oculum, nec in toto speculo, sed in parte eius (quantumlibet paruum sit) ergo species producta in speculo, non potest esse maioris magnitudinis, quam sit magnitudo illius partis speculi, in qua producitur, quia accidens sumit extensionem quantitatiuam a subiecto: ergo non potest habere maiorem extensionem, quam sit extensio, aut magnitudo subiecti.

Sed experientia patet habere multo maiorem, quia in minima parte speculi videtur magnum obiectum: ergo non est intelligibile, quod simulacrum obiecti videatur. Et tandem quia si videretur simulacrum, cum non habeat esse naturale, sed intentionale, viderentur species intentionales, & nunquam fuisset dubitatum an dentur in natura rerum.

138 Nec S.Th. tenet oppositam sententiã, quia illis locis non agit de sensationibus, sed de modo intelligendi Angelorum sine discursu, qui eadem cognitione cognoscunt principium, & conclusionem in eo contentam.

Ad hunc autem modum cognoscendi explicandum vtitur exemplo visionis reflexæ iuxta illam sententiam asserentem visum simul per eam cognoscere obiectum, & eius simulacrum, quod valde simile, & accommodatum est ad id intelligendum.

Sed ex hoc non bene colligitur, quod D. Thom. teneat sententiam illam, nam (vt superius ostendimus) sæpe solet Sanctus Doctor exemplis ex aliorum sententia vti ad explicandas difficultates Theologicas, quas ex professo discutit. Testimonium verò Aristotelis superius a nobis expositum est.

139 Nam, vel ab oculis Antipherontis ophthalmia laborãtibus crassus aliquis humor forte diffluere solebat, a quo proximus aer densabatur, & in aere sic densato reflectebatur species propria a se emissa, & per talem reflexionem se videbat semper: vel certè non visu externo, sed per internam imaginationem læsam se videre semper falsò apprehendebat. Nam de eodem homine testatur Aristoteles in lib de memoria, & reminiscentia, cap. 1. simulacra omnia, quæ phantasia concipiebat tanquam verè facta, aut gesta narrasse. Et Gal. l 3. de locis affect. 6. docet, propter cerebrũ humore melancholico affectum sibi persuasisse quosdam plura obiecta ante oculos versari, seq; ea videre, q̃ tamen interius solummodo conficta erant.

140 Ad primum argum. ex illis experientijs deductum respondeo alio modo se habere obiectum in multiplicanda specie directa,

recta, & reflexa; nam directam per se ipsum producit, sine alio corpore medio: reflexam verò non nisi medio speculo, in quo fit reflexio, & iuxta conditiones reflexionis iudicandum est tam de specie producta in oculo, quam de visione obiecti.

141 Species igitur reflexa non repræsentat obiectum in ea distātia ac situ, in qua est: quia nō mouetur visus immediatè ab ea, sed media reflexione in speculo facta, & cū in alio loco, aliaq; distantia, & situ sit speculum, in eadem repræsentatur obiectū, & sub minori magnitudine, iuxta naturam reflexionis factę in corpore minori, alteriusq; dispositionis, cæteræque varietates in repræsentatione obiecti contingentes ab eadem etiam causa proueniunt, adiuncta varia dispositione, & compositione speculorum, & ipsiusmet videntis, vt eadem experientia notum est.

142 Ad secundum respondet Tolet. vbi supra, quod cum in productione speciei reflexæ interueniat distantia obiecti ab speculo, & speculi ab oculo: necesse est eandem speciem repræsentare obiectum cum vtraq; distantia, ita tamen vt ex recta, & reflexa fiat vna quasi duplicata, & propterea, inquit, repræsentatur obiectum, quasi vltra speculū esset. Ego verò non credo repræsentari obiectum, tantum distans à speculo, quantum verè ab eo distabat, quia licet in profundo eius repræsentetur, & vltra illud, non tamē separatum, sed prope idem speculum positum, vt visu iudicamus omnes.

143 Vnde nec verum puto, quod cum tota distantia recta, & reflexa quasi vnam componentibus repræsentari debeat. Sed repræsentari in profundo speculi, & vltra illud potius, quam in superficie extima, propter naturam reflexionis, quæ sicut est motus oppositus directo, per quem obiectū producit speciem sui in speculo, ita repræsentat ipsum modo quasi opposito, hoc est, versa facie ad oculum: cum per speciem directam ab eo in speculum procedentem repræsentaretur, versa facie ad speculum. Et ita contingit in repræsentatione distantiæ nam per speciem directam repræsentatur citra speculum, & quasi ante illud, sicut reuera est, & ideo per speciem reflexam vltra speculū, & quasi post ipsum, prope ipsum tamen speculum positum, cum ab eo reflectatur species, & hæc de sensu visus dicta sufficiant.

CAPVT VIII.

De auditu, sono, ac medio, de ipsa echo, atque etiam de voce.

TEXTVS ARIST.

Nunc autem primum de sono, & auditu determinemus.

Breuis expositio Textus.

1 Explicata in primo loco sensitiua potētia omnium perfectissima, nempe visiua, pergit Aristoteles explicare auditum, qui secundum locum perfectionis post visum obtinet, quia minus est materialis, quàm cœteri sensus, vt ex modo operandi purè intentionali; & ideo perfectiori in genere cognitionis intelligi potest. Intentum igitur huius capitis est explanare naturam auditiuæ potentiæ. Diuisio autem eius quadrimembris: nam in prima parte insinuata diuisione soni in rectum, & reflexum (qui vocatur echo) exponit modum, quo directus sonus efficiatur, & à quibus causis. In secunda agit de sono reflexo. In tertia de organo, in quo residet hæc potentia. Et tandem de diuersis sonis præsertim de perfectissimo, qui est vox.

2 In prima igitur parte, vt explicet naturam soni, diuidit eum in sonum actu, & sonum potentia, quæ diuisio sonorum potius corporum est: nam quædam sunt, quæ sonora quidem vocātur, quia effectiua soni sunt, quamuis actu eum non efficiant; & ideo dicuntur sonora in potentia, quod est esse sonatiua. Alia sunt, quæ non solum valent sonum edere: sed enim actu efficiunt, vt sonatiua corpora, dum actu se collidunt, aut percutiunt. Supposita autem distinctione soni in rectum, atque reflexum docet, quonam modo rectus fiat, afferens tria ad productionem eius requiri corpora, duo quidem, quæ se percutiant; & medium per quod se percutiant.

Quod

3 Quod sic probat, sonus resultat ex percussione: sed vnum, & idem corpus, non se percutit: ergo percussio duo postulat quasi extrema corpora: sed percussio non potest fieri, nisi medio motu locali, quia non se per cutiunt corpora, quamdiu permanet vtrūq; immotum, nec motus localis potest in vacuo fieri: sed in pleno: ergo tria requiruntur necessariò corpora, vt efficiatur sonus.

4 Qualia verò esse oporteat eiusmodi corpora, statim exponit, & prius quidem, qualia esse debeant duo corpora se percutientia his conditionibus: nam oportet (inquit) dura esse, alioquin nō poterunt medium corpus diuidere, & ideo nec sonus causabitur ex mutua eorum percussione; propterà mollia corpora sonum non faciunt, etiam si se percutiant, vt si lana percutiat lanam.

5 Secundum requiritur, vt læuia sint, hoc est, vt aliquas superficierum partes planas habeant, & ideo quasi perpolitas, nō supereminentes; si enim talia sint, integrā ac maximam medij corporis partem simul percutient, & cum maxima resistentia eius, & ex tali percussione sonus efficietur; si verò super eminentes partes habeant, medium potius in minutissimas partes secabunt, paulatimq; ac sine vlla ferè resistentia dilabetur, & sonum non efficiet. Tertia conditio est, quod alterum saltem eorum sit concauum: nam ita fiet, vt medium corpus percussum ab altero non facilè dilabatur: sed partes potius eiusdem concaui corporis percussi ab altero, & ipsum frequenter percutiat; & ita efficiatur sonus, vt patet in tinnitu permanente post sonum campanæ, quem Hispani vocant, (*retintin*.) Vltima conditio est, quod velox sit percussio corporum, alioqui si tarda sit, locus dabitur medio corpori, vt sensim, & sine sono dilabatur. Duæ autem istæ conditiones extremę non requiruntur simpliciter ad productionem soni, quia aliquis potest sine illis fieri: sed solum, vt perfectus efficiatur, & hæc de sono directo.

6 De reflexo verò (qui vocatur echo) statim in 2.p. docet ita fieri, vt sonus directus ex percussione corporum medio aere factus feratur cum ipso aere, ad aliquam distantiā, in qua occurrere ei solet corpus solidū prohibens vlteriorem dilatationem eius, quare retrocedere eum cogit, cum aere, in quo ferebatur versus audientem, à quo rursus auditur.

7 Quod egregiè explicat exemplo lapidis in aquam proiecti, qui suo ictu circulum quēdam spargit in aqua sibi proxima, & iste circulus maiorem alium, & secūdus tertium se maiorem quousq; occurrit litus, vel saxum impediens vlteriorem multiplicationē circulorum, & vim aquæ cogēs, vt per minores circulos reuertatur. Ex quibus colligit benè locutos fuisse antiquos Philosophos asserentes in vacuo fieri sonum, per vacuum intelligentes aerem, eum tamen non facientes pręcipuam causam soni: sed medium tantum, quo causatur sonus à corporibus se collidentibus, tanquam à præcipuis causis, quod verū est; sic autem intelligendum, vt continuus esse debeat aer, vsq; ad auditum, alioqui si interrumpatur, non poterit sonus per eum fieri, vel certè non poterit audiri, quia non poterunt species eius vsque ad auditum peruenire, de quo inferius dicetur.

8 Explicat deinde in 3.p. capitis modū, quo fiat auditio, aitque ita fieri, videlicet vt aer externus intercedens inter corpora sonātia, & auditum continuus esse debeat cū aere interno intra aures consistente, & sub quadam tunica (quæ vocatur miringa) comprehenso; ita tamen, vt aliqua ex parte contingatur ab externo aere. Hunc ergo externum aerem continuatum vsq; ad auditum mouēt corpora sonantia per eum producendo sonum, vel multiplicando species eius, quousq; pertingant internum aerem, & in eo recipiātur, post receptionem verò fiat auditio. Hoc autem esse discrimen inter internum, & externum aerem docet, quòd iste facile dissipatur, vel fluet, internus vero nec dissipetur, nec fluat: sed in eodem semper loco perseueret.

9 Quod vsque adeo verum esse putauerunt quidam ex antiquioribus Philosophis, vt dixerint auditionem fieri posse, etiam si aer externus non esset: sed medium omninò vacuum, quia sufficit (inquiunt) internus aer, quem quidem adeo necessarium esse existimat Arist. vt si aliquo motu moueri contingat, vt dum auris quodam veluti bombo personat instar cornu, minimè audiamus, immo etiā si alia de causa aer ipse malè sit affectus, vel membrana qua continetur.

10 Sed dubitat Arist. an supposito, quod ex percussione duorum corporum resultat sonus, vtrumq; eorum sit præcipua causa eius, vel alterum tantùm, nempè percutiens, vel

per-

percuſſum,& ideo vtrumq; ſonatiuum dicatur, vel alterum tantum. Et reſpondet vtrũq; eſſe cauſam ſoni, & vtrumq; ſonatiuum vocari diuerſa ratione : nam ſonus non fit, niſi violenter pertingatur medium ab extremis ſe collidentibus, ac tangentibus, vt autẽ per violentum contactum eorũ pertingatur medium,neceſſariò requiritur concurſus vtriuſque,vnius quidem porcutientis,ac mouentis medium corpus,alterius verò,vt percuſſi, & reſiſtentis eidẽ medio,prohibentiſq; ne paulatim diſſipetur, ac dilabatur : ſed cũ magna violentia perfringatur ab vtroque ſe tangente,& collidente : & ecce quo pacto vtrumq; corpus ſonans ſuo modo concurrit ad violẽtam perfractionem,ac diuiſionẽ medij (quã proximẽ ſequitur ſonus)& conſequenter ad eum producendum ; ita vt ex vtroque vna cauſa totalis,& proxima integretur.

11 In extrema tandem parte capitis agit de ſpeciebus,ac differẽtijs ſonorum, quos in primis diſtinguit in acutos,& graues;cognoſcuntur verò perſonatiua corpora : nã ſicut acutum , & obtuſum in ordine ad tactum ſe habẽt,item ſonatiua corpora acutum, & grauem ſonum efficientia in ordine ad auditũ; ſicut enim acutum in ordine ad tactum dicitur corpus, quod breui tẽpore magnam corporis ſciſſionem efficit, & obtuſum quod nõ niſi magno tempore efficit paruam Ita acutum eſt illud , quod breui tempore auditum acriter mouet:graue verò,quod mouet parũ: & ob id tardum dicitur , non quod tardum, & velox ſint idem , quod graue , & acutum: ſed quia cauſa ſunt, vt ſonus grauis,& acutus vel ſonatiua corpora ſic moueant auditum. Sonus omnium perfectiſſimus eſt vox,quam propria definitione explicare contendit, dicẽs eſſe ſonum animalis: nam ſola animalia propriam vocem emittunt;tibia verò,aliaq; inſtrumenta ſolum per analogiam.Nam carent diſtinctione ſyllabarum, quæ eſt potiſſima ratio vocis , & propterea ſolum dicitur vox per ſimilitudinem.

12 Nec tamen ſonus cuiuslibet animalis vox eſt,niſi eius,qui ſanguinem,ac reſpirationem habet, & cum verum ſit ea ſola animalia reſpirare,quæ pulmonem habent: ***Erit vox ſonus animalis factus ab aere à pulmone per reſpirationem ad guttur vſque emiſſio,cum intentione aliquid ſignificandi.***

Quam definitionem,vt explicemus,adnoare oportet cum eodem Ariſt.animalia reſpirantia quandam habere viam à, pulmone,vſque ad os productam,quæ vocatur guttur,per quam pulmo iuxta cor caliđiſſimum reſidens,& ipſe quidem ex proprio temperamento calidus valdè exiſtens , externum aerem , ac frigidum attrahit , & calidum à ſe expellit , ſicque ſe ſimul , & cor refrigerare poteſt .

13 Extrema verò pars huius viæ verſus os in ſuprema parte colli poſita *gurgulio* vocatur, in quo detinetur ſemper aer, & aer in hac parte detentus percutitur ab aere emiſſo à pulmone per reſpirationem , & ex hac percuſſione fit ſonus ille , qui vocatur vox; fitque à cunctis animalibus reſpirationẽ habentibus : ſed à ſolo homine dearticulatur, lingua, dentibus,& palato cæteriſque inſtrumentis ad dearticulationem concurrentibus; quæ vt applicantur ab appetitu per imaginationem moto, aliam perfectionem eidẽ voci dearticulatæ tribuunt;quia ex hoc ordinari poteſt ad ſignificãdum, non ſolùm ea quæ per imaginationem apprehenduntur,& affectus appetitus: ſed conceptus mentis,& affectus voluntatis:& hoc explicatur per vltimã particulam eiuſdem definitionis:***Cum intentione aliquid ſignificandi***,hoc eſt,affectum aliquem,vel conceptum, vt diſtinguatur vox à cœteris ſonis eiſdem inſtrumentis factis, vt à tuſſi,& reliquis.

14 Ex quibus duo colligit: Primum eſt, aerem attractum,& emiſſum per reſpirationem duo habere officia, vnum quidem ad vitam neceſſarium: videlicet refrigerationem pulmonis,& cordis,ſine qua peribit citò animal:aliud non quidem neceſſarium ad vitã ſed valdè accommodatum, in quantum per illum vocem explicato modo formamus; & loquimur noſtros conceptus , atque affectus alijs ſignificantes.

15 Colligit ſecundo piſces non edere vocem,quia gutture,ac reſpiratione carent, ſonus verò , quem cuiuſdam fluuij piſces edunt branchijs,aut ore, cauda,aliove inſtrumento cauſatus, licet appareat vox , non eſt tamen vera : ſed ſolam ſimilitudinem vocis habet,quia inſtrumentis veræ vocis accommodatis non fit.

TRA-



TRACTATVS DE POTENTIA Auditiua, & actibus eius, ac sono recto, atque reflexo.

QVÆSTIO I.

An sonus sit motus ipse percussionis, vel medij resilientis, vel qualitas à motu distincta permanens, vel successiua.

Prior quæstionis pars.



DE natura soni duo quærit titulus quęstionis: Primū, an sit motus ipse corporū à quibus fit, vel qualitas per talem motum producta. Postremum an dato quod sit qualitas, successiua sit, vel permanens.

16 Vt autem intelligatur primum, adnotare oportet, duplicem motum concurrere ad sonum, vnus est corporum se collidentium; alter corporis medij per eorum collisionem resilientis, vt aeris exempli gratia, quo medio se percutiunt corpora sonantia. Et de motu priori nemo ferè vnquam dubitauit, quod sonus non sit: sed de posteriori.

Fuit prima sententia affirmans esse sonum, pro qua Tolet. q. 19. huius libri citat Themistium, & cœteros expositores Græcos, & ipsemet docet non esse improbabilē. Probatur verò testimonio Arist. c. præsenti tex. 85. sonum his verbis definientis: *Est enim sonus motus eius, quod potest moueri hoc modo, quo resultantia à leuibus cum aliquis percusserit.*

17 Deinde ratione, quia omnis qualitas denominat subiectum, in quo est, ipsum determinando, & qualificando: sed sonus nullum subiectum denominat; ergo non est qualitas. Minorem sic probo, quia vel denominaret corpora sonantia, vel aerem medium, vel auditū, non est enim excogitabile aliud, quod tanquam subiectum denominet: sed nullum horum denominat; ergo nō est qualitas: sed motus aeris resilientis denominans aerem ipsum motum. Minor satis est per se manifesta, quia nulli horum aliquam denominationem formalem à sono tanquam à forma quispiam tribuit: sed corpora se percutientia extrinsecè tantum denominantur ab eo sonantia, tanquam ab effectu, & ideo denominatione causæ; auditus verò nunquā fortè recipit in se realem sonum, neque motus resilientis aeris formaliter sonans dicitur: sed solum, vt effectus corporum sonantium vocari potest sonus, quod est esse ipsummet sonum ab eis productum.

18 Secundò sonus neque est prima, neque secunda qualitas, cum nec sit aliqua ex quatuor, nec ex earum permixtione resultet.

Imò nec si esset qualitas, posset per motum

cum localē produci, qui ad vbi potius quam ad qualitatem terminatur.

Opinio posterior communis est *quod sonus non sit motus aeris resilientis, sed qualitas realiter ab eo distincta, & per motum causata à corporibus sonantibus*; & ita tenendum est. Ita Auicenna, lib. 6 naturalium, p. 2. c. 5. Albert. Magn. in summa de homine p. 2. q. 1. D. Th. lect. 16. huius lib. cum cæteris interpretibus cap. præsenti, Toletus quæst. 19 Bannez. 1. p. q. 78 artic. 3. dub. 1. de auditu, & reliqui iuniores.

19 Et colligitur planè ex doctrina Aristotelis c. 6. huius lib. vbi distinguit sensibilia propria à communibus in eo, quod communia à multis sensibus percipi possunt, propria verò ab vno tantum, vt color à visu, & sonus ab auditu. Deinde inter communia sensibilia enumerat motum. Ex vtroque vero ita arguo. Sonus est sensibile proprium; ergo ab vno tantùm sensu percipi potest: motus verò est sensibile commune: ergo à multis sensibus perceptibilis, sed repugnat idem obiectum sensibile, ab vno tantùm sensu percipi posse, & etiam à multis: ergo repugnat sonum à solo auditu perceptibilem, esse motum.

20 Probatur etiam ratione primò, quia motus, & sonus habent diuersa accidentia, aut proprietates, dicitur enim sonus grauis, & acutus, quæ accidentia, ac denominationes non conueniunt motui; nam motus solum dicitur tardus, & velox, non grauis, & acutus; ergo non sunt idem.

Secundò, quia entitas illa, quæ potest esse naturaliter sine alia, distincta debet esse realiter ab illa, sed experimur sonum campanę permanere transacto motu corporum sonātium, atq; etiam aeris resilientis: ergo sonus res distincta est ab omnibus his motibus.

21 Tertiò quia omnia sensibilia propria quia per se causant passionem in sensu, collocantur in tertia specie qualitatis, vt docet expresse Arist. in eo prædicamento; sed motus nullum habet per se prædicamentum, quia incompletum quid est. Et ideo reijcitur ab Arist. ad Postprædicaméta, vt patet ibidem c de motu: ergo distinguuntur essentialiter; quare non potest sonus in motu resilientis aeris consistere, sed qualitas esse debet distincta essentialiter à motu.

22 Ad testimonium Aristotelis respondeo ex integro contextu literę cōstare, quod explicuerit illis verbis sonum per causam, non ita vt motus ipse medij corporis sit pręcipua causa soni, quod ipse etiam Aristoteles docuit ibidem, inquiens, aerem, & aquam media esse per quæ sonus efficitur, sed non esse authores soni, hoc est præcipuas causas, sed corpora sonantia, quare nihil refert, quod motus sit imperfectior sono ad hoc, vt sit qualitas ab eo distincta, ac per eum producta à præcipua causa perfectiori.

Ad argum. verò respondetur, sonum esse in corpore medio rel liēte vt in aere, quem ideo non denominat, quia non est qualitas omninò permanens, sed citò transiens, sicut impulsus in lapide, aut rubor in facie causatus ex verecundia.

Aliud verò, quod dicitur sonum, non esse primam, nec secundam qualitatem, concedendum est, quia diuisio illa qualitatis in primam, & secundam, non est adæquata comprehendens omnes qualitates, vt in secundo libro de generatione docuimus, non enim comprehendit lucem, neque impulsum.

Et quod tandem additur non produci sonum per motum localem, distinguendū est. Nam per se, & tanquam proprius terminus verum est, sed quasi ex consequēti, & per accidēs eo ferè modo, quo idem motus localis producit sæpè colorem.

23 Per se verò producitur sonus per alterationem propriam consequentem, aut comitantem motum localem, quæ alteratio licet proprio atq; speciali nomine careat, vocari potest sonatio, id est productio soni tāquam termini per se intenti per illam.

Posterior quæstionis pars.

PRæsupposito iam primo, quod sonus sit qualitas distincta à motu aeris resilientis, sequitur secundum, an sit qualitas successiua nullam habens partem permanentem.

Et prima opinio tenet successiuam esse sicut motum, ita vt nullam habeat permanentiam. Ita Palatius, ad text. 8. huius libro Fons. 5. metaph. 10. q. 1. sect. 3 à quo non longè abest Tolet. q. 19. huius lib. q. 3 nec etiam Conimb. qui hoc solo distingunt successionem soni à successione motus: quod hæc conuenit motui per se, illa verò conuenit sono per accidens: quare videntur sentire sonum

in

in ſucceſſione conſiſtere, licet conueniat ei ratione motus. Sed probatur ex definitione Ariſtotelis, qua dicit ſonum eſſe, ictum, vel motum corporis, quæ definitio cauſalis ad minus eſt hunc ſenſum continens, *ſonus habet eſſe per motum, & cum motu*: ergo repugnat fieri, aut eſſe niſi cum motu, & exiſtente motu, vt aſſeruit etiam D. Thom. lect. 16. huius lib. & verum eſſe non poteſt, niſi habeat eſſe ſucceſſiuum ſicut motus.

24 Probatur deinde ratione, quia ſonus in fieri, & eſſe ſeſe accommodat motui, ſed motus nullam habet permanentem partem, ſed omnes ſucceſſiuas, ergo nec ſonus. Probatur conſequentia, quia ſi aliquam habet permanentem, verum erit, quod ſit, quando non eſt motus, quia in tali permanentia non eſt motus, imò non dependebit in eſſe, & conſeruari à motu; quare non repugnat naturæ eius diu conſeruari ſine motu; nam poſtquam ſemel ſine eo conſeruatur, ſemper conſeruari poteſt.

25 Secundo, ſi aliquo tempore ſine motu permanet, ſequitur audiri tunc à potentia exiſtente intra ſphæram actiuitatis eius, ſed tunc non poſſunt audiri ſonantia corpora, quia non mouentur, nec ſe percutiunt, nec ſonum efficiunt, audietur ergo ſonus non auditis corporibus ſonantibus, quod patet eſſe impoſſibile. Imò ſequeretur eundem ſonum non ſemel tantum, ſed iterum, ac pluries audiri auditione recta contra experientiam. Probatur conſequentia quia auditio fit in inſtanti, ſi in inſtanti fit ſonus, & poſt illud inſtans permanet, ergo audietur iterum, quia obiectum exiſtens intra ſphæram actiuitatis potẽtiæ naturaliter emittit ſpeciem ſui ad potentiam, per quam percipi poteſt, & cum infinita ſint inſtantia in tempore, quo durat ſonus, pluries imò infinities audiri poterit.

Secunda opinio *negat ſonum eſſe qualitatẽ omnino ſucceſſiuam ſicut motum, ſed aliquam tribuit ei permanentiam, & ita quaſi mediam eſſe aſſerit inter entia purè ſucceſſiua, & purè permanentia*. Hæc eſt iam ferè communis inter recentiores, & videtur mihi non ſolum probabilior, ſed vera. Quam ſic declaro, & confirmo, ſi inceptionem, & deſitionem ſoni conſideremus, inueniemus ex vtraq; habere quandam ſucceſſionem: ex inceptione quidem, quia non poteſt fieri, nec incipere eſſe, niſi cum motu corporum ſe percutientium, & aeris reſilientis, ſed motus eſt ſucceſſiuus, ergo aliquam habet ſucceſſionem ſonus, quantum ad ſuum fieri. Quantum ad deſitionem quoque non poteſt negari ei ſucceſſio: cum experientia auditus nobis conſtet ſonum paulatim, ac ſucceſſiuè langueſcere, quouſque tandem omnino euaneſcit.

26 Permanentia verò eius, duplici experientia probatur; prior eſt, quia euidenter nobis conſtat eundem numero ſonum à multis audiri ſucceſſiuè; primo quidem ab his, qui ſunt intra ſphæram actiuitatis eius; deinde verò ab alijs, qui vel ipſi per motum proximiores fiunt, & eam ingrediuntur; ergo euidens eſt toto illo tempore durare, & ideo aliquam habere permanentiam. Poſteriorẽ experientiam habemus omnes in voce reflexa, quæ vocatur Echo, nam conſtat prius audiri vocem directam, poſtmodum verò reflexam: conſtat etiam per moram illam temporis inter vnam, & alteram auditionem intercedentem neceſſariò permanere ſonum, ſiue fiat echo, per reflexionem eiuſdem, vel ſpecierum: nam ſpecies ab eo dependent in conſeruari: ergo euidenter probatur, per eandem moram temporis eundem numero ſonum durare.

Verumtamen vt melius ſucceſſio, ac permanentia ſoni intelligatur, & argumenta oppoſita commodius ſoluantur, adnotare oportet, ita fieri à corporibus ſonantibus, ſiue ſe collidentibus, vel inter ſe ſeparatis, aut diuiſis, vt medio motu reſilientiæ medij corporis, vt aeris, vel alicuius alterius fiat, & in corpore ipſo medio reſiliente, tanquam in ſubiecto recipiatur. Reſilientia vero medij corporis quaſi fuga eius violenta eſt ab ipſiſmet corporibus quaſi illud à ſe repellentib. cauſata. Cauſatur verò medio impulſu, ei impreſſo ab eiſdem, ſed per ſe fit per alterationem propriam diſtinctam ab eodẽ motu locali reſilientis corporis, à quo cauſatur, eo fere modo, quo cauſatur calefactio corporum medio motu locali eorum, & per eam calor.

27 Sed hoc puto eſſe diſcriminis inter calorem productum per motum localem, & ſonum, quod calor productus dependet quidem in fieri à motu locali, non tamen in cõſeruari: cum videamus eo tranſacto permanere calorem. Sonus verò non ſolum in fieri dependet à motu reſilientis corporis, ſed etiam in conſeruari, quamuis à motu corporum

porum sonantium in conseruari non dependeat, sed eo transacto permaneat, quia non causatur immediatè ab eis medio tali motu, sed medio motu resilientiæ medij corporis. Ab hoc igitur assero dependere in conseruari, & tandiu durare sonum, quamdiu motus aliquis aeris durat, & non amplius, sed quia non fit per ipsum, tanquam proprius terminus eius, sed per propriam alterationem, quam sonationem propriè vocare possumus cũ fit per se, ac proxima productio soni, ideo non est successiua qualitas, sicut successiuus est motus, sed aliqualem habet permanentiam, vt probauimus; quamuis dependentem à motu, non quidem tantam, quãtam habet color per motũ localem productus, sed longè minorem, quia debilioris est conditionis & naturæ.

28 Et eo quidem paruo tempore, quo permanet, conseruatur medio motu ab vniuersalibus causis, vel etiam ab eisdem corporibus sonantibus, cuius virtus esse videtur motus, per quem possunt concurrere ad eum conseruandum, sicut ad producẽdum, quamuis diuerso modo immediationis virtutis, aut suppositi. Vt varias opiniones comprehendamus.

Ex quibus ad testimonium Aristotelis respondeo, verum esse, quod sonus per motũ, & cum motu fiat, sed dupliciter hoc debet intelligi; quia duplex motus in productione soni interuenit; vel certè triplex; nam duplici in primis locali motu medio fit, prior est corporum sonantium se collidentium, vel separantium: posterior verò motus est corporis medij resilientis, proximè concurrentis, nam ille quasi remotè concurrit.

Tertius verò, & proprius, quem per se terminat sonus, est alteratio, & cui speciem confert.

29 Et licet tres isti motus omnino sint successiui nullam habentes permanentẽ partem, non sic est successiuus sonus, sed licet ab hac successione dependeat, esse tamen eius aliqualem habet permanentiam, vt probauimus, sicut calor productus per motum localem dependet ex eius successione, & nihilominus ea transacta permanet, quia quamuis sonus causetur medio motu, alterius est naturæ ab eo, cum sit qualitas, & non sit fieri, aut via ad terminũ, sicut est motus. Quod verò infertur posse conseruari sonũ sine motu, negandum est, nam cessante omnino motu aeris, cessat quoq; sonus, & paulatim cum motu ipso languescit.

Ad aliud verò, quod obijcitur non audiri corpora sonantia, quia dum auditur sonus, iam non mouentur.

30 Respondeo hac distinctione, non enim audiuntur in se, & per se, quia nihil potest audiri, nisi sit sonus, vel sonum aliquo modo participet; audiuntur verò in suo effectu, quem causant, ita vt cum sonus audiatur, tanquam productus per motum collisionis eorum, ipsamet corpora, atque eorum collisio audiri dicantur, alio verò modo audiri non possunt.

Illud verò, quod tandem dicitur semel, & iterum audiri eundem numero sonum rectum, etiam est distinguendum; nam à diuersis successiuè ingredientibus sphæram eius, per motum ipsorũ, vel eiusdem soni, semel, & iterum auditur; non tamen ab eisdem sed toto tempore, quo permanent intra sphærã eius, eadem auditione continuata, non interrupta audiuntur, non multis per discontinuationem distinctis.

QVAESTIO II.

An necessarius sit ad productionem soni concursus trium corporum, & omnia sint causa efficiens eius.

Prior quæstionis pars.

31 DVo petit titulus quæstionis. Primũ, an ad efficiendum sonum necessariò requirantur tria corpora; duo extrema se collidentia, & medium. Postremum, an omnia hæc sint causa effectiua eiusdem soni, & vtrumque erit eodem ordine sigillatim disputandum. Et circa primum duæ versantur opiniones inter recentiores, quamuis non videantur oppositæ.

Prior tenet omnino requiri tria corpora, & hæc videtur expressa sententia Aristot. c. præsenti textu 78. vbi ita ait, *Fit autem secundum actum sonus semper alicuius ad aliquid, & in aliquo, percussio enim est quæ facit:* Et probatur ratione, quia duobus modis fieri potest so-

sonus, vel violenta percussione, vel violenta diuisione, sed vtraque postulat necessario tria corpora, ergo, & productio soni non potest minus, quam per tria corpora fieri. Maior certissima est. Minorem verò sic probo.

32 Percussio fit per contactum, & diuisio per separationem diuersarum partium eiusdem corporis, sed contactus non datur minus, quàm inter duo corpora contigua: separatio verò efficit partes eiusdem corporis corpora diuersa, cum eo ipso, quod separantur, quælibet fiat integrum corpus distinctũ ab alio, ergo tam violenta percussio, quàm violenta diuisio postulant duo extrema corpora; & neutra potest, nisi per medium corpus fieri non solum, quia motus localis est, qui per vacuum non potest naturaliter fieri, sed etiam in ordine ad sonum, quia si in vacuo fieret percussio vel diuisio, nullus efficeretur sonus: ergo ad productionem soni tria corpora necessariò requiruntur, vt docuit Aristoteles.

33 Secunda opinio negat necessitatem trium corporum ad productionem soni, sed duo sufficere affirmat. Aristotelem vero sic explicat, vt tria requiri voluerit, non quidẽ ad productionem soni simpliciter, sed ad perfectam, vel quod idem est, ad perfectum sonum.

Probatur multis exemplis; nam si aerem virga percutias sonum efficies, ad quem solum concurrunt duo corpora videlicet virga percutiens, & percussus aer, sine alio medio corpore. Et ex sola percussione aeris ad arteriam vocalem fit sonus absque vllo medio: nam aer qui medius esse potest, potius est percutiens, & arteria ipsa percussa ab eo immediatè. Solus denique aer percutiens aquam, vel aliud corpus sonum efficit sine corpore medio. Et tandem per diuisionem solidi corporis, vt panni, vel papyri fit sonus, vbi nec dantur extrema corpora se percutiẽtia, nec medium, quo se percutiãt: ergo sine fundamẽto dictum videtur, quòd tria requirantur corpora ad productionem soni; extrema se percutientia, & medium.

34 Ego verò media quadam via in hac re incedendum arbitror, per quam duæ istæ extremæ sententiæ sic possunt conciliari, vt solo nomine differre videãtur, & germanus sensus verborum Aristotelis constabit.

Dicendum ergo *tria corpora distincta realiter semper, & necessariò requiri, ad quemlibet sonum producendum, sed non semper discontinua.* Quod probant expressa verba Aristotelis, & ratio à nobis facta pro priori sententia, quia neque per contactum, nec per separationem, nec in aere, & aqua, aut in aere, & alio corpore, neque in gutture potest sonus aliquis vox fieri, nisi duæ partes aeris, vel aquæ distinctæ realiter (quamuis non discontinuæ) se percutiant: vel vna earum percutiat corpus aliud media altera. Quod in omnibus exemplis pro opinione posteriori adductis euidenti experientia constat. Et ita conciliari poterunt extremæ illæ sententiæ, ita vt prior affirmet omninò necessariò requiri concursum trium corporum realiter distinctorum, sed non semper realiter discontinuorum, quod plane verissimum est.

35 Posterior verò solùm neget, quod semper sint necessaria tria corpora discontinua, quod non est minus verum, & communi modo loquendi consentaneum; nam solũ vocantur tria corpora illa, quæ discontinua sunt: partes verò eiusdem, licet distinguãtur realiter, non dicuntur tria corpora, quia sola corpora realiter discreta, aut discontinua efficiunt numerum.

36 Aristoteles verò illis verbis vniuersaliter locutus per tria corpora solum intellexit realiter distincta, non realiter discontinua, nam quantum pertinet ad efficiẽdum sonum, diuersæ partes eiusdem corporis æquiualent planè corporibus discontinuis, cũ eundem præstent effectum soni, ac si essent discontinua corpora; quare in ordine ad sonum efficiẽdum propriíssime vocantur tria corpora diuersa: videlicet extrema cum medio. Et ita patet solutio ad argument. posterioris sententiæ, & germanus sensus verbum Aristotelis.

Posterior quæstionis pars.

SEd restat disputandum, an, & quomodo hæc tria corpora concurrentia ad sonum iuxta modum expositum sint efficiens causa eius.

Et prima opinio asserit corpora sonantia se percutientia non esse proximam causam soni sed impulsum, quem per motum, quo se percutiunt, imprimunt aeri intermedio, à quo impulsu procedit motus resilientiæ ipsiusmet

ſuſmet aeris, & medio iſto motu, tanquam conditione neceſſario requiſita procedit ab eodem impulſu ſonus, eo ferè modo, quo idem impulſus eſt proxima cauſa motus lapidis ſurſum proiecti: proijciens verò, à quo impulſus imprimitur, ſolum eſt cauſa remota, cui nihilominus idem motus proiecti attribuitur; quia impulſus à quo proximè fit, ab eo imprimitur.

37 Sic igitur ſonus proximè fit ab impulſu eidem aeri impreſſo à corporibus ſe percutientibus medio motu, vt conditione, & remotè ab eiſdem corporibus, quibus nihilominus ſonus attribuitur, quia ab eis imprimitur impulſus, per quem fit. Et hoc modo aiunt debere intelligi Ariſtotelem, quotieſcumque aſſerit c. præſenti corpora ſonãtia ſe percutientia eſſe cauſam effectiuam ſoni. Probant hoc argumentum: ſonus proximè ſequitur ex reſilientia intermedij corporis, ſed reſilientia eſt motus quo idem medium percuſſum reſilire cogitur: ergo iſta erit proxima cauſa ſoni, quæ fuerit proxima cauſa motus reſilientiæ, ſed proxima cauſa huius motus eſt impulſus eidem medio impreſſus à corporibus ſonantibus ſe percutientibus: ergo erit etiam cauſa proxima ſoni, ſonantia verò corpora erunt remota tantum.

38 Secundo probatur, quia Ariſtoteles textu 85 huius capitis aſſerit ſonum eſſe motum reſilientiæ, quo mouetur medium percuſſum à corporibus ſonantibus; quod ad minus debet cauſaliter intelligi, vt ſit verum, ſicut docent omnes ferè interpretes: ergo per talem motum fit ſonus, ſed cauſa eiuſdem motus eſt impulſus impreſſus eidem aeri: ergo impulſus eſt proxima cauſa ſoni.

In hac re tanquam certum præſuppono nullam dari cauſam per ſe particularem ſoni, ſed præter vniuerſalem, aut primam, à qua fit per ſe, ſolum dari cauſam particularem per accidens, quemadmodum caloris producti per motum localẽ nulla datur cauſa particularis per ſe, ſed ſolum per accidẽs. Probatur hoc, quia cauſa per ſe eſt illa, ex cuius influxu per ſe ſequitur effectus, ſed nulla datur cauſa particularis per ſe influens in productionem ſoni: ergo nec dabitur particularis cauſa per ſe eius.

39 Minorem probo, quia ſonantia corpora ferè ſemper mouentur per impulſum ab extrinſeco impreſſum, per quem ſolum intenditur per ſe præſentia localis per motum adquirenda. Et pari ratione, ſi aliquando mouentur naturaliter, per accidens ſequitur reſilientia medij, aut diuiſio eius, & ex conſequenti, per accidens ſequitur ſonus: ergo nulla datur particularis cauſa per ſe eius. Dum ergo cauſam efficientem particularem eius quærimus, de ſola cauſa per accidens particulari, & proxima poteſt quæſtio procedere. Et hanc dicit ſententia propoſita eſſe impulſum, per quem mouetur medium motu reſilientiæ; ſonantia vero corpora remotam tantum.

Ego verò probabilius exiſtimo, *quod cauſa per accidens proxima, & principalis ſoni ſint corpora ſonantia, vt ſe collidentia, vel vt violenter diuiſa, reſilientiam verò medij, & conſequenter impulſum eis impreſſum, quo medio mouentur tali motu, ſolum eſſe medium, vel inſtrumentum, quo efficiunt ſonum*. Hanc puto eſſe ſententiam Ariſt. & omnium interpretum eius.

40 Et de Ariſtotele quidem patet ex principio huius capitis, vbi corpora ſonantia vocat ea, quæ virtutem ſeu potentiam habent efficiendi ſonum per mutuam colliſionẽ, nulla facta mentione medij, aut impulſus ei impreſſi: ergo hæc ſola, vt ſe collidentia cauſa ſoni ſunt, & non impulſus medio impreſſus.

Et textu 79. docet expreſſe corpus medium reſiliens non eſſe præcipuam cauſam ſoni, ſed ſonantia corpora ſe percutientia hiſce verbis, *Non eſt autem ſoni dominus aer, neque aqua, ſed oportet ſolidorum percuſſionem fieri ad inuicem*. Ex quibus, verbum illud (dominus) de cauſa præcipua ſoni exponunt omnes interpretes (nullo excepto) quam negat eſſe medium motum à corporibus ſonantibus, & conſequenter neque impulſum ei impreſſum, per quem mouetur, aut reſilire cogitur.

Sed ratione probatur primò, quia duo concurrunt ad ſonum: nempè corpora ſe collidentia, & medium reſiliens, ſed mediũ reſiliens, per motum reſilientiæ non eſt cauſa ſoni, ſed medium tantum, quo ſonantia corpora cauſant ſonum; quare nec inter cauſas numeratur ab Ariſtotele: ergo cauſa vnica principalis, & proxima ſunt corpora ſonantia medio motu reſilientiæ ab eis facta, eum producentia Probatur minor exemplo caloris, qui ſic producitur medio motu locali; ac ſonus medio motu reſiliẽtiæ, ſed cõſtat

non esse causam præcipuam caloris, sed corpus motum: & motus ipse tantum est medium, quo eum producunt, ergo motus resilientis aeris non est causa præcipua soni, sed medium tantum, quo enim producunt sonantia corpora, vt præcipua causa, nec motus potest habere vllam actiuitatem ad causandum sonum.

41 Secundò, quia impulsus, vt alibi docui, & probaui, solùm concurrũt ad motum, tanquam virtus corporum sonantium impressa aeri, sibique substituta ad ipsum mouendum, sed quidquid agit præcisè, vt virtus alterius, quam sibi substituit ad talem effectum producendum, concurrit, vt instrumentum, quia ex eo præcisè, quod virtus eius est concurrit, & non ex propria: ergo impulsus non potest esse præcipua causa motus resilientiæ, quare etiam si gratis concederetur, hunc motum efficere sonum, non efficeretur ab eo, vel ab impulsu, tanquam à præcipua causa, sed tanquam ab instrumento. Et ita censeo impulsum solum efficere sonum medio motu, tanquam instrumentum corporum sonantium.

Ad argumentum respondeo distinguendo minorem, quod impulsus sit causa efficiens motus resilientiæ, nam de præcipua causa negandum est, de instrumentali concedendum.

QVAESTIO III.

An sonus sit in corporibus sonantibus, vel in solo medio.

Prior pars quæstionis.

42 EX præcedentibus constat tria corpora necessario requiri ad productionem soni; nempe duo se collidentia, & medium, per quod se collidũt: quæ non semper requiruntur discontinua: sed sufficit esse partes diuersas eiusdem corporis continui, vt cum aer, & aqua se percutiunt sonumque efficiunt, vna pars aeris, vel aquæ habet rationem percutientis, & altera rationem medij. Quo supposito duo quærit titulus quæstionis.

Primum, in quonam horum trium corporum recipiatur sonus tanquam in subiecto, in extremis se percutientibus, vel in solo medio? Postremum, an medium quod est subiectum soni, sit solus aer, vel etiam aqua, & consequenter quodcumque aliud corpus habens conditiones similes.

Et circa primum tenet prima opinio, sonum non solùm recipi tanquam in subiecto corpore medio; sed etiam in extremis se collidentibus, quæ sonatiua, vel sonantia vocãtur, & hæc asserit recipere in se sonũ quantumcumque sint solida, densa, ac dura.

43 Ita Venetus, quem citat Palacius capræsenti ad tex. 85. Vega t. lib. de arte medẽdi fol. 144. quam nonnullos ex antiquioribus interpretibus Aristot. tenuisse testatur Apollinarius, q. 2[illegible]. huius lib. ita denique recentiores quidam.

Probant primo ratione, & experientia: Ratione quidem, quia sonus, & impulsus, eiusdem conditionis sunt: sed quodcumque corpus quantumlibet solidum, densum, ac durum est capax impulsus: ergo erit etiam capax soni.

44 Secundò, quia dum sonus fit per violentam perfractionem ac diuisionem solidi corporis, vt panni serici, aut papyri, non videtur negari posse quod in partibus eorum diuisis recipiatur sonus: ergo nec potest negari, quod dum fit per collisioñe recipiatur in corporibus se collidentibus. Experientia etiam probant, quia post factum sonum remanet tinnitus cymbali, qui sonus quidam languescens est, & statim cessat, si cymbalum manu apprehendatur: ergò euidens signum est in cymbalo tanquã subiecto recipi. Nam si in solo aere intercepto foret, nihil ad cessationem eius efficeret apprehensio cymbali. Et præterea sonus auditur, etiam si fiat intra vas omnino clausum, quod non posset fieri, nisi sonus in partibus eius solidis reciperetur, & eas penetraret. Quod enim dicitur recipi in aere existente in poris eius, nihil valet, quia non minus audiretur si fieret intra vas non habẽs poros. Et præterea, quia quos habet, nec via recta protracti sunt, nec continui, vt per eos possit sonus deferri.

45 Secunda opinio negat sonum recipi in corporibus sonantibus tanquam in subiecto, sed in solo medio recipi affirmat. Ita omnes ferè interpretes Aristot. tam antiqui quàm recentiores capite præsenti commentat.

est. Auicenna, Simplicius, Albertus Magnus, D. Thom Caietan. Bafiez, Toletus, q. 20 huius libri, Themistius c 26. sui libri de anima, & Conimbr. q 2. huius cap. art. 2. & cum his cœteri.

Et hæc videtur nobis non solum probabilior, sed in doctrina Ar stot necessaria. Probatur hoc secundum ex duobus, quæ de sono docet Aristot c. præsenti; Primum qui dem text. 78. vbi loquens de modo, quo à tribus corporibus producatur sonus: ita ait, *Fit autem secundum actum sonus semper alicuius ad aliquid, & in aliquo, percussio enim est, quæ facit, &c.* sentit ergo duo corpora se percutientia producere effectiuè sonum in medio, tanquam in proprio subiecto; non ergo in se ipsis.

46 Probatur consequentia, quia si in medio producunt: ergo per actionem transeuntem, sed actio transiens non permanet in agente, sed transit ad passum, & consequenter terminus per eam productus, quia in eodem subiecto cum ea recipi debet; ergo nec actio per quam sonus producitur, nec sonus ipse potest recipi in corporibus so nantibus. Quod text. 82. confirmat definiens sonatiuum corpus, quod sit, *motiuum vnius aeris continuitate, vsque ad auditum*, mouet autem aerem per productionem soni in eo, & hoc est, esse sonatiuum actu: ergo in solo medio, tanquam in subiecto recipitur sonus, alioqui si in corporibus etiam sonantibus reciperetur, non bene esset definitum sonatiuum corpus per motionem aeris. Et textu 88. vocem ait, esse sonum animalis, sed vox est particularis quidam, & perfectissimus sonus factus à corporibus sonantibus sicut cœteri, & tamen non recipitur in eis, vt in arteria, lingua, palato, ac cæteris, sed in solo aere: ergo neque alius quilibet sonus.

47 Probatur consequentia, quia omnes eodem modo fiunt, ac de potentia eiusdem subiecti educi debent: sentit ergo Aristoteles nullum protsus recipi in corporibus sonantibus, sed omnes in solo medio. Quod verò probabilius hoc sit, ostendo primò; quia euidenti experientia constat sonum à longè factum non statim audiri: tametsi statim videatur percussio facta, vel aliquis effectus eius, vt patet in fulmine, & tonitruo; nam prius illud videmus, quàm audiamus hoc. Cuius nulla potest ratio conueniens assignari, nisi quia maiorem habet sphæram actiuitatis obiectum visus, quàm auditus; & ideo non diffundit sonus species ad tantam distantiam, ac propterea non auditur quousque appropinquet ad nos appropinquante aere, in quo defertur: vnde sequitur in solo medio recipi, & non in corporibus sonantibus, quæ cum non moueantur eodem modo: non possunt deferre sonum, nec sonus in eis receptus potest audiri

48 Et vrgeri potest hæc ratio, supposita communi sententia, quam sequuntur etiā recentiores isti circa modum, quo fit auditio: videlicet sonum deferri aliquantulum per aerem secundum esse reale, & ab ea distantia ad quam defertur vsque ad auditū, multiplicare suas species, & per eas audiri. Quod non potest esse verum, si sonus recipiatur in corporibus sonantibus.

Probatur apertè, quia sonus realis non defertur per medium, nisi moto per spatiū aere in quo est: sed corpora sonantia non mouentur per spatium: sed in suis locis permanent: ergo non recipitur sonus in eis. Et si dicatur sonum receptum in corporibus sonantibus non audiri ex eo, quod per medium se diffundat secundum esse reale: sed solum secundum esse intentionale; ita vt per species à se multiplicatas perueniat vsque ad auditum.

49 Obijcio aliam experientiam satis notam: nam sæpe experimur omnes, quod flante in contrarium vento non auditur sonus existens intra sphæram auditus, quod non potest esse verum, si per solas species intentionales se diffundat: nam diffusionem harum impedire non potest flatus aeris contrarius: sed eo non obstante semper eas multiplicat sonus vsque ad auditum intra propriam sphæram contentum, & ideo non posset impediri auditio eius, impeditur verò, quia aer in quo defertur realis sonus, vsque ad aliquam distantiam stante vento mouetur in contrarium, & cum eo sonus, & ita ab auditu elōgatur, vt extra propriam eius sphæram sit, & non possit vsque ad illum multiplicare species, quas absque dubio posset, nisi contrarius ventus obstaret; quare nec potest audiri, nisi auditus ipse ad illum appropinquet.

Vt autem quam sit probabilis nostra sententia percipiatur melius, & argumen. commodius solui possint; adnotandum est discri

men maximum inter impulsum ex vna parte, & sonum ex altera: nam licet in multis assimilentur, valdè diuersi sunt in modo, quo producuntur, ex quo colligitur valdè diuersa subiecta postulare, vterque quidem producitur medio motu locali: sed valdè diuerso, quia impulsus per separationem corporis, cui imprimitur à proijciéte, à quo separatur, vt dum lapis sursum proijcitur: imprimitur ei impulsus medio motu, quo se paratur à proijciente.

51 Quare impressio impulsus fit per immediatam actionem proijcientis in corpus proiectum: quæ actio est motus localis separationis ipsius ab eodem proijciéte, & ideo solum postulat per se duo corpora, nempè proijciens, & proiectum, medium verò solum propter communem rationem motus, & actionis transeuntis: quæ non potest naturaliter in vacuo fieri, vnde supposito quod motus, vel actio transiens posset fieri in vacuo, absque dubio posset quis lapidem sursum proijcere p impressioné impulsus, sicut potest modo: sonus verò non fit per immediatam actionem vnius corporis in aliud: sed media perfractione medij corporis. Itaque licet fiat per motum, quo duo corpora se percutiunt, atque collidunt, non tamen est sufficiens talis motus collisionis, nisi per eundem motum compellatur resilire medium inter vtrumque corpus: à quibus violenter se collidentibus, violenter etiam resilire cogitur secundum suas partes; quam resilientiam ab eis causatam, proximè sequitur sonus, corpora igitur se percutientia non causant sonum ex eo, quod vnum agit in aliud; ita vt hoc sit agens, illud verò patiens: cum constet vtrumque esse agens; vt docuit exprèssè Aristot. text. 85. huius capitis, hisce verbis. *Vtrum autem sonat id quod verberat an id quod verberatur, an & vtrumque modo autem altero.*

52 Et docet euidens experientia: nam sæpe videmus corpora sonantia actu mota in contrarium se collidere, & sonum causare. Ex quibus sequitur primò sonum ex proprio modo suæ productionis fieri circa medium, & ex potentia eius educi, ac in eo tanquam in proprio subiecto recipi: impulsus verò semper imprimitur vni extremo ab altero. Vnde licet imprimatur etiam impulsus aeri à corporibus sonantibus, diuersa ratione se habet ac respectu soni, videlicet vt alterum extremum, in quod tanquam in passum per se agunt corpora sonantia.

53 Secundò sequitur non repugnare quod sonus recipiatur in corporibus sonantibus, ex eo solum, quod solida, densa, ac dura sint: sed primaria repugnantia est modus ipse productionis soni, ex quo prouenit, vt nec ex potentia ipsorum educi possit, quia neutrum concurrit ad illum tanquã passum: sed vtrumque tanquam agens in tertium, vt in passum, & quidem per actionem transeuntem, quæ simul cum suo termino recipi nequit in agente: sed in passo, respectu igitur sonationis, & soni vtrumque agens est, & neutrum se habet, vt passum respectu alterius: sed quasi per modum vnius agentis totalis.

Et ex his tandem intelligitur impulsum accommodatius postulare pro subiecto corpus solidum, quàm fluidum, quia illud facilius potest proijciens à se separare per motum localem, quam hoc. Sonus vero omnino postulat corpus fluidum, & quod facilè possit inter duo corpora se collidentia resilire, extrudi, atque difrumpi. Et ex tota hac doctrina abundè satis solutum est primum argumentum quantum ad comparationem soni cum impulsu.

54 Ad secundum negandum est antecedens, quod sonus productus per violentã diuisionem aeris à solidis corporibus recipiatur in partibus eorum solidis; in poris verò earum ratione aeris, quo pleni sunt, recipitur quidem, quia aer in eis existens non haber rationem corporis sonantis: sed ad medium potius pertinet, & quasi pars eius est, suoque modo mouetur motu resilientiæ, ratione cuius capax soni est, & eius ratione magna ex parte, permanet tinnitus cessante iam sono cymbali, & manibus compresso eodem cymbalo quiescit idem aer, & tinnitus idem paulatim languescit.

Posterior quæstionis pars.

An medium in quo fit sonus tanquam in subiecto, sit solus aer, vel etiam aqua, ac cætera corpora fluida, & quæ facilè resilire possunt.

55 Ostenso iam in priori parte quæstionis sonum solum recipi in corpore medio, tanquam in subiecto sequitur disputandum in posteriori parte, quale debeat esse corpus medium, in quo recipiendus sit sonus, videlicet an solus aer, vel etiam aqua cum cœteris corporibus fluidis ei similibus.

Et prima opinio tenet solum aerem esse medium per quod sonantia corpora possunt se collidere ad productionem soni, & ideo in solo aere recipi sonum tanquam in subiecto, non in aqua, nec in cœteris Ita Comm. loco nuper citato, Albert Magn. tract. 3 huius libri, c. 28. Ægidius comm. 7. eiusdem capitis, & pro eadem citatur D. Thom. in commentarijs huius capitis: sed immeritò, quia lectione 16. ad text. 79. expressis verbis asserit, etiam in aqua fieri, & recipi sonum, quãuis non ita perfectè sicut in aere.

56 Probatur hæc opinio testimonio Arist. in hoc 2. lib c. 7. ad finem. Vbi media singulis assignans sensibus, de medio auditus, in quo recipitur sonus, his verbis loquitur: *Medium autem sono quidem aer est, odori autem innominatum est, communis enim; quadam passio est in aere, & aqua.* Quibus cum pro medio odoris aerem, & aquam posuerit, pro medio soni solum aerem designauit; sentit igitur aquam non esse medium, quia si medium esse intelligeret, sicut pro odore designauit vtrumque, sic designaret vtrumque pro sono. Probatur deinde ratione, quia ad productionem soni requiritur, quod corpus medium confestim, & quasi vno ictu extrudatur, atque disrumpatur, alioqui si sensim extruditur, sonum non efficit: sed densitas aquæ, & maxima eius fluxibilitas impedit, quo ita extrudi possit, atque disrumpi vno ictu, & ideo sensim elabitur: ergo ineptum omninò medium est ad productioné soni, & receptionem eius.

57 Secunda opinio expressa est ab Arist. c. præsenti, tex 79 hisce verbis: *Amplius auditur in aere, & in aqua, sed minus*, quibus duo asserit: Primum *in vtroque elemento auditionem fieri*: Postremum *minus benè in aqua*. Et ita sentiunt cum Aristotele cœteri omnes interpretes, tam recentiores, quam antiqui, præter citatos pro sententia opposita Auicen. Them Simpl. D. Thom. & cæteri c. præsenti, atque etiam Scaliger exercita. 297. & videtur nobis hoc nõ solum probabilius: sed omnino verum. Et quod ad verba Arist. attinet, asserunt recentiores quidam iuxta ipsum, deferri quidem sonum genitum in aere per aquam per species intentionales, quia licet nec in ea generetur, nec per eam se diffundat realiter, benè tamẽ per suas species, quas per aquam multiplicat, & per has audiunt pisces sonos extra aquam factos: sed in aqua factos nunquam.

58 Sed obijcio in primis illis eundem Aristot. 4. lib. de historia anim. c. 9. vbi de piscib expressè asserit sonos edere sub aquis: ergo non solum putat aquam esse subiectum deferens sonum: sed medium, in quo producitur. Verba Aristot. hæc sunt: *Pisces vocis quidem expertes sunt: quippe qui neque pulmonem, neque arteriam, aut guttur obtineant: sed sonos quosdam stridoresque mouent, quia vocales esse existimantur. Vt lipa, & cromis, ab his enim quasi grunitus quidam emittitur.* Et de ranis paulò inferius, sic loquitur. *Et quidem genus illud vlulatus, quam ololyginem nominãt mares intra aquas reddunt, vt cieant ad coitum fœminas.* Et paucis interpositis: *reddunt ranæ, suum illam maxilla inferioris labro demisso pari libra cum aqua modicè recepta in fauces superioreque intincta.*

59 Et si rursus dicatur cum Alb. Magn. vbi supra, adhuc non sequi ex hoc Arist. sentire, quod in aqua producatur sonus: sed in quibusdam partib. aeris aquam subintrantibus: cuius signum esse ait, quod cum soni isti sub aquis editi audiuntur, statim supra easdẽ aquas apparent bullæ quædam ascendentes, quæ non nisi medio aere fieri possunt.

Hoc apertè falsum est, & contra mentem Aristotelis, qui per collisionem aquæ docet ranas sonos edere; falsum verò, quia experientia constat pisces quocumque tempore sonum edere, audiuntur enim motus eorum

sub a[illegible] ergo si in aere, & non in aqua fit talis sonus, sequitur plurimum aeris degere sub aquis, & continenter quidem, quia non potest vbicunque sunt pisces sonus generari, nisi semper, & in cunctis locis eorum reperiatur aer, & in singulis locis non parum, quia magna aeris pars requiritur ad tam magnos sonos edendos.

60 Consequens autem apertè falsum est, & naturæ elementorum contrarium, quæ non patitur sub grauioribus leuia degere corpora, præsertim in magna quantitate, ac semper, & vbique: ergo efficaciter conuincitur sonum non solum in aqua deferri, vt fiat auditio: sed in aqua planè generari, tanquam in medio, & ideo in ea recipi, tanquam in subiecto. Quod alia experientia non minus euidenti cõuincitur: nam sæpè audimus lapillos sub aquis impetu motos, ac se percutientes sonum edere. Nec credibile est, quin si quispiam sub aquis cymbalum percutiat, sonum aliquem edat, licet imperfectum.

Probatur tandem ratione ex modo, quo generatur sonus iuxta Aristotelem, & omnes, videlicet per collisionem corporum sonantium circa medium, & extructionem, ac disruptionem eius: sed aqua in profundo, vbi nullus est aer, confestim, & vno ictu violèter potest disrumpi lapide, aut baculo, violenterque resilire: ergo & sonus generari. Verum quidem est, quòd non est medium ita accommodatum aqua, ac aer pro generatione soni, & propterea imperfectus sonus dumtaxat in ea fieri potest, vt asserit nostra sententia.

61 Testimonium verò Aristotelis pro contraria sententia adductum, per alia à nobis citata explicandum est in quibus magis ex professo de natura, medio, ac subiecto soni agebat singula explicans; ita vt in eo non tradiderit medium soni secundum totum ambitum, vel extensionem, quam habet: sed solum primarium, & accommodatissimum, per quod fit perfectissimus sonus, in nostris verò testimonijs, vbi ex professo naturam soni, & modum productionis eius discutiebat, necesse fuit alia corpora (præter potissimum) circa quæ potest sonus (licet imperfectus) produci, declarare; nempè aquam, sub qua certissimum est intelligere Aristotelem cœtera corpora liquida, ac fluida, de quibus eodẽ modo constat resilire, & disrumpi posse, atque aquam ipsam, & propterea esse medium soni saltem imperfectum, vt vinum, acetum, lac, & similia.

62 Argumentum verò eiusdem sententiæ difficultate caret: nam facile negatur antecedens, videlicet non posse corpora se collidere per aquam, & hanc confestim extrudere, atque disrumpere, sonumque causare; quamuis non tam cito, nec tam celeri motu propter densitatem eius.

Sed restat hoc loco inquirendum breue dubium, an sicut aer, & aqua, cæteraque corpora eis similia sunt medium soni, eiusque subiecta in quibus recipitur, sic etiam sint corpora sonantia, ex quorum collisione possit fieri sonus circa medium. Videtur enim quod non quia non conuenit eis definitio sonatiui corporis assignata ab Aristotel. textu 82. huius capitis hisce verbis: *Sonatiuum est, quod motiuum est vnius aeris continuitate vsq; ad auditum.*

63 Ex quibus infero aerem non esse sonatiuum, sed aliud corpus à se distinctum, quod eum mouere potest; & multò minus aquam, nec eis conueniunt conditiones corporis sonantis positæ ab Aristotele cap. præsenti, non enim sunt solida, nec dura corpora; quare non videtur per contactum, vel percussionem eorum posse causari sonum. Et ita videtur sentire D. Thom. lectione 16. huius libri vbi ita ait: *Manifestum est, quod neque aer, neque aqua habent proprium sonum, sed necessarium est ad soni generationem in aere, vel aqua quod aliqua corpora firma, vel solida, & dura percutiant se inuicem, & percutiant aerem,* atque etiam Philosophus, Albertus Magnus, & Ægidius locis nuper citatis.

Oppositum verò tenent alij, vt Auicenna 6 naturalium p. 2. c. 6. Simplic. atque Themistius, & Scaliger locis nuper citatis, & videtur mihi probabilius, & tenendum; quia dũ nubes disrumpitur à fulmine, quod non est aliud, quàm ignita exhalatio, generatur sonus, & tamen nullum ibi interuenit corpus solidum, nec durum; ergo non requiritur semper tale corpus ad productionem soni.

64 Præterea tempestate maris ingruente fit magnus sonus, absque interuentu alterius corporis ab aere, & aqua distincti; ergo duo hæc eleméta, non solum sunt medium in generatione soni, sed sæpè etiam sonantia,

tia, vel sonatiua corpora. Et tandē aere violenter emisso per fistulam fit sonus; ergo dātur ibi corpus percutiens, & percussum; cum alterum tātum solidum sit, quare necesse est fateri aerem percussum esse, vel percutientem, quod est esse sonatiuum corpus.

Nec tamen existimo oppositas esse has duas sententias; sed hac distinctione ad concordiam redigi, quia si de sono perfecto, modoque perfecto edito sermo sit, neque aer, neque aqua, imò neque vllum corpus fluidū, aut liquidum potest sonatiuum corpus esse. Si verò de quolibet sono etiam imperfecto, & quocumque modo producto loquamur, nullum ferè corpus solidum, vel liquidum, durum, vel molle, aut cuiuscunq; alterius cōditionis esse potest, quod nō possit aliquem edere sonum, & aliquo etiam modo sonatiuum vocari.

65 Aristoteles verò sonatiuum corpus perfectum solum definiuit, & in ordine ad perfectum sonum, perfectoque modo edendum, & eius dumtaxat conditiones tradidit, vt bene adnotauit Themistius cap. præsenti dicens Aristotelem non tam sonantia definisse corpora, quam bene sonantia; & in priori sensu negauit prior sententia aerem, & aquam esse corpora sonantia; non in posteriori, in quo loquitur sententia posterior, hoc autem modo sonatiua esse corpora con uincunt eius argumenta, sicut argumenta sententiæ prioris probant non esse sonatiua, ita vt perfectum edere possint sonum, vel modo perfecto, quare neque hæc, neque illa soluere oportebit.

QVAESTIO IV.

An sonus realis perueniat vsque ad auditum, vel solum species intentionales eius.

66 Plures sunt de hac re sententiæ, quas claritatis, ac breuitatis gratia possumus ad tres reducere.

Prima affirmat necessarium esse, vt audiatur sonus quod secundum esse reale, & naturale perueniat vsque ad organum auditus. Ita Auicenna lib. 6. naturalium, c. de auditu, Albert. Magn in Summa de homine, tractatu etiam de auditu, Alexand. cap. præsenti, Simp. ibidem in quadam digressiuncula cōtra Alexand. Ægidius ad text 84. & ex recentioribus nonnulli. Non tamen intelligitur ab his omnibus eodem modo, sed valde diuerso. Nam Auicenna eundem numero sonum productum in parte aeris attrita aut disrupta à corporibus sonantibus deferri putat ab eadem parte discurrente per medium aerem, vsque ad organum auditus, ea ferè modo quo sagitta pergit per medium aerem vsque ad scopum. Simpl. verò putat moueri totum aere continuum, vsque ad auditum mota illa parte percussa in qua fit sonus, quia non potest moueri vna pars continui corporis, quin totum ipsum corporis moueatur, vt pars ligni, quin moueatur totum lignum; vnde sicut in parte illa percussa causatur sonus per motum, ita eo ipso producitur in toto aere vsque ad auditum.

67 Alexander verò asserit sonum vsque ad auditum produci, non eadem percussione, sed diuersis, ita vt prima pars percussa à corporibus sonantibus percutiat alteram sibi proximam, & per hanc percussionem fieri in ea sonum, & hæc alteram, & ita multiplicari vsque ad organum, eo ferè modo, quo proiecto lapide in aquam multiplicantur circuli.

Præter hos autem tres modos explicandi hanc sententiam extat quartus, quo eam sic intelligunt recentiores quidam, vt dicant sonum non produci in aqua, nec recipi in ea secundum esse reale, sed solum per suas species, per quas fit auditio eius in eadem aqua, ex opposito verò non posse in aere producere suas species, nec per eas audiri, & cum audiri constet, dicunt necessarium esse, vt multiplicetur sonus ipse realis per totum aerem vsque ad auditum.

68 Probatur verò auditionem fieri proueniente sono reali vsque ad auditum, quod vniuersaliter asserit hæc sententia, testimonijs Aristotelis, & ratione. Primum testimonium desumo ex c. præsenti, text. 82 vbi sonatiuum corpus hoc modo definit. Sonatiuum igitur est: *Quod motiuum est vnius aeris continuatione vsque ad auditum*. Ex qua definitione sic arguo: sonatiuum corpus mouet aerem continuum vsque ad auditum; ergo vel illud mouet motu locali, hoc est, continua agitatione, vel motu alterationis alte-

rando illud: si cõtinua agitatione, producet absq; dubio per eam sonum; cùm sonus causetur per agitationem aeris à corpore sonante collidente se cum alio, si verò alterando illud, nõ potest alia specie alterationis illud mouere, nisi sonatione, hoc est, productione soni in eo, quia sonatiuum, vt sonatiuum, nõ potest nisi productione soni alterare corpus sicut calefactiuum, vt tale non potest alterare nisi producendo calorem.

69 Et si dicas non mouere continuum aerem motu physico, sed intentionali per multiplicationem specierum vsque ad auditum, vt per eas auditio fiat.

70 Contra hoc est, quod solum obiectũ sensus potest mouere medium tali motu intentionali, sicut color mouet visum; sed sonatiuum nõ est sonus, sed valdè ab eo distinctum tanquam causa ab effectu, ergo non potest mouere continuum aerem hoc motu, sed naturali, & reali per productionem soni realis in eo, cuius est propria causa, lib etiam de sensu, & sensib. c. 7. proposito dubio an sensibilia prius moueant medium quàm sensum (loquitur autem de his sensibus tantùm, qui medium habent externum, vt bene adnotauit ibidem D. Thom.) respondet visibile simul mouere medium, & potentiam, duos verò alios, nempè auditum, & olfactum, prius mouere medium, quàm sensum; & rationem discriminis reddit, quia sonus, & odor non solum medio motu medij, sed per multos motus eius producuntur in eo, & per eosdem perueniunt ad gustum, & auditum, & cum motus necessariò fiat successiuè, atque in tempore, necesse est prius sonum fieri in medio, quàm perueniat ad potentiam; hoc autem non potest esse verum, nisi realiter perueniat, quia si per solas species intentionales, cum istæ fiant in instanti non habentes contrarium, sequitur simul ac sonus factus est, multiplicare suas species vsque ad auditum, simulque audiri, & ideo non prius, sed simul sonum mouere medium, & potentiam.

71 De visu vero notum est non peruenire colorem ad medium secundum esse naturale, sed solum per lumen, vel species, & tam istæ quàm illud producuntur in instanti, & propterea non potest visibile mouere prius medium, quam potentiam, sed simul vtrumque: verba Aristotelis hæc sunt: *An circa sonũ quidem, & odorem hoc accidere rationabile, quẽadmodum enim aer, & aqua continua quidem, partibiles autem amborum motus.* Et quibusdã interpositis sic prosequitur: *De lumine autem alia est ratio, per id enim quod est esse aliquid, lumen est, sed non motus aliquis, omnino autem, nec similiter in alteratione se habet, & latione, lationes namque rationabiliter medium prius attingunt. Videtur autem sonus cuiusplam, quod fertur esse motus, quæcumque verò alterantur, non amplius similiter, contingit enim simul totũ alterari, & non dimidium prius, velut aquam simul omnem congelari.*

72 Proponit deinde aliud dubium, an dum plures, sint intra sphæram soni tintinabulo facti, simul omnes audiant eundem sonum, vel non nisi distinctum. Videtur enim non posse omnes eundem audire: cum non possit idem sonus ad aures omnium peruenire. Cui respondet, nõ omnes audire eundem numero sonum, sed eundem tantum specie, quia sonus primò factus à tintinabulo, qui vnus numero est, non peruenit ad omnes, sed alij multiplicantur vsque ad auditum, & ita sonus, qui proximè ad auditum perueniunt, diuersi numero sunt, sicut & potentiæ ad quas perueniunt.

Ecce verba eius: *Videtur autem quibusdam esse dubitatio, & de his, impossibile enim dicunt quidam alium alij idem audire, aut videre, & odorari, non enim possibile esse multos, & seorsum existens audire, & odorari, quod enim vnum seorsum idem à se ipso esset,* hoc est dubium.

73 Sequitur solutio eius *An mouens primum vt tintinabulum, vel thus, vel ignem, idẽ, & vnum numero sentiunt omnes, id autem quod iam proprium alterum numero, specie autẽ idem quare simul multi vident, & odorantur, & audiunt.* Ex vtroque autem testimonio duo colligo. Primum quod auditio non fiat per species intentionales ex mente Aristot. sed per sonum realem peruenientem ad auditum. Probatur apertè, quia si per species fieret, omnes audientes eundem numero sonũ, primò productum auditẽt, quia omnes species, quas in auribus omnium produceret, ipsummet, & non alterum numero distinctum repræsentarent, vt per se est manifestum in visu, ac cæteris sensibus, idem enim numero color videtur à multis per diuersas species ab eo productas in oculis singulorum.

74 Sed asserit Aristoteles, non omnes simul audientes tintinabulum eũdem numero sonum audire, sed numero diuersos, quia

quamuis

quamuis sonus primo factus sit vnus, & idē numero, quia tamen proximè ad aures diuersorum perueniant, numero diuersi sunt: ergo sentit planè primum sonum per alios sonos reales diuersos multiplicatos per mediū vsque ad potentiam audiri a multis, & non per species.

Postremum, quod colligo est, non solum esse necessariū, vt audiatur sonus, quod perueniat secundum esse reale vsque ad auditum, vt asserit prædicta opinio, sed multiplicari per multas, ac diuersas percussiones, quasi per modum circulorum factas in aere iuxta vltimam expositionem Alexandri.

75 Sed probatur iam non posse sonum in aere producere species, nec per eas audiri, sed omninò necessarium esse, vt audiatur, quod perueniat secundum esse reale, vsq; ad aures duplici ratione.

Prior est, quia species intentionalis carēs contrario in instanti deberet produci per totum medium vsque ad auditum: ergo eo ipso quod factus est sonus absq; vlla mora audietur, quod est contra euidentem experientiam, nam facta percussione arboris in sylua, aut perfracta nube a fulmine, & vtrobique facto sono, non statim fit auditio eius, sed post aliquantulum temporis, ergo nō fit per species intentionales.

76 Secundò, si sonus auditur in aere per species, & non per realem multiplicationem vsq; ad auditum, sequitur quemlibet sonum rectum bis audiri.

Probatur consequentia, quia sonus realis defertur per aerem percussum, & cōmotum a corporibus sonantibus vsq; ad aliquam distantiam, vel vsq; ad illam multiplicatur (vt asserunt opiniones huic contrariæ) sed in principio sui esse producit speciem vsq; ad auditum in instanti (vt probatum est,) ergo si delatus per motum, vel multiplicatus vsq; ad illam distantiam adhuc durat, producet nouas species, per quas transfacta iam prima auditione in instanti facta, iterum audiatur: imò pluribus, & infinitis auditionibus: cum infinita dentur instantia, atq; infinitę partes in tempore illo quo defertur, vel multiplicatur secundum esse reale, & in quolibet instanti distincto ab alio, possit fieri auditio, atque distincta auditio.

77 Hæc tñ sententia secundum se sumpta falsa est, at q; etiā iuxta omnes modos, quib. explicatur, vel intelligitur ab omnib. authoribus cit. Vtrumq; verò cōstabit si probamus impossibile esse, & nullo modo necessarium ad auditionem, quod sonus realis perueniat vsq; ad auditum. Hanc probo efficaciter impugnando singulos modos, quibus talis multiplicatio soni, vsq; ad auditum excogitatur fieri, & primò, quod ea dem numero pars aeris percussa, in qua fit sonus perueniat vsque ad auditum, & idem numero sonus in ea factus: probatur falsum, quia aliquando percussio parua est, & minimis quibusdam instrumentis facta, vt constat de voce humana & tamen auditur ad magnam distantiam, & a multis intra illam contentis: repugnat verò per tam paruam percussionem tantum ei imprimi impulsum, vt possit ad tantam distantiam moueri.

78 Præterea esto moueri possit: cum motus localis per tam paruam percussionem factus licet velox sit: tempus consumat, & notabile quidem, ac sensu perceptibile, sequeretur non statim ac fit vox audiri ab eis posse, sed auditionem differri per tempus sensu perceptibile contra experientiam. Propterea hic modus defendendi illam sententiam omninò improbabilis mihi videtur.

79 Probatur deinde falsum quod sonus realis perueniat vsque ad auditum per productionem alterius sibi similis, primò quia non est intelligibile, quod sonus aliquis producatur in medio sine percussione, ac motu eiusdem medij, sicut non est possibile, quod producatur impulsus sine motu proijcientis, vel proiecti, aut vtriusque: tunc ergo vel producitur sonus realis vsque ad auditum vnica percussione proximæ partis aeris, qua mota mouetur totus aer vsque ad auditum, vt dicebat Simplicius, vel multis percussionibus quasi in circulo factis, eo modo, quo per motum lapidis in aqua mouentur partes aquæ per modum circuli, & vtrumque manifestè impossibile est, quia tam parua percussio aeris in ore facta, non potest vim obtinere mouendi tam magnum aerem. Est etiam contra experientiam, cum immoto omninò, atque quieto aere qui circa nos est, audiamus sonum a longè factum, imò, & factum propè, quod possibile non esset, si totus aer moueretur, perciperemus enim absque dubio, vel tactu talem motum. Præterea cum motus totius aeris per partē illam, aut per multas percussiones factas moram temporis, & non paruam inducat, sequitur non statim

ac

ac vox for naetur in ore, audiri a cunctis circumstantibus, sed post moram temporis sensu perceptibilem, contra euidentem experientiam.

80 Et quod plus est, & euidentius ostendit falsitatem oppositæ sententiæ: simul auditur ab his qui prope, & ab his, qui longè sunt, quod repugnaret, si per vnum, vel plures motus aeris multiplicaretur sonus vsq; ad auditum, quia prius tempore mouerentur partes proximiores aeris, quam remotæ, & prius in illis, quã in his sonus produceretur, & prius a proximioribus audiretur.

Probatur tandem quia si sonus fiat extra locum aliquem, vndequaque clausum, auditur in eo, & si fiat in eo, vt intra æneum vas magnæ profunditatis, omni etiam ex parte clausum auditur extra, & tamen non potest sonus realis produci in duro, ac denso corpore (vt probauimus supra) & ideo nec penetrare tale corpus: ergo falsum est, quod semper sonus realis, vsque ad auditum perueniat, aut peruenire possit. Sed respondent iuniores produci sonum in poris eiusdem vasis, per agitationem aeris in eis inclusi. Et ita posse penetrare totum corpus.

81 Hæc tamen solutio friuola ostenditur ex duobus: ex priori quidem, quia licet poros admittamus in his corporibus, pauci admodum, & nimis angusti sunt, in quibus proinde nihil ferè aeris reperitur, esset verò necessaria magna aeris copia intus existens, atque egrediens, vt per vtriusq; percussionem fieret tam magnus sonus ac est ille, qui foris auditur, si magnum sit vas. Ex posteriori verò, quia licet dentur tales pori, non sunt ordinati, nec recta via tendentes, sed passim interrupti per densiores partes, a quibus vndique circundati sunt, qua ratione per varios anfractus rendere necesse est, & ita redditur impossibilis productio realis soni per eos penetrantis totum ipsum corpus.

Secunda opinio negat quidem peruenire sonum realem vsque ad auditum, sed asserit sonum ad aliqualem distantiam multiplicari, ita vt a sono primo producto producatur alter vsque ad illam distantiam, & ab ea vsque ad auditum species multiplicet, per quas audiatur. Ita videtur sentire D.Th. in 2.dist.2.quæst 2.art.2.ad 5. vterq; Caiet. c.præsenti, Conimb. ibidem q.2.art.2.& plures alij.

Ad illam verò distantiam multiplicari existimant per varias motiones, & agitationes aeris in circulo factas, eo ferè modo, quo in aqua fiunt iniecto lapide.

82 Probant hoc solo argumento, quia primus sonus fit per commotionem, & agitationem aeris, sed agitatio hæc non statim cessat, sed aliquantulum extenditur per aerem: ergo nec cessat statim productio soni, sed sicut pars aeris agitata, in qua primo producitur sonus, agitat aliam sibi proximam, quousq; impulsus eis impressus extinguitur, ita post sonum primò productum producitur alter vsque ad eam distantiam, ad quam potest impulsus mouere, & agitare aerem.

Sed vt melius hæc sententia intelligatur adnotare oportet dupliciter exagitari posse, quod sonus multiplicetur, vel per virtutem actiuam eius, ita vt sonus primo productus a corporibus sonantibus sua virtute producat alterum, sicut calor vnus productus ab igne in ferro producit alterum in manu, vel non per virtutem eius, nec eo actiuè concurrente, sed per agitationem aeris sequentis, ita vt aer, in quo producitur primus sonus per impulsum ei impressum a corporibus sonantibus resiliens imprimat suo motu impulsum aeri sequenti, a quo agitetur, & nouus sonus producatur.

Videntur autem authores omnes huius sententiæ intelligere, quod multiplicatio soni ad certam distantiam fiat, non per virtutem actiuam soni prioris, sed per vlteriorem agitationem aeris ab eo factam, quia nihil de virtute actiua soni insinuant, sed ex sola aeris agitatione id probare contendunt.

83 Nostra tamen sententia duabus assertionibus explicatur. Prior est, *a principio, quo fit sonus, multiplicat speciem sui per aerem, vsque ad auditum, & per has species auditio fit semper, quare nulla prorsus multiplicatio soni realis vno, vel alio modo excogitata a prædictis opinantibus necessaria est ad auditionem, sed valde superflua, atq; impertinens.*

Probatur primo ratione vniuersali aduersus vtramq; sententiam, & omnes modos defendendi primam, quia sonus est propriũ sensibile sicut color: sed propria sensibilia habent virtutem producendi proprias species intentionales in medio, & potentia: ergo hanc habet sonus, sicut probauimus cap. præcedente eam habere colorem: tunc vltra

tra agens approximatum passo, & non impeditum naturaliter, & necessariò producit in eo effectum propriæ virtutis, sed sonus statim ac fit est approximatus aeri, qui est passum benè dispositum, & non impeditum ad recipiendas species intentionales soni: ergo producit eas, & illæ alias vsque ad auditum, & ita fiet auditio sine multiplicatione soni realis, quia potentia informata specie sufficiens est principium sensationis.

84 Quod sic vrgeo, euidenti experientia piscatorum constat pisces audire voces in aere emissas, & hoc fieri sine vlla commotione aquæ imò in summa quiete eius melius audire, & propterea ad profundiores partes aquæ se recipere: ergo talis auditio non fit per realem productionem soni in aqua, sed per solas species intentionales per eam multiplicatas: pari ergo ratione audietur sufficienter in aere sine vlla alteratione naturali eius simultanea, vel comitante, quæ sit productio realis soni.

85 Secundò probatur argu. ad hominem satis efficaci aduersus secundam opinionem admittentem sonum a certa illa distantia (ad quam vsq; multiplicatur realiter, & naturaliter) producere speciem sui in medio, & potentia per quam solam auditur sufficienter.

Hoc inquam supposito, sic arguo: non minus potest sonus a principio suæ productionis multiplicare speciem sui in medio, & potentia, quam post realem multiplicationem ad illam distantiam, cum per eam nec naturam mutauerit, nec maioris, sed minoris forte virtutis factus sit: ergo a principio eas multiplicat, & per solas audiri potest. Probatur euidenter, quia per eas solas auditur ab illa distantia apud authores huius sententiæ.

Ex quibus infero, quam sit falsus, & sine fundamento vltimus modus explicandi priorem opinionem negans in aqua produci posse sonum realem, sed audiri sonum in aere factum per species intentionales, & negans quoque ex opposito, quod in aere possint produci species intentionales soni, & concedens produci sonum realem, vsque ad auditum, certum est enim aerem omnibus esse medium accommodatum ad auditionem, & magis accommodatum, quam aquam, vt expressis verbis asseruit Aristoteles cap. præsenti: si igitur est medium accommodatum ad productionem soni realis: ergo erit etiam ad productionem specierum: quare ex hac parte non repugnabit in eo produci, sed nec repugnat ex parte eiusdem soni, qui cum sit sensibile per se, & proprium, non minus, quam color, & cætera obiecta aliorum sensuum, necesse est ei concedere virtutem eas producendi, atque etiam, quod verè eas producat.

Præterea si est medium magis accommodatum ad auditionem, quam aqua, & in hac possunt produci species soni, sine fundamento negatur, quod non possint produci in aere.

Assertio posterior, nec multiplicatur sonus realis vsque ad auditum, neque ad certam distantiam, neque vllo alio modo, sed sonus primo productus defertur ad aliquam distantiam per aerem commotum, & resilientem, maiorem quidem, aut minorem secúdum maiorem, vel minorem resilientiam aeris, in quo defertur, ita tamen vt a principio producat species, & per eas audiatur tam in aqua, quam in aere.

87 Hæc est etiam contra vtramq; opinionem, & modos omnes explicandi primam, eamque simul cum priori tenet Tolet. q. 21. huius lib & videtur etiam tenere noster Molina 1. p. q. 55. art. 2. disp. 1. non longe a fine, & cum his maior recentiorum pars. Et probat efficaciter argumentis factis contra easdem opiniones, & modos eas defendendi.

88 Testimonium Aristotelis difficile satis apparet, nisi contextus illius loci paulo attentius consideretur, in quo Aristoteles hoc solum intendit, quod obiecta auditus, & olfactus non possint mouere potentiam, quin prius moueant medium motione reali, & naturali, quia sonus in eo producitur secundum esse reale per motum collisionis eorum, & ideò necesse est prius alterari aerem per productionem soni realis, & receptionem eius, quam moueat in potentia, odor verò non mouet olfactum, nisi per effusionem odoriferæ exhalationis per medium. Prioritas verò hæc mouendi medium realis est in vtroque sensu, & sensibili, sed non necessariò est temporis, vel durationis, sed naturæ saltem, quia prius natura est sonum fieri, & esse, atque in aere recipi secundum esse naturale, quam mouere sensum siue eum moueat secundum esse naturale, siue solum

se-

secundum esse intentionale, & pariter de odore debet intelligi, ergo Aristot. asserens hæc duo obiecta prius mouere medium, quam potentiam, de reali, & naturali motione loquitur: prioritatem verò vniuersaliter accipit, prout communis est ad prioritatem naturæ, & temporis neutram determinans, sed determinandam relinquens iuxta diuersas sententias de modo, quo fit auditio quas in fine huius tractatus explicabimus.

89 Visibile verò non prius mouet medium quam potentiam, quia nō mouet ipsum motu physico, aut naturali; cum nec fiat in aere per motum, vel agitationem eius, nec se diffundat per eum, sed solum moueat ipsum, & potentiam motione intentionali, per productionem specierum, quæ simul tempore, & natura fieri solent in aere, & potentia visiua iuxta communem omnium sententiam.

Aliud verò quod Aristoteles asserit in eodem testimonio, videlicet omnes quidem audire primum sonum eundem numero, licet ille qui immediatè peruenit ad singulos, sit numero diuersus, sæpè accidit iuxta nostram sententiam: nam licet sonus, & vox primò producta eadem numero sit, diuiditur tamen se diffundens per diuersas partes medij, & versus diuersas differentias loci, & sic diuisa defertur in diuersis partibus aeris, vsque ad aliquam distantiam a qua multiplicat species: vnde cum ratione diuisionis diuersa numero fiat, verum est diuersum numero sonum a multis audiri intra sphæram actiuitatis auditus, quamuis per species audiatur, non tamen ab omnibus, quia plures etiam sunt, qui versus eandem differentiam loci existétes eundem numero sonum, & vocem audiunt, quare non bene colligitur ex eo quod Arist. docet non omnes proximè audire eundem numero sonum, quod sentiat ipse semper, & necessario peruenire sonum, vsque ad auditum secundum esse reale, & naturale, & doctrinam huius solutionis tenet Ferrar. 2. lib. de anima, quæstione 15.

Pro solutione primi argumenti in memoriam in primis reuocare oportet illud, quod superius dicere cœpimus de modo quo producitur sonus, videlicet medio motu locali resilientiæ, quo medio corpus, vt aer percussus a corporibus sonantibus, & quasi fugiens ab eis mouetur per impulsum, quem dum vehementer se collidunt aut separatur per diuisionem, ei imprimunt.

Per talem enim motum (quem resilientiæ vocant) causatur sonus, & propterea licet contrario careat, successiuè fit, quemadmodum lumen contrario carens successiuè nihilominus producitur a Sole in aere, quia medio motu locali, per quem approximatur eidem aeri producitur: vnde sequitur, quod sicut lumen successiuè producit species in oculo, & successiuè ab eo videtur, pari ratione sonus producitur successiuè, quia medio motu locali, & ideò successiuè producit species in medio, & potentia: hoc tamen est discrimen, quod lumen non postulat successiuè produci: sed in instanti: sed quia accidit luminosum appropinquare per motum, per accidens producitur lumen successiuè, & successiuè videntur: sonus verò naturaliter postulat produci successiuè, non propter latitudinem contrarietatis, quam habeat: sed quia ex propria natura petit produci medio motu resilientiæ essentialiter successiuo & ideo semper producit species in tempore, & etiam auditur in tempore.

91 Cuius ea est ratio, quia modus operandi sequitur modum essendi: sed sonus habet semper modum essendi successiuum: ergo eundem modum habet operandi, ac mouendi medium, & potentiam.

Vnde si in instanti produceretur sicut aliquando producitur lumen in instanti, multiplicaret species, & in instanti audiretur, sicut in instanti ea producit lumen, & in instanti videtur: nam productio specierum cum sit intentionalis actio contrario carens quasi per se petit in instanti fieri, & quasi per accidens successiuè, & in tempore.

Secundò notandum est, quodlibet agens corporeum limitatam habere sphæram, intra quam potest operari, & non extra illam & iuxta maiorem, vel minorem virtutem operandi maioré, vel minorem habet sphæram. Constat verò obiectum visibile perfectius esse sono, sicut & sensus ipse visus perfectior auditu est, vnde maiorem habet sphæram actiuitatis, & ad maiorem distantiam potest mouere visum, quam sonus auditum.

Et ex vtroque hoc notabili sequitur duplici de causa contingere posse, quod ab eadem distantia prius videatur lumen, quam audiatur sonus, est priori quidem si lumen non

non fiat successiuè: sed in instãti, vt postulat natura eius: cum tamen sonus semper postulet fieri in tempore. Ex posteriori verò, quia licet vtrumq; fiat in tempore, vt contingit in fulmine, & tonitruo, maiorem longè sphæram actiuitatis habet lumen, quã sonus: ideo quamuis vterq; multiplicet species in tẽpore, citius tamen lumen ad eandem distantiã. Et hinc prouenit, quod licet sint in eadem distantia, prius videtur lumen, quam audiatur sonus, etiam a visu, & auditu existẽtibus intra sphæram actiuitatis cuiusq;. Prius autem videri aio lucem, quam audiatur sonus, quia dum videtur hoc, nondum auditur iste: sed postmodum, tum quia videns fortè non erat intra sphæram soni, erat tamen intra sphæram luminis, tum etiam, quia licet intra sphæram vtriusq; foret, citius operatur lumen, præsupposito, quod vterq; operetur successiuè, propter maiorem perfectionem, maioremq; virtutem actiuam, non solum respectu actionis naturalis: sed etiam intentionalis: post modum verò audiri incipit sonus, audiri verò incipit, dum iam sphæram auditus attingit propinquior ei factus per motum aeris resilientis, in quo defertur. Et eodem modo se res habet in suno per ictum securis circa lignum causatum.

Et ex his constat solutum esse primum argumentum, quia licet verum sit sonum statim ac incipit esse, multiplicare species: sed quia incipit esse in tempore, successiuè eas multiplicat, quare non potest audiri tam citò, ac videtur lux ob rationes assignatas: licet ergo statim ac incipit esse, producat speciẽ, non ad tantam distantiam ac visibile, ideo sæpe non auditur à vidente lucem: sed necessariò spectandum est ad auditionem, quod per motum localem aeris, in quo defertur, ad auditum appropinquet, & minorem eius sphæram attingat.

Ad secundum concesso antecedente neganda est consequentia, quod bis audiatur idem numero sonus auditione directa ab eodem auditu existente intra sphæram eius non enim incipit in instanti: sed successiuè, & in tempore, & per motum resilientis aeris defertur: & aliquo tempore durat, sed falsum est, quod interrumpatur, vel cesset auditio, per quã audiebatur, & post aliquod tempus iterum audiatur: sed solum sequitur toto illo tempore continuo audiri vna auditione continuata.

QVAESTIO V.

Quidnam sit vox, & quid echo, vel reflexus sonus, & quonam modo fiant.

93 PRimum, quod postulat titulus quæstionis est explicatio naturæ vocis, quam tradere cœpimus in expositione textus, & nunc perficiemus adnotantes naturam duas statuisse vias ab ore animalis, per interiores partes pectoris procedentes, quarum vna pergit vsque ad ventriculum, seu stomachum, & vocatur *gula*, quia per eam emittitur cibus in ore præparatus ad eundem ventriculum; & via hæc habet ex parte oris extrema cauitatem grandem, quam vocamus *fauces*, & est orificium illud gulæ satis magnum, quo deglutimus. Altera via tendit ad pulmonem, & durior est, ossi potius, quam carni similis, nec recta: sed obliqua habens circulares quosdam anfractus, nec æquales habens partes: sed quasdam supereminentes, & ideo asperitatem in ea causantes, & propterea vocatur *arteria aspera*, atq; etiam *guttur*. Deseruit autem non ad transmittendum cibum, aut potum: sed respirationi, quia per eam pulmo attrahit aerem pro temperando maximo calore cordis. Est enim *pulmo*, vt docet Arist. 3. lib. de part. animal cap. 3. spongiosa quædam substantia: & quasi folles cordis, & ideo valde accommodatus pro aere recipiendo, atque expellendo: procedunt que ab eo duæ aliæ viæ tendentes in ipsum cor, vna per quam transmittit aerem in cor, & remittitur ab eodem corde, & hæc dicitur *arteria venosa*, quia vnicam habet tunicam sicut venæ sanguinis: per alteram viam desumit sibi pulmo ipse proprium alimentum a corde, & dicitur *vena arteriosa*, quia duplicem habet tunicam, sicut arteriæ sanguinis.

93 Pulmo igitur virtute aïæ in se existentis habet facultatem attrahendi ad se externũ aerem, eundemq; a se emittendi per asperam arteriã ad efformandã vocem, quę ideo *arteria* etiam *vocalis* nuncupatur, & cum sit an-

angusta via, aer per eam emissus magna vi percutit aerem retentum in magna illa cauitate, quam pro extremo habet circa os, & vocatur *larinx*, siue *gurgulio*, & per hanc collisionem aeris attracti, atque emissi per respirationem, aerisque retenti fit sonus, qui alijs instrumentis in ore residentibus quasi distinctus, expolitus, ac dearticulatus fit vox, & in quantum ab anima cum imaginatione aliqua mouente appetitum, a quo prædicta omnia instrumenta applicantur ad eiusdem soni, ac vocis formationem, procedit, affectum animæ significat, & ad significandos conceptus intellectus, & his medijs res conceptus naturalem habet aptitudinem, & actualem significationem earum consequitur media impositione hominum. Ex quibus intelligi potest definitio vocis insinuata ab Aristot. in fine huius capitis, quam his verbis ad formam definitionis reduci posse dicebamus in expositione textus.

96 *Vox est sonus animalis factus per collisionem aeris a pulmone attracti, atque emissi per respirationem cum aere in gurgulione, vel laringe retento, & cum quadam imaginatione*, quam definitionem, vt intelligamus tria hæc distinguere, atq; ordinare oportet, videlicet, *sonum*, *vocem*, *& sermonem*; nam se habent tanquam superius, & inferius, quia sonus superior est, vtpote communis omnibus corporibus, quæ possunt se percutere, vox verò solis animalibus conuenit, & ideò inferior est sono, & propterea in definitione dicitur vocem esse sonum, non quemcumque: sed animalis, & quia non quibuscumque animalibus conuenit vocem edere, licet possint sonum efficere, nisi habentibus pulmonem, arteriam vocalem, & cætera instrumenta, quibus medijs formatur vox: ideo adduntur cæteræ particulę in definitione, per quas distinguitur vox a cęteris sonis tanquam perfectũ quid ab imperfecto, & quia ex eo, quod cum imaginatione mouente appetitum ad applicationem instrumentorum formatur, cõsequitur significationem alicuius affectus naturalis, necesse fuit addere, quod cũ imaginatione fiat.

97 Sed adhuc vox communis ijsdem animalibus determinatur per dearticulationem ad sermonem, quia peculiaribus instrumentis ab appetitu per imaginationem moto applicatis expolita, atque distincta in syllabas apta fit ad significandum, non solum naturales affectus quod habent brutorum voces: sed conceptus intellectus, & res alias quas per conceptus intelligimus, sed neque has, neque illos actu significant voces, nisi ex hominum impositione. Ex actuali verò significatione conuenit illi vltima perfectio nempe sermonis: nam sermo vox humana est, hoc est, dearticulata, & ad significandum res, & conceptus imposita, qua vtuntur homines in communi conuictu ad sensa mentis, & res per ea concepta alijs significanda.

Quonam modo fiat reflexio soni, qui vocatur echo.

ECho idem significat, ac sonus reflexus, reflexio autem soni explicatur ab Aristot. in textu per reflexionem pilæ ad parietem proiectæ, quia sicut pila per impulsum ei impressum à proijciente mouetur motu recto quamdiu non occurrit ei corpus obsistens, vel impediens, tali verò occurrẽte corpore, videlicet pariete, statim ac illud contingit per eundẽ impulsum, quo ferebatur retrocedit, aut retrorsum redit, & retrocessio ista vocatur reflexio, aut reflexionis motus.

98 Quod patet etiam in radijs solaribus recta via per aerem extensis, qui si corpus opacum reperiant, a quo vlterior transitus rectus impediatur, retrorsum reuertuntur, & eam partem aeris, in qua coincidunt cum recta illuminatione a se facta, intensius illuminant, motus ergo iste retrocessionis vocatur reflexio luminis, & lumen ipsum, vel radij reuertentes appellantur lumen reflexum vel reflexi radij. Ita ergo intelligendum est de sono, qui siue diffundatur per totum medium secundum esse naturale, aut reale, siue solum secundum esse intentionale per speciem, procedit diffusio vna vel alia recta via, quousque occurrat corpus aliquod eam impediens, & tunc aer via recta tendens, atque in eo sonus, vel eius species in eo delata, eodem quo ferebatur impulsu, retrocedit vsq; ad sphæram auditus, & iterum auditur & sonus iste, vel species eius retrocedens vocatur echo. De quo quærimus quonam modo fiat.

Et quamuis plures sint de hac re sententiæ,

tiæ, ad duas tamen extremas reducere possumus omnes claritatis gratia.

99 Et prior tenet echo fieri per reflexionem soni realis in corpore obsistente, & reuersionē eius vsq; ad auditum, vel certè vsq; ad aliquam partem medij, ex qua specie in sui producat in organo. Ita videtur sentire Plato in Phædro asserens echo esse sonum, qui a solidis, & concauis corporibus reflectitur instar amoris. Ita expresse Auicen. lib 6. natural. c. de auditu, Simplic. Alex Philop. c. præsenti, & idem videtur sentire D Tho. Alb. Mag tract. 3. c. 19. Palatius, & alij ex interpretibus huius capitis.

Et cum eis recentiores quidam: sed ferè omnes diuisi sunt in modo particulari loquendi, nam Auicenna putat eundem numero sonum primò productum in parte aeris deferri in ea vsq; ad locum reflexionis, & percusso corpore obsistente reuerti cum ea vsq; ad auditum, & ita echo esse eundem numero sonum realem euntem per motum directum, & redeuntem ad auditum per reflexum.

Simplicius verò reflexionem fieri censet ex eo, quod commota parte aeris proxima corpori obsistēti iterum commouetur totus aer in contrarium, hoc est, versus auditum, & multiplicatur sonus vsque ad illum, iterumq; auditur.

100 Quare videtur sentire echo esse quidem realem sonum, non eundem numero cum eo, qui primò productus est: sed eundem specie. Alex. verò alia ratione sonum reuerti putat. Ita vt vltima pars aeris quæ sonum deferebat, percutiat corpus obsistens & hæc eadem retrocedens aliam sibi proximam percutiat mouens eam in contrarium, simulq; imprimens ei sonum, & hæc aliam, & sic vsque ad auditum, vt iterum audiatur sonus, non idem numero: sed specie. Alij verò, quos citat Iandunus 2. lib. de anim. q. 13. sic multiplicari sonum vsq; ad corpus obsistens credunt, vt ex eius percussione producatur alter, & reuertatur vsq; ad auditum, non idem secundum numerum, nec secundum speciem: sed specie distinctum a priori, quia prior productus fuit à viuente, imò ab homine, cum esset vox eius, posterior verò productus à non viuente.

101 Aliqui tandem ex his, qui solum multiplicari sonum per medium existimāt vsq; ad aliquam distantiam, adhuc putant pertingere vsque ad corpus obsistens, & ab eo aliquantulum reflecti secundum esse reale, & ab ea distantia peruenire vsq; ad auditum solum per species intentionales. Et ita echo non esse eundem numero sonum, qui primò fuit auditus: sed numero distinctum, & auditione quidem rectà audiri secundum esse reale, reflexa verò solum per species intentionales, omnes itaque sententiæ istæ conueniunt in eo, quod echo fiat per reflexionem soni realis, quamuis diuersis vijs incedant circa modum, quo realiter peruenit vsque ad corpus obsistens, & ad auditum vsque reuertitur: ideo pro eadem sententia numeramus omnes.

102 Probatur testimonio Aristot. cap præsenti, vbi reflexionem soni docet fieri sicut reflexionem pilæ ad parietem allisæ: sed constat motum reflexionis pilæ, non minus esse realem, & naturalem, quam directum; ergo etiam reflexio soni, realis, & naturalis erit ex mente Aristotelis, qui expressius id videtur asseruisse sect. 11 prob. quæst. 13. vbi postquam quæstionem proposuerat: quare vox prolata sæpe amittat formam, & nihilominus eam iterum per reflexionem audiamus, quod est fieri echo: hisce verbis respondet, *An quod refractio est, non perfractio; sic enim cum totum permanet, tum partes ab eo duę vniformes proficiscuntur, quippe cum per similem angulum refractio existere soleat*: itaque vox resonandi similis primæ efficitur, quibus expressè videtur dicere per reflexionem produci nouam vocem realem, & naturalem priori similem, quæ resonare dicitur, & iterum audiri, quod est asserere echo fieri per reflexionem realis soni, & non solius speciei, & hoc idem assertum videtur, Sapientiæ 17. illis verbis: *Resonans de altissimis montibus echo*, resonare enim sicut sonare, nō conuenit speciebus intentionalibus, sed sono reali, ac naturali.

103 Sed probatur ratione primò, quia euidenti experientia cōstat sonum directum, & reflexum nō audiri simul, sed vnum post alium, ita vt inter auditionem vtriusq; aliquantulum intercedat tempus, sed si per solas species intentionales fieret reflexio, simul omninò fieret vtraq; auditio: ergo non fit per solas species, sed per realem soni retrocessionem.

104 Probatur minor, quia species intentionales producuntur in instanti: ergo simul

ac

ac ſonus auditur, directa auditione multiplicat ſpecies vſq; ad corpus obſiſtens, & iſtæ ſimul reuertuntur vſq; ad auditum, & iterum fit auditio. Et vrgeo argum. hoc modo, inter auditionem directam, & reflexam mediat tempus; in hoc igitur medio tempore inquiro, vbinam ſit ſonus directè auditus & ſi dicas eſſe in aere, ſtatim infero iterum, atq; iterum audiri ante reflexionem: ſi verò dicas nullibi eſſe, euidentius infero, nec poſſe producere ſpecies, per quas fiat reflexio, quia quod non eſt, agere non poteſt, etiam ſi immediatè prius extiterit: imò nec poſſunt eodem tēpore permanere ſpecies iam productæ ab eo, dum erat, vt per eas fiat reflexio, quia ſpecies dependent in conſeruari ab exiſtentia obiecti: ita vt eo extincto ſtatim euaneſcant.

Secundò, quia ſi reflexio ſoni fit per ſolas ſpecies, eodem modo fiet, ac viſio reflexa alicuius rei in ſpeculo, ſed non poteſt hoc modo fieri: ergo non fit per ſpecies. Minorem probo, quia per viſionem reflexam in ſpeculo videtur res in profundo ſpeculi, & quaſi vltra illud, ſed in echo non ſentitur ſonus in profundo corporis obſiſtētis, vel vltra illud, ſed in ipſomet: ergo non ſentitur per ſpeciem, ſed realis ipſe ſonus, qui in ipſo corpore reflectitur, eſt, quod auditur.

Secunda opinio aſſerit *echo non fieri per reflexionem ſoni realis, ſed ſolum per reflexionem ſpecierum intentionalium in corpore obſiſtente, ita vt cum aere deferantur, & aer per motus reperiat corpus obſiſtens, atque impediens propriū motum, quaſi alliſus ad tale corpus, reſilit in oppoſitam partem, mouetur & eaſdem ſpecies deferens verſus auditum, & ſpecies ſic delata, cum primum perueniunt ad ſphæram auditus, qui eundem ſonum directa auditione potentia audiuit, producunt aliam ſpeciem per quam iterum auditur, & reflexa auditio ita facta, vel ſonus vt ſic auditus per reflexionem vocatur echo.*

105 Ita ſentiunt Buridan. 2. lib. de anima, q. 12. Apollina. quæſt. 24. noſter Molina 1. p. q. 58. art 2. d. 1. Toletus 2. lib. de anima, q. 22. & recentiores permulti, ita vt iam ſit ferè communis inter eos, nobiſque videtur probabilior.

Quam probamus eiſdem rationibus, quibus probatum eſt quæſtione præcedente ſonum non multiplicari per medium ſecundū eſſe reale, nec peruenire vſq; ad auditum, ſed per ſolas ſpecies intentionales audiri.

106 Si enim ſonus non multiplicatur, nec per ſe poteſt vſq; ad auditum vt plurimum peruenire, nec poterit reflecti, ſed ſicut recta auditione auditur per ſpecies intentionales ita etiam auditione reflexa vt plurimum verò aſſero non poſſe reuerti ſonum realem, quia aliquando ad tam paruam diſtantiam contingit fieri reflexionem (quia contingit propè inueniri corpus concauum obſiſtens) vt ſonus primò productus in aere deferatur vſq; ad locum reflexionis, & cum aere ipſo reflectatur, ſed addo nō eſſe talem reflexionem ſoni realis adhuc in caſu iſto neceſſariam, vt fiat echo, nec etiā audiri ſonum ipſum reflexum per ſe, nec per ſe ad auditum peruenire, ſed per ſpeciem intentionalem, quæ ſufficienter reflecti poteſt in corpore concauo, ita vt per eam, vel per aliam ab ea multiplicatam fiat auditio reflexa abſq; reflexione ſoni realis.

Ex his infero, quod dum fit echo, idem numero ſonus, & eadem numero vox primo audita, iterum auditur, & non ſonus, vel vox numero a prima diſtincta, quia cum vtraque auditio, recta, atque reflexa fiat per ſpecies primò productas ab eadem numero voce, & per reflexionem multiplicatas reuertentes vſq; ad auditum, neceſſe eſt eandem numero vocem repræſentare, & cōſequenter eandem numero vocem audiri, licet per diſtinctas ſpecies repræſentatam.

107 Vt autem ſententia noſtra intelligatur melius, & oppoſita argumenta facilius ſolui poſſint, adnotandum eſt ſonum realem, poſt primam ſui productionem deferri in aere reſiliente, & quandiu non recedit a ſphæra auditus, quaſi continuata, vel conſeruata auditione, atque directa auditur, recedente verò ab eius ſphæra ceſſat auditio eius, ſed contingit ſpecies a ſe diffuſas per medium, & in aere delatas inuenire corpus ſolidum, & concauum (tale enim eſſe debet illud in quo fiat reflexio) a quo impeditur aer, ne vlterius progrediatur, & ſic impeditus reflectitur verſus auditum, & in eo ſpecies, quæ cum primum perueniunt ad ſphæram auditus, iterum auditur ſonus, & ſonus per ſpecies reflexus, & iterum auditus vocatur echo, & ecce tempore illo intercedente inter auditionem rectam, & reflexam ſonus tendit per medium delatus in aere, quouſq; accedit magis ad locum reflexionis, & recedit ab ſphæra auditus, & ita non auditur

tem-

tempore illo quousq; species, quas producit motus in aere pertingentes corpus concauum reflectuntur in aere reflexo, & peruenientes ad sphæram auditus iterum per eas auditur sonus.

108 Ex quibus non erit difficile argumenta opposita soluere, & primum testimonium Aristotelis parum momenti habet, quia similitudo reflexionis pilæ non tenet in omnibus, sed in eo, quod propter impedimentum, & resistentiam obsistentis corporis, tam pila, quam aer, in quo sonus defertur eodem impulsu, quo feruntur, retrocedunt, & mouetur versus impellentem, & ad hoc tantum explicandum vtitur Aristoteles similitudine pilæ. In cęteris verò diuersus est reflexionis modus, vt potest facile constare ex reflexione soni a nobis exposita.

Secundum testimonium longè difficilius est, sed exponi adhuc potest iuxta sensum nostræ sententiæ: nam species, quæ reflectitur in corpore concauo aliam multiplicat versus sphæram auditus repræsentantem eandem vocem; & ideo verum est quod per reflexionem efficiatur vox priori similis, hoc est, iterata similitudo eius: tantumdem namque valet, & efficit species in ordine ad auditionem, ac vox ipsa naturalis: & cum sit similitudo eius, vocari potest vox alia ei similis.

109 Cætera verò, quæ dicuntur in eodem testimonio de diuisione vocis per refractionem, & de modo perueniendi ad visum per suos angulos, bene etiam possunt referri ad species intentionales vt consideranti patebit. Et pari ratione verba sapientis, nam resonare dicitur sonus in montibus, quia ab illis reflectitur vsq; ad sphæram auditus, vt iterum audiatur, siue reflectatur per se, vel per suas species.

Ad primum argumentum negandum est antecedens: quod sonus fiat in instanti: nam quamuis contrario per se careat, consequitur tamen ex propria natura motum localem resilientiæ, & eo medio fit, & propterea in tempore fit, atque etiam in tempore auditur. Sicut lumen medij à sole illuminati fit successiuè, quia sol illuminat per motum, & ita multiplicat in tempore species, atque etiam videtur in tempore, sed etiam si concedatur antecedens, vt maiorem locum difficultati argum. tribuamus, neganda est consequentia, quod simul sint auditio recta, & reflexa; vel quod simul audiantur directus sonus, & echo, quia licet species intentionales producantur in instanti, deferuntur tamen in aere resiliente successiuè, vnde successiuè perueniunt ad locum reflexionis, & successiuè etiam reuertuntur vsq; ad sphæram auditus, & ideo non statim per eas audiri potest sonus auditione reflexa; nec ideo simul, ac auditur auditione directa, sed necesse est tempus aliquod (licet breuissimum) inter vtramq; auditionem intercedat.

110 Et dum vrgetur argum. inquirendo, vbinam sit sonus in illo intermedio tempore. Respondeo esse in aere, & cum infertur, iterum, atque iterum audiri auditione directa; neganda est consequentia, quia dum intra sphæram auditus continetur, auditur quidem, non alia auditione directa, sed eadem continuata, vel conseruata, dum verò iam ab sphæra recessit, & ad locum reflexionis appropinquatur, neque auditur auditione directa, quia non est intra sphæram auditus: neque reflexa, quia species eius, quæ reflectuntur, & per reflexionem multiplicantur, in eodemq; aere reflexo deferuntur, nondum peruenerunt ad sphæram auditus, & ideo nondum potuit per eas audiri sonus, nec per alias ab eis multiplicatas, quia dum obiectum, vel eius species non sunt intra sphæram potentiæ, non possunt eam immutare.

111 Ad secundum respondeo, quod licet vtraq; sensatio reflexa, nempe visio, & auditio fiat per species intentionales, diuersa tamen ratione: nam reflexio soni fit per reflexionem aeris, qui statim in superficie obsistentis corporis concaui resistentiam repetit, & ideo statim ab illa reflectitur, & cum eo species soni; quare non potest sonus in profundo eiusdē concaui corporis, vel vltra ipsum repræsentari, sed in ipsomet, quod in obiecto visibili, aut specie eius nō reperitur, & propterea non mirum est, si alio modo repræsentetur obiectum per speciem reflexam eius, ac repræsentatur sonus, quamuis dum species visibilis reflectitur in corpore minus terso, imò & in speculo minus puro, repræsentet etiam obiectum non in profundo speculi, sed in extima superficie eius.

Et si quærat aliquis, an species possint recipi in corpore solido; tiā secundū partes dēsas eius: nā in poris certum videtur posse recipi propter aerem in eis degentē, ex vtroq;

 se-

sequitur non posse species reflecti, sed in corpore ipso concauo inhærere; quare nec per reflexionē specierum poterit echo fieri.

Huic respondent recentiores quidam ex his qui nostram sententiam de modo reflexionis sequuntur, concedendo, quod species soni possint recipi in corpore solido, ac duro, etiam secundum partes densas, sed difficilius, atque imperfectius longè in eis recipiuntur, & propterea necesse est cum ipso aere cito resiliente magna ex parte resilire: non ergo omnes species soni hærent in corpore concauo, licet aliquæ hærere possint: præsertim in partibus porosis eius, in quibus non recipiuntur, cum tanta difficultate: quare adhuc datur locus reflexioni per species reuertentes faciendæ.

112 Ego verò alio modo respondeo, species per se non reflecti, sed ratione aeris resilientis, aer verò per impulsum delatus, & impeditus hærere non potest, sed necessario retrocedit, quare necessario etiam retrocedunt cum eo species, quia non possunt transire ad corpus concauum, cum non possit naturaliter idem accidens numero transire de vno subiecto ad aliud. Negandum igitur est, quod in concauo ipso corpore hæreant, quamuis forte in puncto reflexionis producant alias, in eodem concauo corpore hęrentes, quod constat nihil ad reflexionem per eas faciendam referre.

QVAESTIO VI.

Quodnam sit organum, seu subiectum proprium auditiuæ potentiæ.

113 SOlum restat circa sensum auditus explicandum, quænam pars animalis sit organum huius potentiæ; in quo tanquam in proprio subiecto resideat.

Et quamuis quædam animalia sint quæ auditum habent in medio corporis intra anfractus quosdam a natura collocatum, vt testatur Arist. 4. lib. de histor. animalium, c. 8. & 2. lib. de partibus animal. c. 12. & alia etiā sint, quæ cum audire sit certum, incertum tamen per quamnam partem tanquam per organum huius potentiæ audiant.

Non est tamen minus certum omnia ferè animalia, quæ potentia auditiua gaudent, situm habere in ea parte temporum extrema, quæ auribus contegitur: nam sicut natura pilos superciliorum supra oculos statuit, in quibus residet potentia visiua, vt eam ab iniurijs externorum quantum possibile est defendant: ita statuit aures, quibus circundata, & quasi vallata, atque munita sit pars illa, in qua tanquam in organo, ac subiecto constituitur potentia audiendi, quo melius possit conseruari: & propterea aures ipsas, nec nimis molles fecit, ne nimis facile contundi possent, nec nimis duras, ne facile constringerentur, sed mediam naturam tenētes cartilaginosas quidem, hoc est ex partibus carnis, atq; etiam osseis compositam. Et aures istæ habent internam viam anfractibus quasi cochlearibus, atque obliquitatibus plenam, quasi in modum labyrinthi, ne forte sonus in rapido delatus aere, suo impetu concutiens sensum eum lædat. Nec solum obliqua est, & anfractuosa via hæc, sed angustissima, ne forte aqua, vel quid aliud externum per eam ingrediatur, a quo temperamentum sensorij lædatur, vt insinuauit Arist. c. præsenti text. 83.

114 Et tandem in hac eadem via collocauit natura humorem quendam densum, atq; viscosum, vt si forte bestiolæ ingredi attentauerint, hæreant in via, & facile capiantur & his de causis *foramen* hoc *cecum* vocari solet, quasi per ipsum aditus non pateat ad internas partes auditus, sed quamuis angustissimum sit, desinit tamen versus cerebrum in cauitatem quandam, & amplitudinem quasi orbicularem, cuius medietatem operit pellicula quædam, siue membrana, quam *tympanum* auditus, atque etiam *myringam* vocant: nam similitudinem tympani cuiusdam habet. Sustentatur autem membrana hæc tribus ossiculis, quorum vnum similitudinem *incudis* habet veluti duobus innixi pedibus, alterum quasi figuram *malleoli*, & tertium similitudinem *stapedis*. Membrana etiā hæc affixa est neruo cuidam a cerebro descendenti, per quam, & spiritus animales necessarij ad sensationem eliciendam deriuātur, & species sensatæ sonorum ad sensum communem internum transmittuntur.

115 Intra medietatem illius cauitatis versus cerebrum, in quam desinit cęcum fora-

men,

men, residet substantia quædam subtilissima eodem tympano circundata, & quasi versus externam partem aurium vallata: quam ob nimiam subtilitatem aerem vocant, sicut subtilissimum sanguinem vocamus spiritū. Itaque non est vetus aer, sed aeri similis, & quia ab ipsa hominis formatione collocatus est ibi a natura, & ibi semper, & immobilis permanet, vocatur aer innatus, atque immobilis, imò propter rationem statim tradendam vocatur a multis vitalis aer His explicatur modo saltem imperfectò fabrica auditus, & simul aperitur via ad intelligendum varias authorum sententias de organo eius.

116 Themistius igitur cap. præsenti ad textum 83. organum auditus asserit esse spiritum animalem deriuatum a cerebro in has internas partes aurium, ad quem per innatum aerem perueniunt species soni, & efficitur auditio. Sed hæc sententia falsa probatur, quia spiritus siue vitales sint operationibus animæ vegetatiuæ deseruientes, siue animales, deseruientes operationibus animæ sensitiuæ, non sunt aliud, quam purissimus quidam, ac tenuissimus sanguis aeri persimilis: sed de sanguine probatum est nec viuere, nec informari anima, ergo talis spiritus non viuit, nec informatur anima, nec proinde potentiæ vitalis capax esse potest.

Alij verò organum huius potentiæ dicunt esse neruum illum a cerebro descendentem, cui diximus affixum esse tympanum. Ita Auicen. quam sequitur Alb. Mag. tracta. de auditu, q. 1. pro qua etiam sententia citatur a quibusdam Galen. lib. 1. de causis symptoma. c. 13. sed immeritò: cum pro organo huius potentiæ expresse ponat innatum aerem. Refertur etiam Nissenus lib. 4. de viribus animæ, c. 6.

117 Vesalius verò lib. 1. de humani corporis fabrica, c. 8. asserit organum auditus esse officula illa, cui affixum esse tympanum diximus, cuius rationem reddit, quia sicut malleus incudem pulsans producit sonum, ita vnum ex his officulis mallei figuram habens, per ingressum externi aeris quasi agitatur, & se collidit cum membrana, seu tympano, & hac agitatione incurrit in officulum aliud habens similitudinem incudis, ipsumque percutiens sonum edit, ex quo facto tanquam a signo colligit in his officulis edentibus sonum residere potentiam auditiuam tanquam in organo, potius quam in alia parte.

Hoc tamen fundamentum satis incertum est, & ad probandum officula illa esse organum auditus satis friuolum, & nullius momenti. Incertum esse assero, quia nec ratione, nec experientia probari potest talis motus, per quem vnum eorum incurrat in alterum, & sonum efficiat. Sed quam sit friuolum existimare, quod talis sonus (etiam si daretur) conduceret ad auditionem soni externi, vt ex hoc putari posset in eisdem corporibus residere potentiam auditiuam, probatur; quia quilibet sonus in ea parte editus impedit auditionem soni externi; & esto, non impediret, nihil certè iuuare potest ad audiendos alios sonos: ergo futilis ratio ex hoc potest colligi ad probandum ibi residere auditum.

118 Propterea Tolet. q. 21. huius libri tympanum docet esse organum huius potentię, quod verosimile videtur, quia cum primum sonus externus, vel species eius tympanum attingit, videtur necessarium fieri auditionem, quia non potest vlterius pertransire eam penetrando.

Nihilominus vltima sententia ponit auditiuam potentiam in substantia illa subtilissima, aeri simili, tympano contecta. Ita expressè Aristot. 2. lib. de partibus animalium cap. 10. his verbis. *Auditum etiam nonnulla animalia situm in capite habent debita ratione, quod enim inane vocatur, plenum aeris est, sensorium autem audiendi aerem esse fatemur.* Et cap. præsenti textu 83. de eadem aerea substantia hæc verba scribit. *Hic autem in auribus ædificatus est, ad hoc vt immobilis sit, quatenus certò sentiat omnes differentias motus propter hac autem, & in aqua audimus, quoniā non ingreditur ad ipsum connaturalem aerem, cum autem hoc accidit, non audit, neq; si membrana laboret, sicut vtcumque super pupillam est pellis, laborat.* Quibus expresse sentit, quod sicut pupilla est organum visus, ita naturalis iste aer est organum auditus. Idem quoque expresse in lib. de sensu, & sensibili c. 2. ita etiam Galen. lib. 8. de visu partium c. 6. in hæc verba. *Alteratur non a quouis sensibili omne sensorium, sed splendidum quidem, ac lucidum a coloribus, aereum a sonis, vaporosum ab odoribus, & vt in summa dicam simile simili notum est, ac familiare.* Quibus hanc rationem

satis congruentem, ac probabilem insinuat. Sensorium cuiuslibet sensus debet esse congruum receptaculum specierū eius, per quas sensatio fiat a potentia in eo residente. Sed aer maximè, ac primo est receptiuus soni, & specierum eius ergo aer simile debet esse organum auditiuæ potentiæ, vt congruentissimum sit receptaculum earum, & est talis subtilissima illa substantia.

120 Secundam rationem congruentię insinuauit Aristoteles verbis citatis, quia sicut de pupilla dicebamus potissimam partē oculi esse, & magis septam, & quasi muris vallatam a natura, vt melius in ea conseruetur potentia visiua. Ita aerea hæc substantia cęteris partibus contecta est, & quasi eas pro muris habet, quod certè maximū indicium est, quod in ea constituerit natura auditiuam potentiam, quantum fieri potest conseruandam tanquam valdè necessariam ad comparandas scientias, rerumque omnium notitiam.

Sed obijciet aliquis nullam partem corporis posse esse organum potentiæ vitalis, quæ non informetur anima, sed aer non est capax animæ, cum non possit cum cæteris partibus corporis continuari, nec proinde ab ea informari: ergo neque substantia hæc aerea capax erit animæ, & consequenter, nec potentiæ vitalis eius.

121 Respondetur tamen hāc substantiam non esse aerem, sed quid ab eo diuersum, quamuis propter subtilitatem similem, nec tantam subtilitatem habet ac spiritus, sed aliquantulum crassior est, vnde nec mobilis sicut spiritus, sed immobilis facta est a natura, & cum cæteris partibus corporis continuata, quod sufficit vt capax sit animæ, & ab ea informetur, & consequenter potentiæ vitalis.

Vt autem explicemus illud, quod pro Toleto opponebamus, videlicet nec sonum realem, nec speciem eius posse membranam penetrare, vt ad aeream substantiam tanquā ad organum perueniat, adnotare oportet auditionem sic fieri, vt cum primum sonus attingit tympanum, producat speciem sui in substantia illa aerea inclusa, quod prę sertim necessarium est apud Aristotelem asserentē, quod in cæteris saltem sensibus præter tactum, sensibile supra organum positum non sentitur, si enim hoc verum est, non poterit in eadem substantia inclusa recipi sonus realis, vt sentiatur, sed per speciem ita productam debet eam immutare, quod multò facilius intelligitur iuxta nostram sententiam: nam cum primum species soni attingit tympanum, potest aliam similem in eadem illa substantia multiplicare, quod non impedit tympanum, quia subtilissima quædam pellicula est, per quam potest sonus realis alterum sibi similem producere in eadem substantia aerea (si productiuus ponatur) vel saltem illuc vsq; deferatur, vel quod verosimilius, ac facilius est, species in aere, illuc vsque delata potest producere aliam in organo, & per eam fiet auditio.

CAPVT IX.

De olfactu, olfactibili, & medio.

TEXTVS ARISTOTELIS.

De odore autem, & olfactibili minus facile determinabile ex dictis, &c.

Breuis expositio textus.

POst tractatum de visu, & auditu tertium locum concedit Aristot. sensui olfactus propter maiorem similitudinem, quam habet cum eis, in eo saltem, quod per medium externum aeris, & aquæ immutatur ab obiecto, quo carent gustus, & tactus. Intentum igitur huius capitis est naturam olfactus exponere. Quod præstat Aristotel. tribus, hoc ordine ad eum spectantibus expositis, videlicet natura odoris, atque speciebus eius, medio per quod ab eo immutatur, & organo in quo tamquam in proprio subiecto residet, & ita trimembris est diuisio totius capitis.

123 Sed prius quam naturam huius sensus explicandam aggrediatur, difficultatem eius proponit in eo positam, quod sensus iste in nobis imperfectissimus sit, cum constet nos non percipere minora, vel remissiora odorabilia, sed intensiora tātum, sicut animalia illa quæ duros, ac supereminentes hīt oculos

dici-

dicimus, imperfectiorē habere visum, quia non vident nisi maiora visibilia: quare diffi cile quoq; nobis est per experientiā cognoscere naturam odoris, & specierum eius: ex quibus cum dependeat maximè notitia eiusdem potentiæ, difficile est eam cognoscere. Sed cum magnam similitudinem habeant odores cum saporibus, vsq; adeò, vt eisdem ferè significentur nominibus, dicuntur enim odores quidam dulces: alij verò amari, odoratum videtur natura concessisse animalibus, propter gustum, per sapores igitur cognoscendi sunt a nobis odores, & olfactus per gustum, quam viam parasse nobis videtur eadem natura excellentissimum gustum (præter cætera animalia) nobis concedens, quod etiam probat ex sensu tactus, nam gustus quasi quidam tactus gustabilium est: ergo meliorem tactum habens habebit meliorem gustum, sed cętera animalia bonitate tactus excedimus, ergo etiā bonitate gustus.

124 Minorem sic probat, bonitas tactus indicium maximum prudentiæ, atq; ingenij est, quia arguit optimum temperamentum corporis, a quo maximè dependent operationes internorum sensuum, atq; intellectus. Vnde eos, qui carne molles sunt, ingenio prę stare iudicamus: duriores verò hebetiores dicimus. Sed constat hominem prudentia excellere cętera animalia: ergo excedit ea sensu tactus, & gustus.

Species igitur odoris explicat per anulogiam ad sapores dicens, quod sicut dantur duæ species contrariæ saporis extremæ sub quibus continentur medij, vt dulces, & amari, acres, & pingues: ita dantur extremi odores, sub quibus continentur medij eisdem nominibus significati: nō quidem ita vt semper reperiantur in eisdem subiectis: nam aliquando id quod habet odoremdulcem, non habet dulcem saporem, sed amarum: sed quia sicut se habent extremi sapores ad gustum: ita extremi odores ad odoratum. Addit tamen quod per odoratum non solum percipimus odorabile, sed etiam inodorabile, seu odore carens. Sed tribus modis ait dici aliquid inodorabile. Primò, quia omninò caret odore. Secundò, quia debilissimum, aut valde remissum habet, ita vt vix sentiri possit. Et tertiò, quia pessimum habet ac nociuum.

125 Agit in secunda parte capitis de medio odoratus, asseritq; non solum aerem, sed etiam aquam esse, & quia de aqua aqua dubitari posset, probat euidenti experientia, quia animalia in aquis degētia, vt pisces ad cibos accurrunt, quod possibile non esset, nisi odore attraherentur. Vnde infert, quod vniuersaliter omnia ferè animalia, tam aquatilia, quam terrestria, tam sanguine prędita, quam exanguia, tam pulmonem habentia, & ideo respirantia, quam quæ eo carent, & consequenter respiratione, sensu odoratus prædita sunt, sed diuersa, inquit, ratione odorantur illa, quæ pulmonem habent, & quæ eo carent: nam illa spirando, hoc est, spiritum, aut aerem attrahendo, hæc verò absq; inspiratione. Sed ex hoc discrimine in modo percipiendi odorem ait dubium quoddā oriri, nempe an odoratus sit eiusdē speciei in vtrisq; & omninò in quibuscunq; animalibus, vel diuersæ. Et respondet esse eiusdem speciei in omnibus. Probatq; ex eodem obiecto, quod est odor respectu omnium.

126 Nam tam bene, quam male olentia, tam per inspirationem, quā sine illa habent odorem pro obiecto, sed vnitas specifica potentiæ sumitur ex vnitate obiecti: ergo eadē est potentia specifica olfaciendi in omnibus. Et rationem dubitandi de modo odorandi diuerso cum inspiratione, & sine illa soluit, quia discrimen hoc non se tenet ex parte potētiæ, sed ex aliquo extrinseco prouenit, hoc signo probandum, quia animalia respirantia organum olfactus coopertum habent, & ideo nō odorantur nisi per inspirationem, quæ viam odoribus aperiat perueniendi ad organum, qua inspiratione non indigent cætera, quorum organum patet. Et ex hoc prouenit discrimen aliud: nimirum, quod sub aquis vbi aer non est inspirationi deseruiens, nō odorantur illa, sed bene hęc, quia impedimento illo per inspirationem tollendo carent: hoc verò discrimen non se tenet ex parte obiecti, sed ex parte alicuius extrinseci, & propterea speciem olfactus non variat in eis.

127 Vt tandem quale esse debeat organum huius potentiæ exponat, vno verbo naturā odoris indicat dicens, quod sicut sapores humiditate abundant, ita odores abundant siccitate: vnde cum organum potentiæ debeat esse aliquo modo simile obiecto, talis temperamenti esse debet, vt siccitas in eo prædominetur.

TRACTATVS DE sensu olfactus, & odore eius obiecto.

QVAESTIO I.

Quidnam odor sit, quomodo gignatur, & in quo sit subiecto.

1 CIrca naturam odoris fuit sententia Heracliti, quam citat Arist. in lib. de sensu, & sensibili c. 5. asserentis esse vaporem quendam, aut fumosam exhalationem, quam res odoriferæ spirant: quam videntur sequi Plato in Timæo, Gal. in lib. de instrumento olfactus, Auic lib. natur. p. 2. c. de odore, Theophrastus lib. 6. de causis plantarum c. 5. D. Damasc. 2. lib. orthodoxæ fidei c. 18. Alfarab. quem citat Venetus cap. præsenti ad textum 97. Probatur testimonio Aristotelis, sect. 13. problem. quęst. 5. ita quærentis, *Odor verò fumosa euaporatio est quam ob causam res malè olida grauius olent, cum calent, quam cum frigent.* Respondet, *an quod natura odoris vapor quidam, & exhalatio est, qua calore existunt.* Probatur deinde ratione, quia odores cerebrum temperant, atque etiam lædunt vsq; adeò, vt Arist. in lib. de sensu, & sensib. cap. 5. dixerit in hunc finem productos esse a natura: nempe ad cerebrum temperandum, ac refrigerandum. Et quod amplius est nutrimento corporis deseruiunt, vt Galen. 2. aphoris. docere videtur, distinguit enim duplices partes in animali, quasdam solidas, quas cibo nutriri ait: tenues verò alias, & quasi aereas, quales sunt spiritus vitales, & animales, quas affirmat aere attracto, & odore nutriri. Sed nec temperare cerebrum, nec nutrire corpus possunt, nisi substantiæ sint, quia effectus isti a sola substantia, & non a nudis accidentibus præstari possunt: ergo odores sunt subtilis illa substantia, quam res odoriferæ spirant, videlicet fumosa euaporatio, aut exhalatio.

3 Hæc tamen sententia falsa est, quam vt talem refutauit Arist. in lib. de sensu, & sensibili capit. 5 & iuxta principia eius sustineri non potest, quia c. 6 huius lib. docuit substantiam non esse per se sensibilem: sed constat odorem sentiri per se, ergo non est subtilis illa, aut vaporosa substantia.

Sed ratione probatur, quia obiecta sensuum externorum, quæ passionem in sensibus causant, sunt qualitates passibiles tertiæ speciei, vt docet Aristoteles cap. de qualitate in prædicamentis, sed odor causat passionem in sensu olfactus, sicut colores in visu; & sonus in auditu: ergo erit passibilis qualitas, & non substantia, & consequenter, nec fumosa euaporatio, aut exhalatio, quas constat esse substantias.

Nostra igitur sententia duo asserit. Primú est, *quod odor sit qualitas quadam per se sensibilis a sensu odoratus*. Secundum, *quod sit secunda qualitas causata ex certa permixtione primarum, seu ex temperamento rei odorifera*: quare in solis mixtis corporibus, & non in puris elementis reperitur. Verumq; sine dubio tenet Arist. libro de sensu, & sensibil. c. 6. cum sententiam Heracliti ex professo reijciat,

atq;

at q; etiam c. præsenti, in cuius fine sic definit odorem. *Est autē odor sicci, sicut sapor humidi*. Siccum verò, & humidum de qualitatibus solis, vel earum ratione de subiecto dici pos sunt.

4 Vtrumq; etiā tenent Alb. Mag. 2. p. sum. de homine, titulo de olfactu q. 5. & lib 2. de anima, tract. 3. cap. 25. D. Tho. Alex. Aphrodis. & cæteri antiquiores lib. de sensu, & sen sibili cap. 5. Iandun. 2. lib. de anima, quęst. 27. Toletus q. 25. Conimb. cap præsenti, quæst. 1 art. 2. vbi etiam recentiores vniuersi. Et primum quidem probatum est aduersus priorem sententiam: quare solum restat explicare secundum.

De generatione igitur odoris agit Arist. non solum, cap. præsenti, & per duas sectiones integras 12. & 13. problem. sed copiosius in lib. de sensu, & sensib. c. 5. quibus locis odorem ait resultare in mixtis corporibus odoriferis ex temperamēto primarum qualitatum, in quo siccum comprehendit humidum, hoc est, ipsum superat.

5 Vnde quamuis quatuor primis qualitatibus res odorifera constet, in eo tamen gradu, ac dispositione, vt ex his præcipua dispositio materiæ eius sint humiditas, & siccitas tali modo permixtæ, vt siccitas vincat humiditatem, & absolutè sit superior, ac prædominans, causa autem efficiens a qua tali modo attemperantur, est externus calor, a quo sic humidum resoluitur, diluitur, & quasi attenuatur, vt ab humido comprehendatur, ac superetur: vnde efficiens causa odoris est calor externus, materialis verò humidum, & siccum in ea proportione, vt siccum comprehendat humidum.

Hæc autem ita se habere manifestis experientijs comprobari potest. Et in primis, quod odor sit secunda qualitas distincta a quatuor primis, & ex earum permixtione procedens: probatur experientia elementorum omnium, in quibus nullus est prorsus odor, vt docuit expresè Arist. lib. de sensu, & sensib. c. 5. esset verò si odor foret qualitas prima: ergo cum non sit in eis, sequitur esse secunda ex permixtione primarum causatam in solis corporibus mixtis.

6 Quod verò elementa odore careant, intelligimus, si pura sint, & nullam permixtionem alterius corporis habeant, Nam dum terra post nimiam siccitatem malefacta redolet, per mixtionem humiditatis aquæ id habet, non ex actione elementari.

Quod verò ex tali temperamento, in quo siccum comprehendat humidum, sequatur odor, colligitur planè ex eo, quod res odoriferæ dum calefiunt, magis redolent calore excitante, & augente siccum, magisq; decoquente humidum, efficienteq; vt magis a sicco comprehendatur. Vniuersaliter etiam verum est easdem res plus redolere verno tempore, quam hyemali propter caloris abundantiam. Imò plures ex eis, cum incenduntur suauiorem longè odorem spirant. Et tandem quod aliquid humiditatis permixtæ necessarium sit, constat eadem experientia: nam eisdem rebus odoriferis, quas vt redoleant, incendimus, humiditatis aliquid permiscemus, & si hæc, & alia nimis terreantur, vel vehementi consumantur incendio, parum, vel nihil odoris ex se emittunt, vt constat etiam in cineribus ligni odorati. Ex quibus colligere possumus definitionem odoris intentam, quæ talis erit: *Odor est qualitas secunda ex certo temperamento primarum, in quo siccum comprehendit humidum resultans, ac per se mouens sensum odoratus.*

Sed aduersus doctrinam traditam de generatione odoris ex tali temperamento, in quo siccum comprehendat humidum: sic obijci potest, odor, & sapor opposita sequuntur temperamenta primarum qualitatum: ergo repugnat esse simul in eodem subiecto. Probatur consequentia, quia repugnat naturaliter idem subiectum opposita temperamenta habere, vt per se est manifestum.

8 Consequens autem pugnat cum euidenti experientia, quia videmus poma, succos, & plura alia simul cum sapore suauissimo, non minus suauissimum spirare odorem, Imò nullum ferè corpus designari potest odoriferum, quod non habeat bonum, vel malum odorem: neque sapidum odorem non habens.

9 Respondet Toletus, & Conimbricenses cum eo, pluresq; alij ex recentioribus, corpora odorifera diuersas partes habere, & in quibusdam siccum comprehendere humidum, in alijs verò humidum potius comprehendere siccum, odorem igitur spirant partes priores: sapor verò reperitur in posterioribus, & ideo non sunt odor, & sapor in eadem parte subiecti: sed in diuersis, quod nullam continet repugnantiam: licet opposita sequantur temperamēta: quia idem cor

pus secundum diuersas partes habere potest temperamenta illo modo opposita.

10 Sed aduersus hanc solutionem obijci potest: Primo, quod licet possibile sit idem corpus heterogeneum habere partes oppositi temperamenti, & in his vera possit esse solutio: sed in homogeneis non videtur vniuersaliter vera: nam cum habeant partes eiusdem rationis, & omninò similes, non videtur posse in eis dari tanta diuersitas: imò tanta oppositio temperamenti, nec etiam videtur negari posse, quod eadem pars vini habẽs eundem saporem habeat etiam eundem odorem: nam si non habet eundem, nullum prorsus habebit: cum non videatur posse habere diuersum.

Quod verò nullum habeat, non videtur intelligibile. Secundò obijcio, quod etiam in eisdem partibus homogenei, vel heterogenei corporis vtraque qualitas reperitur simul: nam eædem partes corporis suauissimum odorem spirantes, pessimum habent saporem, qui etiam si pessimus sit, nihilominus oppositum temperamentum postulat, in quo humidum comprehendat siccum: ergo adhuc probatur odorem, & saporem simul reperiri in eadem parte subiecti, & cõsequenter opposita temperamenta, & ideo solutio eadem id negans falsa est.

11 Alio igitur modo respondent recentiores quidam, quibus propter primum argumentum non placet prædicta solutio, asseruntque non esse intelligendum, quod sapor quicumque sequatur humidum comprehendens siccum, & odor quicumq; siccum superans humidum de quocumq; sapore, & odore: sed de excellentissimis, cæteri verò sapores, qui non ita excellunt, bene possunt se qui ex sicco superãte humidum, vnde solum repugnat, quod suauissimus sapor sit simul in eodem subiecto cum suauissimo odore, non tamen cum alio minus perfecto, & pariter odor simul cum sapore. Sed hæc etiam solutio non est minus difficilis, quam prima: quia experimur non solos odores suauissimos sequi siccum comprehendens humidum: sed etiam mediocres, & pariter de saporibus.

Patet hoc in vino, & alijs humidis mediocriter sapidis, atque etiam in floribus mediocriter odoriferis, necnon in speciebus aromaticis, vt de thure, & alijs patet, quæ licet non sint suauissimi odoris, nihilominus magis redolent, quò magis incalescunt, & vniuersaliter loquendo experientię omnes superius adductæ, vel cum probant odorem sequi siccum comprehendens humidum, vel si probant de excellentissis eodem modo probant de mediocri, quare falsum supponit solutio hæc.

12 Et mihi videtur priori standum esse. quam vt explicemus, adnotare oportet res omnes in quibus simul esse possunt sapor, & odor, vel partes esse rerum viuentium, vel fructus, aut ex his, vel illis procedere & cum viuentia habeant partes diuersi temperamenti, pariter fructus eorum, & quæ ex his procedunt. Quare in his partibus, in quibus humidum superat siccum saporem habent, in alijs verò in quibus siccum superat humidum habent odorem, neque vnquam in eadem parte reperitur vtraque qualitas, neque temperamenta opposita, quæ sequuntur. Si verò aliquando in alijs rebus præter has reperiantur simul, quod raro, vel nunquam accidit, tales erunt, quæ possint etiam habere partes diuersi, atque oppositi temperamenti, vt si in terra cui admiscetur pluuia aliquid saporis sit simul cum odore aliquo, quem pro partio illo tempore spirare solet, locum habebit diuersitas temperamenti secundum diuersum modum, quo permiscentur partes: ita vt in quibusdam comprehendatur siccum ab humido propter maiorem aquæ admixtionem, & in his partibus reperiatur solus sapor, in alijs verò siccum comprehendat humidum propter minorem aquæ admixtionem, & in eisdem reperiatur solus odor. Et ex his soluitur facile vtrumq; argumentum.

13 Primum quidem quia res istæ in quibus simul sunt sapor, & odor; ita sunt homogeneæ, vt ex heterogeneis procedãt, quare permanet in eis conditio heterogeneorũ: quantum ad partes diuersi, atq; oppositi tẽperamenti, licet non tanta, ac in eisdem a quibus procedent: si quæ verò sunt ex his nõ procedentibus, ex elementis tali modo permixtis fiunt vt possint etiam habere partes diuerso modo temperatas, vt expositum est.

14 Et eodem modo soluitur secundum: nam de vino, floribus, ac cæteris, quæ in eo opponuntur, constat ex heterogeneis procedere, & propterea secundum diuersas partes diuersa, atq; opposita temperamenta habere, & iuxta ea simul saporem, & odorem.

Huic

Huic solutioni addo raro inueniri in eodē corpore suauissimum saporem cum odore etiam suauissimo.

Ad testimonium Aristotelis pro prima sententia respondeo Aristotelem non tenuisse sensum formalem: sed causalem materialis causæ, quare idem fuit apud ipsum dicere odorem esse fumosam exhalationem, ac si diceret ei esse coniunctam, tanquam subiecto cui inhæret.

Ad argumentum verò negandum in primis est odorem nutrire, quod negauit expressè Aristoteles lib. de sensu & sensibili cap. 5. Quod vero de gente quadam refertur solis odoribus sine vllo cibo viuere, fabulosum censendum est.

15 Confortationem verò cerebri non semper habet, nec id omnibus odorib. conuenit: sed quibusdam, hunc verò effectū habent coniuncti cū fumosa exhalatione (quæ substantia est) in qua tanquā in subiecto deferuntur, cuius etiam ratione nutrire dicuntur spiritus, qui cum sint aerea quædam substantia, ex aerea etiam substantia, cui inest tale accidens, nutriri debent.

QVAESTIO II.

An sensorium olfactus immutetur ab odore realiter, vel solum intentionaliter.

PRius quam ad quæstionem veniamus, præsupponendum est medium huius sensus, per quod immutatur ab obiecto, esse aerem, & aquam, vt docuit, & probauit expressè Aristoteles c. præsenti, text. 97. & lib. 4 de historia anim. cap. 8. cui consentiunt in primis omnes interpretes, atque etiam Theophrastus lib. 6. de causis plantarum, c. 1. Alb. Magn. 2. p. Summæ de homine tract. de olfactu, Them. 2 lib. de anima, c. 34. suæ paraph. Garb. in Sum q 69. Fernel. li. 6. physiologiæ, c. 10 & cæteri omnes.

16 Nec obstat ex parte aquę, quod pisces in ea degentes respiratione careant, sine qua olfactio nō potest fieri, quia non omnia animalia respirādo olfaciunt, nisi ea tantū, quæ organum olfactus absconditū, vel coopertū habent, ideoque ad illud aperiendum respiratione, seu inspiratione indigent, & propterea sine illa olfacere non possunt, vt c. 4. præsenti docuit Aristoteles. Aquatilia verò, atque etiam ex terrestribus plura patens habent organum; quare non indigent operatione respirandi præuia, vel concomitante ad olfaciendum.

Malè igitur Plinius lib. 9. naturalis historiæ, c. 7. affirmans aquatilia omnia respirare asseruit, aerem sub aquis degere, quo respirare, atque olfacere possint; immo & odorem ipsum nihil aliud esse voluit, quàm infectum aerem. Vtrumque autem falsum est, quia naturalis ordo vniuersi non patitur elementum aeris sua natura leue, sub graui corpore quale est aqua degere: sed eo ipso, quod ob extrinsecam causam contingit aliquas aeris particulas sub aquis ingredi, naturali vi expelluntur.

17 Nec verum esse potest, quod odor sit infectus aer, cum in corporibus solidis odor existat, & ab eis in aerem per exhalationem transmittatur, vt q. seq. ostendemus.

Medio igitur huius sensus præsupposito, atq; exposito, quærit titulus quæstionis, quonam modo per illud immutetur sensus iste ab odore. Videlicet multiplicato per ipsum secundum esse reale vsque ad organum, vel solum secundum esse intentionale.

18 Et prima opinio tenet odorem non immutare olfactum, nisi calor solis agens circa odorifera corpora per humidi resolutionem, & attenuationem extrahat exhalationem siccam, quæ est substantia quædam subtilissima, aeri, aut fumo similis; & proterea vocatur exhalatio, quia exhalationes quasi aereæ naturæ sunt, ab alijs verò fumosa euaporatio, quia vaporibus calore solis ab aqua extractis per similis est, in qua exhalatione odor ipse, tanquam in proprio, & proximo subiecto deferatur, vsque ad organum, vnde per totum medium secundum esse reale hoc modo deferri affirmat, & eodem prorsus immutare organum. Ita Auicenna 6. naturalium part. 2. cap. de olfactu, Albert. Magn. 2 lib. de anima cap. 3. vbi pro eadem sententia citat Platonem. Probari potest duplici ratione ex duplici alia experientia deducta. Prior est, quia experimur in rebus pessimi, ac vehementissimi odoris simul ac eas sentit olfactus, organum lædere, immo & cerebrum, quem effectum non potest odor causare p solas species intētionales

cum

cum realis, & naturalis sit; imò nec solus ipse etiam secundum esse realem: cũ sit accidens, nisi in aliqua substantia deferatur: ergo necesse est concedere, quod vsque ad organum perueniat in exhalatione delatus, & ita totũ medium afficiat, & sensum immutet.

19 Posterior ratio ex alia experientia deducitur; nam experimur vento in contrarium flante olfactionem sæpe impediri, atque etiam aliquãdo adhuc iam extracta exhalatione odorifera retardari, ita vt non statim sentiatur odor, sed post aliquod tẽpus: sed neutrum foret possibile, si per solas species intentionales immutaret medium, & organum, quia nec istæ possunt à tali causa impediri, nec productio earum retardari, cum (nullum habentes contrarium) in instanti fiant.

20 Hæc tamen sententia falsa est, & Aristoteli contraria. Probo vtrumque dupli ci testimonio Aristot. Primum habetur, sectio.12. problem. q.10. vbi hoc argumento impugnat Heraclitum asserentem odorem esse exhalationem emissam à re odorabili. Quia si odor esset talis exhalatio, semper di minueretur, & breui consumeretur eadem res odorabilis per continuam emissionem propriæ substantiæ, quod constat esse contra experientiam; nam licet aliquantulum diminuantur plures, & consumantur tandẽ, diu tamen redolentes durant, & plures neque diminuuntur, neque consũmũtur, etiam si semper redoleant: odor igitur non est exhalatio. Exque argum. hoc non minus effica citer probat contra Auicennam, quia continuæ emissioni exhalationis innititur, quam concedit ipse, licet non dicat cum Hieraclito odorẽ esse ipsam exhalationem. Vltimus locus Aristotelis est c. præsenti, vbi docet, & probat medium olfactus esse aerem, & aquã ex quo ita arguo; si odor defertur in exhalatione vsque ad organum, cum exhalatio sit substantia, neque ipsa, neque odor in ea delatus efficiet aerem, vel aquam, sed omninò independenter ab eis differetur: cum sit substãtia ab eis distincta; quare sine vllo medio externo odor afficiet organum, & ideo falsum erit, quod ab Aristotele, & omnibus asseritur olfactum habere pro medio externo aerem, & aquam.

21 Secunda opinio ex diametro huic opposita negat odorem secundum esse reale mouere vllo modo medium, vel organum, sed solum per species intentionales sicut color, qui nullo modo à se ipso egrediens mouet vtrumque per species; ita ergo odorem asserit nec per se, nec per exhalationem ad medium, vel organum peruenire, sed per solam speciem immutare intentionaliter vtrumque. Ita Comm. 2. lib. de anima, comm. 97. impugnans Auicennam duplici argum. priori quidem, quia à multis refertur de olfactione vulturum ad maximam, & ferè incredibilem distantiam fieri, oportebit ergo tot, vel tam magnas exhalationes emitti, vt non sufficiat substantia rei odorabilis, sed statim consummatur.

22 Posteriori verò, quia si per exhalationem deferretur odor, exhalatio illa cum sit corporea substantia, se penetraret cum aere, & aqua.

Tertia sententia quasi media inter duas prædictas extremas asserit odorem immutare medium secundum esse reale vsque ad aliquam distantiam, ab illa verò solum per species intentionales medium, & organum. Sed in modo immutandi medium realiter vsque ad illam distantiam, diuerso modo sentiunt.

Nam quidam per exhalationem, aut fumosum vaporem id præstare censent, & nõ per multiplicationem odoris, ita vt vnus odor producat alterum in medio. Sic loquuntur D.Thom. lect. 10. huius lib. atque etiam in 2. dist. 2. q. 2. art. 2. ad 5. Philoponus c. præsenti. Apollin. q. 26 huius lib. Iandu. q. 24. & in lib. de sensu, & sensibili, q. 27. Contacen, lib. 5. de elementis, Marcell. in suo lib. 3. de anima, c. 27. & vterque Caiet. hoc loco. Ferrar q. 27. huius lib. Conciliator diff. 155. & maior recentiorum pars.

23 Alij vero absque emissione exhalationis id præstare existimant per multiplicationem realem, ita vt vnus odor producat alterum vsque ad certam distantiam medij, à qua reliquam partem medij vsque ad organum, atque etiam ipsummet organum solum per species intentionales immutet: ita Alexand. in lib. de sens. & sensibil. cap. de odor. Amon. & Boetius c. 2. antepræ dicam. Garbius in summa q. 69. quod etiam defendunt tanquam probabile. Conimb. nostri 2. lib. de anima, c. 9. q. 3. art. 1. probantque testi monio Aristotel. c. 12. huius lib. text 127. vbi ita ait. *Vt aer olet enim, vt passus aliquid, quid igitur est odorare præter pati aliquid, aut odora-*

re

re sentire est, aer autem passus mox sensibilis fit. Sic probari etiam potest ratione sic; quia pa rum aquæ odoriferę infusum in vas plenum aqua elementari reddit totam aquam bene olentem; quod non potest fieri, nisi per productionem odoris sibi similis in tota aqua ab odore existente in parua illa portione. Secundò, quia aer contingens rosas, vel aliam rem odoriferam suauiter olet; ergo quia recipit in se realem odorem ab ea in se productum.

24 Quid autem in tanta sententiarũ varietate nos de hac re sentiamus, his assertionibus sit manifestum. Prima assertio sit, *odor nec medium, nec aliquam partem eius, nec organum immutat per multiplicationem realem, nec talis multiplicatio necessaria est ad sensationem odoris.* Ad hanc probandã præsuppono communem illam sententiam Aristotelis, & omnium in principio huius quæstionis præsuppositam, & probatam, quod medium odoratus sint aer, & aqua, ex quo ita arguo. Odor consistit in sicco superante humidum, cui tẽperamento opposita sunt elementum aeris, & aquæ: cum vtrumque sit valdè humidum, & aqua nimis frigida; ergo non potest in eis produci realis odor.

25 Probatur consequentia, quia si produceretur, ergo per eductionem eius de potentia eorum, sed repugnat, quod de potentia eorum educentur; ergo repugnabit, quod multiplicetur in eis Minorem sic probo: non potest educi de potentia alicuius subiecti accidens, nisi in potentia eius contineatur, sed odor non continetur in potentia horum elementorum; ergo nec potest educi de potentia eorum.

Probatur minor, quia odor ex propria natura est accidens corporis mixti præsupponens temperamentum eius, vt ex Aristot. ostendimus superius; quare nec in eius potentia continetur; nec de ea educi potest, sicut nec de potentia corporis cœlestis, quod si aliquando in terra, vel aqua producitur aliquis odor, præsupponit absque dubio aliquam permixtionem, ratione cuius de potentia eius educi potest; repugnat verò de potentia elementari eius educi, vel ei, vt puto elemento conuenire.

26 Secundò quia odor est secunda qualitas naturalis sicut color, sed secundæ qualitates non sunt actiuæ, ad producendum sibi similes, vt patet de eisdem coloribus; ergo nec odor erit actiua qualitas; ita vt possit, super physicam productionẽ sibi similis multiplicari in medio. Addidimus in nostra assertione, non esse talem multiplicationem physicam odoris in medio necessariam ad sensationem eius, quia sine illa potest sufficienter sentiri per species intentionales à principio productas, sicut sentitur per eas ab illa distantia ad quam multiplicãtur iuxta eandem sententiam.

Secunda assertio, *non semper defertur odor per medium in exhalatione etiam ad aliquam distantiam, nec semper id est necessarium ad olfaciendum licet aliquando deferatur, & necessarium sit, sed tunc adhuc non fit olfactio per exhalationem ipsam immutantem organum.* Præsupponit assertio hæc olfactionem non semper fieri per exhalationem peruenientem vsque ad organum, quod probatum à nobis est efficaciter contra Auicennam. Asserit verò primò, non semper odorem deferri in exhalatione, sed aliquando. Quod declaratione potius, quam probatione indiget; declaratur verò hoc modo. Odorabilia sunt in duplici differentia; quædam in quibus, vel ob nimium humidum, vel ob siccum terrestre non bene comprehendente humidum, imperfecti sunt odores, ita vt quædam nullum prorsus odorem emittant; perficiuntur verò colore resoluente humidum, vel deputante siccum, eumq; perfectè cum humido permiscente, & per talem resolutionem, extrahitur exhalatio ab eis, in qua odor remittitur.

27 Alia verò sunt odorabilium, quæ à principio generantur perfectiora, quia materia in qua fiunt perfectior est; sic eo à permixtione terrea libero, perfecteque comprehendente, aut superante humidum; quare nõ indigent noua resolutione caloris per quam exhalatio aliqua ab eis extrahatur deferens odorem, sed sine illa perfectè odoratum mouent. Et huius signum euidens est; quod semper redolent sine vlla diminutione, aut consumptione; imò neque vnquam marcescunt.

Secundum quod continet nostra assertio est, *quod dum adhuc defertur odor per exhalationem, vsque ad aliquam partem medij, immo etiam vsque ad organum, si prope sit, non mouet ipsa olfactum ita vt per immutationem naturalem eius fiat olfactio, sed fit per species intentionales, quos odor in ea delatus producit in sensorio.*

Hoc

28 Hoc probo primo ex Aristot. c. præsenti, vbi expresse docet sensum olfactus habere medium externum, nempe aerem, & aquam, quod non esset verum si exhalatio per se coniungeretur organo; & illud per se moueret, tūc enim nihil externum esset medium inter exhalationem ipsam, & organū. Deinde ratione; quia sensibile debet coniungi immediatè, sensui per se, vel per suam speciem, sed odor in exhalatione delatus nō potest per eam coniungi immediatè sensui, nisi producat in eo speciem sui: ergo per solam exhalationem etiam vsque ad organum in calu peruenientem non potest sentiri odor. Probatur minor, quia exhalatio non est odor ipse, sed corpus distinctum ab odore; ergo exhalatione attingente organum mediat corpus inter ipsum, & odorem, & consequenter inter sensum, & eius obiectum; nō ergo coniunguntur immediatè, nec possunt sensationem elicere, nisi coniungantur per speciem eiusdem odoris in organo productam, & per se immediatè inhærentem potentiæ.

29 Ex quibus duo infero; primum, quod dum adhuc exhalatio datur deferens odorem, non concurrit per se ad sensationem olfactus, sed hæc solum fit per se ab odore per speciem intentionalem mouentem sensum. Probatur, quia si aliquo modo posset per se naturaliter immutare medium, & potentiam, vel id posset per se ipsam, vel per odorem, sed vtrumque est impossibile: ergo impossibile est exhalationem concurrere per se ad sensationem.

Probatur minor, quia exhalatio est substantia, sed substantia non est per se sensibilis, ergo non est per se immutatiua sensus, nec medij, nec producit odorem, quia odor non potest alium sibi similem producere in medio, vt superius probauimus: ergo neque vllo modo potest per se concurrere ad sensationem olfactus.

30 Infero secundo sensationem odoris semper, & necessario per se fieri per immutationem intentionalem medij, & organi, ab odore ipso, & non ab exhalatione per se, quod ex priori illato est manifestum: Vnde sequitur quod per se loquendo operatio huius sensus solum fit per immutationem intentionalem, & nunquam per naturalem, immutatio verò intentionalis à principio extractæ exhalationis fit, quia à principio verum est, ac necessarium odorem in exhalatione existentem esse per se sensibilem nullum habens contrarium in productione specierum: ergo necessarium est eas a principio producere, & à principio fieri sensationem intra sphæram actiuitatis eius per immutationem intentionalem medij, & organi.

31 Ad 1. argum. pro Auicenna, concessa experientia illa vehementissimi odoris lædentis sensum, dicimus læsionem non procedere ab odore, nec exhalatione, sed ab alia qualitate actiua, vel organi simul cum odore etiam delata ab eadem exhalatione, itaque à corpore odorabili extrahitur exhalatio odorifera, non solo odore affecta, sed alijs qualitatibus eiusdem odorabilis corporis, & actiuis quidem, atque conuenientibus, vel nociuis.

32 Quarum ratione odor infectus iudicatur, & per quas exhalatio ipsa in organum, vel cerebrum agit, & vnum vel alterum, aut vtrumque lædit: & eodem modo censendum est de suauissimis odoribus in eisdem exhalationibus delatis, quæ cerebrū confortant, & quasi demulcent ratione alicuius qualitatis actiuæ, valdeque conuenientis simul cum odore ipso delatæ. Hanc solutionem indicauit D.Thom. 1. par. quæst. 78. artic. 3. afferens organum olfactus non alterari realiter, nisi per accidens, hoc est, ab adiuncta qualitate actiua secum in exhalatione delata.

Ad secundum concedimus etiam aliquando impediri olfactionem flante in contrarium vento, quia ventus ipse secum fert exhalationem simul, & species ab odore in ea delato productas, & ita secum exhalationem defert vt eam extrahat à sphæra actiuitatis olfactus; quare licet species semper multiplicet odor intra suam sphæram, non tamen intra sphęram olfactus, & propterea non sentitur.

33 Ad testimonium Aristotelis respondeo intelligi de passione intentionali, non naturali; nam eodem modo docet Arist. c. 6. huius lib. de omnibus sensibus esse potētias passiuas, quod de sola passione intentionali verum esse potest, de qua intelligitur absq; dubio ab Aristotele; eodem igitur modo intelligi possunt hæc, ita vt benè olere dicatur aer, quia habet in se speciem intentionalem, sicut in hoc testimonio asserit aerem pati à colore, & benè olere tanquam aliquid passum,

possum, & ita intelligi debet experientia posterioris argumenti.

Ad experientiam verò prioris dicimus totam illam aquam redolere, quia permiscetur ei portio rei odorabilis, à qua producuntur species intentionales, & non alio modo.

QVAESTIO III.

Quidnam sit organum olfactus, & in quo potentia tanquam in proprio subiecto resideat.

34 VT quæstionem, ac difficultatem eius intelligamus, adnotare oportet ex vsu anatomicæ artis à cerebro deriuari duos quasi canales, vsque ad ossa foraminosa narium, quæ sunt prope concauitates oculorum, & canales isti in extremitatibus efficiunt quasi duas carunculas ad modum extremitatis mammillæ, & propterea processus mammillarum vocari solent, per quos cerebrum transmittit excrementa in nasum, & respirationis vsu ascendunt fumi vsque ad cerebrum, & per eosdem canales descendunt rami neruorum vsq; ad nasum, quos alij membranam narium appellant, quia narium nomine canales isti intelliguntur, quos nasus operit. Illas verò carunculas (quas mammillas vocant) voluerunt nonnulli operiri tunicis quibusdam, quas appellasse aiunt Arist. *opercula olfactus*, c. præsenti, text. 100. & in lib. de sensu, & sensib. c. 5. sed quia vsus anatomicæ artis eas non reperit, medici irrident Arist.

35 Verumtamen nunquam Arist. talem tunicam pro operculo posuit: vt benè Tolet. q. 26 huius lib & Conimb. ca. præsenti, q. 4. art 3. adnotarunt, sed operculi nomine intellexisse carnem quandam spongiosam, atque porosam, quæ cernitur ante mammillas, & dilatatur, atque extenditur per respirationem, eiusque pori aperiuntur, per aeris verò detentionem constringitur, & quasi clauditur, & propterea satis propriè vocari potest operculum mammillarum, & olfactus, si in eis resideat, tanquam in organo, quod verba Arist. non obscurè indicant, ita enim habent textu 100. huius cap. *Odoratiuum sensorium alijs quidem sine operculo esse sicut oculus, alijs verò aerem recipientibus habet coopertimentum, quod respirantibus discooperitur dilatatis venis, & meatibus*. Et ecce distinctionem omnium partium, in quib. aut in cerebro ipso à quo deriuantur, residere potest potentia odorandi, & hoc inquirit titulus quæstionis.

36 Et prima opinio negat in aliqua harum partium residere, sed in ventriculis, vel sinibus anterioribus cerebri, à quo deriuantur. Hanc existimant plures esse sententiam Galeni 8. lib de vsu partium, c. 6. atq; etiam in lib. de olfactu. Vt Valesius 2. lib. controu. med. ca. 24. quamuis Tolet. eum referat pro alia. Probatur primo, quia cerebrum percipit odores, cum ex eorum perceptione confortetur, aut læditur: ergo continet in se organum odoratus. Secundo, quia si in his receptaculis anteriorib. cerebri, esset sensus iste, non esset nobis necessaria respiratio ad olfaciendũ, sed sine illa possemus contra euidentem experiẽtiam: ergo necessario fatendum est in eis esse. Antecedens probatur, quia respiratio est attractio, atq; ascensio aeris, sed si in superiori parte non esset organum, non esset necessarium aerem ascendere: ergo nec esset necessaria respiratio, sed sine illa sentiremus odorem.

37 Sed hæc sententia falsa probatur testimonio Arist. in lib. de sensu, & sensib. c. 2. vbi de organo olfactus sic loquitur, *Qua propter, & circa cerebrum loco odoratus proprium sensorium est, potentia enim calida frigidi materia est.* Sentit igitur in loco cerebri inferiori consistere, cuius rationem satis congruã insinuat, nempe quia organum olfactus, simile temperamentum postulat ei, quod materia odoris est: nempè calidum, & siccum cõprehendens humidum, sed cerebrum habet omnino oppositum: cum frigidissimum, atque humidissimum sit: ergo non potest esse organum olfactus.

38 Secunda opinio ponit sensum odoratus in ramis neruorum deriuatis à cerebro, vsque ad nasum, quos alij vocant nasi membranam. Ita Comm. 2 collectan. c. 17. probat testimonio Aristotelis lib. 1. de historia animal. cap. 11. vbi docet expresè olfactum per nares administrari: ergo sentit intra ipsas, vel in aliqua parte earum interna residere. Deinde ratione primo, quia olfa-

olfactus non poteſt reſidere in cerebro, qui expers ſenſus eſt, vt docet Ariſtot 2. lib. de partibus animal. c. 10. & conſentit Galen. 3. lib. de cauſis ſymptom. vocans cerebrum organum non ſentiens, & proceſſus mammillares ſunt eiuſdem ſubſtantiæ cum cerebro: ergo in neutra harum partium eſt: quare ſolum reſtat eſſe in neruis Secundo, quia ſi proceſſus mammillarum, vt multi tenent eſſe organum, ſequeretur poſſe à nobis ſentiri odorem eorum, quæ intra nos ſunt, per foramen, quod à palato tendit in caruncuJas, quod nunquam aliquis expertus eſt.

Sed neque hæc ſententia placet primo, quia cum nerui iſti, ſeu membrana expanſi ſint vſque ad extremas partes internas naſi, ſequeretur odores percipi à nobis abſq; vlla inſpiratione contra experientiam. Probatur conſequentia, quia ſtatim ſpecies odorū incurrerent in organum abſque vlla attractione aeris, & fieret ſenſatio.

39 Secundò, quia omnes experimur in parte aliqua ſecretiori, magis, quàm externa ſentire odores, ergo non debet poni organum ſenſus in his neruis adeo patentibus, & externis.

Tertia ſententia affirmat olfactum eſſe in interiori parte naſi, atque etiam in tota reſpirationis via ad ipſa vſque interna viſcera. Ita Valeſius loco nuper citato exiſtimans ſe Platonem ſequi in dialogo de natura. Hæc tamen ſententia magis eſt à veritate aliena, quàm duæ præcedentes. Quia ſi ita eſſet, fieret olfactio non ſolum in partibus cerebro vicinis, ſed in intimis viſceribus, quod patet eſſe contra experientiam, & val de abſurdum.

40 Vltima igitur ſententia eſt, *proceſſus mammillares eſſe organum, in quo olfactus reſidet*. Hæc eſt communis, & longè probabilior, nam eam ſequuntur Philop. c. præſenti. Albert. Magn. 2. p. Summæ de homine, tractatu de olfactu, vbi pro ea citat Algaz. D. Greg. Nyſſ. lib. 4. de viribus animæ c. 5. Fernel. in lib. de partibus corporis humani c. 9. Garbi. q. 59. Conci. diſſ 55. pro qua etiam referunt Auicennam fen. 3. can. 1. Tolet. q. 27. huius libri, Conimb. e. præſenti q. 4. art. 2. & omnes ferè recentiores eſtque ſatis probata ex refutatione aliarum.

41 Ideo ad primum argumentum primę opinionis negandum eſt antecedens, quod cerebrum ſentiat odores, ſed confortatur, aut læditur ab exhalatione ipſum tangēte, in qua odor defertur, non tamen ratione odoris, ſed alterius qualitatis actiuæ, atq; etiā nociuæ, aut conuenientis ſimul cum odore delatæ, quare non probatur organum olfactus eſſe in cerebro.

Ad ſecundum negandum eſt etiam antecedens, quod ſi organum non eſſet in cerebro, non eſſet neceſſaria reſpiratio ad olfaciendum, & cum dicitur, reſpirationem eſſe attractionem aeris ſurſum; Reſpondeo primo non eſſe hoc neceſſarium, immo poteſt per reſpirationem attrahi aer verſus quamcunque differentiam loci, prout opportunum fuerit, vel neceſſarium. Deinde dici poteſt ſecundo ſatis eſſe, quod propè cerebrum ſit organum, vt ſurſum aer attrahi dicatur per reſpirationem.

Ad teſtimonium Ariſtotelis, quod pro ſe affert ſecunda opinio.

42 Reſpondeo per nares adminiſtrati olfactum tanquam per medium, ſeu viam, qua ſpecies odoris ad organum perueniunt in parte magis interna reſidens, quemadmodum etiam dici poteſt adminiſtrari per aerem, vel aquam: cum tamen certum ſit in eis non eſſe organum.

Ad primum argumētum reſpondeo proceſſus mammillares coniunctos eſſe cum cerebro, & ideo ſimiles ex parte ſubſtantiæ eius, nihilominus diuerſum habent temperamentum à cerebro, quia non ſunt adeo frigidi, neo adeo humidi, ſed magis temperati, meliuſque permixtas habent qualitates has cum calore, & ſiccitate eis contrarijs, ideo conueniens ſubiectum odoratus eſſe poſſunt.

Ad ſecundum reſpondeo, non ſentiri internum odorem ſtomachi, ſed neque oris, aut ciborum, qui in ore verſantur, quia cum non ſentiamus, niſi inſpirantes, & aerem ab ore per inſpirationē non niſi via rectà per fauces ad pulmonem attrahamus, non habet locum odoratio per foramen illud facienda.

43 Et ſi quæras, quid de hac re ſenſerit Ariſtot. Reſpōdeo nihil certum haberi apud ipſum circa determinatam partem, in qua ſit ſenſus iſte, ſicut de alijs organis ſenſuum repetitur, ſed fortè dubius de hac re ipſe fuit: vel propriam ſententiam non omnino explicuit: ſed diuerſis locis videtur fauere diuerſis.

QVÆ-

QVAESTIO IV.

An olfactus hominis imperfectior sit, quàm aliorum animalium.

Videtur perfectiorem esse sensum olfactus in homine; quàm in feris propter hæc argumenta; Primum, quia perfectior est anima sensitiua hominis, à qua oritur, sicut cæteræ potentiæ, quàm anima sensitiua ferarum. Secundò, quia organum huius potentiæ perfectius habet, vtpotè magis liberum à conditionibus obiecti, cum habeat illud magis humidum, ac frigidum, propter vicinitatem cerebri, & odor sequatur ex temperamento, in quo prædominatur siccum: ergo perfectiorem quoque habebit potentiam in eo residentem. Probatur consequentia, quia quo organum eius magis est liberum à conditionibus obiecti, plures differentias eiusdem obiecti percipere potest; ergo perfectior est.

44 Quod vrgeri potest ex eo, quod olfactus hominis percipit suauissimo florū odores, quos constat feras non percipere; ergo percipit plures differentias proprij obiecti, & quo plures differentias eius percipit, perfectius percipit obiectū ipsum. Et ideo perfectior potentia erit.

Oppositam verò sententiam, *quod imperfectior sit sensus iste in hominibus, quàm in multis feris*, tenet expresse Aristoteles c. præsenti, & cum eo omnes interpretes nullo excepto. Sic enim loquitur in huius capitis initio: *sensum hunc non habemus certum, sed peiorem multis animalibus, prauè enim odorat homo, & nihil sentit odorabilium, sine molestio, & secundo tanquam non existente certo sensorio. Rationabile autem est sic, & quæ duros oculos habent, colores sentire, & non manifestas esse ipsis differentias colorum, nisi terribili re, & non terribili, sic autem, & odores hominum genus.* Eandemque sententiam expressit in lib. de sensu, & sensibili, c. 4.

Sed hæc distinctione explicanda prius est, & deinde probanda. Dupliciter potest cōsiderari perfectio huius potentiæ, vel ex parte essentialis differentiæ, quæ sumitur ex ordine ad odorem, tanquam ad proprium obiectum, atque etiam ex modo attingendi illud, aut ex rationibus accidentalibus, & si modo priori consideretur, non potest esse perfectior in homine, quàm in animalibus, quia idem prorsus obiectum respicit in vtrisque, quod etiam eodem modo respiciunt, atque attingunt omnia: ergo non potest esse essentialiter perfectior in homine, quàm in cæteris animalibus.

45 Ex alijs verò accidentibus statim attingendis minorem longè perfectionem habet in homine quàm in multis animalibus. Et iuxta hanc distinctionem explicanda est atque intelligenda sententia Arist. communis & vera. Quæ secūdum priorem partem efficaciter satis probata est ex ordine ad idē obiectum, & ex eodem modo illud attingendi, ex quibus essentialis perfectio potentiarum desumitur.

Probatur verò quantum ad posteriorem, duplici ratione insinuata ab Aristot. in eisdē verbis relatis. Ait enim primo, quod sicut animalia duros habentia oculos non percipiunt omnes differentias colorum; ita homines non percipiunt omnes differentias odoris. Quod etiam sensit Plato in Timæo, & post ipsum Theophrastus lib. 6. de causis plātarum, c. 5. & Theophilus c. præsenti. Et probatur euidenti experientia: nam canes per olfactum sentiūt leporum, auium, & aliorum animalium vestigia, & dominos etiam absentes odoratione perquirunt, & inter homines alios agnoscunt, & plures aliæ feræ odoratione insectantur alias, easque præsentiunt: & fugiunt, vel prosequūtur, quos odores euidens est non pertingere olfactum nostrum: ergo euidens est plures odorum differentias percipere, & ad maximam quidem distantiam, vt eadem experientia docet, præsertim in vulture; quare necesse est fateri, quod perfectiorem olfactum sortiantur per fictione accidentali.

46 Secundò asseruit Arist. eiusmodi olfactus imperfectionem in homine ex imperfectione, atque imbecillitate organi prouenire, quòd cum iuxta cerebrum situm sit, plus ab eo humiditatis, ac frigiditatis participat, quàm naturæ olfactus, & operationi eius cōueniret, cuius ratione minus stabile, ac firmū est, & odorum species minus firmas, minusque distinctas percipit, & quæ remissius nulto ipsum, ac potētiam afficiunt, ideo minus distinctam cognitionem obiecti elicit potē-

tia, paucioraque cognoscit obiecta, & ad minorem distantiam.

47 Ad primum argumentum concessa maiori, distinguenda est minor; quod anima sensitiua perfectior sit in homine, quàm in brutis; nam considerata sub conceptu generico formæ sensitiuæ falsum est. Et cum eam sic consideratam sequantur potentiæ sensitiuæ, sequitur eiusdem perfectionis essentialis esse in homine, & feris, sicut gradus sentiendi secundum rationē genericam eiusdem perfectionis in omnibus est: quod verò ad perfectionem accidentalem pertinet, singulis specierum animalium contulit natura sensitiuas potentias perfectiores, vel minus perfectas, vt congruebat bono eorum statui, & conseruationi vitæ, & quia odorum sensus parum, vel nihil deseruiebat ad bonum statum rationalis animę in corpore, vel ad operationes eius, ideo minus perfectum cōtulit ei hunc sensum natura vsq; adeo, vt nō pauci sint homines, qui operatione eius omnino destituti sint, quod ex organi indispositione prouenire arbitror.

48 Congruebat verò maximè statui animalium, & conseruationi eorum, vt perfectior olfactus eis concederetur; quia sensus alimenti vocari in eis potest, sicut in nobis sensus tactus: per olfactum namque præcipuè alimentum sibi conueniens agnoscūt, & à disconuenienti, & nociuo distinguunt.

Ad secundum neganda est maior, quod organum olfactus sit perfectius in homine; nec verum est, quod temperamentum organi debeat esse omnino dissimile obiecto eius dem sensus, vt c. de tactu declarabitur.

49 Si enim nullam similitudinem cum eo habeat, non erit conueniens receptiuum specierum eius. Hoc autem est certum, quod organum olfactus in nobis ex vicinitate cerebri nimis humidum, ac frigidum est, & ideo nimis imperfectum comparatum ad odorem temperamentum oppositum postulantem, vt ostendimus.

Ad tertium neganda est minor, quod olfactus hominis plures differentias odoris percipiat, cuius oppositum probauimus.

CAPVT X.

De gustu, & gustabili.

TEXTVS ARIST.

Gustabile autem est tangibile quoddam, & hæc est causa cur non sit sensibile per medium extraneum.

Breuis expositio Textus.

1 INtentum Aristot in isto capite est explicare naturam quarti sensus externi, qui dicitur, gustus, quem nobilitate vult prę cedere tactum propter minorem aliquam rationē materialitatis. De quo explicat quatuor; quid sit gustabile, aut sapor, quem pro obiecto habet, species eius, medium, & organum; ideo quadrimembris est diuisio totius capitis.

Vt igitur obiecti naturam explicet, asserit gustabile esse quoddam tangibile. Quod probat duplici argum. 1. gustus non fit per medium externum: sicut visus, sed sine medio sentire, est per contactum; ergo nequit gustari sapor, nisi per contactum; quare gustabile quoddam tangibile est. Secundo sapor non percipitur à gustu, nisi media humiditate, quam pro materia habet sapor ipse: sed humiditas non sentitur, nisi per tactum: cum sit qualitas tangibilis; ergo gustabile quoddam tangibile est.

2 Sed aduersus priorem rationem arguit hoc modo. Aliquando existentes in aqua percipimus cibos à longè in ea iniectos, vt si quis vnam parrē aquæ attingat, & in alia parte eius distātiori infundatur mel, sentiet illud, & non nisi per intermediam aquam; ergo falsò supponit ratio hæc, quod gustus non habeat medium externum. Respondet non sentiri mel in casu, nisi quia dulciorem efficit aquam; ita vt illa, quæ tangitur gustu, dulcis sit participationem mellis habens, & ecce mel ipsum sine medio gustatur. Arguit contra posteriorem rationem sic, dantur gustabilia

stabilia sine humiditate, vt sal, & saccarum; ergo falsum supponit, quod gustabile non percipiatur nisi percepta humiditate. Respondet gustabile habere humiditaté actu, vel potentia, quæ potentia ad actum reducitur per saliuam, qua afficitur, priusquam gustetur, & ideo verum est non percipi vllum gustabile, nisi percepta humiditate, & his in commune saltem explicuit obiectum gustus. Sed vt explicet illud in particulari, asserit ad gustum, non solum pertinere gustabile: sed etiam oppositum, nempè ingustabile: sed tripliciter ait dici aliquid ingustabile.

Primò, quia adeo minimum saporem habet, vt gustari non possit.

3 Secundo, quia saporem habet adeo vehementem, & nociuum, vt vix gustari possit. Et tertio quia prauum habet saporem. Sed, inquit, ingustabile primo modo dupliciter dici, aut per puram negationem saporis, quia nullum prorsus habet, & tale dicitur ingustabile, sicut Angelus inuisibilis. Secundò dicitur ingustabile priuatiuè, quia licet non habeat saporem perceptibilem, habere tamen potest sicut tenebrosus aer potest habere lumen. Dum ergo dicitur ingustabile oppositum gustabili pertinere ad gustum, de hoc posteriori ingustabili debet intelligi, non de priori purè negatiuo.

4 Addit tamen non solum gustabile, & ingustabile pertinere ad gustum: sed etiam potabile, & impotabile; dicetur autem potabile, quia aliquid saporis participat. Agit in tertia parte de sensorio gustus, inquiens esse humidum, non actu: sed potentia, quod de humido saporifero intelligit, hoc est, habente saporem admixtum, hoc enim modo non potest organum habere in se humidum actu: sed potentia tantum, non verò de humido elementari: nam humiditas elemētaris etiam actualis benè potest esse in organo; imò necessaria est ei: sed permixtum sapori non debet habere actu, sed solum potentia. Vnde quamdiu lingua infirmi amaris humoribus est affecta, nō percipit vllum alium saporem: sed amara omnia iudicat.

5 Explicat tandem species saporis dicens duos esse extremos sapores, qui simpliciores sunt, vt dulcis, & amarus; sicut album, & nigrum inter colores: simpliciores autem eos vocat, quia iuxta illos sunt duo alij extremi, nempè iuxta dulcem, pinguis, & iuxta amarum, salsus: sed non sunt iam ita simplices. Alij sunt sapores medij inter hos extremos, vt acer, austerus, acerbus, & acidus; ita omnes species saporum sunt octo, ad quas reducuntur omnes sapores. Ex tota hac doctrina colligitur definitio huius sensus, & obiecti eius. Nam gustabile, aut sapor est qualitas realis immutatiua gustus, & gustus est potētia, seu facultas perceptiua gustabilis vel saporis.





TRACTATVS DE SENSV Gustus, de saporibus, de modo quo immutatur ab eis, & distinctione eius a sensu tactus.

QVÆSTIO I.

Quid sapor sit, quot, & quæ species eius, & quonam modo immutent gustum.

6 SApor vt colligitur ex Aristotele, lib. de sensu, & sensibili cap 4. *Est secunda qualitas resultans ex tali permixtione primarum, in qua humidum comprehendit, vel superat siccum, immutatiua gustus.*

Per priores particulas, vsque ad vltimam distinguitur à primis qualitatibus elementorum pertinentibus ad obiectum tactus; & ita se habet respectu illarum, vt quasi pro materia, aut subiecto permixtionem earum præsupponat, vel certè corpus mixtum ex eis compositum, in quo ita prædominatur humiditas, vt siccitatem comprehendat vel superet. Non tamen quamlibet humiditatem, & siccitatem consequitur: sed siccitatem terream, & humiditatem aqueam: nam licet non sint diuersæ speciei siccitas terræ, & ignis; nec humiditas aquæ, & aeris, sic tamen accidentali modo differunt, vt siccitas terrea, & humiditas aquea densiorem materiam præsupponant, & permanentiores sint in ea, & ideo ad immutandum organum gustus magis idoneæ, siccitas verò ignis, & humiditas aeris subtilioris materiæ sunt, & non ita permanentes: sed citò potius euanescunt, & propterea non sunt apta materia saporis, nec idoneæ ad immutandum organum gustus, talem igitur permixtionem illarum sequitur sapor, & non istarum.

7 Per vltimam verò particulam distinguitur sapor à cæteris secundis qualitatibus, præsertim ab his, quæ sunt obiecta aliorum sensuum.

Sed ex tota definitione colligitur saporem esse accidens mixti corporis, & ideo non conuenire elementis suam puritatem retinentibus: nam ratione alicuius extrinsecæ admixtionis aliqualem possunt saporem contrahere.

8 Circa species verò saporis dissentiunt antiqui in duobus videlicet in numero earum & modo, quo inter se ordinentur: nam circa numerum Plin. libro 15 naturalis histor. cap. 27. tredecim enumerauit, videlicet dulcem, suauem, pinguem, amarum, austerum, qui est stipticus, acrem, acutum, acerbum, qui est ponticus, acidum, salsum, & tres alias, quas mirabilis naturæ appellauit, quia plures continere videntur sapores proprios, vel alienos, videlicet saporem vini, saporem etiam lactis continérem pinguem tanquam proprium, dulcem, alienum. Et tandem lapidis aquis suum peculiarem tribuit saporem. Aristoteles verò ad finem præsentis capitis octo species saporum numerauit, videlicet dulce, amarum, pingue, salsum, acre, austerum,

rum, acerbum, & acidum. Sed in lib. de sensu, & sensibus ad septem eas reuocauit, quia pingue reduxit ad dulce, salsum verò ad amarum.

9 Sed si ita numerandæ sunt, non septẽ: sed sex tantum numerabuntur, quia si ab octo demas duo, nempè pingue, & salsum, quæ in dulci, & amaro imbibuntur, solùm restabunt sex, & ita esset profectò, nisi in vtroq; loco citato per incuriam fuisset prætermissus acutus, vt benè adnotauit Tolet. q. 29. huius lib. quod merito supplendum asse ruit, vt ita constare sibi possit Aristoteles no uem species ponens: sed eas ad septem reuo cans. Galenus verò aliam videtur speciem addidisse, nempè insipidum, quale est in albugine oui.

Communis tamen omnium interpretum consensus Aristotelicum numerum sequitur, cui assentiendum est. Quamuis parum momenti habeat, maiorem numerum ponere omnes distinguẽdo, vel minorem, quasdam sub alijs numerando vel ad eas referendo ratione similitudinis.

Sed in modo ordinandi has species sub vna prima contrarietate duorum extremorum simplicium maximè distantium in tali genere dissentit planè Aristot. à Platone, & Galenus ab Aristotele. Nam Plato in Timæo, & Galen. loco citato, quos Conciliator sequitur differ. 145. primam contrarietatem, sub qua collocantur reliquæ species saporum, non constituunt ex dulci, & amaro; sed ex acerbo, & acuto. Aristoteles verò c. præsenti, & lib. de sensu, & sensibili ca. 5. primam contrarietatem saporem, sub quibus continentur reliquæ, quasi secundariæ, constituit ex dulci & amaro. Sed grauissimi isti Philosophi contrarij in hac parte non sunt: sed diuerso modo locuti ex diuersa cõsideratione saporis.

10 Nam Galenus tanquam peritissimus medicus naturam eius ex ordine ad temperamenta corporum diuersa, ex quibus oriuntur, species eius considerauit, quæ absque dubio accidentalis ratio earum est: cum cõtingat eandem speciem saporis in diuersis corporibus repertam, diuersa, atque omnino op posita temperamenta eorum sequi, vt amaritudo in apio reperta sequitur temperamẽtum eius in quo prædominatur calor. In radice verò peponis sequitur temperamentum oppositum, in quo prædominatur frigus. Et præterea sapor, & odor sequuntur temperamenta primarum qualitatum opposita; nam odor sequitur temperamẽtum, in quo siccum comprehendit, vel superat humidum, sapor verò oppositum, in quo humidum comprehendit vel superat siccum. Et tamen constat non esse qualitates contrarias, licet sint diuersæ: ergo ex ordine ad talia temperamenta, non potest tanquam ab essentiali, neo ideo tanquam ex infallibili regula sumi pri ma contrarietas saporum, nec ordinatio aliarum specierum sub ea. Propterea Aristot. ex essentialibus saporis eam desumpsit, & ideo infallibilem regulam tradidit, quã absque dubio admitteret Galenus, & alij. Essen tialis verò ratio saporis, ex qua primã contrarietatem desumpsit Arist. est saporem esse qualitatem talis naturæ, vt possit immuta re gustum; nam ex hac ratione constituitur in specie passibilis qualitatis, vt docet idem Arist in eo prædicamento.

11 Prima verò extrema immutatiua gustus sunt sapor dulcis, & amarus, quia ille modo perfectissimo eum immutat, iste verò pessimo, reliquę vero species magis, & minus perfectè, aut modo magis, aut minus inepto, prout magis, & minus accedunt, vel recedunt ad illas, & hæc regula sumendi primam contrarietatem specierum saporis, & ordinandi omnes species sub ea, nunquam fallit, & propterea illum sequuntur omnes interpretes Arist. præsertim D. Thom. de sen su, & sensibili, lect. 11. Comm. c. præsenti, ad tex 105. & 5. collectan. c. 27. Garb. in summ. tract. 5. q. 71. Conta. in lib. de elem. Iauel. 2. lib. de anima, q 46. & ita sentiendum est, & hæc de duobus in titulo quæst. propositis.

Sed restat vltimum, ac magis difficile, quo modo sapor immutet gustum, videlicet se coniungendo cum eo, vel sensorio eius, secundum esse reale, & physicum, vel solùm secundum esse intentionale per species proprias, vel vtroque modo.

12 Et prima opinio asserit gustum immutari à sapore secundum esse reale, & naturale. Ita Vales 2. lib. controuers. med. c. penul Probatur testimonio Aristot. c. præsenti textu 101. & 102. vbi duo asserit, primum quod sensus gustus, cum sit quidam tactus, non habet medium externum, ex quo interio mouere sensum sine medio, & ideo per se immediatè attingendo organum, & potentiam, & non per speciem.

Ex quo idem colligitur, quia humiditas cum sit qualitas tangibilis, sine medio mouet organum, & ideo secundum esse reale, & naturale, non secundum esse intentionale, & consequenter sapor per illam mouens. Secundum nihil posse causare sensationem in gustu, nisi eum per humiditatem moueat.

13 Quod sentit planè D.Thom 1. p.q. 78. art. 3. sic inquiens: Ex parte autem organi est immutatio naturalis tactu, & gustu, nam, & manus tangens calida calefit, & lingua humectatur per humiditatem saporum. Probatur deinde ratione, quia vbi obiectum est per se præsens, & proportionatum potentiæ, per se illam mouet, & ideo specie intentionali non indiget, per quam præsens, & proportionatum fiat, ac moueat, sed ita se res habet in sapore respectu gustus: ergo non indigebit specie: sed per se immediatè mouebit sensum, & sentietur. Minorem sic probo; sapor tangit per se, & sine medio organũ, sicut tangit humiditas, per quam mouet ipsum; ergo per se ipsum fit ei præsens. Probatur consequentia, quia contactus fit per immediatam præsentiam vnius ad alterum, & ea se tangunt, vt docuit Aristot. 5. libro phys. quorum vltima sunt simul. Est etiã per se proportionatus gustui in esse gustabili: cum sit per suam naturam realem actu gustabilis.

Secunda opinio tenet saporem mouere gustum, & sentiri ab eo, non per se ipsum immediatè, sed per speciem sui productam in organo, & potentia.

14 Ita expresse D.Thom. 1. p.q. 78. att. 3. in corpore, & ad 4. vbi organum gustus dupliciter immutari dicit dum sentit, immutatione naturali ab humiditate gustabilis, & immutatione spirituali, siue intentionali à sapore eius, & cum D.Thom. sentiunt omnes ferè interpretes huius cap. præsertim recentiores, & videtur nobis expressa ab Aristotele, & longè probabilior. Aristoteles enim cap. 12. huius libri in principio sic loquitur de sensibus: *Oportet autem vniuersaliter de omni sensu accipere, quod sensus est id, quod est susceptiuum formarum sine materia, vt cera annulli sine ferro, & auro recipit signum*, quæ verba de speciebus intentionalibus intelligunt omnes interpretes, eaque ad particulares sensus, visus, odoratus, & gustus applicat (paucis interpositis) sic inquiens: *Similiter autem, & sensus vniuscuiusque ab habente odorem, aut saporem, aut sonum patitur, &c.*

15 Sentit igitur Aristoteles gustum immutari à sapore per species intentionales, sicut visum, & auditum, & non secundum esse naturale.

Vt autem ratione probent hanc sententiã recentiores quidam, videntur supponere, quod sapor non possit esse præsens per se organo huius potentiæ, quia cum sit neruus quidam linguæ quadam spongiosa, ac nimis porosa carne contectus, habet potentiã gustandi hãc carnem pro medio, non quidem externo sed interno, nam solum negauit Aristoteles habere medium externum. Quo supposito ita arguunt: sapor non potest per se ipsum tangere organum huius potentiæ: ergo nec potentiam in organo existentem, nec etiam per alium saporem sibi similem in ea productum, quia sapor non est actiua qualitas, sicut neque odor, vt cap. præcedente probauimus: ergo nec potest ei coniungi per se, nec per sui similem in esse reali; quare necesse est, quod ei coniungatur, & præsens fiat per sui similitudinem intentionalẽ productam in hac media carne, atq; etiam in potentia ipsa.

16 Hoc tamen argumentum vnum videbitur præsupponere incertum, & fortasse falsum, videlicet quod sapor solum possit tangere secundum esse reale carnem illam spongiosam, quæ est medium internum gustus; non tamen organum eiusdem potentiæ sub ea existens, videlicet neruum in quo residet potentia. Quod si esset certum, vel ab aduersarijs concessum, probaret quidem efficaciter intentum. Verisimile tamen est alimentum, in quo defertur sapor, saltem secũdum subtiliores partes per meatus, ac poros illius spongiosæ carnis pertransire vsque ad neruum, eumque tangere per se, & consequenter saporem in eo delatum, satisq; erit, vt sapor in his partib. subtilibus delatus sentiatur vt verum sit, quod sapor secundũ esse naturale moueat gustum: imò vt gustus suã habeat operationem sine speciebus intentionalibus, non est enim necessarium vt sapor omnium partium alimenti degustetur, vt totum ipsum alimentum assumptum nutrire possit corpus, sed sufficit secundum aliquas partes degustari; quare non probabitur per species intentionales mouere gustum.

17 Vt igitur efficaciter impugnetur, admittendũ est aduersus nostram, sententiã, saporẽ

secun-

secundum esse reale, non solum ad mediam illam carnem spongiosam tegentem organum peruenire, sed vsque ad organum. Quo admissio adhuc potest efficaciter probari, quod sapor non per se, sed per species intentionales moueat organum, atq; potentiam, & sentiatur hoc modo

Vt obiectum concurrat cum potentia ad operationem vitalem, debet esse ei intimè præsens secundum motum talis potentiæ, & si sit intellectiua debet esse ei intimè præsens, non solum in esse reali, sed in esse intelligibili, si verò sit sensitiua in esse sensibili, & si sit talis potentia sensitiua in esse in obiectiuo eius, vt sapor eius debet esse intimè præsens potentiæ gustus in esse gustabili.

18 Et ratio à priori huius intimè præsentiæ necessario requisitę est perfectio operationis vitalis procedentis à principio intrinseco, ex qua plane colligitur potentiam, & obiectum, ex quibus fit integrum principium vitalis operationis, prius debere effici vnum intrinsecum principium, quàm eliciant operationem, non possunt autem fieri vnum principium intrinsecum ante operationem per solum contactum, qui sufficeret quidem ad rationem alterius operationis inferioris; & non vitalis, vt ad calefaciendum, cuius ex eo solum vnum principium esse dicuntur, quia simul concurrunt ad agendum circa passum extrinsecum, non tamē sufficit, vt sint vnum principium vitalis operationis quæ non est actio circa passum extrinsecū, sed interna, ac propria eiusdem potentiæ in se, & circa se (vt sic loquamur) in eaque permanens; ergo necessario ad eam requiritur, vt fiant vnum per internam, seu intimam præsentiam obiecti ad potentiam, quæ intima præsentia non est excogitabilis, nisi obiectum ante operationem intra eandem potētiam sit secundum esse obiectiuum, sed constat non posse saporem esse intra potentiam gustus per se inhærens illi, nec per alterum saporem sui similem in ea productum, ergo solum per speciem intentionalem ei inhærentem.

19 Quod sic declaro simul, & confirmo, nam duo solùm possunt sine specie intentionali per se intelligi, quia per se sunt intra ipsam potentiam secundum esse intelligibile. Primum est diuina essentia non solum respectu diuini intellectus, sed etiam respectu intellectus Deum clare videntis, quia cum sit infinita, atque immensa, per se est intimè præsens cuicumq; creaturæ, & per se potest fieri præsens in esse intelligibili cuicumque intellectui creato, cum per se sit intra ipsum & quia hanc intimam præsentiam in esse intelligibili potest habere per suam infinitatem, & immensitatem, per quam est intra intellectum, & potest ei vniri in ordine ad visionem sui, repugnat quod eam habeat per aliquam creaturam, & hæc est præcipua ratio, ob quam repugnat dari speciem impressam diuinæ essentiæ, per quam videatur à beatis.

20 Postremum est, Angelus ad se intelligendum, quia ratione identitatis dicitur esse intra proprium intellectum, quem intra se habet tanquam virtutem intelligendi, & ideo non indiget specie, vt se intelligat, sed per se vnitur cum suo intellectu, & per se efficit cum eo vnū principium intrinsecum intellectionis. Cætera verò omnia specie indigent, vt intelligantur, etiam si simul sint cum re intelligente per præsentiam, vel se penetrent cum ea. Et hinc est, quod licet duo Angeli sint in eodem loco, vel vnus sit intra alterum per illapsum, (eo modo quo excogitetur possibile per diuinam potentiam) neuter potest alterum intelligere sine specie, quia nulla harum est intima præsentia in esse intelligibili, qualis requiritur ad constituendum vnum principium intrinsecum vitalis operationis, sed realis tantum extrinseca, & (vt ita loquamur) quasi materialis in ordine ad intellectionem: intima enim præsentia in esse intelligibili, quasi intentionalis est, quam non habet per se res vna respectu alterius nisi sit infinita, atque immē sa: nam infinitudo, & immensitas omnē modum præsentiæ possibilem includunt.

21 Creatura verò limitatum esse habens solum potest habere respectu alterius extrinsecam, & quasi materialem præsentiam, at respectu sui etiam intentionalem, non ratione immensitatis sed ratione identitatis, quia nullus potest excogitari modus præsentiæ quo res non dicatur esse sibimet præsens iuxta modum essendi quem habet ex propria perfectione essentiali. Ex quibus efficaciter colligitur saporem non esse intimè præsentem per se potentiæ gustus in esse gustabili, vt requiritur ad constituendū cum ea vnum principiū sensationis sui, quantūcunq; tāgat

per se organum, immo etiam si alimentum se penetraret cum eo, & idem sapor cum potentia, quia per contactum, vel penetrationem non dicitur esse intra potentiam, sed solum esse simul loco cum ea; adhuc ergo remanet extra illam secundum proprium esse gustabilis, & propterea specie indiget, per quam constituatur sub tali esse intentionali, & ita vniatur ei constituens cum ea vnum principium intrinsecum sensationis.

22 Et ex eadem doctrina intelligitur nihil probare testimonio Aristotelis, & Diu. Thom. aduersus nostram sententiam, quia licet alimentum tangat organum, & humiditate eum afficiat, hoc non est eum afficere vt gustabile, sed solum vt tangibile, quia non afficit illud per saporem in eo productum, sed per humiditatem non pertinentem per se ad gustum, sed ad tactum: quare nec potest gustum secundum propriam rationem gustus mouere, vel afficere, nisi per speciem intentionalem, vt probauimus.

Ad argumentum verò neganda est minor, quod sapor sit intimè præsens gustui per se ipsum; quia non est per se intra ipsum vt probauimus. Vnde quamuis concedatur præsens loco, immo quamuis concederetur penetratus cum organo, & potentia, extrinseca prorsus est, veraque præsentia, & quasi materialis, non intima, nec secundum esse gustabilis: quare non sufficit vt ita vniatur potentię constituens cũ ea vnum principium intrinsecum sensationis, quam proinde vnionem non potest habere secundum esse naturale, sed solum per speciem intentionalem sui productam in eadem potentia.

QVAESTIO II.

Quod sit organum, ac medium gustus.

23 DVo petit titulus quæstionis, videlicet quænam sit illa pars corporis, in qua residet potentia gustandi: hæc enim vocatur eius organum, atque etiam quodnam sit medium per quod sapor, vel species eius ad eundem potentiam perueniat. Vt autem vt umque explicemus, aduertat oportet à cerebro vsque ad linguam deriuari duos neruos, qui per mediam linguam pergentes minores alios, aut quasi ramusculos ad vtramque partem linguæ, immo ad palatum vsque spargunt; hos neruos tegit caro quædam rara, spongio, atque porosa meatibus plena, vt per eam possint sapores, vel earum species facilè ad neruos peruenire.

24 Per hos igitur neruos, ac ramusculos eorum tanquam per organum extensam, esse potentiam gustandi docet Aristot 1. libro de historia animal. c. 11. & 2. lib. de partibus animal. capit. 12. qui contentiunt omnes tam philosophi, quàm Medici, Galen. lib. de vsu partium cap. 2. Vesali lib. 2. de fabrica cap. 19. Auicenna lib. 12. de animalib. cap. 12. Valesi. 2. lib. controuers. medic. c. 24. Plinius lib. 11. naturalis historiæ cap. 35. Lactan lib. de opificio Dei cap. 10. Comment. 1. collectan. cap. 3. Albert. Magn. in 2. parte Summæ de homine, quæst. 2. de gustu citans Gregor. Nyssen Toletus, Conimb. & cæteri omnes interpretes huius capitis, & ex sanctis Patribus D. August. lib. 2. de verbis Domini, D. Damasc. 2. lib. de fide cap. 16. D. Nemes. in lib. de natura hominis cap. 9 qui eandem potentiam ad palatum quoque extendunt, & meritò, nam & ramusculi neruorũ ad ipsum quoque aliqua ex parte extenduntur. Vnde cæteri omnes in hoc etiam consentiunt. Immo Aristoteles ipse 4. lib. de partibus animalium c. 11. etiam ad gulam eam extendit hisce verbis. *Esculentorum enim voluptas in descendendo contingit. Dum enim deglutimus pinguia sentimus, & salsa & dulcia, & reliqua generis eiusdem & omnium ferè condimentorum esculentorumque in deuorando gulæ tactione suauitas existit & gratia.* Sed in quanam parte linguæ præcipuè vigeat sensus iste?

25 Respondeo cum Aristot. 1. lib. de historia animal. cap. 11. & omnibus ferè interpretibus huius loci, *hunc sensum magis vigere in cuspide linguæ, & ita tenendum est*, quia experientia, & ratione comprobari potest: experientia quidem: nam lapsos cibos ad linguæ radicem ob cuspidem eius retrahimus vt perfectius saporem eorum percipiamus.

Ratione verò, quia ea pars linguæ mollior est, & nerui quoque (licet minores) abs-

que

quæ dubio molliores, ac propterea ad percipiendos sapores magis idonei.

26 Vnum tantum adnotare oportet, quod Aristotel. in libro de sensu, & sensibili, cap. 2. & 2. libro de partibus animal. cap. 10. posuit organo omnium sensuum, & præcipuè gustus, & tactus in corde, sed in eo apud ipsum intelligi debet tanquam in principio, ac radice, non tanquam in proprio, proximoque subiecto, quod organum vocamus, & ideo organa singulorum his quinq; atque etiam alijs locis citatis distinxit, & in diuersis partibus corporis collocauit.

Et ex his constat, quodnam sit medium gustus, nam medio quidem externo caret, quod in tribus prioribus sensibus est aer, & aqua, & hoc solum asseruit Aristoteles, quo non obscurè significauit habere medium internum: nam si hoc etiam careret, absolutè proferret non habere medium, habet igitur internum, nempè spongiosam illam, atque porosam carnem, qua tegitur, & per quam sapores, vel eorum species ad eum perueniunt, & ita sentiunt omnes citati autores.

QVAESTIO III.

An sensus gustus distinguatur à sensu tactus.

27 PRima opinio negat gustum distingui à sensu tactus. Ita Venetus cap. præsenti, & videtur cum eo sentire Ægidius in expositione textus 103. eiusdem capitis. Ponit itaque hæc sententia sensum tactus esse dispersum per totum corpus, sed in lingua habere specialem quendam actum circa cibos, gustando sapores eorum, qui actus non est aliud, quàm tali modo eos tangere, vt per talem contactum percipiatur sapor eorum.

Hunc verò actum specialem habet in parte illa corporis determinata, & non in reliquis propter speciales dispositiones in ea sola existentes; & non in alijs. Et huius exemplum habetur in anima, quæ licet sit vna specie, & numero in toto corpore, habet tamen diuersas potentias, & operationes in quibusdam, & non in alijs, vt in oculis potentiam visiuam, & actum videndi.

28 Ita ergo idem sensus tactus secundum speciem, & numerum reperitur in toto corpore, & partibus eius, sed non eodem modo, nec ita perfectè operatur in omnibus, sed iuxta dispositiones earum, quare in lingua perfectiores habente dispositiones, perfectiorem habet actum, quo tangendo cibum simul percipit saporem eius, & ex hoc actu perfectissimo sensus tactus denominatur gustus. Itaque quo ad essentiala negat hæc sententia distingui gustum à tactu, sed solum ponit diuersum ab eo per quandam connotationem talium dispositionum in organo, & talis perfectionis accidentalis in operatione. Fundantur vero in quibusdam testimonijs Aristotelis: nam duo protulit de sensu gustus cap. præsenti, nempè, quod sit tactus quidam, loquitur autem formaliter, & non materialiter tantum, quia distinctio, aut identitas formalis potentiarum ex obiecto sumitur ab eodem Aristotele: sed in obiecto conuenire docet: cum affirmet non posse gustum percipere vllum saporem, nisi percepta humiditate, de qua constat esse qualitatem tangibilem, ergo sentit habere idem obiectum, quod expressè protulit dicens: *Gustabile esse quoddam tangibile*, & ideo esse tandem potentiam essentialem; quare formalis est prædicta locutio eius. Videlicet, Gustus est quidam tactus.

29 Secunda opinio communis, & vera est omnium interpretũ Aristotelis, qui cum eo tenent *gustum, & tactum esse duos sensus specie distinctos, non minus quàm tres alios, quamuis in quibusdam assimilentur.* Et de Aristotele certissimum est cap. sequenti, & 3. libro de Anima cap. 1. & 3. lib. de histor. animal cap. 8. quibus locis expressis, ac proprijs nominibus enumerat hos duos sensus tanquam distinctos sicut cœteros tres, asserens quinque enumerari externos sensus, interpretes verò omnes capit. præsenti, & sequenti expressè id sentiunt, ita vt nemo vnquam de hoc dubitauerit, quamquam similitudinis oppositæ pro alia sententia aliqualem apparentiam identitatis indicent. Et primam rationem pro hac sententia, contra illam desumo ex his verbis Aristotelis cap. sequenti textu 112. *Omnia enim tangibilia sentit secundum eandem partem, & saporem,*

rem, si igitur, & alia caro sentiret saporem, videretur vnus, & idem sensus, gustus, & tactus, nunc autem duo, propter quod non conuertitur.

30 Quibus asserit organa horum sensuum ita se habere, vt lingua sit adæquatum gustus, quia in illa & nulla alia parte corporis residet, sed inadæquatum tactus, quia nō solum in lingua reperitur, sed in cœteris partibus corporis: ex quo ita arguo. Potentiæ sensitiuæ specie distinctæ postulant distincta organa prout congruunt modis earum operandi distinctis, sed gustus, & tactus, habent distincta organa, cum organum tactus sit in toto corpore, & singulis partib. eius, gustus verò in sola lingua: ergo sunt distinctæ potentiæ.

31 Nec soluitur argument. dum dicitur idem esse organum tactus per totum corpus dispersum habens tamen in diuersis partibus dispositiones diuersas, quia perfectius exercet propriam operationem per vnam partem, quàm per alteram, & ideo perfectiores in ea parte dispositiones postulat, vt linguam per quam sic quædam tangit, vt non solum humiditatem eorum, sed saporem etiam percipiat, ex quo non debet lingua censeri organum distinctum à cæteris partibus, nec distinctæ potentiæ, sed solum distincta pars, atque perfectior totius adæquati organi, in quo residet tactus. Nam adhuc lingua potest habere suam operationē tactus sine operatione gustus, vt si quispiam aquam purè elementarem bibat nullum saporem habentem, sentiet per tactum humiditatem, & frigiditatem eius, nullam habēs sensationem saporis, nec gustus: ergo adhuc in parte illa, in qua concurrunt sensatio tangendi, & gustandi, sunt separabiles, atque distinctæ: ergo potentiæ istæ distinctæ sunt, siquidem vna operatur non operante alia.

32 Secundò, quia diuersa obiecta habentia diuersum modū immutandi distinguunt diuersas potentias (vt superius ostendimus) & ideo potentiæ distinguuntur per obiecta diuerso modo immutantia, sed euidens est diuerso modo immutare saporem à primis qualitatibus tangibilibus, quæ sunt obiecta tactus: ergo distinguit potentiam gustandi à potentia tangendi. Probatur minor, quia sapor immutat potentiam gustus secundum distinctam proportionem, ac immutant qualitates tangibiles, de quibus euidens est immutare linguam, in qua est gustus, nullam efficientes sensationem gustus, & efficientes sensationem tactus: ergo distinguunt tactum à gustu.

33 Pro solutione argum distingui debet triplex acceptio tactus, communissima quidem, prout tantum dicit simultatem corporum per extrema indiuisibilia, quo pacto definitur ab Arist. 5. lib physicorum asserente corpora illa tangere, quorum vltima sunt simul. Secunda est magis propria pro contactu potentiæ vitalis necessario ad percipiendum obiectum proprium, in qua quidē conuenit gustus cum tactu. Tertia strictissima est pro contactu potentiæ vitalis solas qualitates tangibiles, vt tales percipientis, & hęc est sensus tactus distinctus à gustu. Et iuxta easdem acceptiones sumi potest tangibile, vt consideranti patet.

34 Qua distinctione præsupposita ad formam argumenti negandum est antecedens, quòd gustus, & tactus conueniant in organo, & obiecto, sed in vtroque planè distingui efficaciter probatum est. Quod verò neuter indigeat medio externo, nihil refert ad identitatem eorum; sicut nec refert, quod tres alij sensus indigeant eodem medio externo, vt non censeantur distincti. Quod verò asseruit Aristot. gustum esse quendam tactum, & gustabile quoddam tangibile, iuxta secundam acceptionem tactus, & tangibilis intelligitur. Et cum quæritur, an sint propositiones per se, vel solum per accidens, sicut hæc, *album est dulce*. Respondeo esse per se, quia saltem necessitate, ac perseitate naturali præsupponit gustus tactum, & gustabile tangibile, quod non habent album, & dulce. Sed ex hoc non probatur, quod tactus in tertia acceptione, ac proprijssima pro sensu solum percipiente qualitates tangibiles prædicetur de gustu, sed talis prædicatio sic enuntiata, *sensus gustus est sensus tactus*, falsa est, ac disputata, sicut hæc *sensus visus est sensus tactus.*

CA-

CAPVT XI.

De tactu, tangibilibus, ac medio.

TEXTVS ARISTOTELIS.

De tangibili autem, & tactu eadem ratio, &c.

Breuis expositio textus.

35 VLtimo loco sensum tactus proponit Aristoteles explicandum, quia materialior est cæteris, & ideo imperfectior. Eius verò doctrinam quasi promiscuam, & minus ordinatam tradit, & propterea vt melius intelligi possit, eam ordine tantisper inuerso explicabimus. Totum igitur caput quatuor cōtinet dubia, & eorum solutiones, & ideo in quatuor partes possumus illud diuidere ita vt in singulis singula proponat, & soluat dubia.

Primum dubium proponit circa vnitatem, vel pluralitatem tactus, videlicet, an sit vnus, vel plures sensus, & primo contendit probare, quod non sit vnus, sed multiplex tactus, hoc argum. vnus sensus vnius est contrarietatis, vt vnus visus albi, & nigri, sed tactus versatur circa plures contrarietates: nempe calidi, & frigidi, humidi, & sicci: ergo multiplex erit.

Et si respondeatur, ait, quemuis alium sensum circa plures contrarietates versari, nec tamen ideo esse plures.

36 Respondet versari quidem circa plures, sed omnes conuenire sub vna ratione communi, a qua vnitatem capit sensus: talis verò ratio communis non datur in tactu, sub qua conueniant omnes contrarietates, circa quas versatur, & ideo non posse habere vnitatem.

Sed decepti putamus vnum esse: cum multiplex sit, & causam deceptionis esse affirmat medium, quod nobis est naturaliter coniunctum, nempe caro, quæ cum eadem sit in omnibus partibus, per quas tangimus, videtur nobis eundem esse tactum in omnibus: sed hoc non obstante distinctus est, quia etiam si connaturalis, nobisque coniunctus foret aer, sicut modo est caro, distincti forent visus, auditus, & olfactus, per eum tamquam per idem medium operantes, & solum ex nostra deceptione proueniret persuasio, quod essent vnus: ergo etiam si eadem sit caro nobis connaturalis, distincti sunt tactus in nobis, licet decepti iudicemus esse eundem.

37 Quod probat etiam exemplo gustus, qui simul reperitur in eadem lingua cum tactu, sed quia tactus extenditur ad cæteras partes corporis, distinctus iudicatur sensus ab eo, sed si gustus etiam ad omnes extenderetur, decepti putaremus eundem esse sensum gustum, & tactum; cū tamen adhuc eos distingueret diuersitas obiectorum, nempe gustabilis, & tangibilis: sufficit ergo diuersitas obiectiua, quam faciunt diuersæ contrarietates qualitatum tangibilium, vt distincti sint sensus tactus, quamuis in toto ipso corpore reperiatur vterque.

38 In secunda proponit aliud dubium, an sit aliquod medium externum in tactu, sicut in visu, & auditu, vel internum tantum: & probat dari præsupponens tria.

Primum, quod omne corpus habet profunditatem.

Secundum quod duo corpora non se tangunt, si aliquod tertium sit inter ea medium vt si inter manū, & lapidem sit medius aer.

Tertium omne humidum, vel humectatum esse corpus. Quibus suppositis sic arguit, si vnū corpus tangatur ab alio in aqua, humectatur ab illa: ergo mediat inter corpus. Quare licet se tangere videantur, non se tangunt. Et multo minus si tangant se in aere, nam semper erit medius aer, licet ob subtilitatem nō percipiatur, & dubium hoc insolutum videtur relinquere.

39 Tertium dubium est, an sensationes omnium quinq; sensuum similes sint in eo, quod per medium externum fiant omnes. Cui respondet omnes quidem per medium externū fieri, quamuis diuersa ratione, discrimen ait in duobus esse positum: in priori quidem quia tres priores sensus, nēpe visus, auditus, & olfactus percipiunt obiectum per mediū externū maximū. Gustus verò, & tactus per medium externū breue, & propterea decipimur existimantes non habere medium externum illud non percipientes: cum tamen in cæteris ob magnitudinem percipiatur. Secundum discrimen est, quod obiecta trium priorum sensuum, prius immutant medium,

quam

quam potentiam: quare medium prius patitur ab obiecto, quam agat in potentiam, in tactu verò simul patitur potentia ab obiecto, & medio, & huius exemplum assignat in eo, qui habet clypeum capiti superpositum, & percutitur ab alio: tunc enim non prius patitur medium, quam potentia: sed simul patitur potentia ab vtroque, nempe ab obiecto, & medio, videlicet a manu, & clypeo.

40 Vltimum dubium secundo loco propositum ab Arist. sed in vltima parte capitis solutum, est, an caro ista exterior sit organum, seu sensorium tactus, vel aliquid sub ea latens, vt neruus, vel quid simile. Cui respōdet carnem non esse sensorium: sed medium, sicut aer, vel aqua est medium visus, vel auditus, licet non sit externum discontinuatum ab organo, sicut aer a visu, quod probat hoc argumento: Sensibile positum supra sensorium non sentitur: vt in visu: si color supra oculum ponatur, non videbitur: sed tangibili posito supra carnem sentitur: ergo caro non est sensorium tactus. Minor probatur experientia aeris, & aquæ: nam statim ac approximata sunt carni, sentiuntur, quare aliquid sub carne latens, sensorium est, caro verò, non nisi medium.

41 Obiectum verò huius sensus sunt quatuor primæ qualitates elementorum, vt calor, frigus, humor, & siccitas: istæ enim dicuntur qualitates tangibiles, & quędam aliç quæ sequuntur permixtionem earum, vt durum, molle, asperum, lene &c. Sensorium verò, seu organum eius erit pars illa corporis, quç est in potentia ad has qualitates percipiendas, in potentia autem esse debere, & non in actu: quia sensorium quantum fieri potest, debet esse denudatum a qualitatibus obiecti: ita vt eis non sit actuatum, quia si actu eas habeat, non poterit eas percipere: cum intus existens prohibeat extraneum. Ex quibus colligit, quod cum sensorium tactus non possit omninò denudari a qualitatibus tangibilibus quæ sunt obiecta eius, quia (cum mixtum sit) eis constare debet, prouida natura, sic res disposuit, vt eis constaret ad temperiem reductis, vt licet non possit eas recipere, vel sentire in gradu remissiori, in quo illas habet, sentiat saltem gradus intensiores earum.

42 Gratia exempli, si sensorium tactus habet calorem vt duo, non poterit sentire obiectum calidum tantum vt duo, benè tamen quodcumq; aliud intensius; cuius non percipiet totam latitudinem caloris, quam habet: sed eum, vel eos gradus dumtaxat, in quo excedit calorem sensorij, nempe totam intensionem vltra duos gradus. Docet tandem ad obiectum tactus, non solum pertinere tangibile: sed etiam intangibile: sed illud per actum positiuum percipi sensu, hoc verò solum per negationem: sed intangibile ait dupliciter dici, vel quia vehementes, ac nociuas tactui qualitates habet, aut quia habet adeo remissas, vt percipi a sensu non possint.



TRA-

TRACTATVS DE sensu tactus, vnitate eius, sensorio, medio, ac modo, quo immutatur ab obiecto.

QVAESTIO I.

Quodnam sit organum tactus.

1 Circa organum huius sensus illud necessariò præmittendum censui, quod Aristoteles diuersis suæ doctrinæ locis contraria omninò docere videtur. Nam in lib de sensu, & sensib.c.2. in lib de iuuen. & senectute, cap etiam 2 & 2. lib. de partibus anim. c.10. organum gustus, & tactus in corde collocat.

Primò autem lib. de anima, textu 79. negat expresè vllum sensum esse in ossibus, & neruis, cæterisque partibus corporis nimis terrestribus. Et 1. lib. de historia animal. cap.4. & lib.2. de partibus animal. cap.1. & 5. expressè docet non solum neruos, aliasq; internas partes corporis esse sensorium tactus: sed etiam carnem,

2 At cap. præsenti sub carne latere organum tactus docet, carnem verò medium quidem esse internum, non sensorium: sicut respectu sensus gustandi. Ex quibus occasionem sumpserunt interpretes eius diuerso modo opinandi, qui iuxta hos tres modos loquendi in tres classes diuisi sunt.

Ad primam pertinent Themistius in sua paraphrasi, cap.39. & 40. & Simplicius 2. lib. de anima ad textum 116. qui propter priora testimonia affirmant tactum sedem habere in corde tanquam in proprio subiecto, & organo.

3 Alij verò in neruis, qui carne obteguntur, carnem vero esse medium tactus internum, vt Aristoteles, cap. præsenti sentire videtur, & ita sentiunt Comm. 2. lib. de anima, comm. 16 Galen. 1. lib. de vsu partium, cap. 16. & 18. lib. 5. cap. 9. & lib 12 cap. 2. atque etiam lib. 2. de temper. Fernel. in lib. de facultate animæ, cap. 6. Vesal. lib. 6. cap 17. Alb. Mag. 2. lib. de anima tract. 3. cap. 31. & 35 Concil diff 42 atque etiam Ægidius ca. præsenti ad textum 108. dub. 2. Iandu. q. 29. Scotus q. 29. idem videtur sentire D. Thom. lect. 22 huius lib.

Probatur duplici argum. eiusdem Aristot. c. præs. nti.

Primò, quia sensibili posito supra organum non fit sensatio, vt patet in cæteris sensibus: sed posito tangibili quocumq; supra carnem statim illud sentimus: ergo caro nō est organum tactus sed medium, per quod nerui, & cæteræ partes sub carne latentes sentiunt

Secundò, quia si caro esset sensorium, maximè, quia statim approximato ad illam sensibili, sequitur sensatio: sed hæc ratio id non probat: ergo non est ponenda caro pro organo.

Minorem sic probat, si digito superponamus subtilissimam quandam pellicula n,

& ei admoueamus tangibile aliquod, non minus sequetur statim sensatio eius: quam si proximè circa carnem poneretur, & tamen ex hoc non sequitur, quod pellicula illa sit sensorium: sed medium duntaxat internum: ergo nec probatur, quod caro sit sensorium: sed medium internum.

4 Tertia opinio opposita est: nam tenet *nō solum neruos, & alias partes internas carne obtectas esse organum tactus: sed carnem ipsam, imò & pelliculam eius, quæ statim sentit sensibile sibi approximatum*. Ita Comment. in lib. de sensu, & sensib cap 2. & lib. 2. Collectaneorum, cap. 8. & 13. quibus locis præcedentem sententiam, quam alio loco tenuerat retractauit. Alexand. 2. lib. de anima, cap. de contactu. Philop. ibidem ad textum 116. Auic. 6 natural par. 2. cap. 3. Fernel. lib. 5. physiol cap. 3. Simon Portius lib. de dolore, cap. 10. Toletus, q 3 huius lib. Conimbr. quæst. 1 huius cap. art. 1. & omnes recentiores interpretes. Ita vt iam sit ferè communis in schola, quam D. Th. tenet expressè opusc 43. c 3. vbi carnem affirmat simul esse organum, & medium diuersa ratione.

Hæc igitur tertia opinio videtur nobis probabilior, in hoc tamen sensu accepta, quod sensorium tactus sic est caro, vt etiam nerui, & reliquæ partes internæ.

Probatur primò, experientia, de neruis quidem quia in eis sentitur dolor ex intemperie primarum qualitatum, excisione, aut diuisione, sentiunt quoque dolorem, si pungantur: sed dolor non potest dari sine sensatione tactus, alioqui daretur in ligno, vel lapide: ergo sensatio tactus exercetur per neruos tanquam per organum, vel instrumentum tactionis.

Quod verò a quibusdam excogitatur neruos sentire dolorem solum per coniunctionem cum carne, friuolum est, cum non sit minus euidens, quod etiam si carne omninò nudentur, sentient dolorem.

6 Euidens quoque experientia docet, plus doloris sentiri in carne neruosa, hoc est, neruis inserta, vel coniuncta, quam in quauis alia, vt experimur, atque fatemur omnes: sed hoc non esset possibile, nisi nerui essent per se doloris capaces: ergo non potest hoc eis denegari.

De carne verò probatur quoque euidenti experientia: nam si approximentur ei calida, vel frigida, sentit ipsa, imò, & cutis, quæ est quasi principium eius, atque etiamsi pungatur, vel diuidatur, sentit dolorem, aut etiā voluptatem, si et applicentur tangibilia sibi ex proprio temperamento conuenientia, ergo residet in ea sensus tactus. Nec sentit caro ratione neruorum, quibus coniungitur (vt quidam sine fundamento asserunt) sed ratione sui, quia in multis partibus corporis datur caro distans a neruis cum sit diuisibilis, & si ibidem pungatur, vel diuidatur sentietur dolor.

7 Et tandem aliæ sunt partes corporis, de quibus ex vsu anatomicæ artis duo constant euidenter.

Primum, quod neruis careant, vt pulmo, & cor.

Secundum, quod dolorem sentiant si pungantur, aut diuidantur: ergo falsum est, quod solum per neruos, vel coniunctionem cum eis fiat in carne sensatio tactus.

8 Ad primum argumentum neganda est illa propositio vniuersalis, quod sensibili posito supra sensorium non fiat sensatio: nam licet in visu sit vera propter maximam perfectionem eius, & fortè etiam in auditu, in cæteris verò præsertim in tactu vera esse non potest, quia natura eius postulat: vt obiectum per se contingat organum, idem enim significat vocabulum tactus, quod contactus: constat vero illa se tangere apud Aristot 5. lib. physicor. quorum vltima sunt simul.

9 Ad secundum distinguenda est vniuersalis illa propositio, videlicet si caro esset sensorium, maximè quia applicato ad eam sensibili, statim sensatio sequitur, non enim propterea organum est caro, quia statim sequatur sensatio: sed quia statim in ea fit, vt probatum est.

Applicato verò tangibili ad pelliculam carni superpositam fit quidem statim sensatio, non tamen in ea, sicut fit in cute, & carne: sed in his eadem pellicula media: sed adhuc non necessariò requisita tanquam medium: sed per accidens omnino, quia eodem modo, imò longè melius fiet sensatio in cute, & carne sine illa.

10 Ad Aristotelem verò dicendum sentio, in prioribus testimonijs, in quibus tactum posuit in carne expressius fuisse loquutum, & per modum definientis, vel determinantis: capite verò præsenti per modum dubitantis: ideo in vtramque partem proposuit ar-

argumenta, nec videtur vnam potius, quam alteram partem determinare: quare priori, & absolutæ determinationi standum est: dum verò in corde esse affirmat gustum, & tactum, & aliquando vniuersaliter omnes sensus, non de organo eorum formali, & proximo, in quo resident, & per quod proximè operantur intelligit: sed sensus eius est, quod primam sedem, & quasi radicem habeant, ab eoque originem ducant, quemadmodum alij sentiunt à cerebro originem ducere, quamuis respectu solius sensus tactus pars etiam sit formalis organi eius, sicut reliquæ partes corporis, per quas sensus iste dispersus est: quare nec testimonia illa vllo modo contraria sunt alijs, in quibus organum gustus, & tactus ponit Arist. ipse in carne, vel in neruis.

11 Sed circa neruos (quibus in 1. lib. de anima, text. 79. videtur omnem vim sentiendi denegare propter speciale temperamentum eorum, in quo prædominatur terra, & propterea terrestres nimis ac inepti videntur ad sensationum opera,) duo sunt consideranda.

Primum non esse ita terrestres, & siccos ac ossa, nec etiam ita duros, vt experientia est satis manifestum: sed temperamentum magis humidum participare, quamuis sicco prædominante. Prætereà satis probabile esse carne nutriri, cui non solum magis sint coniuncti, quam ossa: sed quasi ei permixti in multis partibus corporis, nec videntur habere sicut ossa proprium alimentum per determinatas vias eis subministratum. Aliud etiam considerari debet circa illos, quod bene Tolet. adnotauit: videlicet quod etsi ex temperamento innato, aut sibi proprio terrestres sint, & ideo sicciores, ac frigidiores: sed ex temperamento influxo, hoc est, ex participatione spirituum, & carnis calefiũt, & humectantur, & ideo aptiores fiunt ad sensationes, possuntque organum tactus fieri, licet non possint id habere ossa. Vnde non negauit neruis omninò sensum Aristo. loco citato: sed solum sensum perfectum: idque considerato tantum temperamento eorum naturali: perficiuntur verò per temperamentum influxum. Et vtriusque rationem c. præsenti non obscurè significauit esse organum tactus, & euidẽti experientia probatum est eos sentire.

12 Ossa verò sicciora, ac frigidiora sunt propter maiorem participationem terræ, n. c iuuantur temperamento influxo; & propterea omninò videtur eis denegare sensum.

Vnde nec alicubi significat eum habere, quamuis alijs videatur quodlibet temperamentum sufficere ad operationem tactus, & ideo aliqualem habere tactum nimis imperfectum, & eodem modo esse organum eius, Aristotelemq; solum eis denegare sensum perfectum, ego verò primum tanquam probabilius magisq; de mente Arist. teneo quod sequuntur medici ferè omnes.

QVAESTIO II.

An sensus tactus habeat medium externum, vel saltem internum.

13 Dvplex medium distinguit titulus quæstionis, internum, & externum: internum est pars eiusdem rei sentientis sibi vnita, & secum continuata, vt caro, qua contegitur neruus linguæ, dicitur medium internum gustus.

Medium verò externum est corpus aliud distinctum a sentiente vt aer, vel aqua respectu visus, vel auditus: qua distinctione præsuppofita, quærit, an sicut visus habet medium externum, ita etiam tactus illud habeat, vel saltem sicut gustus habet internum, ita, & tactus.

Et prima opinio affirmat tactum per se, & ideo semper indigere medio externo ad sentiendum. Ita Comm. 2. lib. de anima; com. 115 quem videntur sequi Ægidius ad text. 113. eiusdem lib. & Iandun. q. 28.

Probatur testimonio Aristotelis, cap. præsenti, textu 113. vbi docet expressè non posse corpora dura se tangere in aqua, vel in aere, quin aqua ipsa, vel aer sit medius, a qua necessario humectari debent, & ideo mediam inter se habere humiditatem, & consequenter aerem, vel aquam, in quibus est: ergo nullum tangibile potest tangere sine medio externo sensorium tactus.

14 Textu verò 114. vniuersaliter docet tã dura, quam mollia sentiri a nobis per mediũ

ex-

externum, ficut vifibile, & audibile, fed hoc folum effe difcriminis, quod fenfus illi priores fentiunt propria obiecta a longe, & ideo per medium magnum, tactus vero non fentit tangibile, nifi propè fit pofitum, & ideo per paruum medium, & ferè imperceptibile, & propterea decipiuntur facile multi iudicantes tactum fine medio externo fentire. Quibus ita contingit, ac nobis contingeret, fi digito fuperpofita fubtiliffima pellicula, & tangibili fuper eam iudicaremus illum fentiri a tactu fine medio externo, quia talem pelliculam mediam ob nimiam fubtilitatem non percipimus, deciperemur namque falfum ferentes iudicium. Ita ergo decipimur circa tactum quorumcumq; corporum putantes abfq; vllo medio externo fieri, quia cum paruum fit ac fubtiliffimum, illud non percipientes iudicamus non effe.

15 Probat verò ratione communi, quia fi corpora fint dura, non poffunt immediatè tangi, quia habēt quafdam partes fuperemi-nentes alijs, inter quas, & fenforium tactus neceffariò debet effe aliud corpus medium vt aer, vel aqua: fi verò fint mollia, vel liquida, nempe aer, & aqua, poffent immediatè contingere organum, fed ex alia parte funt connaturalia loca eius, fed certum eft quod locus naturalis non agit in locatum, alioqui illud conaretur deftruere, quod tamen potius conferuat: quare non poffunt agere per fe immediatè in fenforium, nec illud immutare.

Secunda opinio diftinguit tangibilia folida, ac dura, & mollia, aut liquida, vt aquam & aerem, & ad fentiendum illa femper tactum poftulare medium externum affirmat, quafi per accidens propter eorum inæqualitatem. Ad fentiendum verò liquida nō indigere medio externo, fed fine illo poffe ea fentire, fed neq; hæc, neq; illa fentire poffe, fine medio interno, quod eft caro.

16 Hanc fententiam quantum ad neceffitatem medij interni videntur mihi tenere omnes illi authores, qui quæftione præcedente negarunt carnem effe fenforium tactus, fimul enim dixerunt effe medium internum, quia fine medio interno exiftimant non poffe tactum quicquam fentire. Videtur autem hæc fententia quantum ad medium internum pertinet expreffa Arift. c. præfenti textu 116. vbi fic loquitur. *Quare, & manifeftum eft, quod intus fit tangibilis fenforium, fic enim vtique accidet, quod quidem in alijs, appofita enim fupra fenforium non fentiunt, fuper carnem autem appofita fentit, quare medium tactus caro.* Indicat verò rationem hanc: nullus fenfus poteft fentire fuum obiectum fupra organum pofitum, vt de vifu patet, & auditu: ergo neq; tactus poterit fentire tangibile pofitum fupra organum, fed conftat experientia illud fentire pofitum fupra carnem: ergo caro non eft organum, fed medium, & internum quidem: cum fit pars animalis fentientis cum eo continuata.

17 Et hac eadem ratione vtuntur ijdem authores ad probandum hanc partem huius opinionis: nam prior alia de medio externo non indiget ratione alia præter difpofitionem ipforum corporum tangibilium: nam æquales habentia partes tangere poffunt organum fine medio, vt aer, & aqua, habentia verò inęquales non poffunt.

Noftra fententia tribus affertionibus cōntinetur. Prima fit, *per fe loquendo non habet tactus medium externum, neq; internum, fed fine vtroq; poteft dura, & mollia, folida, & liquida tangere ac fentire.* Ita Tolet. q. 30 & 31. huius lib. Conim. q. 3. huius cap. art. 3. & quotquot tenent carnem effe fenforium tactus.

18 Atque etiam omnes ferè recentiores. Et probatur primo, non requiri medium externum ad tangenda corpora folida, ac dura: quia corpora hæc non fe tangunt in puncto, nec in alio indiuifibili, nam folum hoc poteft effe verum de corpore fphærico tangente perfectè planum, aut de corporibus perfectè planis, cætera verò omnia plures partes planas habent, per quas poffunt fe tangere, vt euidens experientia oftendit in lapidibus, lignis, & alijs, fed ad rationem contactus requiritur, quod per eam partem, per quam fit, nihil fit medium inter corpora fe tangentia, quia vltima eorum fimul effe debent, vt docuit Arifto. 5. lib phyf. & ipfamet corpora debent effe contigua, ergo corpora dura, & folida fine vllo corpore medio poffunt fe tangere, & confequenter ex hac parte poterunt fentiri per tactum, fine vllo medio externo. Probatur deinde, quod mollia, vel liquida poffint tangi fine medio externo: nam corpus folidum poteft circumfcribi ab aqua, & aere, dum circunfcriptum eft aqua in profundo eius, nullum corpus medium effe poteft inter vltimam fuperficiem aquæ, & vltimam fuperficiem eiufdem corporis

poris

poris solidi, præter aliam aquam, cum in profundo aquæ, nec aer sit, nec aliud corpus, quod medium esse possit: ergo tangit corpus illud aquã sine vllo medio externo sine quo sentietur.

19 Probatur tandem, quod sine medio etiam interno per se loquendo sentiamus: ex dictis, & probatis in quæstione præcedenti, videlicet cutem, & carnem esse sensorium tactus. Ex quo ita arguo: corpora solida, & dura, atque etiam liquida, in quibus constat esse qualitates tangibiles, tangunt sine vllo medio externo, vel interno cutem, & carnẽ, in quibus residet tactus tanquam in organo: ergo causant sensationem tactus, quare nullum medium internum, vel externum postulat per se sensus iste.

20 Secunda assertio *per accidens contingit tactum habere medium externum, & hoc nõ semper, sed aliquando.* Probatur hæc in corporibus duris, quę licet aliqua ex parte possint se tangere sine medio externo: plures habent partes inæquales, quarum aliæ supereminẽt alijs, ideo non potest per has partes sine medio aere, vel aqua vnum tangere aliud, & consequenter nec potest tangi sine medio externo ab organo tactus. Quod verò hoc non fit per se, sed per accidens. Probatur, quia non prouenit ex parte sensorij, sed ex sola inæqualitate tangibilis per accidens se habente ad sensationem.

Assertio vltima, sensus tactus per accidens, & quasi materialiter etiam habet medium internum, quæ sic declaranda simul, & probanda est. Qualitates tangibiles primò mouent partes externas animalis, internas verò sub eis degentes non mouent, nisi mouendo eas, a quibus teguntur: ergo istæ quasi medium sunt, per quod mouentur aliæ. Gratia exempli, tangibilia omnia prius mouent cutem, & carnem, quas vocamus partes animalis externas, & his medijs mouent neruos & alias partes ab eis contectas.

21 Ex quo habetur, quod cutis, & caro sint media ad mouendum alias. Quamuis sensoria quoque sint, & verè sentiant: non minus, quam partes aliæ, quorum respectu media vocari possunt solum per accidens, & quasi ratione materiali, in quantum simul ac ipsæ sentiunt, quasi pro vehiculo deseruiunt alijs deferendo eis eadem tangibilia, vel species eorum.

Quod hac etiam ratione efficaciter ostendi potest: nam si nerui denudentur omninò a carne, & applicetur eis aliquod tangibile, absq; dubio sentient: cum in se habeant potentiam, quę mouetur a proprio obiecto sibi approximato, & tamen sine medio interno hoc fit: ergo medium internum non est per se necessarium ad sensationem tactus.

22 Ad illa testimonia Arist. a Commentatore opposita, in quibus agit de medio externo tactus Resp. nihil de hac re determinare, sed per modum dubitantis loqui obijciẽdo ad vtramq; partem, ideo non posse ex verbis eius desumi argum. ad probãdum hanc, vel illam esse eius mentem. Quemadmodum de medio interno dubitanter etiam loqui videtur, dum ait carnem non esse sensorium, sed medium: cum tamen alijs in locis superius a nobis citatis expressis verbis decernat carnem esse sensorium tactus. Et exemplum illud de pellicula digito superposita ostẽdit Arist. non sentire, quod tactus per se habeat medium exrernum, sed per accidens, & non semper: cum sensatio illa tactus media pellicula facta posset fieri sine illa, vel alio modo externo, vt per se est, & existit quia si cutis, & caro sentiunt frigiditatem, eis applicatam per mediam pelliculam, melius eam sentient applicata sine medio.

23 Ad rationem verò eius respondeo, falsum omninò esse antecedens, quod corpora dura non possint in aqua, vel aere immediatè se tangere: nam licet non possint omni ex parte, sed aliqua, & aliquibus deesse, euidens est, & a nobis efficaciter probatum. Et quod Arist. in cõtrarium videtur asserere, per modum dubitantis, & non decernentis accipiendum est, vt modus loquendi eius ostendit. Et magis falsum est, quod corpus circumscribens alterum tanquam locum eius, non possit in ipsum agere, & his patet expositum esse testimonium Arist. oppositum pro secunda sententia, & solutam rationem ex eodem deductam.

Argumentum verò, quo eadem opinio vtitur contra primam ad probandum quod tactus non habeat medium externum per se sed per accidens, nec semper, sed aliquando, non est a nobis soluendum, cum sit potius in fauorem secundæ assertionis nostræ.

QVÆ-

QVAESTIO III.

An qualitates tangibiles immutent tactum secundum esse reale, vel per species intentionales, aut necessariò vtroque modo.

24 Prima opinio negat omninò species intentionales in tactu, & solum immutari existimat ab obiecto immutatione reali, & naturali, & per hanc sentiri ab eo: nam & qualitates tangibiles duplices sunt, actiuæ quædam, quæ similes alias in passo producunt, quales sunt primæ qualitates elementorum. Aliç sunt non actiuæ vt secundç, quæ ex earum permixtione fiunt, vt durities mollities, & similes.

25 Et actiuas quidam sentiri docet per alias similes in organo productas, vt calor ignis per calorem, quem producit in manu, ita quidem, vt vterq; sentiatur, sed extra existens per productum a se in organo, cçteras verò non actiuas per immediatam coniunctionem, & contiguitatem cum eodem organo absq; alia sibi simili producta in eo, atq; etiam specie intentionali. Ita sentiunt Toletus 3. lib. de anima q. 2. & Valesf. 2. lib. controuers. med. cap. penult. Probatur primò, quia vnio obiecti cum potentia per speciem intentionalem, sufficit, vt per eam concurrat cum potentia ad sui sensationem: sed perfectius vnitur tactui calor existes in igne ei approximato per alium calorem sibi similem productum in organo, cum iste sit longè perfectior specie: ergo sentietur per illum: quare non erit necessaria species.

26 Secundò quia aliquod animal si poneretur diuina virtute prope solem ei contiguum, absque dubio calefieret a sole, & calorem sentiret, non quidem in sole existentem, quia sol nullum habet calorem formalem: ergo sentiret calorem in se productum a sole, & non per speciem, quia species producitur ad vniendum obiectum cum potentia, sed calor ille per se est ei vnitus, & vnione longè perfectiori: ergo superflua saltem erit species, quod sufficit vt sit naturaliter impossibilis, & sensatio tactus fiat per solam immutationẽ naturalẽ sine intẽtionali.

27 Et vrgeo argumen. in eodem casu, quia animali illo tangenti solem posset Deus suspendere quamcumque productionem speciei intentionalis, quæ fieri potest & conseruando idem animal iuxta solem concurrere cum eodem sole concursu sibi naturaliter debito ad calefaciendum corpus illud medio lumine sicut modò nos calefacit: tum ergo, vel animal illud sentiret calorem, vel non dicere quod non sentiret, absurdum est, quia non potest negari, quin molestiam, acque dolorem ei inferret, qui sine sensatione tactus dari non possunt: ergo necessariò admittendum est, quod in eo casu haberet sensationem tactus sine specie, quare frustra confinguntur species intentionales in tactu. De qualitatibus verò non actiuis eodem ferè modo probatur, quia per se sunt contiguæ organo: ergo possunt cum eo concurrere ad sensationem, & ei vniri per modum vnius agentis ad eliciendam sensationem, sicut quælibet alia agentia naturalia per solum contactum possunt vniri per modum vnius agentis ad operandum, ac producendum proprios effectus: quare non erit necessaria species.

Probatur tandem, quia si sensatio tactus fieret per speciem intentionalem, sequeretur non solum sentiri gradus intensionis obiecti superantes eos quos organum in se habet, sed etiam inferiores aduersus Aristotelem expresè tenentem oppositum c. præsenti.

Sed probatur consequentia, quia obiectum naturaliter producit species intentionales: ergo agit secundum totam suam virtutem, & secundum omens gradus intensionis: quare necessariò dicendum est producere species omnium graduum, & consequenter sentiri omnes, vel dari speciem in potentia productam, & non fieri sensationẽ, quod patet esse impossibile.

28 Secunda opinio affirmat vtramque immutationem naturalem, & intentionalem per species esse necessariam ad sensationem tactus. Ita sentiunt omnes fere recentiores. Hanc autem immutationem naturalem actionem agere obiectum in sensorium necessarium sit ad species in eo producendas & quia secundæ qualitates tangibiles non sunt actiuæ, excogitarunt plures necessariam esse quandam confricationem, vel quid simile, vt sentiri possint.

No-

29 Nostra sententia his assertionibus continetur. Prima sit *ad sensationem tactus necessaria est immutatio per species intentionales, ita vt sola naturalis, vel solus immediatus contactus obiecti non sufficiat ad sensationem.* Hanc tenet expresse D.Thom 1.part.quæst.78. artic.3. his verbis: *Ad operationem sensus requiritur immutatio spiritualis per quam intentio formæ sensibilis fiat in organo sensus, alioqui si sola immutatio naturalis sufficeret ad sentiendum, omnia corpora naturalia sentirent, dum alterantur.* Probatur expresso testimonio Aristot. 2. lib. de anima, cap. 12. text 121. vbi sic ait. *Oportet autem vniuersaliter de omni sensu accipere, quod sensus est id, quod est susceptiuum formarum sine materia, vt cera annulli signo ferro, & auro recipit signum. Similiter autem & sensus vnius cuiusque, &c.* & expressius text. 123. & 124. *& propter quid plantæ non sentiunt, cum habeant quandam partem animalem, & patiantur a tangibili, etenim expressius frigescunt, & calescunt, causa enim est non habere medietatem, neque huiusmodi principium vt possint recipere formas sensibilium, sed pati cum materia.*

30 Probatur primo, ratione illa satis efficaci, qua hoc idem probauimus cap. præcedente de sensu gustus, quod non possit percipere obiectum per solum contactum realem, & naturalem: sed necessaria sit ei species: est enim quantum ad hoc eadem prorsus ratio de gustu, & tactu. Sed probatur alia ratione deducta ex duobus alijs principijs Arist. 6. c. huius lib. expressis. Primum est, quod omnis sensus sit potentia passiua, & patiatur ab obiecto, non passione propria, sed perfectiua, hoc est intentionali. Secundum est, quod potentia priusquam sentiat sit dissimilis obiecto, sed fiat similis ad eliciẽdam sensationem simul cum eodem obiecto. Ex quibus ita arguo: potentia non patitur ab obiecto per solum contactũ naturalem, quia nihil per hoc recipit, nec etiam per receptionem qualitatis naturalis in organo patitur passione impropria, sed sæpe proprijssima, & corruptiua, sicut patitur lignum ab igne, ergo nec verum est esse potentiam passiuã, nisi recipiat speciem intentionalem ab obiecto: tactus igitur eã debet recipere. Sed nec fit similis obiecto per solum contactum naturalem eius, quia similitudo vnius cum alio necessariò debet fieri per aliquam formam informãtem. sed nec fit similis per receptionem qualitatis in organo, quia hæc est similitudo in esse materiali, & naturali, quam habet lignum per calorem: similitudo verò, quam habere debet potentia cum obiecto, vt sit principium sensationis simul cum eo, debet esse in ratione principij sentiendi, & ideo in esse sensitiui, & cognoscitiui: cũ sentire sit cognoscere obiectum: esse autem cognoscitiuum, est esse intentionale, vt per se patet: ergo debet fieri similis obiecto in esse intentionali, quod nõ potest habere, nisi per formam intentionalem, quę est species obiecti, per quam debet necessariò immutari ab obiecto tangibili, vt sit principium sensationis, eamq; eliciat.

31 Secundò probatur in particulari, quod non possit sentiri qualitas tangibilis externa per aliam similem internam existentem, vel productam in organo, nam hoc est, quod videntur intendere authores primæ opinionis, quia si per illam sentiretur sine specie, sequeretur solum posse sentiri secundum eosdem gradus intensionis, quos habet calor organi, & non secundum exuperantes: quare tactus nunquam sentiret excessus qualitatum tangibilium contra Aristotelem, & omnes ferè interpretes, & contra experientiam. Probatur consequentia, quia calor organi non potest concurrere ad sensationem qualitatis, quam habet.

33 Secunda assertio, *præter immutationem intentionalem necessariò requiritur ad sensationem tactus immutatio aliqua naturalis, ita vt sine illa, nec intentionalis sufficiat, nec fieri possit naturaliter ab obiecto tangibili, nec proinde sensatio.*

Hanc etiam expressam reperio apud Diuum Thomam in eodem artic. ad 4. his verbis distinguitur gustus a tactu, nam tactus immutatur naturali immutatione, & non solum spirituali quantum ad organum suum secundum qualitatem, quæ ei propriè obijcitur: gustus autem organum non immutatur de necessitate naturali, immutatione secundum qualitatem, quæ ei propriè obijcitur, vt scilicet lingua fiat dulcis, vel amara, sed secundum præambulam qualitatem, in qua fundatur sapor, scilicet secundum humorem.

34 Et ratio insinuata a D. Thom. eisdem verbis efficaciter eam probat; quia sensus externi distinguuntur per diuersas rationes, quibus nati sunt immutari ab obiecto, sed spe-

specialis ratio per se immutatu a tactus a suo obiecto proprio, per quam distinguitur specie a cæteris sensibus, est per immutationem naturalem simul, atque intentionalem, quæ nulli alteri sensui potest conuenire, vt facile potest inductione probari: ergo non potest suum obiectum percipere sine reali, ac naturali contactu simul cum intentionali. Quod hoc modo declarari potest, & corroborari simul, quia vt obiectum cuiuslibet sensus producat in eo speciem sui, per quam ab eo sentiatur, postulat conuenientem approximationem ad illum, maiorem, vel minorem iuxta naturam obiecti, & sensus, ac modum, quo ab eo immutatur, vt de visu, ac cæteris patet, sed conueniens approximatio, quā sensus tactus, & operatio eius, (quæ tactio vocari potest) postulant ad immutationem intentionalem, est naturalis immutatio eiusdem obiecti: ergo hæc est præcisè necessaria, vt obiectum tangibile propriam speciem producat in organo, ita vt sicut visibile non potest producere speciem in visu nisi disiunctum sit ab eo, & medium aliquod intercedat inter illud, & potentiam, sic ex opposito obiectum tangibile non potest producere speciem sui in tactu, nisi immediatum ei sit, & reali contactu eum contingat.

35 Secundò probatur, quia tactus quilibet naturalium corporum, solum distinguitur à vitali in eo, quod naturalis solam coniunctionem immediatam corporum naturalium dicit. Vitalis verò addit perceptionem, seu notitiam eius, a principio intrinseco vitalis potentiæ elicita. Conuenit ergo iste cum illo in ratione naturali, & materiali coniunctionis naturalis corporum, quæ fit per realem, & naturalem contactum & per obiecti tangibilis perceptionem a potentia vitali distinguitur: hæc igitur non potest fieri sine naturali, ac reali contactu obiecti tangibilis cum organo.

Assertio vltima, *hæc immutatio naturalis per se requisita ad operationem tactus simul cum intentionali, non est alteratio naturalis organi, sed realis contactus obiecti tangibilis.*

36 Quam prius sic declaro: dum calidum, vel frigidum immutat tactum, duo sunt in hac immutatione, videlicet realis, & naturalis contactus vtriusque, & realis ac naturalis alteratio eiusdem organi, quæ sequitur eundem contactum, & non est aliud, quam realis calefactio, per quam realiter calesit ab eodem calido.

Naturalis itaque contactus calidi necessarius est, vt producat speciem in organo, & fiat sensatio: non verò calefactio, sed hæc sequitur post factam sensationem, quæ quidem in instanti, quo tangitur organum fit: calefactio verò non nisi tempore sequenti. Naturalem igitur contactum necessarium esse dicimus ad producendam speciem, & eliciendam sensationem: non verò alterationem naturalem post factam sensationem subsecutam.

37 Sic autem explicatam assertionē probo primò; quia quod est per se necessarium ad aliquam operationem, ita se habet ad illam, vt sine eo exerceri, vel fieri non possit. sed sine naturali alteratione organi fieri potest operatio tactus; ergo non est per se necessaria ad illam, sed per accidens ei coniuncta. Probatur minor in qualitatibus tangibilibus, non actiuis, quales sunt asperum, lene, durum, molle, & plures aliæ, quæ sine vlla alteratione reali organi sentiuntur per tactum. Et si dicas non per se requiri alterationem naturalem organi ad tactum sub ratione eius vniuersali, sed sub particulari qualitatum actiuarum, quæ nec possunt producere speciem sui, nec sentiri a tactu, nisi media alteratione naturali.

38 Contra hoc est, quod non sunt efficacioris, aut maioris virtutis in ordine ad operationem tactus qualitates secundæ non actiuæ, quam primæ, & actiuæ: sed longè minoris, & constat per solum contactum naturalem organi, sine naturali alteratione eius producere speciem sui, & sentiri per tactū: ergo multò melius qualitates actiuæ idem poterunt, atq; efficient per solum contactum naturalem: quare licet sequatur naturaliter alteratio, non erit per se requisita ad sensationem earum. Secundò probatur quia tāgibile, sicut & visibile in instanti producit species intentionales, & ideò in instanti fit sensatio tactus: sed alteratio organi fit successiuè, & in tempore, cum sit motus: ergo sequitur post sensationem iam factam: quare nō potest esse necessaria ad illam, vt hoc exemplo fit manifestum, si calidum approximetur organo tactus per motum, verum est in vltimo instanti terminatiuo motus peruenisse ad immediatam præsentiam cum

eo: ita vt verum quoque sit dicere: nunc primò calidum est contiguum organo, illudque tangit: ergo verum etiam erit, nunc primò imprimere ei speciem sui, quia agẽs approximatum passo, & carens contrario in instanti producit effectum: ergo etiam erit verum in eodem instanti fieri sensationem tactus, quia potentia informata specie obiecti sibi approximati in instanti elicit sensationem.

39 Nunc verò soluenda sunt argum. primæ opinionis, & ad maiorem, & minorem primò respondeo: ideo sufficere vnionem obiecti cum potentia per speciem, quia cum sit imago intentionalis eiusdem obiecti, duo præstat potentiæ, vnit enim eam cum eodem obiecto non quomodocumque, sed in esse subiecto, & intentionali, & prætereà reddit eam similem obiecto in eodem esse intentionali: quæ duo omninò necessariò requiruntur ad sensationem: postremum quidem, vt ex vtroque fiat vnum agens completum in esse intentionali ad eliciendam sensationem: primum verò, vt hoc vnum ex vtroq; factum possit esse principium speciei expressæ perfectæ, & in actu secundo similis obiecto, quod non potest præstare principium, nisi sit simile eidem obiecto in actu primo: atque in esse intentionali, & sensibili; quod non potest præstare calor naturalis productus, vel existens in organo: cum non habeat esse intentionale: nec possit proinde principium sensationis esse, quæ cum sit cognitio, vel notitia obiecti, intentionalis actio est, & non naturalis sicut calefactio.

40 Ad secundum argum. & confirmationem eius, simul respondeo admittendo casum de homine iuxta solem aut ei contiguè posito, quem etiam admitto calefieri a sole: sed nego, quod calorem in sole existentem, aut in se productum sentiret. Admitto etiã quod Deus suspenderet productionem specierum quocumq; calore ibi existente: quo admisso adhuc nego hominem illum sentire dolorem. Et rationem huius esse assero, quia nullus dolor sentiri potest, sine sensatione tactus, quam homo ille non posset habere exclusis speciebus intentionalibus, quia nõ posset sine illis vniri ei calor in esse sensibili, aut cognoscibili, vel intẽtionali, & ideo non posset potentia elicere sensationem.

41 Vniretur verò organo calor in casu illo vnione naturali, sed vnio naturalis per inhærentiam non solum non sufficit ad sensationem, sed nihil prorsus ad eam confert: cum constet non minus sensationem sine ea quam cum ea fieri posse per vnionem intentionalem obiecti cum potentia, quam in tactu concedimus fieri non posse, sine reali, & naturali contactu obiecti, & organi: bene tamen sine alteratione naturali eiusdem organi.

In casu igitur argumenti, & confirmationis combureretur homo ille calore solis, sed talem combustionem non sentiret sine specie, sed ita se haberet, ac si esset lignum, vel lapis, quæ naturali prorsus alteratione comburerentur, & corrumperentur.

Vlt. arg. postulat sequentem quæst. ex cuius resolutione constabit solutio eius.

42 Sed restat argum. difficile a nobis excogitatum in fauorem oppositæ sententiæ: quia quo magis alteratur organum, magis aut melius sentitur actione intentionali: ergo perfectiorem producit speciem in organo, vel iam productam intendit. Vnde sequitur necessariam omninò esse calefactionem intensiorem, ad sensationem: ergo calefactio erit necessaria ad sensationem.

Probatur consequentia: quia sicut se habet intensior calefactio ad intensiorem sensationem, ita calefactio simpliciter ad sensationem simpliciter etiam acceptam. Antecedens verò videtur per se euidens: quia quo intensior est calefactio, eo causat maiorem dolorem in organo: sed dolor fit media sensatione: ergo causatur etiam melior, aut perfectior sensatio.

Respondeo negando antecedens, quod perfectior fiat sensatio crescente alteratiòne naturali secundum intensionem, aut perfectiorem speciem producere calorem in organo. Quia diuerso modo se habet calor in obiecto tangibili in ordine ad calefactionẽ organi, & in ordine ad productionem speciei intentionalis in ea, & per eam, simul cũ potentia eliciendam sensationem. Nam respectu calefactionis contrarium habet in organo, nempe frigus, quod non potest simul vel in momento expellere, sed successiuè, & in tempore, & ideo calefactio successiuè, & in tempore fit. Ad producendam verò speciem intentionalem contrario caret, quia intentionalia non habent contrarium, ideo a principio alterationis non producit tan-

tum calorem, quam potest producere in organo, sed producit speciem secundum totam perfectionem, quam potest, & eodem modo fit sensatio secundum totam perfectionem, & tam producta species quam sensatio fiunt in instanti non minus in qualitatibus actiuis, quam in non actiuis: falsum igitur est, quod crescente calefactione perfectior fiat sensatio eiusdem obiecti calidi. Dolor vero maior propter solam maiorem calefactionem sentitur, quia maiorem causat distemperiem organi intensio.

QVAESTIO IV.

An tactus solum sentiat excellentias, vel exuperantias obiecti tangibilis, aut gradus etiam æquales, vel inferiores.

43 PRo certo præsupponit Aristoteles ca. præsenti potentiam denudatam esse oportere à natura, vel qualitate obiecti, nã si illam habeat in organo non sentiet obiectum eadem qualitate affectum, vt si lingua sapore aliquo amaro, vel etiam dulci affecta sit, cætera omnia obiecta videbuntur ei amara, vel dulcia; quare saporem naturalem, quẽ habent non poterit sentire, & ideo cum organum tactus mixtum sit, & ideo non possit denudari omninò qualitatibus tangibilibus elemẽtorum, prouisum esse à natura, vt temperatas eas haberet, vt ita posset sentire easdem qualitates in obiectis tangibilibus existentes in eo saltem gradu quo excedunt intẽsionem earum quas habet organum. Quo supposito quærit titulus quæstionis, an verum hoc sit, quod tactus solum sentiat qualitates tangibiles obiectorum in gradu superante intensionem, quam habet in organo, vel etiam in gradu æquali, & inferiori, ita vt habeat calorem vt duo, & si approximetur calidum, vt quatuor, solum sentiat tertium, & quartum gradum eius, vel primum & secundum.

44 Quæstio hæc sic explicata parum difficultatis habet, saltem quantum ad qualitates actiuas, apud eos qui opinantur tactum non immutari ab obiecto per species intẽtionales, seu solum per alterationem realem, & productionem qualitati sibi similis in organo. Nam cum agens naturale non possit agere in passum sibi omninò simile vt 1. lib. de gener. ostendimus, nec poterit obiectum tangibile immutare organum tactus per naturalem alterationem nisi in eo gradu intensionis, in quo illud excedit: in cæteris namq; inferioribus omninò ei simile erit. Præcipuè igitur locum habet quæstio apud omnes qui nobiscum tenent tactum non solum naturaliter immutari a tangibili, sed etiam immutatione intentionali per species. Quo supposito probatur 1. non solos gradus in quibus obiectum excedit intensionem organi, sed æquales, & inferiores percipere, quia obiectum tãgibile producit naturaliter speciem sui in potentia: ergo producit eam secundum totam virtutem intensionis, quam habet: quare repræsentabit omnes gradus intensionis eius, sed potentia informata tali specie elicit naturaliter sensationem obiecti, quod repræsentat, & a quo producitur; ergo sentiet per eam omnes gradus intensionis obiecti, quo repræsentat, & non solum eos, in quibus superat qualitatem existentem in organo.

45 Secundò quia ideo agens naturale non potest agere nisi secundum gradus intensionis, quibus excedit passum: quia non potest agere in omninò simile, & per gradus inferiores omninò similia sunt, quos ideo non potest passum recipere, nec ad eos recipiendos est in potentia. Sed hæc ratio non tollit, quin possit recipere speciẽ repræsentantem oẽs gradus, quia species nõ constituit potentiã similem obiecto in esse naturali: sed in esse intentionali: ergo quod habeat hos, vel illos gradus intẽsionis qualitatis naturalis, nõ tollit, quin possit recipere speciem eorundẽ cum diuersi generis, & modi essendi sint: recipiet ergo speciẽ oĩum graduũ, & per illam eliciet sensationẽ eorũ, vel si non recipit speciẽ, nisi superiorũ graduũ, sequitur dari speciẽ repræsentantẽ gradus superiores sine inferiorib. quod patet esse falsum, quia sicut nõ possunt separari ab eis cõiuncti: ita nec dabilis est species sensibilis repræsentans eos sine alijs. Probatur tandem, quia si inferiores gradus obiecti non possunt sentiri per speciem: cum multò minus possint recipi in organo secundum esse naturale: impedientibus his, quos præhabet organum ex proprio temperamento, sequitur tales gradus non

esse

esse qualitatem tangibilem. Probatur consequentia, quia repugnat omninò sentiri a potentia, quæ ex se postulat temperamentum organi eos continens.

Propter hæc arg. (valde difficilia) tenent recentiores quidam tactum non excessum tantum, vel solos gradus exuperantes sentire: sed inferiores omnes.

47 Secunda opinio concedit æquales, atque inferiores gradus obiecti, quibus non excedit intensionem organi, verè esse sensibiles, & ex parte sua sentiri posse: sed tactum solum sentire excedentes, vel exuperantes. Ita expresse Aristoteles cap præsenti textu 118. his verbis. *Sentire enim pati quoddam est, quare faciens quale ipsum actu, huiusmodi illud facit, cum sit potentia. Vnde simile calidum, & frigidum, aut durum, & molle non sentimus: sed exuperantias, tanquam sensu velut medietate quadam existente eius, quæ in sensibilibus contrarietatis.* Quibus talem rationem indicat.

Potentia debet esse denudata a natura obiecti, alioquin non poterit pati ab illo, nec proinde sentire, quia sentire quoddam pati est, & passum carere debet forma agentis, & potentiam habere ad eam recipiendam: sed sensorium tactus, quia mixtum esse debet, non potest esse omninò denudatum a primis qualitatibus tangibilibus, ex quibus componuntur omnia corpora mixta.

48 Necessarium ergo fuit, quod temperamentum organi tactus, licet carere non potuerit omninò qualitatibus tangibilibus, ad mediocritatem saltem earum quantum fieri posset reduceretur, vt sic plures differentias tangibilium qualitatum percipere posset. Ex quibus sequitur qualitates tangibiles solum in eo gradu posse percipere, in quo exceditur ab eis temperamentum sui organi, quod est solum posse exuperantias, vel excessus percipere. Quod tenent cum Aristotele omnes eius interpretes tam recentiores, quam antiqui.

49 Hæc autem communis sententia tribus vijs defenditur, & probatur a diuersis recentioribus. Prima asserit, qualitatem tangibilem non producere speciem in sensorio tactus, nisi simul alterando alteratione naturali: ita vt iuxta modum alterationis naturalis producatur species. Vnde cū alteratio sit successiua, in tempore producitur species & successiuè etiā fit sensatio, & cū qualitas actiua non possit producere eosdem gradus caloris, quos subiectum habet, quia agens naturale non potest agere in passum omninò simile: ita nec potest producere speciem eorumdem graduum, & cum sine specie non possit sensatio fieri, nec potest tactus sentire inferiores gradus obiecti, quos apud se habet: sed superiores dumtaxat, quos exuperantias vocauit Aristoteles. Sed modus iste has difficultates patitur. Prima, quia qualitates tangibiles non actiuæ non indigent alteratione naturali organi ad producendas in eo species: sed per solum contactum eiusdem organi eas producunt, ac sentiuntur: ergo sufficiet qualitatibus actiuis solus contactus naturalis organi, ad producendas species. Probatur consequentia, quia non est minoris virtutis, & efficaciæ contactus earum, quam aliarum: sed maioris. Quod verò huic respondent eam esse naturam, & conditionem actiuarum, vt non producant speciem in organo, nisi media alteratione eius naturali, gratis omninò, & sine vllo fundamento asseritur: cum nulla ratio huius discriminis assignetur, nec assignari possit.

50 Secunda difficultas, & maxima quidem est, quia qualitates tangibiles non actiuæ, vt asperum, & lene, durum, & molle, nō sentiuntur, nisi secundum excessus intensionis sicut qualitates actiuæ, & tamen nec producunt species, nec sentiuntur simul cum alteratione naturali organi: & vtrumq; docet eadem experientia euidens: ergo ratio alterationis naturalis ad probandum, quod in qualitatibus actiuis excellentiæ tantum, vel exuperantię sentiantur, friuola est, & nullius momenti.

51 Vltima difficultas ab experientia desumitur: experimur enim statim ac aer calidus manum, vel faciem contingit sentire nos calorem, & vehementem, & tamen nō esse productum tam citò in facie, vel manu nimis intensum, nec potuisse produci, cum alteratio vehemens non possit statim fieri: sed per moram temporis subsequentis contactum: ergo sentitur calor sensatione vitali, atque intentionali, sine vllo respectu per se requisito ad alterationem naturalem. Propterea hæc via difficile potest sustineri.

Secunda igitur via non multum diuersa à priori, quia licet non ponat necessitatem alterationis naturalis ad hoc, vt obiectum tangibile producat speciem in organo om-

omnium graduum suę intensionis, etiam inferiorum respectu intensionis, quam in eodem organo habet: sed sine dependentia ab illa produci concedat: ponit tamen necessariam dependentiam quantum ad vsum speciei productæ: ita vt non possit ea vti potentia, nisi ad percipiendos gradus naturalis qualitatis, quos per alterationem naturalem recipit ab eodem obiecto, vt agente naturali: & quia non potest agens naturale producere in organo, nisi eos gradus intensionis, in quibus excedit calorem eiusdem organi, & non remissiores: ita nec potest sensus per talem speciem repræsentantem omnes, percipere, nisi eos, in quibus exceditur ab eodem obiecto. Hanc viam sequuntur Conimb. c. præsenti, q. 3. art. 3.

53 Sed non patitur hæc via minores difficultates, quam præcedens: nam licet non ponat necessariam esse alterationem naturalem organi ad producendam speciem ponit tamen aliud lõge difficilius, videlicet, quod necessaria sit, vt potentia iam actuata per speciem eliciat sensationem: quod falsum esse sic ostendo: potentia informata specie sufficienter constituta est in actu primo ad sensationem eliciendam: ergo non indiget alteratione reali, vt eam eliciat.

Probatur consequentia, quia impossibile est potentiam informatam specie obiecti, & obiecto posito in debita distantia respectu eius, eademque potentia attendente, non sequi sensationem; sed hæc omnia concurrunt, etiam si non detur alteratio naturalis organi ab eodem obiecto, vt per se constat: ergo non potest non sequi sensatio, & ideo sine dependentia ab alteratione naturali fieri.

54 Nec soluitur argum. dum dicitur impediram esse potentiam ad eliciendam sensationem ex defectu alterationis naturalis organi, quæ est quasi conditio, sine qua non, quia sine tali alteratione sequitur sensatio qualitatis tangibilis non actiuæ: ergo nõ est necessaria ad sensationem. Et si iterum dicatur non esse necessariam ad sensationem: sed ad sensationem talem: nempe qualitatis actiuæ: gratis profectò, & absq; vllo rationis fundamento dicitur, & solum ad effugiendam difficultatem excogitatum est, quia nulla potest assignari congrua ratio huius necessitatis in qualitate actiua, potius quã in nõ actiua. Et rursus si remissa qualitas non potens alterare organũ, potest sine alteratione per solum contactum producere speciem sui in organo; quare hæc species ab ea producta non sufficiet ad eliciendam sensationem cum potentia: cum non sit minoris virtutis, & efficaciæ, quam species producta a qualitate non actiua eiusdem remissionis.

55 Alia igitur via ab vtraq; diuersa incedendum est in hac assertione explicanda; *obiectum tangibile siue sit actiua qualitas, vel non actiua, in instanti, in quo tangit organum, non expectata, nec requisita alteratione naturali eiusdem organi producit speciem in eo, & sentitur per tactum solum secundum gradus, excedentes intensionem organi, non secundum æquales, vel inferiores vllo modo.* Tria continet assertio hæc.

Primum quod tam qualitas tangibilis actiua, quam non actiua producat speciem sui in organo tactus, nõ expectata, nec vllo modo requisita alteratione naturali organi, quod efficaciter probauimus in vltima assertione præcedentis quæst.

Secundum quod continet est, quod speciẽ producat in instanti, & in eodem instanti fiat sensatio eius. Quod probatur hoc modo: contactus duorum corporum fit in instanti: sed contactus naturalis sine alteratione naturali organi sufficit ad productionem speciei, atq; etiam ad eliciendam sensationem tactus: ergo vtraque fit in eodem instanti, in quo obiectum tangibile organum tangit.

56 Maiorem probo, quia contactus duorũ corporum fit per acquisitionem vltimę, atq; immediatæ præsentiæ, quam vnum acquirit juxta aliud, per quam dicuntur contigua, & vltima eorum esse simul: sed vltima, & immediata præsẽtia vnius corporis juxta aliud acquiritur in instanti: ergo contactus in instanti fit. Probatur minor, quia vltima illa præsentia est adæquata corpori, & est primum esse mobilis in termino ad quem, & primum non esse motus: ergo in instanti acquiritur. Omnia hæc sunt manifesta ex libris physicorum. Sed probatur minor, quia qualitates tangibiles non actiuæ producunt speciem in organo per solum contactum naturalem, non expectata alteratione naturali, & ideo in instanti, in quo etiam sentiuntur: ergo multo melius eam producent qualitates actiuæ in instanti non expectata alteratione, quia non sunt minoris virtutis, & efficaciæ, quam non actiuæ: sed maioris.

Di-

Dicere autem quod actiuæ, quia actiuæ sint, indigēt alteratione naturali, tanquam conditione ad producendam speciem, fundamento rationis caret, vt probauimus.

Vltimum, quod continet assertio nostra est, quod omnis qualitas tangibilis actiua, vel non actiua solum producit speciem in tactu secundum gradus superiores, in quibus excedit intensionem, quam habet in organo, & non secundum æquales, aut inferiores & solum secundum illos sentitur per tactum non secundum hos. Quod ratione alicuius momenti probare valde difficile omnibus visum est. Probatur autem primo euidenti experientia quia vnusquisq; nostrum experitur, nec inferiores gradus, nec æquales sentire in quocumque tangibili sibi applicato: sed eos tantum, in quibus excedit intensionem organi, siue in qualitatibus actiuis, siue in non actiuis, quia sicut non sentit calorem vt vnum in aqua habens in organo calorem vt quatuor: ita per partem habentem duritiem, vt quatuor nō sentit duritiem vt vnum in obiecto.

58 Quare apertè falsum est, quod a quibusdam recentioribus dicitur veram esse in qualitatibus actiuis sententiam Aristotelis, & communem, quod tactus solum sentiat exuperantias, seu excellentias, non tamen in non actiuis: cum experientia æqualiter probet in omnibus. Sed probatur efficaciter in omnibus argument. ducere ad impossibile eo præsupposito tanquam certo, & in quo conueniunt omnes, quod ad sensationem tactus non requiritur obiectum tangibile esse actu diuisum, aut discontinuum ab organo: sed sufficere, quod sit in subiecto distincto realiter ab organo, licet continuo cum eo, quod in visu constat vidente partes continuatas cum oculo; atque etiam in tactu vna pars sentit per tactum excessum caloris, aut frigiditatis existentis in parte sibi proxima atque continua. Hoc igitur præsupposito sic arguo, si tactus sentiret quoscumque gradus inferiores, vel æquales in obiecto, sequitur sentire omnes, quos apud se habet ex proprio temperamento, vel quouis alio modo, & cum semper illos habeat præsentes, esse in continua, atque perpetua sensatione eorū contra euidentem experientiam, quia nemo talem sensationem continuam internæ qualitatis expertus est in se. Sed consequentiam probo: quia quælibet pars corporis potest sentire calorem exuperantem existentem in alia parte sibi continua: ergo potest sentire æqualem, & minorem. Probatur euidenter cōsequentia, supposito, quod tactus non sentiat solos gradus excellentes: sed æquales, & quoscunque minores, vt tenet opposita sententia; & cum semper habeant omnes partes corporis calorem aliquem, aut frigiditatem ex proprio temperamento, quælibet producet speciem sui caloris in partem aliā sibi proximam, eamq; conseruabit præsens, & pariter alia sibi proxima in ea: & sic erit corpus in perpetua sensatione reciproca omnium partium contra euidentem experientiam.

Probatur tandem ratione satis congrua ex natura tactus, & gustus elicita; quia sensus isti apti sunt immutari ab obiectis immutatione intentionali medio contactu naturali, ergo satis congruum est, quod in modo immutandi intentionali se accommodent obiecta horum sensuum modo immutandi naturali, quo constat solum immutare secundum excessus, vel exuperantias, & non secundum gradus æquales, vel inferiores.

59 Ad primum argumētum oppositæ sententiæ concessa maiori, quod obiectum tangibile producit naturaliter species intentionales, distinguenda est minor, quod producat eas secundum totam virtutem intensionis, quam habet. Nam ex parte sua productiuus est speciei secundum totam virtutem intensionis, sed propter incapacitatē subiecti non potentis recipere nisi speciem superiorum graduū, per quos exceditur ab obiecto, solum producit speciem eorum.

Ad secundum concessa maiori, in eo posita, neganda est minor, quod agens intentionale possit agere in passum sibi omninò simile. Et cum dicitur similitudinem naturalem non tollere potentiam ad recipiendam speciem eorundem graduum: negandū quoque est, quia in modo agendi intentionali ex propria natura se accommodat modo agendi naturali, vt probauimus.

60 Ad tertium concesso antecedente, quod non possint sentiri gradus inferiores obiecti impedientibus alijs eiusdem intēsionis, quos habet organum, neganda est consequentia, quod tales gradus non sint sensibiles, & ideo nec esse qualitates tangibiles,

Nam cum sint eiusdem speciei cum supe-

rioribus,& eandem habeant proportionem cum ſenſu tactus,per ſe eſſentialiter ſunt tangibiles,propter temperamentum verò organi alias ſimiles habentis ſentiri non poſſunt hoc verò accidentale eſt eis.& non tollit eſſentialem proportionem,quam cum potentia ſecundum rationem eſſentialem conſiderata habent.

61 Quod poſſumus probare euidenti exẽplo: nam ſi demus tactum vnius hominis ad mediocritatem primarum qualitatum eſſe naturaliter temperatum, ita vt quatuor gradus caloris, & totidem frigiditatis habeat, ſicque de cæteris duabus, quandiu permanet in eodem temperamento,non poteſt ſentire frigiditatem, vt quatuor alicuius obiecti tangibilis,ſed demus ab hoc temperamento morbo aliquo, aut accidenti alio mutari, ita vt remittatur ei frigiditas vſque ad duos gradus (quod ſæpe contingit) & tunc euidens eſt ſentire poſſe tertium, & quartum gradum, quos prius non poterat: ergo licet tunc non poſſent ſentiri, erant nihilominus per ſe tangibiles, & habebant proportionem eſſentialem cum ſenſu, & quod non poterant ſentiri ex accidenti proueniebat.

QVAESTIO V.

An per tactum ſentiatur qualitas tangibilis producta, vel exiſtens in organo aut ea,quæ eſt in obiecto, vel vtraque.

62 Certa res eſt in vtroque reperiri calorem,nempe in organo ex ratione ſui temperamenti, atque etiam in obiecto tangibili,ſi calidum ſit,quod ſentitur: quærit ergo titulus quæſtionis, an per ſenſationem tactus ſentiatur ſemper vterque, vel alter tantum, videlicet exiſtens in obiecto, aut in organo.

Et prima opinio tenet tactum ſentire calorem in ſe productum ab obiecto tangibili externo vt ab igne,& per eum ſentire etiam eundem calorem in igne exiſtentem, & ita ſentiri vtrumque. Ita planè videntur tenere Tolet.3.lib.de anima q.2.& Valeſ.2.lib.cõtrouerſ. med. c.penult.aſſerunt enim ſenſationem tactus non fieri per ſpecies intentionales, ſed per qualitatem realem in organo productam ſentiri qualitatem externi tangibilis,a qua procedit

63 Probant primò,quia qualitas producta in ſenſorio non eſt minus ſenſibilis,quã quæ eſt in igne approximato,& eſt intimius vnita potentiæ:cum inhæreat eidem ſenſorio, in quo inhæret ſenſus ipſe:ergo non minus, ſed magis vel perfectius ſentietur,quam calor ignis, de quo non eſt dubitandum, quin ſentiatur: nec eſt aliud per quod ſentiri poſſit præter calorem a ſe productum in organo:nam quod ſenſorio inhæreat,non poteſt impedire ſenſationem eius,ſed potius iuuare. Secundò, ſi iuxta ſolem ponatur animal, calefiet ab illo, ſentietq; calorem per tactũ: imò,& dolorem ex diſtemperie cauſarum, ſed non ſentiet calorem exiſtentem in ſole, in quo nullus eſt:ergo calorem in ſe productum,cum non ſit alter, quem ſentire poſſit, neq; a quo cauſetur ſenſibilis dolor:quare neceſſe eſt fateri, quod calor exiſtens in organo ſentiatur. Et vrgeri poteſt arg.quia febricitantes ſentiunt ardorem febris,cuius calor eſt in ipſomet corpore ſentiente,ergo experientia probatur ſenſorium tactus calorem in ſe exiſtentem ſentire.

Secunda opinio aſſerit *non poſſe organum tactus ſentire qualitatem tangibilem in ſe exiſtentem,ſed ſolam eam quæ eſt in obiecto tangibili externo.*

Hæc eſt communis, & vera ſententia interpretum huius cap. qui omnes tanquam certum præſupponunt tactum non ſentire calorem in ſe exiſtentem, ſed ſolum externum: non per internum, ſed per ſpecies ab eo productas in organo. Et probatur primo quia euidens eſt qualitates tangibiles non actiuas inhærere eidem organo, & euidens quoque experientia docet a nemine ſentiri mollitudinem,vel duritiem proprij organi: ergo neque qualitas actiua organi ſentitur, nec per eam externa obiecti. Probatur conſequentia, quia non eſt minus ſenſibilis per tactum vna,quam altera, nec minus ei præſens,nec minus bene ei vnita: ergo ſi ſenſationem actiuæ qualitatis non impedit,quod organo inhæreat,nec impediet ſenſationem non actiuæ.

64 Probatur ſecundò, quia ſi calorem organi ſentiret tactus: cum ſemper in eo permaneat, imò cum eo cæteras qualitates pri-

primas pertinentes ad temperamentum eiusdem organi, in continua, atque perpetua sensatione tactus essemus circa omnes quatuor primas qualitates, quod patet esse contra experientiam; nemo enim tales sensationes experitur. Et si dicas sentire omnes qualitates temperamenti proprij organi. Sed tales sensationes propter paruitatem, & cõsuetudinem non percipere, aut non discernere, contra hoc est, quod non sunt paruę: cum temperamentum organi mediocrem saltem intensionem omnium qualitatum includat, nempè tres, vel quatuor gradus ex singulis qualitatibus, sensatio verò horum graduum non potest esse imperceptibilis.

65 Ad primum argumentum oppositæ sententiæ concedenda est prima pars antecedẽtis, quod qualitus organi non sit minus sensibilis, quam externa obiecti tangibilis, sed ab eodẽ tactu existente in eo sentiri non potest, propter rationes allatas. Et cum dicitur intimius esse vnitam potentiæ, quã qualitatem externi tangibilis, distinguendũ est; nam in esse naturali verum est, sed in esse intentionali falsum; quo pacto debet vniri, vt sentiatur; nam vnio naturalis per inhęsionẽ, nec est sufficiens ad sensationem: nec iuuat, vt sentiatur obiectum. Imò multis modis impedit, vt probauimus. Quod verò non possit vniri in esse intentionali à posteriori efficaciter probatum est, atque etiam à priori ratione satis congrua.

66 Ad secundum de homine iuxta solem posito concedimus recipere calorem à sole, sed negamus talem calorem sentiri per tactum, nisi forte in vna parte intensior, quam in alia reciperetur; tunc enim calor intensior vnius partis posset sentiri ab alia; in qua esset remissior per speciem intentionalem in ea productam; si verò in omnibus partibus æqualis produceretur calor, nullo modo sentiretur per tactum, nec posset dolorem causare, vt superius probauimus, sed sine dolore posset hominem corrumpere, sicut lignum, vel lapidem. Nec febricitantes sentiunt calorem proprij organi, sed caro, vel neruus in quibus residet tactus, sentiunt ardorem sanguinis, vel inflammationem alterius humoris, vel certè alterius partis, in qua viget febrilis calor.

QVAESTIO VI.

An sensus tactus sit vnus secundum speciem, sicut cæteri sensus, vel multiplex.

67 TActus versatur in primis circa qualitates primas elementorum summè contrarias, nec solum circa vnam primam contrarietatem calidi, & frigidi, sed circa duas primas, nempè humidi etiam, & sicci, & cum vtraque contrarietas sit prima, & sit summa, neutra videtur posse reduci ad alteram, nec possunt sub vna ratione obiecti ua superiori vtramq; comprehendente contineri, sicut contrarietates obiectorum aliorum sensuum. Vnde nec videntur posse ab eadem potentia sensitiua percipi, sed sicut duæ sunt primæ, ac summæ contrarietates primo diuersæ, ita postulare duos sensus tactus specie distinctos, à quibus percipiantur.

68 Discursus iste coegit Aristotelem ca. præsenti distinguere duos sensus tactus secũdum speciem in singulis partibus animalis huius sensus capaces, vnum pro vna prima, ac perfectissima contrarietate caloris, & frigoris, ad quem videtur reduxisse secũdas qualitates tangibiles, quæ maiorem eiusdem contrarietatis participationem habẽt: alterum vero pro contrarietate alia humiditatis, & siccitatis, ad quem videtur etiam reducere alias secundas qualitates, quæ sequuntur temperamentum, in quo altera earum, vel vtraque prædominatur. Et hæc est prima opinio circa vnitatem tactus, quam sequuntur cum Arist. D. Thom. lect. 22 huius libri, vterque Caiet atque Ægidius ca. præsenti ad textum 108. Iand. q. 27. Apollin q. 40 huius lib.

69 Alij verò non solum pro duabus primis contrarietatibus duos tactus multiplicare videntur, sed pro alijs etiam contrarietatibus qualitatum secũdarum tangibilium videntur tactus alios distinguere; ita vt tot sint potentiæ specie distinctæ, quot sunt contrarietates primæ, vel secundæ, circa quas versantur, sic Themistius in suo lib. 2. de anima c. 39. Auicenna verò lib. 6. natur. par. 2.

c. de

c de tactu,& cum eo Alber. Magn. tractatu 3. huius libri præter tactus pro singulis contrarietatibus videtur multiplicare duos alios vnum pro dolore, & pro titillatione alterũ. Comment.2. collectan. c.13. addit alterum pro fame, & siti in stomacho. Cardan. tandem lib.13. de subtilitate, quatuor tactus distinguit; vnum pro quatuor primis qualitatibus: alterum pro grauitate,& leuitate: tertium pro dolore, & voluptate: & quartum pro titillatione. Et omnes istæ opiniones pro eadem numerari possunt tactus multiplicatione, licet quædam plures, aliæ paucio res multiplicent.

70 Et ratio horum omnium eadem est; quia dolor, voluptas, fames, & sitis sunt speciales qualitates perceptibiles per tactum: imò speciales actus eiusdem sensus, quos nõ habet in omnibus partibus corporis, sed in quibusdam determinatis, vt in ventriculo, aut in parte, quæ diuiditur ab alia, vel per alterationem recedit à proprio temperamento; ergo pro his qualitatibus, & actibus non sufficit tactus generalis dispersus per totum corpus, sed speciales, ac distincti multiplicari debent, quia qualitates ipsæ valdè diuersę sunt à cæteris tangibilibus, cum quibus non videntur posse conuenire in vna aliqua ratione communi,& adæquata, & multo minus actus ipsi adeo à cæteris eiusdem sensus diuersi.

71 Secunda opinio est opposita *negans omnino, quod tactus specie distincti multiplicari debeant, sed quemadmodum cæteri quatuor sensus non multiplicantur secundum speciem, sed vnus visus pro cunctis visibilibus ponitur, sicq; de cæteris, ita vnus omnino tactus ponendus est pro omnibus qualitatibus tangibilibus, ac pro contrarietatibus omnibus in eis distinctis, siue sint primarum, vel secundarum qualitatum.* Ita antiquiores interpretes Arist. Alex. Simplic. & Philop. ad textum 108. huius capitis, quos sequitur Fernel lib 5. suæ physiologiæ, ca.7. & omnes recentiores, & in eam inclinat D.Thom.1.p.q.76.art.3. ad 3.& 4. Et videtur mihi probabilior, & tenenda. Probatur ratione insinuata à D. Thom. nam vt ipsemet docet in eodem articulo,& nos superius docuimus,& probauimus agentes de distinctione potentiarum in generali, obiecta distinguunt potentias in quantum diuersis modis eas immutant, ex quo Aristot c. de gustu probauit, quod etiam si gustus esset in omnibus partibus corporis, sicut tactus, nihilominus esset potentia distincta ab eo, quia diuerso modo immutatur à gustabili, ac tactus à tangibili, & omnia illa obiecta quæ habent eundem modum, vel rationem immutandi pertinent ad eandem potentiam, vt omnes colores ad visum, sed omnes qualitates tangibiles cuiuscunq; sint contrarietatis, habent eundem modum, & rationem immutandi tactum: ergo pertinent ad eandem potentiam tactiuam: quare non possunt multiplicari plures tactus.

72 Minorem probo, quia modus immutandi tactum, vt D. Thom. asserit in eodem articulo est quod qualitas tangibilis per contactum naturalem contingat organum, & medio contactu producit in eo speciem intentionalem se repræsentantem, per quam ei vniatur, sed vtraque contrarietas primarum qualitatum, & omnes etiam secundæ immutant hoc modo tactum, vt in præcedentibus ostendimus, etiam ex mente Arist. ergo conueniunt in eadem ratione formali immutandi: quare eundem tactum secũdum speciem constituunt. Huc accedit nullam rationem vrgere nos ad multiplicandas plures potentias tactiuas: vt patebit ex solutione argumen. ergo non sunt vllo modo multiplicandæ.

73 Sed ad argumen. Aristotelis neganda est maior: quod vnus sensus sit vnius contrarietatis, sed circa tot potest versari, quot in vna, eademque ratione immutatiua conuenire possunt, & cum vtraq; contrarietas primarum qualitatum,& omnes secundæ conueniant in eadem ratione, & modo immutandi tactum (vt probauimus) ad vnum tactum pertinere debent, nec pro diuersis multiplicandi sunt plures, quia contrarietates ad obiectum materiale tactus pertinent, non ad formale, & ideo plures non sunt causa sufficiens distinguendi plures tactus secundum speciem, sicut nec in alijs sensibus pro sufficientibus habentur. Quod verò sint primæ contrarietates, vel summæ ratio est etiã materialis, & propterea insufficiens ad distinguendum potentias specie.

74 Argumentum verò commune, quo vtuntur cæteri opinantes, duo opponit; primum de dolore, & voluptate, quæ cum sint opposita ad eandem potentiam pertinere debent. Quod ergo de dolore dicitur, secundum proportionem accipiendum est de voluptate-

luptate. Circa dolorem igitur plura hac in parte congerunt interpretes Aristotelis, & diuersis modis eũ ad tactum pertinere aiunt, nescio an omnes veræ Philosophiæ naturali, & morali consentanei sint. Eis verò relictis D. Thomam sequor 1.2. q.35. art.1. vbi de passionibus appetitus differens, egregiè rationem doloris explicat, ad quem tria cõcurrunt. Primum est diuisio, aut solutio continui, hoc est alicuius partis animalis, vel distemperies eiusdem partis.

75 Nam licet variæ sint sententiæ inter Philosophos, & medicos, an sola diuisio, aut solutio continui sit causa doloris, vel etiam distemperies alicuius partis sine diuisione, ita vt quælibet harum per se, & indepédenter ab alia sufficiens sit, & quasi in solidum dolorem causet, vel diuisio continui sit sola, & vnica causa, ita vt sine illa nullus dolor causari possit. Longè tamen probabilius est vtramque in solidum sine alia esse sufficientem causam doloris. Vt Galen. docuit 12. methο. ca.7. hic verbis: *Naturalis notitia nos docet, vitium corporis, ex quo fit doliturum, aut continuitatis solutionem oportere, aut alterationem aliquam.* Vnum igitur, vel aliud est, quod primo includit dolor.

76 Secundò est cognitio sensitiua eius sine qua citra dubium est nullum posse dolorem causari, alioqui in corporibus inanimatis daretur dolor: cum detur solutio cõtinui, vel alteratio, seu distemperies. Vltimum est actus appetitus, qui solutionem cõtinui, vel distemperiem, vt disconuenientem, aut nociuam naturæ animalis refugit, sicut in delectatione appetit aliquid tanquam conueniens eidem naturæ sensitiuæ Et quia sensus externi nihil apprehendunt, vel cognoscũt tanquàm conueniens, vel nociuum, sed ad internum sensum id pertinet, vt ad æstimatiuam, vel alterum, propterea duplex cognitio sensitiua externa, & interna necessariò debet ad dolorem concurrere; prior quidé sensus tactus, per quam simpliciter apprehéditur obiectum tangibile, vt tangibile est; posterior interni sensus, per quam iudicatur, vt disconueniens, & vt tale appetitui proponitur, & ideo vt refugiendum.

77 Ex his igitur tribus, primum quasi materiale est in dolore: nempè solutio continui, vel distemperies. Secundum ex parte sensationis tactus materiale est etiam, sed iam ad formale accedit ex parte cognitionis sensitiuæ internæ, per quam proponitur appetitui obiectum materiale, sed sub ratione disconuenientis, & ideo quasi conditio formalis est doloris: in actu verò appetitus, qui quasi nolitio talis obiecti disconuenientis est, formalis ratio doloris consistit (ait Diu. Thom.) Et omnia hæc quasi opposito modo concurrunt ad delectationem, quę etiam consistit formaliter in actu appetitus, qui vocatur prosecutio obiecti sensibilis sub ratione boni, & conuenientis naturæ sensitiuæ propositi eidem appetitui, & simpliciter apprehensi per sensationem tactus.

78 Ex quibus ad argumentum negandum est, dolorem formaliter esse sensationem tactus, sed hanc solum ad illum concurrere, tanquam conditionem quasi materialem, nec nouam, aut distinctam esse, sed eiusdem rationis, & obiecti: cum versetur circa primas, vel secundas qualitates eodem modo immutantes. Vnde sequitur propter dolorem non esse tactum multiplicandum; & pari ratione de delectatione, & titillatione sentiendum est, in quibus sicut in dolore nihil distinctum à sensatione qualitatum tangibilium vt talium includitur. Quare nec pro eis distinctus tactus multiplicari debet.

79 Ad aliud argumentum à nobis additum in fauorem harum opinionum negandum in primis est de dolore, quod in determinata parte corporis causetur, & non in omnibus, nullam enim rationem video, ob quam solutio continui, aut distemperies in quibuscunque partibus corporis sensus capacibus causari non possit, & ex consequenti dolor, sed de voluptate aliqua, ac titillatione id non nego; sed negandum omnino censeo, quod propterea debeat tactus multiplicari pro eisdem actibus, quia sensatio tactus in eis reperta eandem rationem formalem habet ex eadem ratione immutandi, obiecti desumpta

80 Ratio verò propter quam in determinata tantum parte corporis fiunt, est, quia in ea cum primis magis viget sensus tactus. Deinde quia in eadem plures arteriarum concurrunt fines, multa etiam spirituum atque materiæ prurientis copia, quæ non concurrunt in cœteris partibus, & propterea tales actus in eis potius exercentur, qui quidem formaliter ad appetitum pertinent, vt de dolore diximus, ad tactum verò solum

in

in quantum qualitates tangibiles, vel motus includunt, quæ obiecta eius propria, vel communia sunt, & sub eadem ratione formali tactum immutant, ac in cæteris partibus corporis; quare non multiplicant tactus.

De gustu verò iam diximus non distingui à tactu, quia in determinata tantum parte corporis exercetur, sed quia diuerso modo immutatur à gustabili, ac tactus à tangibili superius à nobis explicata, & inferius magis explicanda: Ita etiam dicendum est de voluptate.

Et hæc eadem doctrina applicari debet ad famem, & sitim, ad quas materialiter tantum concurrit sensatio tactus circa primas qualitates tangibiles exercita, & per actus eiusdem speciei cum cæteris qui circa eas versantur; quare pro his non debet multiplicari tactus Nec ad nos pertinet agere de fame, & siti, sed medicis relinquenda est explicatio earum.

CAPVT XII.

TEXTVS ARIST.

Oportet autem vniuersaliter de omni sensu accipere, &c.

Breuis expositio Textus.

81 POstquam Aristoteles naturas, & rationes omnium quinque sensuum externorum explicuit, communia quædam omnibus tradit cap. præsenti, & hoc est intentum eius; diuiditur verò in tres partes, in quarum prima duo asserit habere communia, eaque exponit.

Secundò ex eorum expositione duo problemata soluit. Et in 3. dubium quoddam proponit ac diluit. Duo igitur asserit esse communia omnibus quinque externis sensibus.

Primum quod suscipiunt formas sine materia, vt visus colorem sine subiecto, in quo est, vt sine pariete. Sicut (inquit) cera suscipit figuram sigilli, non solum sine materia, id est, sine ferro, & auro, in quo est, sed etiam sine materialitate illa quam habet figura eius in auro, & ferro: nam hac etiam caret in cera, in qua solum habet figuram repræsentantem, sine illa materialitate artificiali, quam habet in auro, vel ferro. Et propterea dicuntur sensus receptiui formarum sine materia, hoc est specierum, aut similitudinem earundem qualitatum sensibilium sine subiecto, ac sine modo illo essendi naturali, & materiali, quem habent qualitates ipsæ naturales in suis subiectis. Et iste est sensus huius loci, vt benè adnotauit Diuus Thom. ita vt sine illo non possit intelligi.

82 Secundum quod omnibus conuenit est, quod in subiectis materialibus recipiantur, quæ subiecta eorum sensoria vocantur, aut organa, quæ tamen duplicia sunt; quædam quidem quasi communia, aut mediata vocari possunt, alia particularia, ac proxima, quæ vocantur prima sensoria: gratia exempli; pars illa heterogenea, per quam potentia visiua exercet actum videndi, nempè oculus, est quasi commune, & mediatum sensorium eius, sed proprium, atque immediatum est pars illa eiusdem oculi, in qua proximè residet potentia, nempe pupilla, cuius ratione dicitur esse in oculo. Et hoc sensorium primum, inquit Aristoteles 2. libro de partibus animal. cap, 2. semper est pars similaris, & homogenea, vt pupilla, neruus, miringua, &c. quamuis sensorium secundarium in quo cōtinetur heterogeneum sit. Potentiam autem, & sensorium ait esse idem subiecto, sed distingui ex natura rei. Esse autem idem subiecto non sic intelligit, vt vtrumque inhæreat in quodam tertio tanquam in subiecto, sicut albedo, & dulcedo in eodem lacte; sed ita vt vnum sit in altero tanquam in subiecto; nempè potentia in organo: nam hoc substantia, illa accidens eius est.

83 Ex his soluit in secunda parte capitis duo problemata, Primum est, quare vehementia sensibilia, vt intensissima lux lædit visum Et respondet, quia sensorium consistit in certo quodam temperamento. & quasi harmonia primarum, ac secundarum qualitatum ad certum gradum intensionis attemperatarum: hæc autem temperies, & harmonia turbatur, & alteratur per vehementem, atq; insolitam commotionē sensibilis, & ex

& ex hac eius turbatione, & alteratione læditur potentia, & aliquando extinguitur, quia maximè dependet ab eo tanquam à subiecto proprio, ac naturali in esse, & conseruari.

84 Secundum problema est, quare plantæ non sentiant: cum animam habeant, & patiantur à sensibilibus qualitatibus: nam calefiunt, & infrigidantur. Et respondet, quia carent his sensorijs prædicto modo attemperatis, necessario requisitis pro subiectis proprijs ac proportionatis earumdem potentiarum. Occasione huius solutionis proponit dubium in vltima parte, an sicut plantæ (etiam si non sentiant) patiuntur à qualitatibus eas recipientes, sic aliæ res non sentientes pati possint ab obiectis aliorum sensuum, vt à colore, sono, & alijs, & quod pati possint, probat 1. quia ab obiectis potentiarum sensitiuarum solum possunt immutari potentiæ eædem, quia relatiua sunt potentia, & obiectum: cum ergo potentijs careāt, pati aut immutari ab obiectis earum non possunt. Secundo quia anima sensitiua carent, & ideo sensitiua non sunt; quare à sensibilibus, vt talibus pati nequeunt. Et tādem experientia, quia videmus non producere hæc obiecta in eisdem rebus sibi similes effectus, vt albedo non producit aliam albedinem in ligno.

85 Respondet dubio proposito, obiecta prædictorum sensuum non agere in quæcum que corpora insensibilia, sed ferè semper in solidis diaphanis, & in his non producere permanentes effectus, sed cito transeuntes, & se habentes tanquam viam ad sensationes, non enim mouent aerem, vel aquam, neque aliquid in eis producunt, nisi per modum viæ, hoc est, vt eo tanquam medio immutent potentiam ad sui sensationem, patiuntur ergo ab eis corpora diaphana, & tamen non sentiunt: sed vt media ad sensationem.

Ex quo inferre possumus euidens esse, quod sensatio non consistat in sola passione, & receptione ab obiecto: sed præcipuè in actione vitali, quamuis passio ab obiecto omninò necessario præsupponatur, & hæc est sententia totius capitis.

QVAESTIO VNICA.

Quomodo sensus lædatur ab excellenti sensibili.

86 PRæsupponit titulus quæstionis tanquā certum, quod sensus lædatur à vehemente sensibili, vt Arist. & omnes eius interpretes docent, & euidens experientia confirmat: nam experimur lucem solis oculos ex directo inspicientes offuscare, & si in tali visione perseuerent, lædere. Sed circa modum, quo sensus læditur, non est leuis difficultas. In primis enim nihil læditur, vel corrumpitur, nisi à contrario, vt docet expressè idem Aristoteles in libro de longitudine, & breuitate vitæ cap. 1. sed sensus carent contrario: ergo minimè lædi, vel corrumpi possunt. Secundò quia potentia sumit speciem ab obiecto, & consequenter essentialem perfectionem, ergo nata est ab eo perfici.

87 Vnde sequitur, quo perfectius, aut excellentius est obiectum, magis perficere potentiam. Et ex hoc nullo modo eam lædere, aut destruere posse. Et tandem quia obiectū mouet potentiam per species intentionales: sed de speciebus euidens est non posse lædere sensum, in quo recipiuntur, sed potius perficere, & quo intensiores, aut excellentiores fuerint, magis perficere: cum sint accidētia intentionalia, & naturales similitudines eius, nec vllam possint habere naturalem actionem per quam solum potest lædi, vel corrumpi vnum corpus ab altero: ergo excellens sensibile non potest lædere, vel destruere sensum.

88 Prius quam diuersas autorum sententias circa hanc rem proponamus, distinguere oportet duplicem modum excogitabilem, quo sensus possit lædi, vel destrui ab excellenti sensibili.

Prior est per se, in quantum sensibile est, sensumque immutat per species intentionales, ita vt perfectiorem, aut intensiorē speciē in eo producat quā natura eius postulet: nam certum est, requiri proportionem inter potentiam, & speciem, quæ virtus eiusdem obiecti est. Secundus modus lædendi potentiā

exco-

excogitari potest in obiecto, non per se, vel quatenus obiectum est talis potentiæ, eamq; immutat, sed per accidens ratione alicuius adiuncti, vt in luce possumus considerare, quod quatenus visibilis est, non possit visum lædere, sed perficere, at qua ratione est causatiua caloris, possit organum lædere naturalem eius temperiem alterando, & consequenter potentiam à temperie naturali eius maximè dependenti.

89 Qua distinctione præsupposita, prima opinio affirmat sensum lædi, aut corrumpi posse ab excellenti sensibili per se, & formaliter vt sensibili, quia species intentionales adeo excellentes, aut intensas, eidemque sensui improportionatas potest in eo producere, à quibus offendatur, lædatur, aut etiam corrumpatur, vt patet de intensissima luce, vel albedine comparata cum aliqua potentia visiua infirmiori, ac debiliori, quæ ab speciebus perfectissimis, atque intensissimis ab ea productis non potest non offendi, vel lædi. Ita Caietan. 3. libro de anima ad textum 123 & 124. & Toletus q. 4. probat Toletus testimonio Aristotelis sect. 32. problem. quæst 44. vbi ait viridem colorem confortare ac delectare visum; quod patet non præstare, nisi per speciem intentionalem: cum non agat in eum producendo alterum colorem sibi similem.

Probat deinde ratione 1. quia albedo disgregat visum, & nigredo congregat, & isti sunt effectus reales lædentes, aut confortantes potentias, quos patet non efficere, nisi per species intentionales, quæ cum sint accidentia realia, poterunt eos producere in potentias; quare obiectum per se, & sub ratione obiecti lædit potentiam, quia species est virtus obiecti, quam sibi substituit ad immutandam potentiam in eamque agēdum: sed excellens obiectum propter naturalem improportionem, quam habet cum potentia infirmiori, non potest eam non offendere: ergo eodem modo offendetur, ac lædetur à virtute eius, quæ est species: nam eundem effectum producit agens per se, & per suam virtutem.

90 Secunda opinio tria asserit. Primum est *obiecta sensuum per se sumpta, id est, vt obiecta sensuum sunt, non possunt vllo modo lædere sensus, neque organa eorum*. Secundum, *obiecta quidem sub ratione agentium naturalium, per naturales qualitates lædere possunt sensus, & aliquando eos destruere*. Tertium, *sensus non possunt per se, & immediatè lædi, vel destrui ab obiectis, etiam vt agentibus naturalibus consideratis: sed solum per accidens, & quasi mediatè, & indirectè ex læsione organi, a quo tanquam à subiecto dependent in esse, & conseruari*. Hæc sententia communis est omnium interpretum huius loci, præter Caietan. & Tolet. & nobis videtur longè probabilior. Sed prius declaranda sunt tria hæc, deinde sigillatim probanda.

91 Pro declaratione igitur adnotare oportet duo habere obiectum cuiuscunque sensus; primum est esse immutatiuum sensus iuxta modum eius, & quia sensus omnes apti sunt immutari ab obiectis modo intentionali per species, hinc est quod obiecta sensuum sub ratione præcisa obiectorum non sunt agentia naturalia, à quibus naturales effectus procedant, sed intentionalia: nam potentia solùm respiciunt, vt cognoscibilia ab eis, esse autem cognoscibile est esse intentionale, quia cognitio, intentio, vel attentio propriè vocatur. Habent præterea aliud, nempè agere per qualitates naturales sicut cœtera agentia naturalia, atque effectus naturales producere per se, vel aliquo alio modo, vt lux præter esse obiectiuum, quod habet, & immutare visum modo intentionali potest, habet etiam producere calorem, quem sua virtute, aut eminentia continet, vnde & aerem, & sensorium visus calefacere potest.

92 Et ratione primi asseruimus non posse sensus lædere, posse tamen ratione secundi, non quidem directè, & per se agendo in potentiam: sed indirectè, & quasi per accidens, agendo quidem per se immediatè in organum, à quo tanquam à proprio subiecto dependet potentia, & quo læso dicitur ipsa lædi.

Nunc verò probanda sunt tria illa testimonio Aristotelis, qui capite præsenti textu 123. non dixit excellentia sensibilia lædere, vel corrūpere sensum: sed sensorium; quia suo motu fortiori, aut intensiori lædūt, vel corrumpunt naturale temperamentum eius, ratione cuius conueniens subiectum erat sensitiuæ potentiæ; & ideo eo corrupto corrumpitur potentia, quæ cum sit accidens, non potest destructo subiecto conseruari. Ex quo efficaciter colligo tria à nobis asserta: Primum quidem, quia temperamentum orga-

organi constat qualitatibus naturalibus, quod ideo corrumpitur, vel læditur, quia per intensiorem alterationem plus iusto intenditur aliqua qualitas, cuius intensio dissoluit temperiem innatam, vt patet de intensione caloris nimia, ratione cuius propor tio aliarum qualitatum naturaliter requisita tollitur.

94 Sed constat actionem hanc alterantem naturaliter organum non procedere ab obiecto sub ratione obiecti; quia non est intentionalis: sed naturalis; ergo nec obiectum sub ratione obiecti lædit, vel corrumpit organum ex mente Aristotelis; sed vt agens naturale, quod est secundum assertum nostrum.

Nec etiam alteratio hæc directè, & per se versatur circa potentiam: sed circa sensorium, & ideo hoc est, quod per se immediatè læditur, vel corrumpitur; potentia igitur non per se immediatè: sed quasi per accidēs ratione subiecti: nam corruptio accidentis ad corruptionem subiecti per accidens vocatur, non per se. Et hoc est tertium assertum nostrum in eisdem verbis Aristotelis planè contentum.

Sed probatur iam primum assertum duplici ratione: prima, quia species intentionalis quantumlibet intensa, aut perfecta habet esse diminutum, & longè imperfectius esse naturali: ergo non potest producere effectum naturalem in organo, quia res inferioris ordinis non potest sua virtute producere effectum ordinis superioris: sed temperies organi non læditur, neque destruitur, nisi per alterationem naturalem, cum constet qualitatibus naturalibus ad mediocritatem redactis, & non intentionalibus: ergo nec ab intentionali, neque ab obiecto sub ratione obiectiua, atque intentionali, lædi, vel corrumpi potest.

95 Secundò, cognitio quæcunque est perfectio potentiæ, & quo intensior, vel perfectior, magis eam perficit: sed species nihil aliud habet, quàm esse comprincipium cum eadem potentia, & quo perfectior est, nata est esse comprincipium perfectius: ergo repugnat lædere, vel destruere potentiam, etiam si sit intensissima, & his efficaciter etiam probatum est secundum assertum nostrum, nempè obiecta sensuum non vt obiecta, sed vt agentia naturalia lædere ac destruere sensum, quia solum, vt naturalia agentia, & non vt intentionalia possunt alterare sensum alteratione naturali, vt lux non in quantum visibilis: sed ex perfectione qualitatis naturalis, per quam continet virtute colorem, & eum potest producere in oculo, potest visum lædere.

96 Probatur tandem vltimum assertum, quod adhuc ab obiectis, vt naturalibus agentibus non possit per se immediatè, aut directè lædi, vel destrui potentia ipsa: sed solum per accidens, & quasi remotè, quia nullum accidēs læditur per se immediatè nisi à contrario: sed potentia vitalis qualis est sensus omnis, caret omnino contrario, vt per se patet: ergo nō potest lædi, vel destrui per se immediatè ab obiecto, etiam secundum esse naturale sumpto: sed solum per accidens, læso, vel destructo per se immediatè organo tanquam subiecto eius.

97 Ad testimonium Aristotelis pro opposita sententia concedimus viridem colorem oblectare visum; sed negamus talem oblectationem causare per species intentionales: sed ratione alicuius qualitatis naturalis, nempè frigiditatis, vel humiditatis ab eodem viridi emissæ simul cum specie, quæ cum sit temperamento oculorum consentanea, potentiam visiuam oblectare dicitur.

Ad primum argumentum concedenda est maior quod albedo intensa visum disgreget, eumque offendat, ac lædat: sed neganda est minor, quod hunc effectum efficiat per species intentionales: sed potius ex eo, quod propter maximam participationem lucis, quam habet albedo, maior fit reflexio lucis in corpore nimis albo, quàm alio colore affecto, & à luce vehementius reflexa, & nimis intensa in medio per eandem reflexionem nimium colorem in oculo producente disgregatur, ac dissoluitur temperamentum oculi, læditurque potentia.

98 Quod verò in eodem argumento dicitur species esse accidentia realia, concedimus, & cum ex eo colligitur perfectiores producere effectus reales in organo: distinguendum putamus; nam reales naturales non possunt, cum habeant inferiorem modum essendi respectu eorum: sed benè reales intentionales, & cum non lædatur potentia ab intentionalibus: sed potius perficiatur, à solis verò naturalibus lædi possit (vt probauimus) fit vt non pos-

possit per species intentionales lædi ab obiectis.

99 Ad secundum distinguenda est maior, quòd species sit virtus obiecti, est enim virtus intentionalis; ideo potest quidem per eam effectus intentionales operari, nullum tamen naturalem, & cùm non possit lædi, vel destrui sensorium, nisi per effectum naturalem, ratione cuius dissoluatur naturale temperamentum eius, hinc est, quod non possit lædi, vel destrui ab excellenti obiecto. An verò lædi sit aliquid entitatis eius destrui, vel infirmam reddi. Respondeo, quod potentia corrumpitur per accidens ad corruptionem organi, quia ad de[illegible]onem eius desinit esse tota eius entitas, sicut cætera accidentia ad corruptionem subiectorum.

100 Lædi verò, non esse aliquid entitatis eius corrumpi: sed solum est, quòd cum integra permaneat secundum totam entitatem læso organo impeditur à propria operatione; ita vt vel non possit eam exercere, vel ægrè, aut cum difficultate, ac modo imperfecto. Et hæc de hoc secundo libro breuiter adnotasse sufficiat.



COM-

COMMENTARIORVM IN TERTIVM LIBRVM

Aristotelis Stagiritæ Philosophorum Principis de Anima.

Breue Proœmium.

1 Vius tertij libri initium non omnes eodem modo desumunt: sed Arabes à quarto capite; in quo Aristoteles incipit agere de intellectu, putantes tria priora, in quibus doctrinam de potentijs sensitiuis perficit ad librum secundum pertinere: quorum partitionem sequuntur Comm. Albert. Magn. Aegidius, & Caietan. Græca verò exemplaria (quæ maioris sunt authoritatis) à capite ipso, in quo de numero exteriorum sensuum differit Aristoteles, inchoari volunt, & hanc distributionem sequuntur Boetius, & Argiropilus in suis translationibus. Et omnes ferè antiquiores interpretes Aristotelis hoc loco, Simplicius, Philoponus, Themistius, D. Thom. Theophilus & plures alij, quam vt maioris authoritatis amplectimur. Et ideo capite hoc initium præbet nostris Commentarijs in tertium librum. Quem in quatuor partes diuidere placet. In prima quæ velut præambulum est eiusdem libri, agit Aristoteles de numero externorum sensuum Quorum naturam, & rationem sigillatim explicuit in secundo libro deinde exponit sensus internos (vtrumque enim horum præambulum est apprimè necessarium ad explicandam naturam intellectus, & operationis eius) quod præstat in tertia parte. Et tandem agit de principio motus animalium.

CAPVT I.

TEXTVS ARIST.

Quod autem non sit sensus alius præter quinque.

Breuis expositio Textus.

INtentum huius primi capitis est, tradere numerum externorum sensuum. Diuiditur autem in duas partes in priori probat quinque tantum esse externos sensus: in posteriori verò dubium quoddam proponit, & soluit. Probat igitur externos sensus non esse plures, quàm quinque, triplici ratione: sed ad formandam primam prolixam satis, oportebit ordinem Aristo. aliquantulum inuertere. Et ita hoc discursu comprehendi debet: Si alius sensus præter quinque enumeratos daretur, vel esset eiusdem speciei cum eis, vel cum aliquo eorum, aut diuersæ: sed nec eiusdem, nec diuersæ; ergo non dabitur alius, neque huic numero alter deerit.

2 Probatur minor quantum ad primam partem, quod non desit aliquis alius sensus eiusdem rationis cum his, quia si talis deesset; ideo foret, quia quilibet eorum non perciperet omnia sensibilia contenta sub proprio obiecto, pro quibus percipiendis oporteret ponere sensum alium eiusdem speciei; sed quilibet horum quinque sensuum percipere potest sensibilia omnia eiusdem rationis formalis obiectiuæ; ergo non est necessarium multiplicari alterum. Probat hanc minorem inductione discurrente per omnes sensus: nam visus visibilia omnia percipit, nempe lucem & omnes colores; & pariter cæteri sensus.

Secundam verò partem eiusdem minoris, quod non deficiat alter sensus diuersæ speciei ab his, probat hoc modo, Si daretur sensus alter diuersæ speciei ab his quinque; ergo daretur aliud sensorium etiam specie distinctum à sensorijs horum sensuum; daretur etiam medium diuersum specie, per quod sensus ipse propria sensibilia perciperet: sed non datur mediũ specie distinctum: ergo neque aliud sensorium, neque alius sensus.

Maiorem huius vltimi syllogismi probat ex necessaria proportione inter mediũ, & sensorium in eo posita, quod medium debet habere rationem aliquam similem, vel cognatam sensorio, & omnia obiecta, quæ possunt in medio recipi sub tali ratione conuenientiæ, possunt quoque percipi per tale sensorium, & à tali sensu in eo existente. Minorem verò, quod non detur aliud medium præter media horum quinque sensuum, probat; quia vel esset intrinsecum, vel extrinsecum, & de intrinseco, euidens est dari non posse, quia medium intrinsecum solum possunt habere gustus, & tactus, & quæcunque sentiri possunt per medium internum, non possunt alijs sensibus præter gustum, & tactum sentiri; quare nec alia media interna, nec alia sensoria eis correspondentia, nec alij sensus operantes per medium internum excogitari possunt, præter gustum, & tactum, qui modo sunt, de quibus certum est tangibilia omnia, & gustabilia percipere.

4 Quod verò non detur aliud medium extrinsecum, præter aerem, & aquam, probat, quia media deseruiunt ad deferenda obiecta, vel species eorum: sed aer, & aqua non possunt deseruire nisi ad deferẽda obiecta, vel species horum trium sensuum, videlicet visus, auditus, & olfactus; & obiecta omnia quæ per hæc deferri possunt, percipiuntur ab eisdem tribus sensibus, quia cum eis tantum possunt habere cognationem, seu proportionẽ requisitam inter medium, sensorium & sensum: ergo non datur aliud medium.

Probatur minor, quia medium, & organum eandem quoque proportionem, & similitudinem habent, vt qualitas medij proportionati cum organo prædominari debeat in temperamento naturali eiusdem organi, sed quatuor tantum sunt elemẽta, quæ media extrinseca esse possunt, ex quibus solus aer, & aqua possunt prædominari in sensorijs, quia valdè accommodata sunt propter humiditatem ad recipiẽdum; ignis verò ob maximam actiuitatem prædominari non potest, nam potius desiccabit omnia, quæ per eum trajcienda sunt.

5 Terra verò ob densitatem simul cum summa

summa ficcitate inepta est etiam ad recipié dum,& ideo non potest prędominari in sen sorijs, nisi forte in tactu, de quo modo non agimus,cum medio externo careat:ergo sequitur non posse dari alia media externa, prætet aerem,& aquam, & ex consequenti, nec alia sensoria præter ea, in quibus residēt prædicti tres sensus,nempè visus,auditus,& olfactus,à quibus sentiri possunt omnia sensibilia per aquam, & aerem deferenda, & ideo, nec plures, quàm quinque isti sensus ab omnibus positi. Et hanc rationem confir mat,quia perfectis animalibus, hoc est,non orbatis debiti sunt omnes sensus; sed plura sunt perfecta animalia in quibus non dantur, nisi quinque sensus numerati: ergo non sunt plures.

Secunda ratio ad idem probandum, est, quia si daretur alius sensus, maximè ad percipienda communia sensibilia(nam pro sen sibilibus proprijs probatū est dari non posse) sed nec datur pro his,quia omne sensibi le commune sentitur per se à multis sensib. ergo nullum sensibile commune potest esse proprium alicuius sensus, repugnat igitur dari pro solis sensibilibus communibus particularis sensus, quo percipiantur. Probat tandem,quia si communia sensibilia ab vno alio sensu distincto ab his per se sentirentur: ergo ab aliquo ex his sentirentur per accidens, vt à visu, ex eo solum, quod coniunguntur in eodem subiecto cum albedine, quamuis nullo modo visum moueant, sed sensibilia communia non sentiuntur per accidens vllo ex his modis ab aliquo ex quinque sensibus: cum eos per se immutent, quia sunt sensibilia per se: ergo non potest pro eis dari distinctus sensus.

8 In postrema tandem parte capitis pro ponit dubium, quanam de causa producti sint à natura plures sensus externi, & non vnus tantum pro omnibus sensibilibus. Et respondet, quia si vnus tantum sensus daretur pro omnibus, confunderentur sensibilia communia cum proprijs, omnia enim ad vnum sensum pertinerent,& nullum ad plu res, & omnia promiscuè perciperentur ab vno illo sensu, quare ex hac parte non possent distingui.

QVAESTIO I.

An probari possit euidenti ratione quinque tantum esse sensus externos.

9 NOn quærit titulus quæstionis,an tantum sint quinque sensus, vt quæsiuit Aristoteles capite præsenti: sed hunc numerum eorum præsupponit ex communi sententia Philosophorum omnium, Scholasticorum, & Sanctorum Patrum; ita vt nemo sit,qui vllum addat,vel detrahat ab eo, quē Philosophi cum primis Aristotele antiquiores posuerunt, vt testatur autor operis de secretiore sapientia secundum Ægyptios, & docet Plato in Theæteto. Arist ot. cap. præsenti, & cum eo vniuersi inter pretes, tam recentiores, quam antiqui, Scholastici cum D.Thom.1.par.quæst.78.artic.3. & denique Sancti Patres. Ambros.in ca. 18. Apocal.August.lib.2.de gen.ad literam ,cap.5. & libro de quantitate animæ capit. 23. Hieron. in Psalm. 141. Gregor. Homil. 17. in Ezech. D.Damasc.2.lib.fidei c.18. D.Greg Nissen. oratio.6.in Cant.& plures alij,cum reliquis sacri textus expositoribus super parabolam Euangelicam, de quinque talentis,quæ habetur Matthæi 28. hoc igitur numero præsupposito quærimus, an detur ratio,non solum probabilis, sed euidens qua probetur, non dari plures,quàm quinque.

Omissis verò alijs rationibus, quæ afferuntur ad probandum non dari plures sensus externos,quam quinque, paucis referam eas,quas Aristoteles & D.Thom. afferunt,& Aristoteles quidem id probauit in textu, vt vidimus ex organorum numero, quæ tantum sunt quinque & non plura, quia non sunt plura media, præter illa, quæ aliquam habent cognationem, & similitudinem, aut proportionem cum eiusdem quinque organis.

11 Sed D.Thom.1.par.quæst.78. art.3. discursu alio longè diuerso id ostendit ex diuersis modis, quibus sensitiuæ potentiæ immutantur ab obiectis; nam ex hoc vidimus, & probauimus superius distingui spe-

ciæ potentias: & cum modi illi sint quinque nec alter præter eos reperiatur, concludit D. Thomas, quinque tantum esse sensus externos, & non plures.

Vtrumque autem discursum ab Aristotele, & Diu. Thom. traditum demonstratiuum nonnulli reputant, & ideo euidenter probare, quod non dentur plures sensus præter hos quinque.

12 Ego verò tria in hac re assero. Primum est non esse impossibiles plures alios sensus præter hos quinque, sed fieri posse à Deo. Probatur primo, quia non conuincitur implicare contradictionem produci à Deo alias qualitates valdè diuersæ naturę ab his, & ideo habentes diuersum modum immutandi sensum sub his quinque non comprehensum: ergo nec repugnabit plures sensus præter hos quinque dari. Secundò, quia non videtur repugnare, quòd producantur sensus alij a quibus percipiantur occultæ quædam qualitates corporeæ, vt virtus magnetis. Virtus etiam illius piscis detinentis nauim, virtus piperis, & vini, aliorumque mixtorum corporum, quas sentiri posse non repugnat: cum sint corporeæ, & constat non sentiri per hos quinque sensus.

13 Præterea non repugnat dari alia corpora præter aerem, & aquam, immo valdè ab eis diuersa, quæ possint esse media externa aliorum sensuum; quare dari etiam poterunt alia sensoria valdè diuersa ab his, cum quibus longè diuersam similitudinem, & proportionem habeant ab ea, quam habent media hæc aeris, & aquæ cum his sensorijs: ex quib. si aliquid valet discursus Aristotelicus, benè probatur dari posse alios sensus præter hos quinque.

Secundum assertum nostrum est, eosdem discursus, quibus vtuntur Aristoteles, & D. Thom. (verò similiores, absque dubio cæteris omnibus ab alijs excogitatis) non esse demonstrationes, sed solum argumenta probabilia, nec dubito quin solum, vt probabiles ab eis afferantur.

14 Probatur hoc, quia quædam videntur præsupponere incerta, & alia assumere non probata. Nam discursus Aristotelis supponit in primis organa esse necessario multiplicanda pro multiplicatione sensuum, quod constat esse incertum, & fortè falsum apud ipsum; nam capite de tactu docuit expresè, quod etiam si gustus dispersus foret per omnes partes corporis, in quibus reperitur tactus: adhuc esset sensus distinctus ab eo, ex quo euidenter colligitur non esse necessario multiplicanda organa pro multiplicatione sensuum. cum non sequatur distinctos non fore eos qui idem habent organum; infirmus igitur est ex hac parte discursus Aristotelicus. Assumit præterea aliam propositionem, nec per se euidentem, nec per se probabilem, nec a se probatam, videlicet media externa aeris, & aquæ non habere cognationem, aut proportionem, nisi cum tribus sensibus, visu, auditu, & olfactu, & ideo non deseruire alijs quod patet incertum esse, & à nemine exploratum.

15 Et tandem assumit alteram magis incertam, nempè non dari plura sensoria, quia aer, & aqua non possunt prædominari, nisi in his sensorijs, hanc vero incertam voco, quia præsupponit tanquam necessarium prædominari debere humiditatem in sensorijs, eo quod sit qualitas ad recipiendum accommodatissima.

16 Quod in primis ostendo falsum apud eundem Aristotelem, qui in ca. de gustu docuit saporem præsupponere temperamentum, in quo siccum comprehendat humidum: vnde colligo, quod si organum tanquã subiectum proprium sensus debet obiecto eiusdem sensus proportionari, necessarium esse simile temperamentum habere, in quo siccum comprehendat humidum, eique prædominetur. Præterea non videtur ab Aristotele probatum, quod humiditas debeat prædominari in quocumque organo, sed satis erit in gradu æquali reperiri cum alijs, vt sit organum accommodatum ad recipiẽdum, quod patet in tactu præsupponente in formari hac perfectione aliquando organum temperatum ad pondus, quod non probatur dari posse in quibusdam alijs sensibus.

17 Discursus etiam D. Thom. (licet probabilior mihi videatur Aristotelico) quædam tamen continet incerta, & non probata, quale est illud, videlicet sub modo immutandi potentiam intentionaliter tantum nõ dari, nisi sensum visus: quæ est enim ratio propter quam non detur alter, vel plures, qui solo modo intentionali immutentur, sicut dantur plures, qui immutantur modis naturalibus diuersis apud Diuum Thomam,

nempè

nempè gustum,& tactum. Supponitur præterea sub modo immutationis naturalis ex parte obiecti necessaria non dari nisi auditum, & potest quispiam dicere, quod detur alter sensus ab eo diuersus postulans immutationem naturalem ex parte obiecti, longè alio diuerso modo, ac postulat auditus,& ita constituet alium sensum diuersum ab auditu.

18 Assero randem *alia via ab experientia petita, posse euidenter probari, quod non dantur plures sensus*. Probatur autem hoc modo; experientia constat nos non cognoscere plures actus sentiendi, præter eos, quos quinque isti sensus eliciunt,& si darentur, euidens est aliquando vel ab aliquo exploratos, aut cognitos fuisse; sed distinctio specifica sensuũ sumitur ex distinctione specifica actuum: ergo efficaciter sequitur, non dari alios sensus specie distinctos ab his.

19 Et si de tactu dubitatum est, an sit vnus,vel plures specie distincti,nihil refert, quia de numero horum sensuum, vt sunt à nobis cogniti,loquimur inquirentes,an præter eos, quos cognoscimus, & sub quinario numero comprehendimus (etiam si sint plures tactus) dentur alij sensus specie distincti:nam de distinctione numerica,euidenter probatur non dari alios sensus ab his distinctos,quia per vnum possunt percipi sensibilia omnia eiusdem rationis,non minus, quã per multos, ergo superuacanei sunt multi. Quod tandem probat efficaciter vltima ratio Aristotelis, quia euidens est hominem esse animal perfectum,& plura ex brutis;ergo euidens est nullũ ei deesse sensum,& constat experientia ex actibus, & obiectis non habere alium specie distinctum ab his quinque;ergo nec dantur alij.

QVAESTIO II.

An omnes sensus externi perfectiores sint in homine, quàm in cæteris animalibus.

20 DVplicem potest sensum habere proposita quæstio; priorem quidem de perfectione specifica essentiali, nempè an omnes sensus externi maiorem habeant perfectionem essentialem, aut specificam in homine,quàm in cæteris animalibus: posteriorem, an maiorem saltem accidentalem, vel indiuidualem.

Et quantum ad sensum priorem, superius statutum est à nobis, atque probatum non differre specie sensus externos in homine, & in brutis. Ex quo euidenter infertur non habere maiorem perfectionem essentialem in homine,quàm in cæteris animalibus: sed æqualem : nam cum sint eiusdem speciei atomæ, eiusdem erunt perfectionis essentialis.

21 Quo supposito de hac maiori perfectione non procedit quæstio, sed solum de maiori perfectione accidentali, aut indiuiduali.

De qua prima opinio tenet omnes sensus externos hominis perfectiores esse sensibus cœterorum omnium animalium. Ita videtur sentire Toletus 2. lib. de anima qu. 24. & cum eo recentiores quidam. Qui primo probant, quia anima sensitiua cuiuslibet hominis perfectior est ex indiuiduali differentia anima sensitiua aliorum animalium propter identitatem cum rationali, & insuper propter naturale temperamẽtum perfectius in hominibus, quam in quibuscunque brutis,ex quo infertur maior perfectio organorum omnium : & ideo maior perfectio potentiarũ,sed omnes sensus externi cuiuscunque hominis secundum rationes indiuiduales accepti sequuntur rationem indiuidualẽ eiusdem animæ sensitiuæ,& rationalis, ergo necesse est maiorem perfectionem indiuidualem habere omnes.

22 Probant secundo inductione per omnes sensus discurrentes nam gustus, & tactus perfectiores sunt, tum propter perfectius temperamentum organi, tum etiam, quia vterque suo modo est sensus alimenti ac nutritionis: alimentum verò,& nutritio maiorem habent perfectionem in homine, quia ordinantur per se ad productionem perfectioris substantiæ nempè humanæ; & vtraque hæc ratio suo modo probat de olfactu ad eandem nutritionem ordinato, quia per eum cognoscimus meliora alimenta, & magis eidem nutritioni accommodata:& per eum adquirimus phantasmata ordinata ad intellectionem, quod non habet in brutis.

23 Et eadem ratione probatur visum, & auditum perfectiores esse in hominibus, quia vterque ordinatur ad comparandas scientias.

24 In hac re duo mihi videntur certa apud Aristotelem. Primum *quod homo tactu, & gustu, simpliciter superet cætera animalia omnia*. Secundum, *quod olfactu, etiam simpliciter superetur à multis*; quia plures odorum differentias cognoscunt, & clarius, atque distinctius naturam odoris. Vtrumque reperio expressum apud ipsum: primum quidem cap. 9. huius lib. textu 94. vbi ait: *Certiorem habemus gustum, propterea quod ipse quidam tactus est. Hunc autem habet sensum homo certissimum, in alijs autem superatur ab animalibus multis. Secundum autem tactum multò quam cœtera excellentius percipit, unde, & prudentissimum animalium est.*

Postremum verò asserit textu 92. eiusdem capitis his verbis: *Non enim sic manifestum est, qua'e quid sit odor, vt sonus, aut lumen aut color. Causa autem est, quia sensum hunc non habemus certum, sed peiorem multis animalibus: prauè enim odorat homo, & nihil sentit odorabilium, sine molesto, aut iucundo.* Et textu 93. *Rationabile autem est sic, & qua duros oculos habent colores sentire, & non manifestas ipsis esse differentias odorum, nisi terribile, & non terribile, sic autem, & odores hominum genus.*

25 Nec locum habet hac in parte solutio recentiorum, de excessu quantum ad percipiendum obiectum à maiori distantia, vel in minori magnitudine, & non quãtum ad meliorem, aut magis distinctam cognitionem obiecti; cum expresè asserat quantum ad meliorem, & clariorem notitiam obiecti, nempè odoris superari hominem ab animalibus; & in alio testimonio sic dicat superari ab animalibus in cæteris sensibus præter gustum, & tactum, sicut ea supe rat in his duobus, ea vero superare ait, quia excellentius percipit obiectum, ergo in cæteris sensibus superari sentit, quia melius obiecta aliorum sensuum percipiunt multa ex cæteris animalibus.

26 Expresè etiam id tenet D. Thom. 2. lib. de anima lectio. 19. vbi exponens verba Aristotelis à nobis adducta ita ait. *Sensum gustus habet homo certiorem, quàm alia animalia, quia gustus est tactus quidam: tactum autem habet certissimum alijs animalibus licet in alijs sensibus deficiat à quibusdam animalibus. Sunt enim quadam animalia, qua melius vident, audiunt, & olfaciunt, quàm homo, sed homo secundum tactum multum differt in certitudine cognitionis ab alijs animalibus*, ita quoque sentiunt Conimb. 3 lib. de anima, cap. 1. quæst. vnica art. 2. & hoc videtur mihi probabilius.

De alijs verò duobus sensibus, videlicet visus, & auditus eodem modo sentiendum arbitror, quod perfectiores simpliciter reperiantur in quibusdam animalibus, quàm in homine, hoc est, non solum, quia ad maiorem distantiam videant, & audiant, & minutiora sensibilia percipiant ad eandem, sed quia plures differentias visibilium, & audibilium cognoscunt, & melius naturam eorundem obiectorum, quàm homo. Quod expressis verbis citatis docuerunt Aristoteles, & Diu. Thom.

27 Sed ratione probandum est vtrumque hoc modo, sensus externi valdè diuersi sunt considerata ratione propria cuiusque, & modo operandi valdè diuerso, quamuis non omnia æquè sint diuersa, sed quædam magis, quædam minus: ergo requirunt organa diuersa, diuersisque modis temperata: quædam quidem, in quibus prædominetur humidum, vt visus, & auditus, alia in quibus prædominetur siccum, vt olfactus: & alia tandem temperamentum postulant, in quo nulla qualitas prima prædominetur, sed æquale sit ad pondus, si perfectum esse habeat, vt tactus, atque etiam suo modo gustus.

28 Hoc autem temperamentum specialiter reperiri in specie humana, licet non in omnibus indiuiduis eius, sed in perfectissimè temperatis, probauimus secundo libro de generat. & ideo in hominibus reperitur perfectissimum sensum tactus, qui tale postulat temperamentum: Sed sensus tactus diffusus est per totum corpus, & in omnibus sensorijs aliorum sensuum reperitur, quibus temperamentum æquale ad pondus, non est accommodatum, nec ad organa eorum: ergo licet homo perfectè temperatus habeat perfectè temperata organa, tactus, & gustus, sensoria vero aliorum sensuum non habebit ita accommodata, & consequẽter, nec cæteros sensus ita bonos ad benè percipiendam naturam suorum obiectorum, atque eorum differentias, sicut habent multa animalia ita benè temperata, ac homo: qua-

re

re satis probabile est, quod Aristoteles, & D. Thom. afferunt hominem excedere animalia bonitate gustus, & tactus, sed superari à multis eorum bonitate visus, auditus, & olfactus.

29 Et probatur secundo, nam qui percipit obiectum à maiori distantia, & in minori magnitudine, pluresque differentias eius, clarius, atq; distinctius illud idem percipit, sed aliqua animalia visu percipiunt obiecta minora; & ad maiorem distantiam, quàm homo, pluresque differentias eius, vt euidenti experientia constat, & in sensu olfactus probauimus: ergo obiectum eiusdem magnitudinis, & ab eadem distantia perfectius percipienr, quàm idem homo, hoc est, clarius, atque distinctius.

30 Pro solutione primi argumenti oppositæ sententię adnotare oportet, quòd differentia indiuidualis animæ sensitiuæ cuiuslibet hominis dupliciter sumi potest: realiter quidem, in quantum eadem est realiter cum differentia indiuiduali huius hominis: vel formaliter, in quantum est differentia huius hominis, vt est hoc animal: nam sicut Petrus potest considerari, vt est hic homo immediatè sub homine, ita potest considerari, vt est hoc animal immediatè sub animali: & differentia indiuidualis eius licèt realiter sit eadem, potest tamen considerari, vt est differentia huius hominis, vt sic, & huius animalis vt sic. Et eo est perfectior sub priori, quàm sub posteriori consideratione, quo perfectior est hic homo, quàm hoc animal.

31 Vnde fit, quod sicut externi sensus, & organa eorum sequuntur naturam sensitiuã, vt sic, & non rationalem: ita determinati isti sensus, & determinata hæc organa eorumque temperamentum sequuntur hanc naturam sensitiuam, vt est hæc natura sensitiua: non vt est hæc natura rationalis. Habet autem, quod sit hæc natura sensitiua ex hac quidem anima, quæ realiter est rationalis, non vt est hæc anima rationalis, sed vt est hæc anima sensitiua; ex quo non conuenit ei habere omnes sensus perfectiores ex differentia indiuiduali.

32 Nihilominus, quia hæc natura sensitiua realiter est coniuncta cum rationali, & ex tali coniunctione prouenit, quod sit perfectissima sub proprio genere animalis, & quod homo sit animal omnium perfectissimum, ideo debetur ei corpus perfectissimè temperatum in aliquibus saltem indiuiduis, quia non est possibile æqualiter perfectum reperiri in omnibus naturaliter loquendo, debetur etiam homini, vt perfectissimo animali talis perfectio sensuum, quæ perfectioni naturæ rationalis, & operationum eius congruit; inter omnes autem sensus vniuersalis est tactus, & quasi cœterorum omnium fundamentum (quamuis imperfectior omnibus sit) dispersus est enim per totum corpus, & in cæterorum sensuum organis residet, vnde fit, vt illud ex quo primo, atque simpliciter dicitur aliquid sensitiuum sit sensus tactus.

33 Et ideo maior, vel minor perfectio huius sensus arguit maiorem, vel minorem perfectionem indiuidualem simpliciter naturæ sensitiuæ, nec solum sensitiuæ, sed etiã rationalis, quia maior perfectio tactus arguit perfectiorem complexionem corporis, perfectiusque temperamentum; ad meliorem autem complexionem, & temperamentum corporis sequitur nobilior anima, nobiliorq; intellectus, quia omnis anima est proportionata suo corpori.

34 Ex quibus intelligitur, solum homini deberi perfectiorem tactum, & consequenter perfectiorem gustum, quia perfectior tactus per se conuenit perfectiori animali, & per se congruit perfectioni naturæ rationalis, & operationum eius, perfectio vero aliorum sensuum, quæ cum perfectione tactus cohærere potest, iuxta temperamentum, quod singuli in proprijs organis postulant.

Hanc doctrinam desumpsi ex Aristotele 2. lib. de de anima, c. 9. textu 93. & 94. & ex Diu. Thom in commentarijs eiusdem loci. Ex qua infero non solum non esse verum, sed nec naturaliter possibile, quod homo superet cætera omnia animalia in perfectione omnium quinque sensuum externorum, vt contendit opposita sententia, quia eo ipso, quod tactu superet omnia, & consequenter gustu, non est possibile habere omnes alios sensus in tanta perfectione; cum constet organa eorum longè diuersum temperamentum postulare, vel longè diuersum habere propter alias causas naturales concurrentes.

35 Et ex his facilè soluitur argumentum; neganda est enim maior, quod ex propria

differentia indiuiduali naturæ sensitiuæ formaliter sumpta debeatur homini perfectiores sensus, sed solum debentur ei ex coniunctione indiuidualis differentiæ naturæ sensitiuæ cum indiuiduali naturæ rationalis Propter cuius operationes, tanquam propter potissimum finem dati sunt homini sensus à natura: & cum tactus sit potissimus sensus, ex cuius perfectione potissimum sequuntur perfectiores operationes intellectus, ideo perfectior tactus cum primis ei debetur, cum quo incompossibilis est, maxima perfectio aliorum.

36 Quod verò dicitur perfectum temperamentum deberi homini, concedimus, sed ex eo non solum non sequitur perfectiores habere omnes sensus, sed potius oppositum; nam licet perfectum temperamentum inferat perfectissimum tactum, & consequenter gustum; cæteri verò non possunt esse omninò perfecti cum perfecto temperamento totius corporis: cum longè diuersum postulent.

Ad secundum concedendum est tactum, & gustum perfectiores esse in homine propter perfectius temperamentum, atque etiam quia tactus sensus est alimenti, maximeque iuuatur à gustu in ordine ad nutritionem: sed negandum est de cæteris, quia olfactus parum, vel nihil ad nutritionem conducit in homine. Parum etiam vel nihil ad scientias conducit.

37 De visu verò, & auditu negare non possumus, quod ad comparandas scientias iuuent, sed non propterea maximam perfectionem habere debet in homine, quia cum perfecto temperamẽto totius corporis non est naturaliter possibile, vt probauimus, & pro scientijs comparandis imperfecti nobis sufficiunt, & per hæc testimonia prædictum interpretamur.

QVAESTIO III.

An sensibile positum supra sensum sentiatur.

38 VT intelligatur titulus quæstionis, adnotare oportet dupliciter intelligi posse, quod sensibile supra sensum ponatur; videlicet ita vt inhæreat organo, sicut calor existens in organo tactus pertinés ad naturalem temperiem eius vel non inhæreat, sed contiguum eidem organo sit. Ita vt nullum sit medium inter vtrumque, vt si calidum extra organum tactus existens ipsum tangat, & de sensibili inhærente organo non procedit quæstio: cum dictum sit superius à nobis, atque probatum sentiri non posse. Solum ergo procedit de sensibili contiguo, vnde idem est quærere, an sensus sentire possint obiecta supra organum posita, ac si quæratur, an possint ea sentire sine medio, vel medium necessario requirant.

39 Et prima opinio tenet sensus omnes per se, & ex propria natura medium requirere internum, vel externum; & ideo sensibile contiguum organo nullum sensum sentire posse. Ita Albert Magn. 2. part. Summæ de homine, quæst. de tactu. Comm. D. Tho. Ægidius, vterque Caietan. 2. lib. de anima, cap. de tactu. Iand. 2. lib. de anima, quæst. 21. Iauel. q. 50. Apollin. q. 34. Ferra. q. 19.

40 Probant testimonio Aristotelis, & ratione: nam Aristoteles 2. lib. de anima, c. 7 textu 75 de omnibus sensibus in particulari expresse docet non posse sentire obiectum supra organum positum, quod commune esse omnibus sensibus asserit expresse ca. 9 textu 98. & c. vltim. 2. lib. probauit quinq; esse sensus externos, & non plures, quia si plures forent, plura etiam media ponenda essent: nam plura organa consequuntur plura media, quod nõ esset verum, si sensus omnes medium ex propria natura non postularent. Ratione verò probant, quia organum sensus longè minus est materiale, quam obiectum; ergo species producta immediatè ab obiecto materialior etiam longè erit eodem organo, quod propterea nõ erit capax eius: ergo necessario postulant mediũ, quod minus sit materiale, quàm obiectum, in quo species etiam minus materiales producantur, & à qua adhuc sub minori possit materialitate produci alia in potentia, magisq; ei proportionata.

Secunda opinio ex diametro opposita negat vllum sensum per se postulare medium, sed posse omnes per se loquendo sentire sua obiecta sensorijs contigua. Visum tantum circa solum colorem medio indigere, non quidem per se. Sed quia cum non possit

nisi

nisi illuminatus videri, si contiguus ponatur oculo illuminato non poterit: sed obscurus ipse permanebit, & pupillam obscurabit. Et ita videri non poterit. Ita sentiunt ex recentioribus nonnulli c præsenti

41 Tertia opinio medium iam ponere incipit inter hæc extrema asserens nullum sensum, præter visum medio per se indigere: visum verò ad quodcumque obiectum sentiendum medium per se postulare. Quam tenet maior recentiorum interpretum pars tribus illis capitibus citatis, & a qua non multum distat Toletus 3. lib. de anima, c. 10. quæst. 2 solum addit visum circa solos colores medium postulare, lumen verò sine medio posse videri. Quod probat duplici experientia: nam clausis oculis, contingit nos aliquem splendorem videre, qui non est aliud, quam lumen in humore albugineo inhærens, & pupillam tāgens. Noctu etiam contingit aliquem fricare oculos, & lumen internum videre, quod sensorio contiguum est.

Vltima sententia de solo gustu, & tactu tenet medio non indigere: sed sentire sua obiecta organis contigua, aut supra ea posita: cæteros verò tres sensus medium per se habere. Ita Alex. 2. lib. de anim. cap. de gustu & de tactu.

His præsuppositis nostra sententia tribus assertionibus explicatur.

Prima sit, *probabilius mihi est, tactum, gustum, & olfactum per se non habere medium externum, neque internum, per accidens verò omnes habere internum, & olfactum etiam externum.*

Secunda assertio, *de auditu, & visu probabilius iudico, quod per se habeat medium externum.*

Assertio vltima, *omnes isti sensus videntur habere medium internum, non tamen per se: sed per accidens.*

42 Hæc autem sigillatim probanda sunt: Et de tactu quidem probatum a nobis est cap. de tactu, non solum neruum; sed etiam carnem esse sensorium, & probabilius hoc esse in doctrina Arist. De gustu verò probatur primò, quia tactus quidam est, vt docuit expressè Arist. eisdem igitur legibus, ac tactus ipse subijcitur in proprio modo operandi per medium, vel sine illo.

Secundò probatur, quia partes liquidæ, ac subtiliores cibi saliuæ permixtæ facilè possunt per partes porosas linguæ pertrāsire vsque ad neruum. Tunc ergo sic arguo: sapor pertingens neruum habet ex se virtutē producendi speciem sui; sed sensorium, atq; etiā sensus in eo residens sunt subiectū capax speciei: ergo producet eam, & recipietur ab eis & ita fiet sine medio externo sensatio. Neq; sufficiet dicere, contiguum saporem nō posse producere speciem, quia non potest producere speciem in sensorio, nisi producendo eam in medio. Quia nisi aliqua ratio huius afferatur, manifesta petitio principij est: cū de hoc sit controuersia, an possit immutare sensum sine medio, & pro ratione afferatur, quod non possit. Alia est ergo tradenda ratio ad id probandum, alioquin argumentum conuincet.

43 Probatur deinde de olfactu hoc modo; exhalationes odoriferæ ad nares vsq; peruenientes attingunt per se processus mammillares, qui sunt organum olfactus, vt constat experientia, & forte vsq; ad cerebrum perueniunt: ergo per se immediatè attingunt organum, eiq; contiguæ possunt per odorem in se existentē producere in eo speciem multò melius, quam dum erant ab eodem separatæ: quia maior approximatio agentis ex se non potest impedire: sed iuuare potius actionem eius, nisi aliunde probetur oppositum: ergo exhalatio contigua organo immutabit per se olfactum producendo speciem sui in eo, & ita sequetur sensatio.

44 De auditu verò assero medio indigere externo, quod probo ex qualitate, siue conditione soni, qui nō videtur posse tangere sensorium per se, quin illud moueat localiter, & consequenter, quin illud turbet, & per turbationem ipsam impediat sensationem, quæ in quiete fieri omninò postulat. Et proptereà natura tympano circumdedit, & vndiq; clausit substantiam illam aeream, in qua auditiuam potentiam collocauit, ne turbaretur, & offenderetur ab aliquo corpore extrinseco eam contingente, & huius rei gratia arbitror nunquam sonum contingere organum huius potentiæ. Strepitus verò qui aliquando excitari videtur in auditu infirmorum, non fit, vel excitatur intra tympanum, nec ideò in organo ipso: sed in cauitate aliqua propè tympanum existente. Sed neque dum sonus prope auditum producitur, vel magnus est vsque ad auditum perueniens, idem organum pertingit: sed vsque ad auditum per-

peruenire dicitur, quia vsque ad tympanum peruenit, nec vlterius procedere potest: sed illo medio producit speciem in organo.

45 De visu tandem satis euidenti probatur experientia, quod non possit sentire colorem organo contiguum, ex quo satis efficaciter colligitur, nec posse colorem ipsum immediatum oculo speciem sui ei imprimere: nam si posset, difficile saluari potest, quod obiecto præsente, & potentia informata specie eius, & non læsa, neque impedita ab aliquo extrinseco, non sequatur sensatio. De luce verò non caret difficultate, quia cum sit contigua organo, vt modo in aere existens, & ex se sit productiua speciei, non videtur aliquid obstare posse, quin eam producat, & per eam sensationem sui causet.

Probatur tamen non posse, quia si obiectum aliquod, etiam lucidum, nimis sit oculo approximatum, minus bene videtur, & quò plus mouetur versus oculum, videtur longè imperfectius: quare si vsque ad contactum pupillæ perueniat: euidens ferè est non posse videri, & consequenter nec posse speciem sui immediatè imprimere. Vnde vero simile satis mihi apparet: quod quemadmodum qualitas tangibilis, quantumcunq; perfecta non potest imprimere speciem sui in organo, nisi ipsum contingendo contactu naturali, nec ab eo sentiri.

46 Ita ex opposito nullum obiectum potest mouere visum, nec imprimere ei speciem, & ab eo videri: nisi sit disiunctum ab eo: ita vt medium aliquod inter ipsum, & organũ intercedat. Quod rursus probo, quia potentia visiua residet in pupilla, & non in cęteris partibus oculi, & tamen non potest eas videre: nec se ipsam, nec possunt speciem in ea producere. Cuius nulla potest alia ratio conueniens assignari: nisi quia visus postulat medium externum, sine quo non potest vllum obiectum percipere, neque speciem ab eo recipere.

47 Vltima assertio de medio interno per accidens requisito inductione satis manifesta probari potest: nam tactus, & gustus habent carnem, atque etiam suo modo olfactus: auditus verò tympanum, & visus aliquem fortè transparentem humorem, vel pelliculam, vt ex his quæ de structura oculi diximus, c.7. facilè intelligi potest.

Ad testimonia Aristotelis pro prima opinione opposita respondeo varium fuisse, quantum ad medium gustus & tactus, & magis in eam partem inclinasse, quod medio per se careant, quia expressis verbis asseruit carnem esse sensorium tactus.

Nihilominus, quia per medium internum fit sæpè sensatio eorum, vniuersaliter loquendo medium internum in his sensibus ponit atque etiam in olfactu, quia maior ex parte per medium fit, quamuis etiam sine eo aliquando fieri possit: de visu, & auditu concedimus medio externo indigere.

48 Satis est autem quod omnes sensus aliquo modo operentur per medium internum vel externum, vt probabili argumento deduceret Aristoteles non plures sensus esse, quam quinque: quia si alius adderetur, eo ipso aliud oporteret ponere medium præter hæc quæ modo sunt, quod patet non dari.

Ad argumen. vero eiusdem sententiæ respondeo, quamlibet speciem productam in medio satis esse proportionatam organo, & potentiæ ad eliciendam sensationem, quia habet esse magis diminutum, quam organum, quod patet: quia per eam sentiret medium, si esset organum.

49 Ad vtramque experientiam Toleti, vno verbo respondeo, quod etiam si in illis casibus splendor aliquis videatur, non est lumen in pupilla inhærens, vel ei contiguum: sed in medio licet paruo, vel minimo existens.

CAPVT II.

TEXTVS ARISTOTELIS.

Quoniam autem sentimus, quod videmus, & audimus, necesse est aut visu sentire, quod videt, aut alio, &c.

Breuis expositio textus.

1 INtentum huius capitis est ostendere, quod præter quinque sensus externos ponendus sit internus quidam quo cognoscantur sensationes eorum, & quo discernatur inter eas, atque obiecta diuersa eorun-

rundem sensuum, & propterea vocatur sensus communis. Diuiditur autem in duas partes, in priori proponit dubium quoddam disputans in fauorem vtriusque partis, ipsumque soluit. In posteriori verò ex solutione colligit ponendum esse præter quinq; exteriores sensus internum alterum, & cõmunem, qui versetur circa sensationes, & obiecta eorum.

2 Dubium igitur quod proponit, est, an eodem sensu, quo sentimus, eandem nostram sensationem percipiamus, vel alio, vt dum videmus, visu eodem percipiamus eandem nostram visionem, vel non eodem: sed sensu altero, & in fauorem affirmatiuæ partis arguit.

Primò, quia eodem sensu quo percipitur visio, percipitur color, circa quem versatur, quia repugnat illam sine hoc percipere: si ergo alio sensu percipimus visionem, & nõ eodem, quo videmus colorem: ergo illo eodem sensu percipimus etiam colorem, & ita idem obiectum a duobus sensibus diuersis percipietur, quod patet esse impossibile.

3 Secundò, si alter sensus ab eo, quo percipitur obiectum, percipit sensationem, vel ille idem sensus percipit sensationem suam, vel alter; si dicas non percipi ab eo: sed ab alio, de hoc erit eadem quæstio, & ita vel in infinitum procedetur, vel tandem perueniendum erit ad sensum aliquem percipientem aliquam sensationem. Quod si tali sensui conceditur, debebit etiam concedi cuicumq; sensui externo: cum non sit potior ratio de illo, quam de his: & ita quicumq; sensus externus percipit propriam sensationem.

Pro negatiua etiam parte ita arguit. Visu sentire est videre: sed visus non videt, nisi coloratum: at visio coloris, nec est color, nec colorata: ergo non potest per visum sentiri, aut cognosci.

4 Huic autem argumento ait dupliciter posse responderi.

Primò distinguendo maiorem, quod visu sentire sit videre. Nam videre duo potest significare, & visu percipere, & visu discernere. Et hæc valde diuersa sunt: nam visu discernimus aliquid, quod non videmus, nempe tenebras, & ita visu possumus discernere visionem: sed non videre illam.

Secundò respondet negando minorem: quod visio non sit colorata, nam cum fiat per speciem coloris, quæ in sensu interno reseruatur, quodammodo colorata dicitur, quia a calore initium sumit per speciem impressam eius, & in eundem colorem per expressam repræsentatum terminatur.

5 Respondet iam proposito dubio asserẽs sensum externum non operari, nisi moueatur ab obiecto, sed visio non mouet visum; quia nõ agit in visum, nec omninò sensatio in sensum externum: ergo non potest sentire, vel percipere suam sensationem.

Vt autem ex solutione data colligat præcipuum intentum totius capitis: Adnotat tria habere omnes sensus externos.

Primum quod quilibet habet suum sensibile tanquam obiectum sibi proprium.

6 Secundum quod quisq; sensus est facultas seu potentia residens in proprio sensorio.

Tertium quod omnes, & singuli sensus cognoscunt differentias proprij obiecti, easq; discernunt, vt visus album, & nigrum.

Ex his probat dari alium sensum, propter quinque externos, hoc argum. Notum est nos discernere sensibilia aliorum sensuum, vt album a dulci: ergo per aliquem sensum id præstamus, sed eiusmodi sunt differentiæ sensibilium, vt patet: ergo ad sensum pertinet eas discernere: Vlterius has differentias non percipit aliquis sensus externus: ergo præter illos datur alter sensus, qui eas percipiat.

7 Antecedens probat, quia si ab aliquo sensu externo perciperentur, maximè à tactu, qui est communis omnibus animalibus, sed a tactu non percipiuntur: ergo a nullo. Minorem probat, quia si tactus perciperet has differentias, tangendo eas perciperet: sed album, & dulce non possunt tangendo percipi: ergo neque a tactu percipi.

Et si quispiam diceret percipi a pluribus sensibus externis simul. Probat hoc esse impossibile: quia impossibile est discernere inter album, & dulce, nisi discernens vtrumque cognoscat. Vnde qui inter illa discernit, vnus debet esse, a quo vtrumque cognoscatur: nam multi quorum singuli singula cognoscant, non possunt vtrumque discernere, quia neuter cognoscit vtrumque, sed vnus vnum, & alter aliud, necesse est ergo præter hos quinq; sensus externos dari aliũ internũ, qui vtrumq; extremum cognoscat, & ita inter vtrumq; discernat.

Et

8 Et ſi obijciatur iam ſimul talem ſenſum contraria percipere: reſpondet, quod cum reſpectu externorum ſenſuum ſit vniuerſalis, poteſt contraria eorum obiecta ſimul percipere: nam ſe habet ad ſenſus externos, ſicut punctum in medio circuli reſpectu linearum, quæ ab eo in circumferentiam ducuntur, quod quidem in ſe vnum eſt: plura verò in quantum plures ab eo ducuntur lineæ, quas omnes terminat, & quarum omnium principium eſt, & ita ſimul eſt principium, & finis omnium diuerſa ratione: ita ergo ſe habet communis iſte ſenſus reſpectu obiecti, & actus omnium externorum: & ita poteſt omnia percipere: licet diuerſa ſint, aut contraria inter ſe.

Hoc loco diſputant nonnulli quæſtionem propoſitam ab Ariſtotele an ſenſus externus cognoſcat propriam ſenſationem.

Sed quia eadem ferè difficultas eſt de ſenſu interno, & externo: imò maior de illo, quam de hoc, in 3. capit. remittendum cenſemus, vbi de vtroque ſenſu ſimul diſcutietur.

CAPVT III.

TEXTVS ARISTOTELIS.

Quoniam autem duabus differentijs definiunt maximè animam, &c.

Breuis expoſitio textus.

9 INtentum Ariſtotelis in hoc 3. capit eſt explicare naturam ſenſus interni, qui imaginatio, ſeu phantaſia vocatur, cuius cognitio non parum iuuat ad cognoſcendum intellectum, de quo acturus eſt cap. ſequenti.

Diuiditur autem caput in tres partes. In prima reijcit antiquos Philoſophos, ſenſum, & intellectum confundentes.

In ſecunda probat imaginationem non eſſe ſenſum, neq; intellectum.

In tertia verò docet quid ſit.

Loquitur autem Ariſtoteles de ſenſu, intellectu, & imaginatione non tam pro potentijs, quam pro eorum actibus: quia cum ex eis accipienda ſit natura, & ratio eorum, per eoſque a nobis cognoſcantur, quidquid de diſtinctione actuum conſtitutum fuerit, probatum cenſebitur de diſtinctione potentiarum.

10 Principio igitur aſſerit Ariſtotelem, Empedoclem, & Homerum nonnulla dixiſſe de intellectu, ex quibus colligi videtur eum non diſtinxiſſe a ſenſu.

Hunc autem errorem ex alio eiuſdem Empedoclis ortum habuiſſe aſſerit, quem in ſecundo libro refutauit, nempe animam eſſe corpoream, & propterea omnes eius potentias eſſe organicas, quare intellectus organo erit alligatus, ſicut ſenſus, a quibus proinde diſtinctus non erit.

Probatur ergò intellectum diſtingui a ſenſu.

Primò, quia ſenſus conuenit omnibus animalibus, intellectus verò quibuſdam tantum, nempe hominibus: ergo diſtinguuntur.

Secundò, quia intellectus ſæpe fallitur circa proprium obiectum: ſenſus verò circa proprium ſenſibile ferè ſemper verus eſt: ergo non poſſunt eſſe idem.

11 Deinde vt probet imaginationem, vel phantaſiam nec eſſe intellectum, nec ſenſum, præſupponit diſtingui ab opinione, quod ſic explicat: phantaſia ſic ſe habet, vt non ſit ſine ſenſu, ſed eum ſequatur, opinio verò ſequitur intellectum, ſed præſupponit phantaſiam, vnde ſic videtur ſe habere phantaſia ad ſenſum, ſicut opinio ad intellectum: quod ex eo videtur intelligi, quod in rebus ſenſibilibus dum aliquid ſentimus, aſſerimus ita eſſe, ſed dum aliquid per phantaſiam percipimus, non dicimus ita eſſe: ſed ita nobis apparere: & modo ſimili, dum aliquid intelligimus dicimus ita eſſe, ſed dum aliquid opinamur, non dicimus ita eſſe, ſed ſic nobis videri: ergo ſicut ſe habet opinio ad intellectum, ſic ſe habet phãtaſia ad ſenſum, & videtur medium quoddam eſſe inter ſenſum, & intellectum.

Quo

11 Quo explicato probat phantasiam non esse opinionem.

Primò quia phantasiari, vel imaginari semper est in nostra potestate: opinari verò non, quia opinio dicit existimationem, vel assensum alicuius veritatis, quod habere non possumus, sine aliqua ratione: imaginamur verò quæcumque volumus absque vllo fundamento rationis, sed pro libito ea fingendo, vt constat experientia in his, quæ per signa, vel repræsentationes confingunt ea, quæ sibi euenire desiderant. 2. quia opinionem sequitur passio aliqua in appetitu, timoris videlicet, spei, vel gaudij, quæ non sequitur imaginationem: ergo distinguuntur.

13 Antecedens probat, quia licet imaginatione fingamus nobis terribilia, nisi existimemus euentura esse, vel imminere nobis, non mouetur ab eis appetitus, quia solum proponuntur ei per simplicem quandam apprehensionem, non per iudicium conuenientiæ, vel disconuenientiæ: vnde nec timentur a nobis, nisi accedat existimatio siue opinio de euentu eorum. In brutis verò mouetur appetitus a bono, vel malo sensibili per iudicium quoddam imperfectum æstimatiuæ simile opinioni.

14 Probat deinde phantasiam non esse sensum, nec intellectum, nec opinionem, & quod non sit sensus, quia si phantasia sensus est, aut est sensus prout in potentia ad sentiendum, vel prout actu sentiens non prout in potentia, quia sensus in potentia semper est in animali, sed phantasia, vel imaginatio non semper conuenit animali, quia non semper aliquid ei apparet, circa quod phantasmata formet: ergo non est sensus in potentia.

15 Quod verò non sit sensus in actu, probat.

Primò, quia sensus in actu conuenit omnibus animalibus: sed non omnibus conuenit phantasia, saltem perfecta, vt apibus, & formicis.

Secundò, sensus semper ferè verè verus est circa proprium sensibile: sed phantasia, vel imaginatio sæpe est falsa.

Tertiò sensatio certa est: ita vt non dubitemus de eo, quod sensu percipimus, sed imaginatio sæpius est a dubijs.

Et tandem, quia cessante omninò operatione omnium externorum sensuum nō cessat imaginatio a sua operatione, vt patet in dormientibus: ergo distincta est a sensu.

Probatur deinde, quod imaginatio non sit intellectus hoc argument. Intellectus tres habet actus præcipuos, videlicet assensum principiorum, qui etiam vocatur intellectus, assensum conclusionum per demonstrationem, assensum per syllogismum probabilem, qui opinio vocatur: sed imaginatio nihil horum est, ergo non est intellectus. Probatur minor, quod non sit intellectus, nec scientia: quia assensus isti semper sunt veri: imaginatio verò sæpe falsa.

Quod verò non sit opinio iterum probat, quia opinionem sequitur fides, hoc est, assensus alterius partis, qui vocari potest credulitas eius: sed imaginatio non facit fidem: ergo non est opinio.

Minorem probat, quia imaginatio brutis conuenit aliquomodo, quibus non conuenit fides, ex his colligit imaginationem non esse vtrumq; videlicet intellectum, & sensum quia si non est vnum, neque alterum per se sumptum, vt probatur, nec potest esse vtrumque simul.

17 Secunda ratio præsupponit, quod si imaginatio sit sensus simul, & opinio, ita se habebit, vt sit actus eiusdem subiecti, & circa idem obiectum, ita vt verum sit ac necessarium eundem hominem simul sentire eandem rem, & per assensum opinionis circa eam versari. Quo supposito ita arguit: circa id quod imaginamur discordant sensus, & opinio: ergo non cohærent, nec verum esse potest, quod imaginatio sit vterque simul. Probatur minor: nam imaginamur solem esse minorem terra, & circa hanc imaginationem sensus iudicat ita esse: opinio verò ab Astrologis accepta iudicat esse maiorem: ergo impossibile est imaginationem esse simul opinionem, & sensum.

18 Hucusq; ostendit Aristot. quid non sit phantasia, vel imaginatio. In vltima tandem parte capitis docet, quid sit: quod vt præstet præsupponit quatuor tanquam certa.

Primum possibile esse quod aliquod motum ab alio possit mouere alterum, vt baculus motus a manu potest mouere lapidem.

Secundū quod imaginatio est motio quędam, & passio, nam cum sit cognitio, necesse est fieri per motionem, seu immutationē potentiæ ab obiecto, vt patet de cognitionibus externorum sensuum.

Ter-

Tertium, imaginationem non versari, nisi circa sensata ab externis sensibus, quamuis ex eis possit componere aliud non sensatum ab eis, vt ex auro, & monte per visum cognitis componit montem aureum, quem nunquam vidit.

Vltimum, quod obiecta sensata seu cognita per sensus externos possunt mouere aliã potentiam, & ab ea percipi, quod patet cum percipiantur ab intellectu.

19 Ex his colligit talem definitionem imaginationis: imaginatio seu phantasia est *Motus factus a sensu in actu*: cum enim non percipiamus per imaginationem, nisi sensata ab externis sensibus, fit vt imaginatio moueatur ab eis actu sentientibus, hoc est, ab obiectis actu sensatis per ipsos: sensus igitur definitionis est: *Imaginationem esse sensationem internam causatam ex motione sensibilis actu sensati per sensum externum*. Et hic est actus proprius eius, ipsa verò potentia sic definiri potest.

20 Imaginatio est *Sensitiua potentia apta moueri ab obiecto sensato per externos sensus.* Datam verò ait esse animalibus a natura, vt per eam dirigantur in suis operationibus; sed conuenire cum externis sensibus, & differre ab eis, conuenit quidem in eo, quod sicut decipitur ipsi circa sensibilia communia, & per accidens, & ideo veri sunt aliquando, atque etiam falsi, ita etiam imaginatio, cum versetur circa obiecta sensata ab eis.

21 Hoc autem debet intelligi de simplici operatione imaginationis, non de composita, per quam vnum cum altero componit, nam hæc semper, aut ferè semper est falsa, vt superius docuit Aristoteles. Et tandem concludit dicens, imaginationem accepisse nomen phantasię a sensu visus tanquam a principaliori inter externos, qui sine lumine non operatur, & ideo quasi a lumine, & statu etymologia phantasiæ accipitur, vt ex verbo Græco constat.



TRA-

TRACTATVS DE natura, modo operandi, & numero internorum sensuum.

QVAESTIO I.

Quotuplex sit sensus internus.



Eptem officia, vel actus, seu sensationes internas in nobis esse experientia didicimus.

Primum est, quod sensationes omnium externorum sensuum percipimus discernentes, inter omnia obiecta eorum.

22 Quod præstamus iudicantes sensatum per visum non esse sensatum per auditum, pariterque de cæteris; & facultas sensitiua interna hoc præstans vocatur sensus communis; dicitur autem *Sensus communis* non ex eo, quod sola sensibilia communia percipiat, vt visus est asserere Alber. Magn. in Summa de homine tract. 2. quæst. 2. & author Opusculi 43. inter opuscula D. Thom. relati: nec etiam dicitur communis communitate prædicationis, eo quod de singulis sensibus externis prædicetur, vt bene adnotauit D.Tho.1.part.quæst.78 art 4. ad 1. Sed quia omnibus externis sensibus præsidet, sensationes eorum, atq; etiam sensata ab eis obiecta percipiens, & inter ea vnum ab altero discernens,& quia veluti radix & fons est,a quo deriuantur.

23 Secundus actus, aut officium est, quod non solum sensibilia ab externis sensibus percepta percipimus, dum præsentia sunt, & ab eis sentiuntur, sed etiam in absentia eorum,& dum non cognoscuntur per externos sensus,sed cognita fuere,vt in dormientibus constat, atque etiam in vigilantibus, qui circa illa phantasiantur non operante aliquo sensu externo, & facultas per quam id præstamus vocatur *phantasia*, de qua agit Aristoteles cap.præsenti.

24 Sed officium hoc aut interna sensatio solum versatur circa simplicia obiecta ab externis sensata: vltra quam experimur in nobis actum alium,seu internam sensationem per quam ex duobus simplicibus sensatis per sensus externos componimus tertium: vt ex monte,& auro aureum montem,& quædam alia similia, & virtus ita componendi vocatur *Imaginatio*, vt idemmet Aristoteles c.præsenti docet.

Quartum verò officium est percipere externa sensata sub noua quadam ratione conuenientis, aut disconuenientis non sensata ab externis sensibus, & virtus hæc interna appellatur *Æstimatiua*, a qua proximè mouetur appetitus sensitiuus ad fugiẽdum obiectum tanquam disconueniens, vt dum ouis apprehendit lupum tanquam sibi disconuenientem,& inimicum,& fugit.

Et hæc etiam virtus solum se extendit ad præsentia.

25 Præter quam datur alia, seu officium aliud cognoscendi sensibilia,prout iam à nobis

bis sensata fuere, & virtus ita cognoscens so la præterita sensata vocatur *Memoria sensitiua.* Et hæc quidem quinq; officia non solum in homine, sed in cęteris animalibus repe riuntur. Dantur verò duo alia homini propria; quæ comitantur intellectum circa sensibilia discurrentem, & ideo perfectiora. Vnum est operatio circa sensibilia particularia eodem modo, & ordine, quo operatur intellectus circa eadem, aut circa vniuersalia ab eis abstracta: ita vt obiectum huius actus idem sit, vel necessariam habeat connexionem cum obiecto intellectus, vnde hęc virtus sensitiua quandam habet participationem discursus ab intellectu, cuius discursum comitatur, & proprio nomine dicitur *cogitatiua*, sed circa sola præsentia sensibilia versatur.

26 Vnde cum intellectus non solum circa sensibilia præsentia discurrat, sed etiam circa præterita iam sensata ab externis sensibus, necessarium fuit tribuere homini virtutem sensitiuam internam comitantem intel lectum circa præteritas sensationes externorum sensuum, & sensibilia, vt iam per eas sensata, non quidem modo simplici, vt de memoria diximus circa præterita versari, sed cum quadam quasi indagatione vnius ex altero, quodamq; discursu imperfecto, & hæc vocatur *reminiscentia.*

27 Certum itaq; est, & euidenti experientia comprobatum, dari septem hæc officia, vel actus septem internæ sensationis: non tamen est certum, an à multis potentijs sensitiuis internis eliciantur: sed hoc postulat titulus quæstionis, videlicet quotnam sint distinguendæ potentiæ sensitiuæ internæ pro eis præstandis.

Et prima opinio quatuor potentias pro omnibus distinguit, nempe sensum communem, phantasiam, æstimatiuam, & memoriam. Ita vt cogitatiua in homine eadem sit potentia, ac æstimatiua in cæteris animalibus, sed in homine perfectior, quia cum quadam collatione, ac discursu circa singularia sensibilia operatur sequens intellectum, in cæteris verò animalibus per simplicem quendam instinctum.

28 Reminiscentia quoq; eadem sit cum memoria sensitiua, sed perfectior in homine, quia non operatur quomodocũq; circa pręterita sensata conseruando species eorum, sed per quandam collationem quasi discurrendo ab vno ad alterum, & propterea vocatur reminiscentia: in animalibus verò per simplicem tantum recordationem præteritorum, absq; tali collatione aut discursu, & tandem imaginationem, & phantasiam non distingui, quia componere vnum sensibile cũ alio non videtur reperiri in brutis, sed in solo homine, in quo perfectior phantasia reperitur, & ideo sufficiens ad talem compositionem efficiendam.

29 His igitur tribus sublatis per reductionem ad alias, solum restant quatuor, videlicet sensus communis, imaginatio, seu phantasia, æstimatiua, & memoria, & has quatuor dumtaxat distinctas ponit hæc sententia, quam sequuntur Cõm.3 lib. de anima com.6 D.Th.1.p.q 78.art.4. Caiet. Ban. & alij ibid.

30 Quod vero quatuor istæ potentiæ necessario sint distinguendæ, probat D.Tho.r. ex distinctione actuum hoc modo, Quotiescumque ita actus sunt distincti, vt non possint ab eodem principio proximo prouenire, plura sunt pro eis distinguenda: sed repugnat quatuor officia quæ tribuuntur his potentijs a paucioribus, vel ab eodẽ principio præstari: ergo quatuor sunt pro eis distinguẽda. Et ideo quatuor potentię. Minorem probat, quia maior ac distincta virtus requiritur ad operandum circa absentia, quam solum circa præsentia: cum necessarium ad hoc sit, non solum recipere sed conseruare species receptas; sed sensus communis solum potest operari circa præsentia sensata ab externis, & nullam speciem conseruare: ergo præter ipsum requiritur alia potentia in animali distincta ad operandum circa absentia, quæ vocatur phantasia, seu imaginatio, & quasi thesaurus est, in quo conseruantur species rerum absentium. Nam animalia non solum circa præsentia operantur, sed absentia quærunt, & ad ea inuenienda mouentur, vt euidens experientia docet.

31 Præterea animalia mouentur ad quærenda obiecta sensibilia propter delectationem, sed ad quærenda sibi conuenientia ad conseruationem vitæ, & fugienda illa, quæ sibi nocere possunt: sicut ouis ad fugiendum lupum sibi inimicum: ergo indigent potentia sensitiua interna, quæ versetur circa obiectum sensibile sub ratione conuenientis, aut nociui, quod non potest præstare per species productas in se ab externis sensatis, quæ vocantur species sensatæ, sed per alias sua virtute

cute productas earum rerum, quas per sensus externos numquam cognouit, quas insensatas vocant.

32 Ad producendum verò has species, & operandum per illas a se productas, maior, ac distincta virtus, seu potentia requiritur, quam ad operandum per species productas in se ab alijs sensibus, sed constat sensum communem, & phantasiam solum operari per species sensatas, hoc est productas in se a sensibus, & non per species insensatas, quas sibi ipsi producant; ergo æstimatiua quę has sibi producit, & per easdem operatur, distincta potentia debet esse ab eis. Probatur consequentia: quia per diuersum modum operandi sufficienter distinguuntur potentiæ: cũ repugnet eandem potentiam habere diuersos modos operandi.

33 Et tandem sicut requiritur virtus, ac potentia distincta ad recipiendum species sensatas, & eas retinendum, operandumq; per vtrasq; circa præsentia, & absentia, & ideo distinguuntur sensus cõmunis, & phantasia, ita requiritur distincta virtus ad conseruandas species insensatas, & operandum per illas circa sensibilia absentia sub ratione conuenientis, aut nociui, quam ad eas tãtum eliciendas, & operandum per illas circa res non sensatas præsentes, quia conseruare, & recipere distinctæ virtutis est: præter tres igitur potentias numeratas necessariò debet distingui memoria, quæ sit quasi thesaurus, in quo conseruantur species insensatæ, & per eas operatur circa absentia. Et ita numerabuntur quatuor.

34 Secunda ratio D. Th. quilibet sensus postulat organum temperatum iuxta naturam sui actus, vnde si actus diuersi sint, postulant organa diuerso modo temperata, & in eodem esse non possunt tanquam in subiecto, quod euidens est in sensibus externis: nam visus postulat diuersum organum, diuersoque modo temperatum ab auditu, propter diuersitatem sui actus, sed potentiæ conseruatiuæ specierum postulant organum diuerso modo temperatum ab his, quæ solum recipiunt: ergo necessariò debent poni distinctæ ab eis. Minorem probat, quia ad recipiendum requiritur temperamentum, in quo prædominetur humiditas: cum constet corpus humidum facile recipere impressiones ab alijs: siccum verò difficile, & ex opposito, siccum melius retinere atq; conseruare receptas, quam humidum, a quo facile delentur impressæ, sicut imprimuntur ei facilè.

35 Aliæ verò opiniones, aut multiplicant aliam, præter quatuor prædictas, vel auferunt vnam, aut plures ex eis, & ideo.

36 Secunda sententia pro qua refert D. Th. vbi supra Auicennam lib. 6. naturalium p. 4. cap. 1. quinque ponit distinguens præter prædictas quatuor imaginationem a phantasia, & cæteris, hac sola ratione: quia maior, ac distincta virtus requiritur ad componendum ex diuersis rebus sensatis tertiam, quam ad apprehendendum singulas: cum illa sit excellentior operatio: ergo imaginatio habens virtutem componendi ex speciebus montis, & auri, tertiam montis aurei, disticta debet esse a phantasia apprehendente singulas per se. Ita etiam cum Auicenna sentiunt Albert. Magn. 2. lib. de anima tract. 4. cap. 7. & lib. 3. tract. 1. & in Summa de homine tract. de imaginatione. Algazelus in libello de anima, tract. 4. c. 4. & Iandun. q. 37. eiusdem lib.

37 Tertia opinio, non distinguit phantasiam, & imaginationem inter se, neque a sensu communi, sed eundem sensum communem sufficere arbitratur pro officijs earum: quare solum ponit sensum communem, æstimatiuam, & memoriam. Ita Galen. in lib. de differentijs Symptomatum c. 3 quem refert, explicat, ac sequitur Valesf. lib. 2 controuers. med. ca. 22. & 23. idem etiam videntur sentire D. Damasc. 2. lib fidei, cap. 17. & Gregor. Nissen. lib. 4. de viribus animę, c. 6 & 7. Toletus verò eundem numerum ternarium alia via defendit, nõ distinguens phantasiam, & imaginationem ab æstimatiua, sed eandem potentiam pro tribus actibus earum sufficere putans, quam tamen a sensu cõmuni distingui docet, & ex his duabus cum memoria ternarium componit. Et huius sententiæ vnicum est fundamentum ex vsu anatomicæ artis desumptum.

38 Ex quo constat tres sinus, vel cellulas in cerebro reperiri, vnum quidem in parte posteriori (quam occiput vocant) & eiusmodi sinus cerebellum appellatur, in quo memoriam residere aiunt, & duos alios in duobus alijs anterioribus eiusdem capitis, in quibus collocant duos alios sensus: sed Toletus, & alij, quatuor sinus dari censent, quia in medio capitis extat aliud, in quo imaginatiuam collocant,

cant, & sensum communem in duabus anterioribus, duos ei tribuentes, sicut visui duos oculos.

39 Quarta opinio non distinguit æstimatiuam, & memoriam à phantasia, sed huic soli tribuit officia earum, & ideo solum ponit duas potentias, nempe sensum communem, & phantasiam. Ita Fonseca 5. lib. metaphys. cap. 28. quæst. 7. sect. 4. & putat esse sententiam Aristotelis, qui cap. 2. huius lib. text. 155. & 156. distinguit phantasiam a sensu, & intellectu, nomine sensus communem intelligens: ergo hos saltem distinctos ponit: cæteros verò non videtur distinguere. Eandem sequuntur Conimb. c. 3. huius lib. q. 1. art 3.

Quam probant, primò, quia diuerso modo immutantur sensus communis, & phantasia: nam ille immediatè à sensibus externis, hæc verò immediatè à sensu communi, ab externis verò remotè. Secundò, sensus communis præsentia tantum, & sensata ab externis percipit, phantasia verò etiam absentia, & insensata: ergo potentiæ sunt distinctæ.

40 Vltima sententia *vnicum tantum ponit sensum internum pro illis omnibus officijs, vel actibus, & iste est sensus communis, qui secundum diuersos illos actus, & officia diuersis nominibus appellatur, videlicet phantasia, imaginatio nis, æstimatiua, memoria, & reminiscentia.* Pro hac sententia nullus ex antiquioribus citari potest, sed eam tenent ex recentioribus multi: nobis verò omnes istæ sententiæ probabiles videntur, sed ex omnibus duæ videntur probabiliores, videlicet prima, quæ est D. Thom. & hæc vltima recentiorum, quam sequimur, quia pluribus placet, & plausibilior facta est.

41 Probatur ergo primo, quod phantasia, & imaginatio non sint potentiæ distinctæ, vt tenent omnes aliæ sententiæ contra secundam, testimonio Aristotelis, qui c. præsenti tanquam de vna potentia diuersis nominibus significata loquitur. Imaginationi tribuens propriam actũ phantasiæ, vt hæc verba ostendunt ex tex. 155. *Si igitur imaginatio est secundum quam phantasma aliquod nobis fieri dicimus &c.* Constat enim phantasma esse actum, seu speciem expressam phantasiæ: ergo sentit has potentias nõ distingui inter se, sed eandem esse diuersis nominibus significatam, quod ad finem capitis confirmat docẽs, (iuxta omnium interpretum sensum) imaginationem desumpsisse nomen phantasiæ à lumine spectante ad visum.

42 Probatur deinde ratione, quia si imaginatio est potentia distincta a phantasia, maximè, quia apprehendit simplicia, illa verò ex simplicibus componit tertium, vt phantasia apprehendit montem, & aurum, imaginatio componit ex vtroque montem aureum; sed hæc ratio non probat distinctionem, quin potius probat eandem esse potentiam: ergo non debent distingui.

Minorem sic probo: impossibile est imaginationem componere tertium ex duobus simplicibus, quin simplicia ipsa apprehendat, seu cognoscat prius per proprias species sicut intellectus non potest componere propositionem ex terminis simplicibus, quin prius eosdem cognoscat per species simplices: ergo impossibile est dari sensum componentem, quin simplicia ipsa apprehendat.

Vnde sequitur imaginationẽ vtrumq; præstare, & ideo non posse distingui a phantasia, nisi solo nomine.

43 Probatur secundo, quod imaginatio, aut phantasia non sit potentia distincta a sensu communi testimonio Aristotel in lib. de memoria, & reminisc. cap. 1. prope finem vbi docet phantasma esse passionem, seu affectionem sensus communis hisverbis: *Phantasma communis sensus passio est*: ex quibus sic arguo, phantasma pertinet ad sensum communem tanquam passio eius, aut affectio, & constat esse speciem phantasiæ: ergo sentit Aristoteles eandem esse potentiam communem sensum, & phantasiam.

44 Propterea definitio phantasiæ assignata ab Aristotele cap. præsenti videlicet: *Motus factus a sensu in actu*, conuenit planè sensui communi: ergo eadem potentia sunt apud Aristotelem. Antecedens probo, quia cõmunis sensus operatur per impressionem factam a sensu externo actu operante, & nõ alio modo, cum solum simplicia, atque præsentia actu sensata cognoscere, aut discernere sit propria eius operatio, vt per se est manifestum: ergo hæc est motus factus a sensu in actu, & ei conuenit prædicta definitio.

45 Probatur etiam ratione, quia phantasiam distinguunt a sensu communi ex eo: quod phantasia cognoscit sensibilia absentia,

tia, sensus verò communis præsentia: sed impossibile est phantasiam non cognoscere sensibilia præsentia: ergo impossibile est, quod non conueniat ei operatio sensus communis, & ex consequenti, quod sit potentia distincta ab eo. Probatur minor ex eadem definitione phantasiæ, quod sit, *Motus factus a sensu in actu*, ex qua euidenter sequitur; quod necessariò moueatur a sensibili præsenti circa quod operantur sensus externi, atq; etiam communis: ergo necesse est recipere speciem a sensibili præsenti sensato, atque adeò illud præsens cognoscere, quod est habere operationem sensus communis.

46 Et vrgeo argumentum hoc modo, impossibile est naturaliter vllam potentiam sensitiuam operari, nisi motam ab obiecto per impressionem speciei, sed obiectum sensibile non potest mouere sensum, nisi præsens, quia non potest, nisi in passum præsens operari, sicut cætera agentia naturalia: ergo phantasia non potest operari circa absentia nisi moueatur a præsentibus sensatis, & consequenter, nisi ea cognoscat: quare necesse est propriam operationem sensus communis habere.

47 Ex quo intelligitur nullam potentiam esse ponendam ad operãdum circa sola sensibilia absentia, sed quæcumque talis ponatur necessariò habere virtutem operandi circa præsentia: quare non potest distingui duplex potentia ad operandum circa præsentia, & absentia, sensata ab externis sensibus, & consequenter non potest sensus communis distingui a phantasia.

48 Et si dixeris phantasiam operari circa præsentia: sed longè diuersa ratione, ac sensus communis, quia per species longe diuersas: nam sensus communis operatur omninò dependenter ab obiecto præsenti, & sensatione actuali sensus externi: cum non possit operari circa obiectum absens: phantasia verò non operatur per species dependentes ab obiecto, eo ipso, quod potest circa absentia operari, nec etiam dependet ab actuali sensatione sensus externi: imò nec mouetur ab eo immediatè: sed a sensu cõi, qui immediatè mouetur a sensu externo, & hæc est alia differentia, propter quam distingui debent. Probo hæc omnia esse falsa incipiendo ab hoc vltimo: nam si phantasia non mouetur immediatè ab externis sensibus: ergo non conuenit illi definitio tradita ab Aristotele c. præsenti. *Quod sit motus factus a sensu in actu*: nomine enim sensus in actu externum intelligit ibidem Aristot. expresè, & omnes eius interpretes: ergo falsum est, quod non moueatur immediatè ab externis sensibus.

49 Falsum est etiam, quod immediatè non dependeat ab eorum operationibus in recipiendo species: nam si eas recipit ab eisdem actu operantibus: non potest non recipere eas dependenter ab eorum operationibus, & immediatè quidem cum sit motus factus ab eisdem actu operantibus. Sed ratione probatur, quia vel phantasia recipit species in instanti, in quo operantur sensus externi, siue ab eis, siue a sensu communi, vel intercedit tempus, si in eodem instanti: ergo operatur per eas etiam in eodem instanti, quia potentia cum specie sufficiens, ac naturale principium operationis est: vnde sequitur operari circa præsentia, & non solum circa absentia, atque etiam operari dependenter ab obiecto præsenti, & per species etiam dependentes ab eo.

Et tandem discernere posse circa sensibilia præsentia diuersorum sensuum, quod est actus proprius sensus communis; & ideo esse eandem potentiam, cum eo, a quo proinde moueri repugnat, & necessariũ est, quod è sensibus externis immediatè moueatur: sed in quantum conseruare etiam potest easdem species receptas ab externis, & per illas operari circa absentia sensata est phantasia: de qua non est verum, quod operetur per species diuersas ab eis, per quas operatur sensus communis, quia species non sunt diuersæ ex eo, quod præsentia, & absentia repræsentant: nec etiam ex eo, quod ab obiecto præsente dependeant, vel non, ex hoc enim non habent diuersum modum repræsentandi: sed idem obiectum, & eodem modo repræsentant, propter virtutem tamen potentiæ eas conseruantis, non dependent in conseruari ab obiecto: sed a sola potentia.

50 Ex dictis sequitur memoriam non esse potentiam distinctam ab æstimatiua, quia ita se habet ad illam, sicut phantasia ad sensum communem, & hac sola ratione ab ea distinguitur, quia æstimatiua versatur circa insensata sensibilia præsentia: memoria verò circa illa eadem, vt absentia: sed probatum est hanc rationem non esse sufficientem ad distinguendas tales potentias operantes circa insensibilia sensata: ergo nec

Aa 2 erit

erit ſufficiens ad diſtinguendas alias duas omninò eis ſimiles operantes circa inſenſata.

51 Et quod dici poſſet in vtriſq; potentiam conſeruantem ſpecies diſtingui debere à non cõſeruante, etiam eſt inſufficiens, quia nec pro ſola conſeruatione ponitur potentia: ſed propter operationem, nec etiam poſſibilis eſt potentia conſeruans ſpecies, & operans circa abſentia, quæ non operetur circa præſentia (vt probauimus) quare ea quæ pro abſentibus ponitur, & memoria vocatur, quia ſpecies conſeruat, ſufficit ad operandum circa præſentia, & ideo fruſtra multiplicabitur alia: ſed eadem erit vtraque habens duo officia, vel actus inadæquatos circa abſentia, & præſentia.

52 Quod ex memoria intellectiua corroborari poteſt, quæ etiam ſi ſpecies conſeruet & circa abſentia operetur, non eſt potentia diſtincta ab intellectu circa præſentia ſolum operante vt talia, nec ſpecies conſeruante, etiam in doctrina D. Tho. vt inferius conſtabit.

Probatur tandem, quod æſtimatiua, & memoria, quæ eadem potentia ſunt non diſtinguantur à ſenſu communi, phantaſia, & imaginatione, de quibus probatum eſt etiã eſſe vnam eandemq; potentiam: primò ex Ariſtotele 3. lib. de anima tex. 56. expreſſe aſſerente appetitum ſenſitiuum immediatè moueri ab imaginatione, & ex hoc probat, quod cum in animalibus imperfectis ſit appetitus ſenſitiuus, quia dolent, triſtantur, neceſſariò ſit eis concedenda imperfecta quædam imaginatio.

53 Ex quo ſic arguo: appetitus non mouetur, niſi à proponente ſibi obiectum ſub ratione boni, aut conuenientis, ſeu nociui: ergo ſentit Ariſtoteles imaginationem proponere appetitui obiectum ſub ratione boni, ſeu conuenientis, aut nociui, ſed hoc eſt proprium officium, & actus æſtimatiuæ, vt omnes opinantes, imò & omnes interpretes cũ Ariſtotele fatentur: ergo apud ipſum diſtingui non poteſt æſtimatiua, nec proinde memoria ab imaginatione, & conſequenter neque à phantaſia, & ſenſu communi.

54 Sed ratione probatur, quia potiſſima, imò & vnica ratio diſtinguendi has potentias eſt, quia æſtimatiua, & memoria vtuntur ſpeciebus inſenſatis, vel certè circa obiecta non ſenſata ſenſibus externis verſantur, communis autem ſenſus, & phantaſia [illegible] circa ſenſata: ſed hæc ratio eſt [illegible] diſtingui non debent. Probatur [illegible] repugnat potẽtiam vti ſpeciebus inſenſatis, vel inſenſata percipere, niſi præiũ [illegible] ſpeciebus, atque obiectis ſenſatis, alioqui non mouebitur ab obiecto.

55 Probatur conſequentia, quia nõ poteſt naturaliter moueri vllus ſenſus internus ab obiecto, niſi medijs ſenſibus externis, cũ hæc ſit ei vnica, ac naturalis via, per quam immutari debet ab obiecto externo: ergo neceſſarium eſt ſpeciebus ſenſatis vti ad eliciendas inſenſatas, vel quouis alio modo operãdum circa obiecta inſenſata. Ex quibus efficaciter colligitur, æſtimatiuam, & memoriam circa vtraq; obiecta verſari, videlicet circa ſenſata, & inſenſata, & ideò non eſſe diſtinctas potentias à cæteris: ſed eandem cum eis. Quod hac experientia vrgeri poteſt: impoſſibile eſt ouem lupum fugere tanquam inimicũ, niſi eum per viſum, vel auditum, alium ve externum ſenſum ex aliquo accidenti ſenſibili agnoſcat: ergo impoſſibile eſt, quod inimicitiam, vel diſconuenientiam eius à ſenſibus externis non ſenſatam percipiat, ni ſi percepto prius per eandem æſtimatiuam aliquo ſenſato ab externo ſenſu: quare non poteſt circa inſenſata verſari, quin ſimul circa ſenſata verſetur: ergo ex propria natura verſatur circa vtraque, & non erit neceſſarium aliam potentiam diſtinguere, quæ circa ſenſata operetur, vel eandem æſtimatiuam ab ea.

56 Ex quibus probatum manet vnicã eſſe potentiã ſenſitiuã internã pro omnibus officijs, & actibus, qui reſpectu eius inadæquati ſunt, & à ſingulis ſingula nomina accipit: nã vt ſenſata oĩa ab externis ſenſibus percipit, & inter ea diſcernit vnum ab altero, ſenſus cõmunis vocatur, & in quantum non ſolum præſentia: ſed reſeruatis eorum ſpeciebus, vt abſentia cognoſcit, vocatur phantaſia.

57 In quantũ verò non ſolum abſentia ſimplicia percipit: ſed vnũ quodã modo ex duobus componit, imaginatio dicitur, & in quantum non ſolum ſenſata ab externis, ſed aliquo modo rationem cõuenientis, vel nociui non ſenſatam ab eis, appellatur æſtimatiua, atq; etiam vt circa hæc iam præterita reſeruatis eorum ſpeciebus dicitur memoria, & tandẽ in homine, vt rationẽ diſcurrentẽ co-

mi-

mitatur, & cum quadam collatione, ac imperfecto discursu circa singularia sensibilia versatur, appellatur cogitatiua, & si sint iam præterita, reminiscentia.

58 Nec mirum est eandem potentiam sensitiuam internam, & in suo genere sensibilium perfectissimum hæc omnia officia præstare posse: cum videamus eandem potentiam intellectiuam circa intelligibilia omnia versari, siue vniuersalia sint, vel singularia, siue simplicia, vel composita ex eisdem simplicibus ab eodem intellectu, aut etiam sub ratione conuenientis, & disconuenientis, & tandem siue sint præsentia, vel iam præterita reseruatis apud se eorum speciebus.

Et ex diuersis actibus, & officijs, quæ circa omnia hęc exercet, diuersa nomina sortitur: nam intellectus simplex, & componens, speculatiuus etiam, & practicus, memoria quoq; ac reminiscentia vocatur.

59 Ad primum argumentum, primæ opinionis concessa maiori, quod plura sint ponenda principia pro diuersis actibus, qui nō possunt ab eodem procedere, neganda est minor, quod quatuor illa officia, vel actus qui numerantur, non possint ab eodem principio prouenire. Et dum dicitur maiorem, ac distinctam virtutem requiri ad operandum circa absentia, quam circa sola præsentia, distinguendum est: nam si pro maiori, ac distincta virtute intelligatur perfectiorem, ac distinctam virtutem esse eam, quæ circa vtraque operari potest, quam esset ea, quæ solum posset operari circa sola præsentia, verum est: sed nec potest dari naturaliter virtus sensitiua operatiua circa sola absentia, nec circa sola præsentia, vt probauimus.

60 Ad secundum de temperamento organorum? Respondeo non posse dari potentiam sensitiuam internam conseruatiuam specierum, quæ non sit etiam receptiua (vt probauimus:) quare non possunt distingui per diuersa organa, aut diuerso modo temperata ad recipiendum, & retinendum. Habere autem organum cum prædominio siccitatis pro conseruatione, & simul cum prędominio humiditatis pro receptione repugnat: sed nec in cerebro datur naturaliter pars nimis sicca: sed omnes sunt magis humidæ, & ita oportebat esse temperatum organum ad recipiendas species, quod primò necessarium est: sed ita tēperatum est, vt nō multum excedat humiditas, quod sufficit, vt etiā possit conseruare species facile receptas.

61 Ad argumentum tertiæ opinionis, de quatuor illis cellulis, vel sinibus in cerebro repertis, respondeo, quod etiam si dentur, non potest ex eis probari multitudo potentiarum internarum, quia valdè incertum est pro quibusnam officijs in eis exercēdis constituantur a natura.

Et Galenus medicorum princeps 8. lib. de vsu partium, cap. 6. eos concedens sentit pro alijs officijs longè diuersis a sensibus internis recipiendis, & sensationibus eliciendis: nam in eo sinu qui est in parte posteriori (quam cerebellum vocāt) vigere inquit vim animalem: ibique operari. Sinum verò in medio existentem esse quasi transitum spirituum animalium. In duobus verò anterioribus elaborari inquit spiritus animales ad sentiendum necessarios, & alijs possunt officijs deseruire, nobis quidem (vtpote internis) omninò occultis, quod sufficit, vt ex eis infirmum satis deducatur argumentum ad probandum multiplicari sensus internos.

62 Ad testimonium Aristotelis, quod affert vltima sententia, negandum est, quod per sensum, a quo distinguit phantasiam, intelligat communem: absq; dubio intelligit sensum externum, prout cōprehendit quinque, a quibus simul, & ab intellectu conatur distinguere phantasiam, vt contextus eiusdem loci planè ostendit, & D. Thom. cum cæteris expositoribus in commentarijs docet.

Ad vtrumq; verò argumentum eiusdem sententiæ concedenda sunt, quæ assumunt.

63 Sed negandum, quod diuerso modo immutentur ab obiecto: nam licet phantasia possit circa absentia, & insensata versari, non tamen nisi medijs speciebus sensatis, quas primo habet, & per quas primo operatur, atque etiam per quas immutatur, & non per insensatas, quas media immutatione per sensatas, & media operatione per illas tantum elicit, eadem est ergo ratio formalis immutandi ab obiecto, quamuis a diuersis sensibus fiat: nam quod ab externis proximè, vel remotè, eam non variat: nam licet diuersæ sint species pro diuersitate causarum, & potentiarum: sed eundem modum repræsentandi res sensatas, pręsentes habet, & eo

ipſo, quod per ſpecies rei præſentis, atque ſenſatæ operatur phantaſia, neceſſe eſt, quod diſcernere poſſit inter ſenſibilia omnium ſenſuum externorum, a quibus proceſſerunt quod eſt officium proprium ſenſus communis. Vnde ſequitur non eſſe diſtinguendam ab eo, quia licet vltra hoc poſſit ſpeciebus inſenſatis vti; ſed eo ipſo, quod poteſt officium eius præſtare, non poteſt pro eo diſtingui alia potentia.

64 Quemadmodum imaginatio poteſt per ſpecies inſenſatas operari, quod non poteſt phantaſia: ſed quia imaginatio poteſt præſtare, quod præſtat phantaſia per ſpecies ſenſatas, & vlterius inſenſatis vtitur, non ſufficit hoc ad eas diſtinguendas, etiam iuxta primam opinionem diſtinguentem quatuor ſenſus internos, quæ eo ipſo, quod imaginatio poteſt quidquid phãtaſia, licet poſſit alijs ſpeciebus vti, pro eadem potentia cum phantaſia eam reputat.

Sed ſuperſunt duo alia teſtimonia Ariſtotelis, quibus videtur multiplicare ſenſus internos: Primum habetur 2. lib. de anima, textu 138. vbi ſic ait; *Abeuntibus ſenſibilibus manent ſenſus, & imaginationes in ipſis ſenſorijs.*

65 Sentit igitur plura eſſe ſenſoria imaginationes, & aliorum internorum ſenſuum, & conſequenter plures ſenſus, quia vnus, & idem nõ poteſt in multis ſenſorijs reſidere. Poſtremum verò reperitur in libello de inſomnijs cap. 1. his verbis: *Eſt quidem idem ſenſitiuo imaginatiuum, eſſe autem ſenſitiuo, & imaginatiuo aliud, &c.* quibus ſenſum internum videtur ab imaginatione eſſentialiter diſtinguere, quamuis concedat eſſe in eodem ſubiecto, hoc eſt, in animali, & ideo duos ad minus ſenſus internos ponere. Neutrum tamen probat aliquid aduerſus noſtrã ſententiam. Nam in primo loquitur planè Ariſt. de ſenſibus externis, & non de internis vt ex contextu literæ fit manifeſtum.

66 Et ita exponitur a D.Th. qui acutè ſatis verbum, *imaginationes*, pro apparitionibus quibuſdam factis in externis ſenſibus abeuntibus ſenſibilibus præcipuis, & præcipuè in ſenſu viſus exponit; quod profectò neceſſarium fuit, quia de imaginatione pro ſenſu interno extra propoſitum loqueretur Ariſt. In alio verò teſtimonio de imaginatione, vel phantaſia pro ſenſu interno loquitur, ſed non comparat eam cum alio ſenſu interno, ſed cum tota parte ſenſitiua, vt contextus ipſe oſtendit, & D.Thom. in eius expoſitione docet.

QVAESTIO II.

An diſtinguendi ſint plures ſenſus interni diſtinctione ſpecifica, & eſſentiali.

67 QVæſtio hæc ſolum procedit præſuppoſita opinione, quam ſequimur, quod ſolum datur vna potentia realis ſenſitiua interna, cui conueniunt omnes illi actus, & officia omnia, & iuxta ſingula diuerſa nomina, aut denominationes ſortitur. Petit verò, an ſaltem ratione horum actuum diuerſorum diſtingui debeant ſpecie plures potentiæ, quamuis eadem ſint realiter, poſſibilis eſt enim diſtinctio ſpecifica cum identitate reali: vt multis exemplis omnibus manifeſtis conſtat.

Et fortè non deſunt, qui hanc partem ſequantur, & plures potentias ſenſitiuas formaliter, & eſſentialiter diſtinguant concedentes eandem eſſe realiter: Quæ probari poteſt teſtimonio Ariſtotel. in lib de inſomnijs, & imaginibus, cap. 1. vbi ita ait. *Formandorum viſorum facultatem eandem eſſe, & ſenſitiuam, quamuis eſſentia diſcrepent*, Nomine autem viſorum phantaſmata intelligit, & per facultatem ea formandi phantaſiam, iuxta communem interpretum expoſitionem, per facultatem verò ſenſitiuam communem ſenſum: aſſerit autem differre formaliter, & eſſentialiter: ergo diſtinguit ſpecie plures potentias ſenſitiuas internas. Probatur etiam ratione, quia potentiæ diſtinguuntur ſpecie per actus ſpecie diſtinctos, ſed actus iam enumerati diſtinguuntur ratione formali, & ſpecifica per diuerſa obiecta, circa quæ verſantur, aut ſaltẽ per diuerſas rationes formales, quibus verſentur circa eadem: ergo diſtinguunt eſſentialiter potentias. Secundò, definitio phantaſiæ eſt, quod ſit *Motus factus a ſenſu in actu*, quæ nõ conuenit ſenſui communi æſtimatiuæ, & memoriæ, vel actibus earum, alioqui vitioſa foret: cum conueniat alijs actibus diuerſis, & conſequenter diuerſis potentijs: ergo ſoli phantaſiæ: quare diuerſa erit hæc à ſenſu communi,

muni, & alijs, & ratione quidem specifica cum distinguatur per definitionem explicantem essentiam.

68 Nostra tamen sententia est *suppositâ identitate reali harum potentiarum, non posse distingui formaliter, & essentialiter ratione diuersorum actuum, sed sicut est vna realiter, ita esse vnam formaliter, essentialiter, & secundum speciem atomam*. Quam sic probo. Potentiæ non distinguuntur specie per actus inadæquatos, & inadæquata obiecta (etiam specie distincta secundum se) quæ conueniunt in vna ratione actus, & obiecti communi omnibus, & adæquata eidem potentiæ: vt in intellectu, voluntate, & alijs manifestum est, sed supposita identitate reali potentiæ sensitiuæ internæ omnes illi actus, & eorum obiecta cum ea comparata sunt inadæquata, & conueniunt in vna ratione communi, & adæquata: ergo nõ possunt distinguere diuersas potentias secundum speciem: sed ad eandem potentiam specificam pertinere debent.

69 Probatur minor, quia actus sentiendi sensibile externum communis est actui sentiendi sensibilia præsentia, & præterita, sensata, & insensata, & insuper est adæquata ratio respectu eiusdem realis potentiæ: ergo constituit eam sub vnitate speciei atomæ. Probo esse adæquatam, quia ratio conuertibilis cum aliquo est ei adæquata: nam adæquatum quasi æquale est, sed constat rationem illam vniuersalem actus, & obiecti conuerti cum tali potentia: cum versetur circa omnia sub ea contenta, & circa nihil aliud versari possit: ergo adæquata censenda est.

70 Ad testimonium Arist. ex lib. de insomnijs.

Respondeo loqui de rationibus particularibus sub quibus eadem potentias realis interna versatur circa præsentia, vt talia, & circa absentia, vt absentia, & ratione illius dicitur sensus communis: ratione verò huius imaginatio, vel phantasia, & has duas rationes essentialiter esse diuersas docet, si inter sese comparentur cæterum quia inadæquata sunt, & sub alia ratione superiori communi & adæquata continentur, non valent potentias distinguere essentialiter, sed ad eandem pertinere necesse est, quemadmodum in potentia intellectiua diuersæ rationes formales sunt præterita vt talia, & præsentia, vt talia intelligere, scire etiã, & opinari, & ab illa dicitur intellectus, ab hac memoria, ab illa intellectus scientificus, ab hac opinatiuus. Et nihilominus nõ distinguunt diuersas potentias intellectiuas, etiam formaliter, quia inadæquatæ sunt, & sub eadem ratione communi, & adequata eidem potentiæ continentur. Cuius ea est ratio a priori, quia potentiæ ex solis actibus, & obiectis adæquatis habẽt vnitatem specificam, & distinctionem, ex inadæquatis verò solum distingui possunt quadam ratione accidentali.

71 Ad 1. arg distinguenda est maior, quod potentiæ distinguantur specie per actus, & obiecta; nam per adequatos, verum est, per inadæquatos verò falsum: quo autem modo inadæquati sint omnes isti actus sentiendi interni respectu eiusdem potentiæ realis, explicuimus, atq; probauimus.

Definitionem phantasiæ, a qua sumitur secundum argumentum, sic explicat Philop. c. præsenti, quod sit motus factus a sensu interno in actu, qui est cõmunis, & mouere potest phantasiam: quare non conuenit eadem definitio sensui communi, qui solum potest moueri ab externis, & non ab aliquo interno: cum ex internis sit primus.

73 Hæc tamen solutio in primis ex presse contraria est verbis Aristotelis statim post definitionem subiunctis, quibus de solis externis sensibus propriam definitionem intelligit, & sensum eius esse docet, quod phantasia sit motus factus a sensu externo in actu, vnde statim assignauit differentiam inter externos sensus, & phantasiam, quæ ab eis mouetur. Deinde est contra rationem, quia vt superius probauimus, phantasia conuenit cum sensu cõmuni in eo, quod a sensatis præsentibus eodẽ modo, ac per easdem species mouetur: ergo non potest ab eo moueri, quia potentia mouens aliam diuerso principio cognoscendi vti debet, alioqui non distinguetur ab illa. Respondemus igitur illa verba: *Motus factus a sensu in actu*, nõ esse integrã definitionẽ phantasię, sed quasi genus eius, in quo cõuenit cum cęteris sensationibus internis, sensus cõis, æstimatiuæ, & alijs: oẽs n. causantur proximè à sensibus externis actu operantibus. Statim verò post prædicta verba addit Arist. alia, per quæ cõpletur definitio phantasiæ, videlicet, *quod habens motũ illum præsentia, & absentia cognoscere potest, veram ac falsam cognitionem habere*; in quibus

distinguitur ab alijs ſenſationibus internis, ſenſus communis æſtimatiuæ, & alijs: ſed vt textum exponentes admonuimus, de imaginatione, ſeu phantaſia loquitur Ariſtoteles pro actu, ex quo cognoſcimus potentiam.

75 Integra igitur definitio phantaſiæ, vt potentiæ talis erit, Phantaſia, ſeu imaginatio eſt: *Potentia interna, quæ mota a ſenſibus externis actu operantibus verſatur circa ſenſibilia actu ab eis ſenſata, præſentia, & abſentia, cuius cognitio aliquando vera eſt, & ſæpe falſa*; per quam definitionem quidam actus determinatus eius explicatur diſtinctus quidem ab alijs, quos habet circa ſenſibilia ſolum præſentia, vt eſt ſenſus communis, & circa eadem præſentia ſub ratione conuenientis, aut nociui, vt eſt æſtimatiua, & circa abſentia, vt eſt memoria: cōcedimus ergo his ſenſationibus non cōuenire definitionem phantaſiæ, ſed proprias habere, atque diſtinctas, per quas formaliter diſtinguuntur, ſed diſtinctione inadæquata reſpectu eiuſdem potentiæ realis, a qua procedunt omnes, quare nō poſſunt potentias adhuc formaliter, & eſſentialiter diſtinguere, vt probatum eſt.

QVAESTIO III.

An ſenſus internus cognoſcat ſenſationes externorum.

76 IAm incipimus agere de obiecto ſenſus interni quærentes, an ad ipſum pertineant ſenſationes externorum. Et licet plures referantur de hac re opiniones: ſed omnes poſſunt reduci ad duas.

Prior negat ſenſum internum percipere ſenſationes externorum, ſed ſenſibilia dumtaxat, circa quæ verſantur, vt coloré, & non viſionem eius.

Sed dari particularem quandam potentiam per quam percipiantur, quam Plutarchus vt refert Philoponus ſtatim citandus vocabat opinatiuam, Philoponus verò ipſe cognitionem ſenſationum externorum, non alicui virtuti ſenſitiuæ tribuendam eſſe cenſet, ſed peculiarem pro eis percipiendis dari animæ rationali propriam, & ideo nec ſenſitiuam neque organicam, & ſiue ab hac, vel illa cognoſcantur, ſentit hæc opinio a ſolo homine, & non a brutis cognoſci.

77 Hanc ſententiam præter Plutarchum ſequitur Simplic 3. lib. de anima [illegible] Philoponus in collectaneis. Nemeſ. de natura hominis cap. 2. & 7.

Probatur 1. ſpecies expreſſa ſenſus externi, & ſenſatio per quam [illegible] non poteſt imprimere ſpeciem ſui in ſenſu interno, [illegible] lius obiecti, cuius eſt ſimilitudo, ſicut [illegible] producta in aere ab obiecto non producit ſimilitudinem ſui in potentia, ſed obiecti, ergo non poteſt ab eo ſentiri.

78 Secundò ſi viſio imprimeret ſpeciem ſui in ſenſu interno: ergo diſtinctam a ſpecie coloris viſi, quia valde diuerſa ab eo eſt, & res diuerſæ diuerſas ſimilitudines imprimere debēt: poterit ergo percipi a ſenſu interno viſio coloris non percepto eodem colore viſo, atque etiam color viſus non percepta viſione, quia id quod percipitur per diſtinctam ſpeciem ab alio ſine illo percipi poteſt, cum ſpecies cuiuſq; rei ſit ſufficiens principium cognitionis eius ſimul cum potentia ſed vtrumq; eſt falſum, quia cum viſio dicat intrinſecum ordinem ad obiectum, atq; etiā obiectum viſum ad viſionem, neutrum poteſt ſine altero cognoſci [illegible] ſenſu. Deinde ſequeretur ita perfecte cognoſci per ſenſum internum ſenſationem externi, ac obiectum eius, cum ita per propriam ac diſtinctā ſpeciem cognoſcatur: conſequens autem contra experientiam eſt, quia nunquam ferè cognoſcimus diſtinctè ſenſationem, ſed ſolum obiectum ſenſibile.

79 Secunda opinio *tenet neceſſarium eſſe, quod ſenſus internus cognoſcat non ſolum obiecta externorum, ſed etiam ſenſationes, per quas ea percipiunt, vt colorem, & viſionem eius, ſonum & auditionem*. Ita expreſsè D.Thom. 1.p. q.78. art.4. ad 2. & q.87. art.3 ad 3. & 2. contra gent. c.60 Scotus in 4 diſt 45. q.3. atque etiam recentiores vniuerſi, præſertim Tolet. 3. lib. de anima q.3 & nobis videtur non ſolum probabilior, ſed vera.

Probatur expreſſo teſtimonio Ariſt. c. 1. huius lib vbi agens de cognitione ſenſationū externarū docet, & probat non cognoſci a proprijs ſenſibus, ſed a ſenſu cōi. Probatur etiam experientia: nam omnes experimur recordari nos, quod aliquid viderimus.

80 Nec poteſt hoc ſoli intellectui tribui, ſed etiā ſenſui interno, quia ſimul, & ſemel, ac videmus, vel audimus obiectum aliquod; re-

recordamur nos illud idem iterum] vidisse, vel audiuisse: ergo per eandem potentiam percipimus vtrumque, sed constat nos percipere obiectum per memoriam sensitiuam: ergo per eandem percipimus sensationem eius iam habitam.

81 Ratione verò; quia bruta pertimescũt quædam loca, in quibus fuere percussa, & redeunt ad alia, [in quibus cibum, [vel potum inuenere; ergo recordantur doloris perpessi, ac delectationis perceptæ, quos medijs operationibus externorum sensuum percepisse constat: ergo illorum operationum recordantur.

82 Secundò, perfecta animalia habent sensum communem; ergo discernunt per eũ inter sensibilia externorũ sensuum, vt actu ab eis sensata, quia non alia ratione ab eis moueretur, sed repugnat discernere inter illa, vt actu sensata ab eis, nisi vt talia cognoscantur, & repugnat, vt talia cognosci, nisi cognitis sensationibus ergo negari non potest, quin eas cognoscat.

Sed explicare oportet, per quam speciem cognoscantur, ptopriam quidem, ac distinctam à specie, per quam cognoscunt obiectum, vel per eandem speciem obiecti. Toletus vbi supra, & Bannez 1. p. q. 78. art. 3. dub. 10. per eandem speciem cognosci arbitrantur à sensu interno obiectum externi actu sensatum, & sensationem eius. Sed quonam modo possibile sit, res adeo diuersas repræsentari per eandem speciem, non explicant.

83 Dicendum igitur est per eandem absque dubio speciem repręsentari, atque agnosci, eo ferè modo, quo superius diximus per eandem speciem repræsentari, atque cognosci à sensu externo proprium sensibile, atque commune, ita quidem vt proprium eam imprimat sensui, commune verò eam determinet, ac modificet producendo in ea modum quendam, per quem repræsentetur.

84 Itaque sicut proprium sensibile, & commune vniuntur per modum vnius obiecti determinati, ac modificati in ordine ad sensationem, quia color extensus vnum obiectum visus est, ita vniuntur ad productionem vnius, eiusdemque speciei determinatæ, aut modificatæ, quolibet eorum concurrẽte iuxta propriam naturam, videlicet sensibili proprio ad entitatem speciei; commune verò ad modum, & ita per modũ vnius percipiuntur à sensu.

Sic intelligi debet obiectum sensatum ab externo sensu, & sensationem eius se habere ad producendam speciem in sensu interno; nam sicut obiectum non potest percipi secundum se ab eo, nisi vt actu sensatum à sensu externo; ita nec potest secundum se imprimere ei propriam speciem, sed vt actu sensatum: per sensationem igitur determinatur, & quasi modificatur, & vt sic determinatum, & non alio modo potest eum immutare, & imprimere ei propriã speciem.

85 Vnde sequitur, quod sicut obiectum vt sensatum vnum quid est à sensu interno perceptum, & non duo, ita idem obiectum simul cum propria sensatione, non vt plura obiecta, sed per modum vnius percipiuntur ab eo. Et ex consequenti non vt plura obiecta, sed per modum vnius eundem sensum immutant: immutatio verò est productio speciei: ergo vniuntur ad eam producendã, & per modum vnius obiecti determinati, ac modificati eam imprimunt: ita vt ab obiecto imprimatur secundum entitatem, à sensatione verò secundum modũ, per quem determinatur, ac modificatur.

86 Vtrumque igitur repræsentat per modum vnius, obiectum quidem per entitatem, & sensationem per modum. Et hinc est, quod sicut non potest percipi à sensu externo proprium sensibile sine communi, neque commune sine proprio: ita non possit percipi à sensu interno obiectũ sensus externi sine sẽsatione, nec ista sine obiecto sẽsato.

87 Ad primum argumentum negandum est antecedens, & cum dicitur ipsammet speciem expressam esse similitudinẽm formalem obiecti. Respondeo esse quidem, sed nõ tantum id habere, sed etiam quod comparata ad sensum internũm sit obiectum cognoscibile ab ipso. Itaque duo habet sensatio externa, seu species expressa eius; primũ, quod comparetur cum obiecto, cuius est formalis similitudo.

88 Secundum, quod comparetur cũ potentia interna, cuius est imutatiua, & in priori comparatione non est, ꝙ cognoscitur, sed quo aliud, vel in quo aliud expresse cognoscitur à sensu externo; in posteriori verò est, ꝙ cognoscitur, vel cognosci potest simul cum obiecto, quod repræsentat tanquam sensatum. Et ideo imprimit speciẽ sẽsui interno,

ad quem comparatur tanquam modus eiuſdem obiecti, & cum ex re, & modo fiat vnũ modificatum, producitur à ſenſatione externa vna tantum ſpecies modificata repræſentans vtrumque per modum vnius. Hæc autem non habet ſpecies impreſſa, quia ſolum eſt virtus obiecti non ſenſibilis per potentiam, ſed quæ ſolum eſt ratio ſentiendi obiectum, prius per ſenſum externum, quàm cum interno comparetur, vel comparari poſſit; quare nec poteſt producta in aere imprimere aliam ſpeciem ſui in eodem ſenſu, ſed ſolius obiecti.

89 Ad ſecundum neganda eſt prima conſequentia, quod ſenſatio imprimat ſpeciem diſtinctam ab obiecto ſenſato, ſed eandem modificatam: nam ita eſt ab eo diuerſa ſicut modus à re, quàm modificat in ordine ad ſenſum internum, quem immutare poteſt, nec ſequitur vt ſenſatio eidem inhæreat: ſed ſufficit, vt adhæreat ei quadam ratione extrinſeca per repræſentationem, ex hoc enim poteſt vniri ad agendum circa extrinſecum, nempè circa ſenſum, ita vt per modum vnius cognoſcatur ab eo vtrumque ſimul, & vtrumque tanquam quod cognoſcitur, ſicut cognoſcuntur ſimul ſenſibile proprium, & commune, & vtrumque tanquam quod cognoſcitur.

90 Quod verò non ita perfectè cognoſcatur ſenſatio, ſed aliquando confusè tantum, ex defectu aduertentiæ ipſius potentiæ prouenit, quæ ab obiecto tanquam à principaliori ſenſibili fortius mouetur, & quaſi rapitur. Ideo minus ad modum, quàm ad ſenſationem ipſam attendit. Quod patet in ſenſatione externa, per quam perfectius, atque diſtinctius cognoſcitur proprium ſenſibile, quàm commune, quamuis per eandem ſpeciem repræſentetur vtrumque, & per eandem cognitionem percipiatur.

QVAESTIO IV.

An ſenſus internus cognoſcat propriam ſenſationem.

PRiuſquam diuerſas ſententias referamus, hæc diſtinctio præmittenda eſt circa modum cognoſcendi proprium actum, videlicet per alium actum diſtinctum ab eo, quo cognoſcitur obiectum, qui reflexus vocatur; cum ſit cognitio cognitionis vt obiecti, vel per eundem actum directum, ita vt eodem ipſo actu, quo ſenſus cognoſcit obiectum ſenſatum ab externo, cognoſcat ſe cognoſcere illud.

91 Hoc ſuppoſito, licet titulus quæſtionis de ſolo ſenſu interno quærat, intelligitur tamen quæſtio, etiam de externis, quia licet maior ſit de interno in hac re difficultas, propter maiorem perfectionem eius, ijdem ferè ſunt modi opinandi de omnibus, & rationes ſingularum opinionum, quæ de externis, ac de internis procedunt eædem: propterea brevitatis ſtudio placuit quæſtionem ſimul de omnibus agitare.

Et tenet prima ſententia ſenſum ſentire propriam ſenſationem tanquam obiectum, quod; & ideo per aliam cognitionem, diſtinctam ab ea, qua cognoſcit obiectum, quàm merito poſſumus attribuere Simplicio, quẽ citat Tolet. 3. lib. de anima, q. 3. id concedenti ſenſibus externis, non omnibus: ſed humanis propter coniunctionem cum intellectu.

92 Probatur teſtimonio Ariſtotelis in libro de memoria & reminiſc. c. 1. ferè per totum, vbi loquens de ſenſu communi, & memoria, vel de actibus eorum volens eos diſtinguere, aſſerit vtrumque verſari circa phantaſma, quod duo habet, videlicet quod ſit res quædam inhærens potentiæ, & quòd ſit imago alterius iam viſi, aut ſenſati, ſicut imago depicta in pariete habet, quod ſit res quædam, nempè homo pictus, & quod ſit imago veri hominis iam cogniti. Et ſenſus communis verſatur circa illud, vt rem quandam: memoria verò vt imaginem obiecti iam ſenſati, ſeu cogniti; ſentit igitur Ariſtoteles

teles sensum internum cognoscere phantasma, sed phantasma est terminus sensationis: ergo non potest cognosci, quin cognoscatur sensatio ipsa.

Probatur etiam ratione, quia intellectus cognoscit actum phantasiæ, vt quod: ergo eodem modo debet illum cognoscere phantasia. Probatur consequentia, quia nihil potest cognoscere intellectus, nisi circa illud idem opetetur phantasia propter intrinsecam dependentiam intellectus operantis in corpore à sensu.

93 Secundò probatur efficaciter argum. ad hominem præsupposita sententia, quam sequimur de vnitate sensus interni hoc modo; experientia nobis constat, quod per memoriam recordemur præteritæ imaginationis à nobis habitæ, aut etiam præteriti actus sensus communis, quo cognoscimus colorem aliquando visum, sed duo isti actus sunt eiusdem sensus interni apud nos: ergo vnus iste sensus internus cognoscit actum proprium per alterum ab eo distinctum, & reflexum quidem: cum sit cognitio alterius cognitionis.

94 Sed hæc sententia duobus modis declaratur à recentioribus, quia dupliciter cognosci potest proprius actus à potentia, vel secundum se, hoc est, non coniunctus cum obiecto cognito, vel vt ipsi coniunctus, & quasi ipsum modificans: sicut supra diximus sensum internum cognoscere sensationem externi, quod sine reflexione fit: cum non sit cognitio cognitionis, vt obiecti, sed vt modificantis obiectum, & ideo secundum quid.

Secunda opinio negat internum sensum cognoscere propriam sensationem per aliũ actum distinctum, sed cõcedit ei, quod eam cognoscat per eũdem actum directum, quo cognoscit obiectum, quod de visu, & alijs externis sensibus tenuerunt Ægid. & Venet. c. præsenti, & cum eis recentiores alij. Qui etiam id ex consequenti tenent de sensibus interni, vtpotè perfectiorib.

95 Et videtur eandem sequi D.Thom. 3. lib. de anima, cap. 2. & 12. q. 112. art 5. ad 2. nam in 1. loco concedit duplicem operationem sensibus etiam externis, nempè apprehensionem, & iudicium, & per iudicium ait quasi indirectè cognoscere apprehẽsionem. In secundo verò asserit assensum fidei, & scientiæ simul reddere certum intellectũ de obiecto, ac de se ipso. Quod non videtur posse negari internis sensibus; nam de externis etiam id tenent Ægid. & Venet c. 2 huius lib. & Ferrar. 2 contra gent. ca 66. quamuis in quodam sensu particulari ab hoc authore explicetur.

96 Modum verò quo sensus internus cognoscit propriam sensationem, sic explicat recentiores isti, vt non cognoscatur ab eo tãquam obiectum, & ideo nec per speciem, quia non potest ita cognosci, eodem actu directo, nisi distincto, atque reflexo. Sed immediatè per se ipsam, & quasi per experientiã; nam cum immediatè per se ipsam, & non per speciem inhæreat potentiæ, per eandem inhærentiam quasi experientiam sui causat in eadem potentia, & hoc est ab ea cognosci actu directo. Sed probatur hac ratione: nam species expressa sensus interni repræsentat obiectum vt actu, & expresè cognitum cognitione ipsa, ergo non potest vt tale cognosci, quin cognoscatur ipsa cognitio, quasi illud modificans, & tribuens esse actu cognitum.

97 Tertia opinio negat sensum externũ, vel internum vllo modo cognoscere propriam sensationem, hoc est, neque alio actu distincto ab eo, per quem cognoscit obiectũ, neque eodem. Et de sensu externo id tenet expresè Arist. c. 2. huius lib. Vbi cum proposuisset dubiũ an sensus externus cognoscat propriam sensationem. Respondet non cognoscere, ex qua solutione colligit necessariò ponendum esse sensum communem internum ad eam cognoscendam, quia euidenti experientia nobis constat cognitione sensitiua cognoscere nos, quod videamus, & audiamus, & per cęteros sensus sẽtiamus, quod non posset colligi, si sensus quisque externus suam cognosceret sensationem.

98 Quod sequuntur etiam omnes ferè interpretes, præsertim Albert. Magn. 2. lib. de anima, tract. 4 cap. 7. Ianel. q. 56 Iand. q. 33. Apollin q. 37. Tien ad text. 138. eiusdem libri Tolet. 3. de anima, q. 3. Capreol. in 3. dist. 44 q. 1. attic. 3. & plures alij. Et tandem D.Thom. 1. par. q 78. art 4 ad 2. his verbis. *Cum aliquis videt se videre, hoc non potest fieri per sensum proprium, qui non cognoscit, nisi formam sensibilis, à quo immutatur: in qua immutatione perficitur visio coloris, ex qua sequitur alia immutatio in sensu communi, qui visionem percipit.*

At-

Atq; etiam D. Aug. 2. lib. de libero arbitr. c. 4. in principio, vbi sic ait: *Non enim bestia moueret se, vel appetendo aliquid, vel fugiendo, nisi se sentire cognosceret, quod non vtique aliquo eorum ex quinque sensit*. De sensu verò interno idem tenent D. Thom. 2. contra gent. ca. 66. & ibid. Ferar. & 1. par. q. 78. art. 4. ad 2 & ibid. Caietan. & tandem, q. 78 art. 3. ad 3 & Scot. in 4. dist. 45. q. 3. § circa istam quæstionem. Et probatur de vtroque sensu simul, 1. ratione D. Thom. in vltimo loco quæ sic habet. Sensus ex propria natura cognoscit per immutationem organi corporei ab obiecto extra se existente, & propterea vocatur potentia passiua, & passione quidem transeunte: ergo non potest à se, vel à proprio organo, vel ab his, quæ in eo sunt immutari, nec proinde ea cognoscere: vt probatur in omnibus sensibus externis: sed sensatio recipitur in ipsomet organo cuiuslibet sensus etiam interni: ergo non potest ab eo percipi. Et vt geri potest hæc ratio, quia quilibet sensus est materialis, & extensus, & residet in organo extenso, & materiali: ergo nihil potest percipere sine extensione, quare si percipit propriam sensationem: ergo percipit extensionem eius, immo & organum à quo extenditur; quia eo ipso quod sentimus accidens, sentire debemus subiectum per ipsum, vt patet de colore, & colorato: sed contra experientiam est, quod hæc sentiamus: ergo nec sentimus propriam sensationem internam.

99 Sed dices probare hæc, quod non potest sensus internus sentire propriam sensationem tanquam obiectum, quod, & alio actu, non tamen, quod non possit eam sentire tanquam actum proprium, & non per alium actum, sed per se ipsam. Contra hoc tamen est, quod nihil potest percipi à potentia contra proprium modum immutationis naturalis, sed modus proprius sentiendi est per immutationem rei materialis, & naturalis extra existentis; vnde constat nullum sensum posse percipere, neque actu directo, neque reflexo se ipsum; neque proprium organum, nisi, vt obiectum extra repræsentatum: ergo neque vllo modo potest percipere per se immediatè sensationem propriam intra se existentem, etiam eodem actu directo.

100 Secundo probatur, quia si propriam sensationem sentiret actu directo, quia immediatè ei inhæret, & ideo per actualem inhærentiam quasi experientiam sui facit, sequitur eadem ratione sentire sensationem expressam per eũdem actum vt insitam, cum sit actualis notitia eiusdem obiecti, & immediatè inhæreat potentiæ & ideo experientiam sui efficiat, si eam facit cognitio. Consequens autē falsum est, quia si per se expressa sentiretur, euidēs esset dari: constat verò sub dubio adhuc esse, & negari a multis; ergo non cognoscitur ab eodem sensu.

101 Testimonium Aristotelis pro prima opinione oppositum satis difficile est, quia non potest intelligi de memoria intellectiua, vt à quibusdam recentioribus explicatur. cum manifestum sit ex verbis, atque contextu eius differētiam constituere inter actum sensus cōmunis, & memoriæ sensitiuæ. Quo supposito à pluribus alijs exponitur de memoria sensitiua; quorum expositiones propterea non refero, quia non possunt verbis quadrare.

102 Sensum igitur Aristotelis esse arbitror, quod eodem phantasmate vtantur sensus communis, & memoria, siue distinctæ sint potentiæ, siue eadem diuersos actus inadæquatos habens: sensus quidem communis vtitur eo tanquam re sibi impressa à sensato præsenti, memoria verò tanquam imago rei iam cognitæ apud se reseruata. Itaque non intelligit Aristoteles, quod sensus interni per hos diuersos actus percipiant phantasma tanquam obiectum, quod; nam hoc planè impossibile est, & doctrinæ eius contrarium: sed quod vtantur eo, vt principio diuersorum actuum secundum diuersas rationes, quas habet. Ex quo nihil probatur contra nostram sententiam, quia potentia sensitiua non cognoscit principium suæ operationis, vt per se patet.

103 Pro solutione argum. vnum est adnotandum, quod intellectui, & suo modo voluntati conceditur, quod per actus reflexos versentur circa actus proprios propter duplicem perfectionem maximam vtriusque potentiæ, videlicet propter immaterialitatem propriam, & vniuersalitatem obiectorum. Nam intellectus habet pro obiecto vniuersalissimum ens, sub quo tam ipse, quàm proprij actus, & omnia quæ apud se habet comprehenduntur, & voluntas vniuersalissimum bonum, sub quo ipsamet cum proprijs actibus, & habitibus continetur; quare necesse est vtramque potentiam se ipsam, &

pro-

proprios actus posse cognoscere tanquam obiecta, non minus cognoscibilia per se, quàm res alias; & ideo propria, atque reflexa cognitione: nam & immaterialitatis ipsa confert potestatem ad quamlibet reflexionem, sensus verò caret vtraque perfectione, quia obiectum habet limitatum ad id tantũ, quod potest immutare potentiam sensitiuã, & materialem; ac per species sensibiles, sub quo constat non comprehendi species, neq; actus proprios, quia tale esse sensibile immutatiuo carent, & longè inferius, magisq; diminutum habent, quod intẽtionale vocatur; quare nec proprias species, nec proprias operationes potest cognoscere, nec vllũ actum reflexum habere, quia materialitas impedit omninò reflexionem: cum reflecti supra se, & supra proprios actus arguat perfectissimum modum operandi, & ideo à materialitate alienum.

104 Ad primum argumentum eiusdem sententiæ respondeo, quod cum actus proprius non sit sensatus vllo modo per sensus externos, nec potest per phantasiam percipi tanquam obiectum: nam obiectũ nullo modo cognoscitur per species sensatas, nec potest vllo modo per insensatas cognosci, vt mox ostendetur. Vnde sequitur, nec posse ab intellectu cognosci talem actum per propriam speciem, quia non potest intellectus per propriam speciem cognoscere, nisi id quod per propriam speciem à sensu percipitur, vt inferius ostendetur. Percipit igitur actum phantasiæ per species aliarum rerum similium per species proprias sensatarum; & ideo solum sequitur, quod circa has debeat simul operari phantasia, & has cognoscere, & non actum proprium.

105 Ad secundum concedimus, quod sicut supposita distinctione internorum sensuum, & subordinatione eorum, perfectior, seu superior potest cognoscere operationẽ inferioris absque propria reflexione, sine qua etiam cognoscit sensus internus sensationem externi, eodem modo præsupposito, quod sit vnus tantum habens plures, ac diuersas operationes maioris perfectionis, potest per superiorem operationem cognoscere inferiorem se habentem tanquam obiectum à quo immutatur ad eliciendum actum superiorem; quod non est supra proprium actum reflecti: nam proprius actus, qui est obiectum reflexæ cognitionis, ille idem debet esse, qui circa obiectum elicitur, & non alius ei necessario præsuppositus tanquam obiectum, nec præcisus quidem, aut seiunctus ab obiecto per eũ cognito: sed solum tanquam modus eius.

106 Modus autem ille, quo potentiam cognoscere proprium actum affirmat secunda opinio, videlicet non tanquam obiectum: sed in quantum per immediatam inhærentiam in potentia experientiam sui causat in ea, impossibilis est, quia pugnat cum modo inferiori, & materiali operandi cuiuslibet sensus, natus solum moueri à sensibili extra se existenti, vel extra se repræsentato, vt probauimus. Negandum est igitur, quod sensatio per immediatam inhæsionem in potentia causet in ea notitiam, vel cognitionem experimentalem sui, sed solius obiecti, immo sui nullam potest experientiam causare, quia potentia adeo materialis, & quæ non nisi modo materiali immutari nata est, non potest, nisi ab obiecto extra se existenti immutari, non ergo à cognitione ipsa intra se existente, sicut neque à seipsa, neque proprio organo, nec ab speciebus, quas apud se habet immutari potest, nec aliquid eorum etiam actu directo cognoscere.

107 Quidquid autem ex his attribuitur intellectui, propter immaterialitatem, & perfectionem maximam ei potest conuenire; vnde ea quæ D. Thom. loco illo citato in argumento concedit intellectui, negat sensibus in alio loco primæ partis à nobis citato pro nostra sententia, probatque non posse eis conuenire.

108 Ad argument. verò negandum est, quod non possit cognosci obiectum actu, & expressè repræsentatũ; quin cognoscatur cognitio ipsa, per quam cognoscitur, quia obiectum, non habet esse actu cognitum per talem cognitionem tanquam principiũ eius: sed tãquam terminus; quare nec requiritur, nec potest cognosci sensatio ipsa, quamuis cognoscatur obiectum per speciem actu, & expressè repræsentatum: nam expressè, & actu repræsentari per speciem expressam ex parte ipsius speciei se tenet, & propterea non cognoscitur eadem cognitione modus ipse actualis, & expressæ repræsentationis, neque repræsentatur per speciem; sed est modus ipsius speciei: non enim sequitur, species expressa repræsentat actu, & expressè obie-

obiectum, & obiectum ſic repræſentatum cognoſcitur ergo cognoſcitur repræſentatio ipſa, & ex conſequenti quoque cognitio.

Et ſi obijciatur, quod voluntas eo ipſo, quod aliquid liberè vult, vult etiam ſe velle, quod eſt eodem actu directo velle ſuum actum. Diſtinguendum eſt antecedens: nam formaliter & expreſsè falſum eſt, cum nihil poſſit hoc modo velle voluntas niſi ei proponatur ab intellectu; conſtat autem proprium actum non proponi vllo modo ei ab intellectu, quoties proponitur aliquod obiectum, quia neque tunc cognoſcitur vllo modò ab intellectu: ſed dicitur, quod voluntas ſemper ac vult, velit ſe velle, quadam ratione virtuali, & interpretatiua, quam per hoc explicamus, quod ſi prop rius actus ei proponeretur ſimul cum obiecto propoſito, quod vult, eum vellet. Conſtat verò hoc nō poſſe conuenire ſenſibus externis: nec internis, quibus repugnat proponi proprium actum tanquam obiectum ſentiendum.

109 Ex reſolutione harum duarum quæſtionum facilè poteſt colligi, quodnam ſit adæquatum obiectum ſenſus interni, per quod ab omni alia potentia cognſcitiua diſtinguatur. Eſt enim ſenſibile, vt ſic in toto ſuo ambitu acceptum, quo pacto comprehēdit ſub ſe non ſolum ſenſibilia externorum ſenſuum: ſed etiam ſenſationes eorum, & ex conſequenti eadem omnia ſenſibilia, non ſolum prout percipi ab eis poſſunt: ſed etiam prout percepta aut ſenſata ab eiſdem, & tādem quamlibet ſenſationem internam alteri inferiorem, & conſequenter obiectum eius, prout per eam ſenſatum. Itaque ſicut intellectus habet pro obiecto adæquato vniuerſaliſſimum ens; ita ſenſus internus vniuerſaliſſimum ſenſibile.

110 Cuius rationem, vt per eam diſtinguatur à cæteris potentijs cognoſcitiuis hoc exemplo explicamus. In colore vel luce, & pariter in quouis alio obiecto ſenſus externi, triplicem rationem conſiderare poſſumus: videlicet, viſibilis, ſenſibilis, & intelligibilis: & ſub ratione viſibilis pertinet per ſe ad viſum, ſub ratione ſenſibilis ſenſati à ſenſu externo, aut etiam ab interno inferiori, ſeu per operationem inferiorem, ad ſenſum internum; ſub ratione verò intelligibilis ad intellectum. Et ita diſtinguitur internus à ſenſibus externis, & intellectu per rationem obiectiuam quaſi mediam inter vtrumque.

111 Quod non eſt ſic accipiendum, vt talis ratio ſenſati explicata ſit formalis obiectiua eiuſdem interni ſenſus, vt recentiores quidam voluerunt, alioqui actus æſtimatiuæ, qui verſatur circa rationem conuenientis nō ſenſatam per ſenſus externos, nec per alium actum ſenſus interni, non habebit obiectum contētum intra adæquatum ſenſus interni; quare non erit actus interni ſenſus, quod patet eſſe falſum: ſolum ergo eſt conditio obiecti hoc modo intelligenda, vt obiectum adæquatum interni ſenſus ſit ſenſibile, ſenſatum quidem à ſenſu externo, aut dependenti aliquo modo à ſenſatione eius, vt ita comprehendatur obiectum æſtimatiuæ, atque phantaſiæ componentis tertium ex duobus ſenſatis à ſenſu externo, eo modo quo dicemus infra obiectum intellectus pro hoc ſtatu eſſe ens aliquo modo dependens à ſenſu, vel phantaſmate, per quam dependentiam limitatur, & coarctatur ens, & pariter coarctatur per dependentiam à ſenſu externo tanquam per conditionem vniuerſale ſenſibile, vt ſit obiectum interni ſenſus.

QVAESTIO V.

An ſenſus internus verum, & proprium iudicium habeat de obiecto, vel ſolam apprehenſionem.

112 POſt diſcuſſionem obiecti interni ſenſus, ſequitur diſputatio de actu eius, an ſolum ſit apprehenſio obiecti, vel etiam iudicium.

Quod vt melius intelligamus diuerſæ sūt explicandæ acceptiones iudicij, ex quibus duas afferunt D. Aug. 8. lib. de Ciuit. Dei, c. 7. & lib. 11. c. 27. Greg. Niſſen. 4. lib. de homine, c. 4. Nemeſ. de natura hominis, c. 8. & Galen. lib. 5. de placitis, c. 2. & lib. 7. c. 16. Prior vniuerſaliſſima eſt, & ideo improprijſſima pro quacumque cognitione rei, etiam ſimplici: nam eo ipſo quod potentia cognoſcit obiectum, vt ſibi repræſentatum per ſpeciem,

cretũ, dicitur aliquo modo iudicium ferre de illo.

113 Posterior quasi per extremum propriissima est, dicitque non solam cognitionem quamcumque: sed collationem vnius cum alio, qua cognita affirmat, vel negat vnum esse aliud: vnde iudicium hoc in sola compositione reperitur, & veritatem ac falsitatem compositam continet formaliter. Præter has duas acceptiones videtur mihi addenda tertia quasi media inter vtramque, quia plusquam prior importat, & non pertingit perfectionem posterioris, estque cognitio non vnius rei simplicis tantum: sed duarum cognoscendo naturam vtriusq;, & quod vna non est altera, non tamen conferendo vnam cum altera, neq; cognoscendo proportionem, vel disproportionem inter eas existentem, nec ideo affirmando, vel negando, quod vna sit altera.

114 Quod facit visus cognoscendo albedinem, & nigredinem, & eo ipso discernendo inter vtramque, & consequenter aliquo modo iudicando, quod vna non sit altera.

Et de iudicio in prima, & tertia acceptione sumpto certum est dari in sensu interno: tum quia & in externis datur: tum etiã, quia sensus communis versatur circa obiecta externorum sensuum discernendo inter illa: & ideo aliquo modo iudicando, quod obiectum vnius non sit obiectum alterius, neque ad eum pertineat. Quæstio igitur ad iudicium propriè sumptum in secunda acceptione reducitur, an sensui interno conueniat secundum aliquem eius actum; procedit autem quæstio de omni sensu, etiam brutorum.

115 Et prima opinio concedit sensui interno solius hominis verum, ac proprium iudicium per compositionem, & diuisionem, & ex consequenti verum discursum circa singularia sensibilia, non ex perfectione sensitiua, vt sic, quia etiam conueniret sensui interno brutorum: sed ex coniunctione ad partem rationalem, à qua deriuatur in sensum internum per actum cogitatiuæ potestas cõponendi, & diuidendi, & vtendi syllogismo quodam ad inferendum vnum ex altero. Ita D. Thom. 1. p. q. 78. art. 4. ad 5. & 22. q. 47. art. 3 & ibid. Caiet. Greg. in 1. disp. 3. q. 1. art. 1. Gabr. qu. 1. prologi art. 2. Alens. 2. p. q. 67. mem. 1. Marsil. in 2. q. 16 art. 1 Capr. in 2. distin. 35. q. 2. Soncin. 10. lib. Metaph. q. 26, Ferrar. q. 9. huius lib. & Auerr. comm 61 Auicen. lib. 6 natur p. 4 c. 2. atque etiam Bañez dub. 2. Sotus, & plures alij interpretes Arist. li. 2. Posterio. c. vlt. atque etiam in prologo Metaph. Niphus disp. 7. Antonius Andreas q. 5. Iauellus q. 6. Iand. 3. lib. de anima, quæst 37.

116 Quod etiam concessere sensui interno brutorum antiqui Philosophi tribuentes brutis verum discursum, & ratiocinationẽ, vt Pythagoras, & Anaxagoras, quos refert Plutarchus, lib. 5. de placitis Philos. cap. 2. imò, & Plutarchus ipse videtur ita sensisse in dialogo qui inscribitur (quod brutis ratio insit) & tandem Laurent. Valla, in libello quem scripsit in Dialect cap. 9. Et probatur: nam Iob 11. dicitur: *Nonne auris verba diiudicat, & fauces comedentis saporem?* Et c. 12. *Auris enim verba probat, & guttur escas*. Et tandem Prouerb. 6. *Vade ad formicam ò piger, & considera vias eius, & disce sapientiam, &c.*

117 Concedit ergo formicæ sapientiam quæ sine iudicio non habetur. Aristot. etiam apibus & formicis concedit prudentiam, 1. Metaphys. cap. 1. & sensum internum hominis vocat rationem particularem, 6. libro Ethic. cap. 11. & 3. lib. de anima intellectum passiuum propter iudicium, ac discursum, vt latè prosequitur lib. 8. & 9. de hist. animal. c. 6. atque etiam Plin. lib 9. naturalis historiæ, cap. 3. & Albert. Magn. 8. lib. de animalibus à principio.

118 Ratione verò sic probo; quia verum iudicium reperitur in collatione extremorum, & attributione vnius ad alterum per compositionem & diuisionem, sed hæc omnia præstat sensus internus per diuersos actus nam per actum imaginatiuæ componit ex duobus tertium, vt ex monte, & auro montem aureum, & per actum æstimatiuæ confert vnum alteri iudicans esse ei conueniẽs, aut nociuum; ergo verum ac proprium actum iudicandi habet.

119 Secundò, quia nihil potest intellectus noster pro hoc statu cognoscere nisi dependenter à phantasmate: ergo non potest ferre iudicium, nec discurrere deducendo vnum ex altero quin phantasia eum comitetur iudicando, ac discurrẽdo circa singularia illa, à quibus intellectus vniuersales rationes abstrahit, & circa quæ discurrit; ergo à consortio saltem intellectus deriuatur ad actus interni sensus iudicium, ac discursus.

Vera

120 Vera tamen ſententia, *nec verum, ac proprium iudicium, nec verum diſcurſum & ratiocinationem concedit vlli ſenſui interno: immo nec toti naturæ ſenſitiua, etiam in homine, ſed im proprium duntaxat iuxta primam, & tertiam acceptionem: nam proprium in ſolo intellectu reperitur.* Sic Tolet. 3. lib. de anima, c. 3. q. 3. cõdu. 2. & omnes ferè recentiores interpretes, & abſque dubio eſt ſententia D. Thom. 1 2. quæſt. 1. art. 1. & 2. & q. 13. artic. etiam 1. & 2. & ex principijs Ariſtotelis efficaciter colligitur.

121 Sed etiam in primis probo hoc diſcurſu ex doctrina eiuſdem D. Thomæ eiſdem locis citatis elicito, quibus hoc modo probat ſoli homini conuenire propter finẽ propriè agere; vt aliquis ſe moueat, ac dirigat in finem, neceſſe eſt cognoſcat media, & finem, atque etiam proportionem, quam habet medium cum fine, & conferat vnum cum altero, ſed ſolus homo per intellectum cognoſcit proportionem, quam habet medium cum fine, & confert vnum cum altero, brutum verò per ſenſum internum cognoſcit quidem rem, quæ eſt finis, & quæ eſt medium, quam proponit appetitui ſenſitiuo, & iſte naturaliter, & non liberè mouetur ab eis, & naturaliter mouetur brutum ipſum ab eo ad aſſumendum medium, & cõſequendum per illud finem, ſed non cognoſcit proportionem, quam habet mediũ cum fine, neque confert vnum alteri, quia cognitio proportionis, & collatio vtriuſque excedunt virtutem ſenſitiuam, & ſolum intellectum pertinere poſſunt; ergo non ſe mouent, nec dirigunt in finem, ſed mouentur naturali inſtinctu, qui eſt naturalis ipſa inclinatio appetitus in bonum ſenſibile, quam dedit eis author naturæ eorum, & illa media mouet ac dirigit ea in finem.

122 Et ex hoc colligit D. Thom. electionem non conuenire brutis, quia præſupponit iudicium, & ſententiam de conuenientia vnius medij præ alio in ordine ad conſecutionem finis, quam ſolus intellectus ferre poteſt. Ex eiſdem verò ita arguo, formale iudicium, ac diſcurſus prǽſupponunt non quãcunque cognitionem extremorum, ſed proportionis eorum cum collatione formali vnius cum altero; proportio verò cum ſit relatio inter extrema, vel eam importet, nõ eſt ſenſibilis, nec eam aliquando cognouit vllus ſenſus, ſed ſolus intellectus; & ex conſequenti collatio extremorum [illegible] eius præſuppones non poteſt [illegible] pertinere, ſed ad intell[illegible], & conſequenter nec iudicium, ac diſcurſus.

123 Et hæc ratio [illegible] conuincit de ſenſu interno h[illegible] bruti. Quod ſic probo; idem [illegible] proprium iudicium, ſeu ſententia [illegible] non conceditur ſenſui interno brutorum, quia ſuperat conditionem, cuiuſcunque obiecti ſenſibilis; & nulla potentia poteſt vagari extra rationem ſui obiecti: ſed ſenſus internus hominis habet idem obiectum ſenſibile, ac ſenſus bruti, ergo etiam ex [illegible]nctione ad intellectum, non poteſt operatio eius extra illud vagari, vel ad obiectum non ſenſibile, ſed intelligibile ſe extendere, qualis eſt formalis proportio, formaliſque collatio extremorum incluſa in formali iudicio, aut ei neceſſario prǽſuppoſita; quare non minus eſt ei denegandum, quam ſenſui brutorum.

124 Secundo quia ſi ſenſus bruti, vel hominis per coniunctionem cum intellectu habet verum, ac proprium iudicium [illegible] poſſe cognoſc[illegible] proportionem inter ſubiectum, & prædicatum, & iuxta eam vnum [illegible] tribuere alteri, vel negare de illo, ſed in tali iudicio reperitur formalis veri[illegible], aut falſitas, ergo hæc dabitur in operationibus ſenſuum: contra expreſſam ſententiam Ariſtotelis, eam in ſola operatione perfectiſſima intellectus ponentis, 6. lib. metaphyſ. textu vltimo, & 1. lib. de interpretatione, c. 1. & cũ eo omnes interpretes.

125 Et tandem poſſe ſenſum internum cognoſcere proportionem inter duas cõpoſitiones, vel affirmationes, atque etiam inter compoſitionem, & diuiſionem, ſeu affirmationem, & negationem, & componere vnã cũ altera, quod eſt ſyllogizare, & ratiocinari, & ideo bruta habebunt vſum rationis, & homo ſecundum partem ſenſitiuam, & ex conſequenti libertatem, & capacitatem virtutis, & vitij, meriti, & peccati, quæ planè abſurda ſunt.

126 Vt autem clarius conſtet hæc veritas, & teſtimonia ac rationes ſoluantur, adnotare oportet; quod ſicut rebus naturalibus cognitione carentibus dedit author naturæ inclinationes naturales, quibus medijs ducerentur in ſuos fines determinatos, abſque præfixos per proprias operationes ab eiſdem

dem inclinationibus procedentibus: sic dedit rebus sensitiuis inclinationem naturalem appetitus in bona sensibilia determinata, & conuenientia suæ naturæ, atque etiam sensus internos, & externos, qui per proprias & naturales operationes eadem bona sensibilia, eidem appetitui proponerent, & per talem propositionem ordinatissimè mouerentur in suos fines, non quidem ex iudicio, ac discursu proprio, sed per instinctum naturæ, ordinatæ, atque directæ in finem per media ab authore naturæ, in quo perfectissimum iudicium, perfectissima sapientia, ac prouidentia præsupponitur, à qua procedit tota eorum ordinatio, ac directio in suis operationibus, potius quàm in eisdem inueniatur, nisi tanquam in effectibus diuinæ sapientiæ ea, & per easdem operationes dirigentis, & ordinantis.

127 Et in hoc sensu docuit sacer textus formicam suo modo operandi ostendere nobis sapientiam; immo docere nos prudenter, ac sapienter operari, vel certè Deum (in quo potius sapientia, & prudentia reperitur) per illam.

128 Duo verò alia testimonia de iudicio, quem sensus habere possunt iuxta primam, & vltimam acceptionem intelliguntur, non de iudicio formali, ac proprio soli intellectui concesso, & eundem sensum tenuit Aristoteles prudentiam concedens formicis, & apibus, & cogitatiuam nostram vocans rationem particularem, non quod ratione sit prædita, sed quod in suis operationibus circa singularia rationem discurrentem sequatur, eique deseruiat.

129 Ad primum argumentum concessa maiori neganda est minor, quod omnia illa præstet sensus internus per diuersos actus; nam per actum imaginatiuæ coniungit quidem duo phantasmata simplicia, vt montis, & auri, non tamen cognita proportione, vel facta collatione inter illa, nec per modum attributionis vnius ad alterum; & ideo non per iudicium verum, ac proprium, sed solum per materialem quandam coniunctionem, & compositionem.

Nec propriè iudicat per opus æstimatiuæ, quia solum apprehendit conuenientiam vel disconuenientiam obiecti materialiter, non formaliter, hoc est, solum apprehendit rem sensibilem conuenientem suæ naturæ; non tamen cognoscit cõuenientiam ipsam, aut proportionem, nec rem apprehensam cum eadem natura propria, aut cum appetitu confert, quia conuenientia, proportio, & collatio cum in relatione consistant, non sunt obiecta sensibilia, sed solum intelligibilia: sine cognitione verò earum constare non potest formale, & proprium iudicium.

130 Ad secundum concedendum est, non posse intellectum in corpore operari, nec discurrere circa rationes vniuersales rerum, nisi operante sensu circa singularia earum, & ideo materialiter discurrente per diuersa singularia, non tamen formali, ac proprio discursu, quia iste ex se dicit non solum cognitionem plurium rerum habentiũ inter se connexionem, sed cognitionem ipsiusmet connexionis, videlicet causæ, & effectus, aut effectus, & causæ, & sensus quidem cognoscere potest plura singularia, & à cognitione vnius transire ad alterius cognitionem comitando intellectum, sed connexionem ipsam, & ordinem consecutionis intercedentem inter ea solus intellectus potest cognoscere, non sensus, & consequenter solus ille verũ potest habere discursum, iste verò materialem dumtaxat, atque impropriissimum.

QVAESTIO VI.

An sensus internus cognoscat proprium obiectum, vt præsens, atque etiam, vt præteritum, & futurum.

131 Hoc solum restabat inquirendum, breuiterque agitandum circa obiectum interni sensus, nempè an cognoscat per proprios actus obiecta, vt præsentia, præterita, aut futura. Et rationem dubitandi præbuit Aristoteles, in lib. de memoria, & reminisc. cap. 1. & 2. nam in 1. ca. non longè à fine memoriam vocat sensum temporis, & tempus cognoscere docet statim his verbis: *Semper enim cum agit memoria, sicut & prius diximus, quod vidit hoc, aut audiuit, aut didicit, simul sentit, quia prius, prius autem & posterius in tempore sunt.*

Præterea in eodem capite ante medium distinguens actum memoriæ ab actu sensus cõmunis ita ait: *Est enim præsentis quidem sensus, futuri vero spes, facti autem memoria, vnde post tempus memoria omnis.*

132 Ex quibus planè colligitur sensum internum cognoscere proprium obiectum sub differentia præsentis, præteriti ac futuri temporis, alioqui non possunt actus eius causare in appetitu desiderium, & spem, de quibus constat versari circa bonum futurum. Præterea, nec possent distingui actus sensus communis, & memoriæ: cum solum differre asserat, quia ille versatur circa obiectum, vt præsens, hoc vero, vt futurum. Quod docuit expressius vocans memoriam sensum temporis, hoc namque verum esse non posset, nisi cognosceret obiectum sub tali differentia temporis.

133 Nihilominus nostra sententia est, sensum internum, nec per actum memoriæ, aut reminiscentiæ, nec per quemlibet alium cognoscere obiectum sub ratione formali præsentis, aut præteriti, vel futuri, sed solum materialiter, in quantum verum est cognoscere obiectum sensibile sub conditione præsentis, hoc est, actu eũ mouentis, aut sub conditione iam cogniti per speciem reseruatam in memoria, ex illo enim dicitur cognoscere, vt præsens, quia obiectum sensibile non mouet actu sensum, nisi præsens loco, ac in præsenti tempore. Ex hoc verò quod illud iam cognouit, & reuera non est præsens, sed absens, dicitur illud cognoscere, vt præteritum.

Quod sic probo, sensus non potest per vllum actum percipere rationem formalem temporis, ergo neque obiectum sensibile sub formali conditione temporis. Euidens est consequentia. Et antecedens probatur, quia formalis ratio temporis dicit ordinem prioris, & posterioris in partibus motus, dicit etiam formalem rationem durationis; neutrũ verò sensibile est, quia nec sensus vllum ordinem vnius rei ad alteram percipere potest, nec etiam formalis ratio durationis sensibilis est.

134 Et certè si tempus posset cognosci per sensus, non esset tam incerta, tam lubrica ratio eius, vixque perceptibilis ab intellectu, sed euidenti experientia sensuum explorata à nobis foret. Ex perceptione autẽ motus, quem tanquam commune sensibile percipit sensus, solum habet[illegible] quod percipit [illegible] materialiter temp[illegible], & id[illegible] tempus, præsens, & præ[illegible] documus, atque proba[illegible] aliud, quàm percipere [illegible] ctu mouens, quod non pot[illegible] & in differe[illegible] tempo[illegible] sensatum, & absens, quo[illegible] non p[illegible] re, nisi trãsacto tempore, & ideo [illegible] tia temporis præteriti.

135 Et secundum hanc ratione[illegible] materialem, non solum percipit tempus præsens, & præteritum, sed vt præsens, & [illegible], & sensibilia vt præsentia, vt percipit [illegible] communis, atque etiam præterita, vt præterita, vt percipit memoria: & in hoc sensu [illegible] scrit Arist. memoriam esse sensum tem[illegible] & percipere obiectum transacto tempore, vel etiam vt præteritum, hoc est, vt i[illegible] sensatum, in quo etiam distinxit memoria[illegible] sensu communi, qui solum percipit ob[illegible], vt per se, & act[illegible] mouens. Nun[illegible] docuit, quod ratio[illegible] temporis [illegible], nec obiecta prout præse[illegible] tia. a[illegible] præterita formaliter. & ecce expl[illegible] ara te[illegible] Aristotelis, & solutum pri[illegible] argumentum ex eis deductum.

136 Quod verò additur ad pe[illegible] moueri mot[illegible] desiderij [illegible] quærenda [illegible] futura, quod desiderium vocaui. Aristoteles spem, non probat sen[illegible] cognoscere futura vt futura formaliter, sed ad summum materialiter, sicut præterita, & præsentia, quod sufficit, vt ab obiecto sub ratione conuenien[illegible] tis moueatur appetitus motu prosecutionis, vel fugæ, vt dum canis vestigia lepotis sibi præsentia primo percipit, vel ouis vestigia lupi, vel ab odore aliquo mouetur ad inueniendum, vel fugiẽdum eiusmodi animalia, quamuis nunquam antea ea cognouerit, nec eorum vestigia vel signa aliqua viderit, quæ non intelligo moueri ad inquirendum, vel fugiendum eadem animalia in particulari, sed fortè sub ratione alicuius rei singularis sibi conuenientis, aut nociuæ, in q[illegible] naturali instinctu æstimatiuæ ductus appetitus fertur motu prosecutionis, vel fugæ.

137 Et ex eadem doctrina constat, in quo sensu intelligatur, quod Aristoteles de memoria asseruit, quod sit sensus temporis, solum enim vult esse sensibilis, vt iam à se sensati, quod cum non possit esse sensatum, nisi in præterito tempore, materialiter di-

citur

ciat ipsum cognoscere, & ideo sensum tem poris vocari.

QVAESTIO VII.

Quodnam sit subiectum sensus interni.

138 PRimum de subiecto interni sensus discutiendum est in quanam parte animalis resideat tanquam in proprio organo. Circa quod diuisa est Philosophorum, & medicorum schola; nam Aristoteles mul tis suæ doctrinæ locis expressis verbis docuisse videtur sensum communem, & consequenter alios sensus internos (si plures sint) in corde collocandos esse tanquam in proprio subiecto, vel organo: immo tanquam in fonte, ac radice totius virtutis sensitiuæ, præsertim internæ: ita enim loquitur 2. lib. de gener. anim. c. 4. & lib. 5. ca 3. lib. 3. de partib anim. c. 3. & 4. de iuuent. & senect. cap. 1. & 2 de somno, & vigil. cap. 2. eum sequuntur Comm. 2. lib. de partibus anim. cap. 7 & in collectan. lib. 2. c. 11. Auicenna fen. 1. doctrina 6. c. 10. & Apoll. 2. lib. de anima q. 27. Iandun. de somno & vigil. q. 9. Præsupponit verò Aristot. cor esse omnium venarum, arteriarum, ac neruorum principium. Item omnium spirituum, non solum vitalium, sed animalium officinam, & cum species externorum sensuum medijs spiritibus animalibus per neruos deducantur vsque ad sensum internum, in eo esse sedem, & organum eius.

139 Probat Aristot. hoc argument. cerebrum nō potest esse organum sensus communis; ergo in corde collocari debet. Euidens est consequentia, quia non potest collocari in alia parte, præter; has (nam quod aliqui in spiritibus animalibus esse dicunt, quorum sententiam videtur sequi, Nemel. in libro de natura hominis cap. 6. & D. Damascen. 2. lib. fidei cap. 19. & 20. non consonat veræ Philosophiæ: cum nec spiritus viuant, vt alibi probauimus; & ideo nec sint sensus capaces, & præterea instabiles sunt, & quasi in continuo motu, organum verò sensus in determinato situ permanere debet.)

Antecedens verò multis modis probat; quia cerebrum discontinuum est à cæteris partibus corporis; ideo virtus sensitiua, si in eo ponatur, non poterit eis communicari. Et tandem frigidissimum est, nimisque humidum, ideoque ineptum ad conseruandas species; propter hæc igitur non potest esse organum interni sensus; ex alia verò parte, cor situm habet in centro corporis, à quo tota virtus animæ deriuatur in cæteras partes. Deinde pars præcipua est, quæ primo viuit, & mouetur; ergo totius vitæ, & motus naturalis, ac sensitiui principium esse debet. Præterea appetitus est in eo, vt ostendunt passiones iræ, amoris, & odij; quæ sunt actus eius, & fiunt in corde; ergo in eo est sensus internus, à quo proximè mouetur; nam si foret in cerebro adeo à corde remoto, non posset mouere appetitum, quia mouēs, & motum debent esse simul, & tandem cor est principium neruorum omnium, ac spirituum, vt præsuppositum est.

140 Secundam opinionem statuit Galenus, primam sedem sensitiuæ virtutis non in corde, sed in cerebro collocans. Ita docet libro 8. de vsu partium ca 3. & 4. atque etiā libro 7. de decretis, quem sequuntur Diu. Thom. 3 p. q. 8. art. 1. & 6. & quæst. 66. artic. 7. ad 3. Albert. Magn. 1. libro de anima tractat. 4. c. 11. Toletus 3. lib. de anima, q. 5. Conimb. q. 1. huius libri, art. 4. Et est iam communis inter recentiores, nobisque probabilior videtur. Quam vt probat Galenus, præsupponit, cerebrum esse radicem neruorum, non cor, & ideo principium sensus, qui per neruos administratur, quod probat his experientijs.

Primò, quia ex vsu anatomicæ artis constat neruos à cerebro deriuari, in eoque coniungi, cor verò non attingere.

Secundò, quia nerui, quo propinquiores sunt cerebro, eo apparent grossiores, & maiores, quod argumento est initium ab eo sumere: nam hoc eodem argumento probat Aristot. venas, & arterias deriuari à corde, quia iuxta illud latiores, ac maiores conspiciuntur.

141 Tertiò, si neruus ligetur medius, experientia constat partem eius versus cerebrum tendentem moueri, atque sentire, partem verò versus cor, nec moueri, nec sentire, signum igitur est à cerebro, & non à corde emanare. Et tandem læsio capitis impedit,

aut tollit sensum, & motum illæso prorsus corde: ergo non hoc, sed illud est organum sensus interni: experimur etiam ex vehementi, aut diuturna attentione ad sentiendum adhibita lædi caput, aut laslari, non cor, & læsa phantasia applicari capiti medicamenta, non cordi. Experimur quoq; rerum imagines, atq; phantasmata, & consequenter somnia in capite fieri. Vnde Dan. 2. dictum est Regi Nabuchodonosor: *Somnium tuum, & visiones capitis tui huiusmodi sunt, &c.* Et situs ipse cerebri, cui propinquiores sunt externi sensus, accommodatior est organo interni sensus, qui ab eis moueri debet. Sed in quanam parte cerebri resideat sensus internus, nõ est certum, sed qui plures ponunt, ad cellulas illas, vel sinus, aut ventriculos cerebri confugiunt, & in singulis singulos collocant.

142 Duo tamen videntur mihi in hac re certa: primum est, quod sensus internus, siue vnus sit, vel multiplex, proprium organum, vel organa habere debet distincta ab organis externorum sensuum. Quod probo, quia distincta potentia realis est ab eis, à quibus mouetur, & quorum sensationes percipit, & per distinctas species operatur, impressas quidem ab obiectis, vt sensatis per eos, & ideo distinctum organum postulat. Secũdò, illud videtur mihi certum, *quod qui plures sensus internos ponunt, non possunt ex cellulis certò colligere determinata organa singulorum*: quia vt superius ostendimus, non est certum, in quos vsus factæ sint à natura, videlicet vt sensuum organa sint, vel in alios.

143 Sed nec de organo sensus communis certum est in quanam parte cerebri situm sit. Sed quidam in medulla cerebri, aut in eius membranulis, quæ meninges vocantur, esse affirmant.

144 Alij verò in duabus illis concauitatibus, quæ cernuntur in parte cerebri anteriori supra concauitates oculorum, singulæ quidem versus singulas, ad quas cellulas videntur confluere nerui omnes descendentes ad organa externorum sensuum, atq; in eis coniungi. Alij verò sub his concauitatibus collocant organum huius sensus. Et tandem alij tertiam aliam concauitatem inferiorem eisdem aiunt cerni, ex vsu anatomicæ artis, ad quam dicunt neruos externorum sensuum concurrere, & in ea collocandum esse sensum communem putant. Sed cum nihil horum sit certum; & duæ illæ concauitates oculis superiores seu [illegible] tiores sint, licet non sit certum in [illegible] huius sensus.

145 Verisimilius tamen [illegible] situs, & concursus ner[illegible] eis esse collocandum organum [illegible] muris, & iuxta nostra: [illegible] communem sensus al[illegible] internos ab eo [illegible] nõ sunt nobis inuestiganda [illegible], sed hoc vnum sufficere arbitramur in [illegible] cus sensus internus col[illegible]tur.

Et ad primum argumentum [illegible] deo falsum est, quod cerebrum non [illegible] nuum cæteris partibus corporis, sed (vt superius adnotauimus) continuatur p[illegible] eiusdem naturæ cum eo. De[illegible] de negamus, quod in cerebro non sit motus nec sensus [illegible] licet in quibusdam partib. eius imperfectus valde, & quasi obtusus sit, perfectior [illegible] in alijs, quod ex dolore eiusdem cerebri ostendi potest. Ad sensum verò nõ [illegible] sanguis, vt neruos, & cartilagines ostend[illegible]

146 Quod verò d[illegible] cordis [illegible], ac de dignitate [illegible] habet, vt [illegible] eius vitæ, & motus principium [illegible] nus probat, quod in [illegible] sensus internus, imò potius cum motus naturales, & sensitiuus sint [illegible] deo diuersi [illegible] diuersas longe partes corporis postulant, & diuerso mo[illegible] peratis; imino in diuersis collocatas [illegible]. Nam motus vitæ naturalis cal[illegible] tanquam instrumento præcipuè p[illegible] debet. Et propterea originem eius calidissimam esse oportet, quia ibi ea debet fieri, vel saltem depurari sanguis, atque etiam spiritus omnes quasi per venas, & arterias volitantes.

147 Motus verò sensitiuus originem magis temperatam postulat, in qua iidem spiritus vitales attemperentur & animales [illegible], hoc est, ad motum sensationis animali proprium iuuandum tanquam instrumenta accõmodati. Situs vero cordis longè distat ab externis sensibus, sed cerebrũ proximius est, & propterea magis accommodatum pro sede interni sensus. Frigiditas vero eius nec negatur, nec impedimento esse potest vt sit radix virtutis sensitiuæ, quin potius cum spiritus generentur, & procedant a corde, calidissimi, & ideo facilè mobiles, necessarium fuit, vt frigiditate cerebri temperarentur & consequenter redderentur minus faciles ad motum, & ideo aptiores ad recipiendas species sensibiles ab externis sensibus, & hoc medio

medio transmittendas ad sensum internum, nam cõstat quietum aerem aptiorem esse ad recipiendas species ab obiectis & transmittendas ad organa externorum sensuum.

148 Quod verò appetitus sensitiuus sit in corde, & à sensu interno moueatur, non probat in eodem corde esse debere vtramque potentiam, sed licet in distinctis, immo distantibus partibus resideant, sufficit, quod in eadem anima radicentur per naturalem subordinationem vnius cum altera, & quod per concursum eiusdem animæ cum vtraque operentur, vt cognoscitiua possit mouere appetitiuam per propositionem obiecti.

Et quod tandem obijci posset ex illo Matthæi 9. *De corde exeunt cogitationes*, quæ sunt actus interni sensus, qui cogitatiua vocatur, & cum dicantur exire de corde, videtur in eo residere potentia; difficultate caret: cum de cogitationibus potius intellectus proponentis voluntati obiecta vitiorum intelligatur, vt contextus verborum plane docet.

QVAESTIO VIII.

An omnibus animalibus concedendi sint omnes sensus interni.

149 NOn desunt, qui animalibus imperfectissimis, vt Conchilijs omnino denegent sensum internum, quia cum nõ habeant externos præter gustum, & tactum, non videtur in quem vsum possit eis aliquis sensus internus concedi. Alij verò, vt Toletus quæst. 8. huius lib. quendam sensum imperfectissimum eis concedit, quem vocat imaginationem indeterminatam, atque confusam, quæ non percipit aliud conueniens, vel disconueniens, nisi in ordine ad gustum, & tactum, & hoc solum præsens, non absens, & ideo non est distinctus internus iste sensus à gustu, & tactu, nec habet determinatum organum, sed dispersus est per totũ corpus, sicut gustus, & tactus.

150 Sed nostra sententia duo asserit his duabus opinionibus contraria.

Primum est, nullum animal dari omni sensu interno destitutum, sed aliquem esse omnibus, etiam imperfectissimis concedendum. Hoc est contra priorem opinionem, & ab omnibus ferè interpretibus cap. præsenti concessum. Quod puto expressum in primis esse apud Aristotelem 3. libro de anima, cap. 11. text. 56. vbi animalibus imperfectissimis concedit imaginationem. Sed id probo duplici ratione: primò quia negari non potest his animalibus, quod duas illas sensationes externas, gustus, & tactus eis cõcessas cognoscant, discernendo inter vtramque, atque etiam inter obiecta vtriusque modo saltem imperfecto, sed hæc sunt officia sensus interni, quem communem vocamus: ergo sensus iste debet saltem eis concedi.

Secundò, non potest animalibus etiam imperfectissimis denegari aliqualis appetitus sensitiuus: cum euidens sit appetere sibi conuenientia ad conseruationem propriæ naturæ, delectationem dolorémque sentire, quia si pungantur, se contrahunt: sed hęc pertinẽt ad appetitum sensitiuum tanquam proprij actus: ergo non est eis omnino denegandus. Vlterius appetitus sensitiuus non potest immutari proximè ab externis sensibus, qui nihil de conuenienti, vel nociuo percipiunt; ergo necessariò est in his animalibus ponẽdus aliquis sensus internus, à quo sub tali ratione proponatur obiectum.

151 Sed quisnam sensus sit iste internus, vel an sit vnus tantum, aut plures? Respondeo duos esse necessario eis concedendos apud eos, qui plures sensus internos multiplicant: nempè sensum communem, atque æstimatiuam, vel apud nos vnum cum duplici actu distincto. Quod probant duæ rationes prædictæ.

Secundum quod asserimus est sensum internum quãtumuis imperfectum vnum, vel plures his animalibus concessos distinctos esse realiter, atque etiam specie à gustu, & tactu eorum, siue proprium organum, ac distinctum habeant (quod verius puto) siue dispersi sint per totum corpus cum gustu, & tactu. Hoc est contra posteriorem sententiam Toleti. Quod ex duobus probatur euidenter, videlicet ex diuerso modo, quo immutantur ab obiectis externi, atque interni sensus: nam illi ab externo obiecto secundum se, iste vero non nisi ab obiecto, vt sensato per externum sensum. Vnde illi percipiunt sensationes istorum.

Ex quo procedit modus operandi valdè diuersus, per quem etiam distinguuntur realiter, atque essentialiter potentiæ.

152 Præter hos autem duos sensus internos, non videntur imperfectissima hæc animalia habere alios, non enim habent memoriam, vt docet expresse Aristot. 1. libro Metaphys. c. 1. longè à principio his verbis. *Natura itaque animalia sensum habentia fiunt, à sensu verò quibusdam eorum non innascitur memoria, quibusdam verò innascitur.* Et probat ratio, quia non mouentur, nec ad eadem loca, vel similia redire possunt, ad id enim memoria deseruit, cuius nulla signa aliquando præbent.

153 De alijs verò perfectioribus animalibus decernere oportet, an præter sensum communem, & æstimatiuam sint eis concedendi cæteri sensus interni, aut actus eorū, & præsertim imaginatio, seu phantasia. Et Aristot. quidem omnibus eam videtur concedere 3 lib. de anima, c. 11 textu 56 atque etiam 1. lib. Metaph. cap. 1. nuper citato. Vbi postquā de animalibus quæ prudentia quadam prædita sunt, & ab homine plura addiscunt locutus fuerat, de alijs imperfectioribus ita ait: *Cætera verò imaginationibus, ac memoria viuunt.* Capite vero præsenti denegat expresse formicis, & apibus imaginationē. Propterea interpretes eius capit. præsenti multa congerunt varijsque vtuntur expositionibus ad hæc loca concilianda. Sed (nisi ergo fallor) ex verbis eorum colligitur non habere sensus oppositos: sed ex eis potius constare, quid de hac re senserit Aristoteles.

Et in primis tanquam certum præsupponere debemus apud Aristotelem pro eadem potentia, seu virtute sumi imaginatiuam, & æstimatiuam. Probatur euidenter ex 1 loco, vbi ex eo quod perfectissima animalia habent alioualem appetitum sensitiuum ad appetendum sibi conuenientia, & fugiendum nociua, colligit necessario esse eis concedendam imaginationem aliquam, per quam appetitui proponatur aliquid tanquam conueniens, vel nociuum: sed hoc modo proponere obiectum, est actus proprius æstimatiuæ: ergo sentit hanc esse eis concedendam.

154 Quo supposito ex verbis eiusdem loci, & aliorum ego elicio diuersos gradus imaginatiuæ virtutis in animalibus; ita vt quædam sit imperfecti[illegible]a, & infima [illegible] solum versatur circa s[illegible] tactum, & conuenien[illegible] & tiam eorum in ordine ad [illegible] dus gradus est perfectior [illegible] moria, & quasi recordatio, [illegible] a vocatur; quare ad p[illegible]lia [illegible] Tertius v[illegible] magisque perfectus [illegible] malia disciplinæ capacia. Et [illegible] dum tetigit Aristoteles tribuitque imperfectissimis animalibus in 1 loco hisce verbis. *Considerandum autem, & de imperf[illegible] quid est mouens; quibus sensus solum inest [illegible], vtrum contingat imaginationem inesse his, [illegible] non, & concupiscentiam, videtur enim dolor, & voluptas inesse; si autem hoc, & concupiscentiam inesse necesse est, imaginatio aut[illegible] quomodo [illegible]que inerit? an sicut mouentur indeterminatè. Et hæc insunt quidem, indeterminatè autem insunt.* Ecce imperfectissimam imaginationem indeterminatam, & qua[illegible] confusam vocat, eāque imperfectissimis animalibus non h[illegible]tibus alios sensus [illegible] nos præter g[illegible], & tactum tribuit.

155 Secundum verò & tertium gra[illegible] indicauit in 2. loco distinguens duo genera animalium perfectioris s[illegible]is, ex quibus quædam ait prudentia præd[illegible] ss[illegible] sed [illegible] esse disciplinæ capacia, ho[illegible] est, nihil ab homine discere posse, vt apes; & id quidem quia carent sensu auditus, vnde fit imperfectiorem magisque limitatam imaginationē habere, quia ad sensata auditus non se extendit, & imaginatio ad sensata huius sensus non se extendens imperfectior est; quare nec doceri possunt ab homine, quia auditus sensus disciplinæ est, canes verò, equi, psitaci, & alia perfectiores imaginationes habent se extendentes ad sensata auditus, nempe ad sonos, & voces, quibus medijs addiscere possunt ab homine, & ideo disciplinæ capacia vocantur.

156 Ex his iam patet, quid nam de hac re senserit Aristoteles: nam imaginationem secundum totum ambitum perfectionis omnibus animalibus concedit: ita vt infimis imperfectissimam tantum, & quasi indeterminatam, seu confusam tribuat; vt in primo testimonio: alijs vero perfectioribus, quibus deest sensus auditus, vt formicis, & apibus, concedit secundum gradum imaginationis, determinatæ quidem ac distinctæ: sed adhuc in hoc genere imperfectæ, & ideo denegat

negat

negat eis tertium gradum perfectioré: quem solum concedit animalibus sensu perfecto auditus præditis, ac disciplinæ capacibus Et ecce tibi sensus horum testimoniorum, non solum inter se non repugnantes: sed valdè consentaneos.

157 Et si quæsieris, an imaginationes horum trium graduum differant specie in diuersis animalibus, quibus conceduntur, vel solum accidentaliter. Respondeo non esse certum, an hoc vel illo modo differant: sed probabilius mihi videtur specie differre. Primo, quia differunt ex parte obiecti: nam in animalibus imperfectissimis habet obiectū magis contractum, & minus vniuersale, in alijs verò perfectioribus: sed disciplinæ incapacibus magis vniuersale, quàm in imperfectissimis, & in postremis vniuersalius, quàm in vtrisque; maior verò, aut minor extensio obiecti, licet materialis videatur, arguit tamen in potentia perfectiorem modum ipsum attingendi; & ideo specificam differentiam. Secundò, quia gradus isti perfectioris imaginationis, vel minus perfectæ non sequuntur rationem genericam horum animalium: sed specificas, aut differentiales; quare necessarium videtur specie differre.

QVAESTIO IX.

An sensus interni operentur per species intentionales eiusdem rationis cum speciebus externorum sensuum, vel diuersæ, & à quonam eas accipiant.

158 Præsupponit titulus quæstionis, quod sensus internus indigeat speciebus intentionalibus ad sentiendum, non minus, quàm externi: quod non est minus certum, quàm de externis. Nam præter experientias, & rationes quibus de his à nobis probatum est superius, ex quibus planè colligitur necessarias quoque esse in sensu interno; hac satis manifesta specialiter de eo probatur. Nam constat, quod postquam semel obiectum aliquod sensu percepimus, possumus iterum eo iam absente, & nullo externo sensu operante circa illud phantasiari, aut de illo cogitare, & in somnis quidem, etiam quando non operatur intellectus: ergo euidens est post primam sensationem eiusdem obiecti aliquid remanere, quod simul cum potentia phantasiæ, vel imaginatione concurrat ad nouam recordationem eius: nam sola, & nuda potentia, non potest talem actum præstare, vt ex superius dictis constat. Hoc igitur vocamus speciem, vel similitudinem obiecti.

159 Ex quibus sequitur solutio eius, quod primò quæritur; nempè an sensus internus operetur per species diuersæ rationis ab his, quibus vtuntur externi, *necesse est enim per species diuersæ rationis operari*. Quod sic probo secundò, quia diuersæ potentiæ secundum speciem, quales sunt externus, atq; internus sensus, diuersum quoque principium operandi postulant, quia diuersum actum, atque etiam diuersum modum operandi habent, quem non possunt præstare per principium eiusdem rationis

160 Restat secundum longè difficilius, à quanam causa producatur istæ species. Circa quod plures opiniones extitere, quas consultò prætermitto, quia penè in desuetudinem abierunt; ex his verò, quæ in sola circūferuntur celebris est illa de sensu agere. Nam sicut Aristot. cap. 5. huius 3. lib. posuit potentiam quandam ad imprimendas species intelligibiles intellectui cognoscenti, quàm ideo omnes vocant intellectum agentem: ita hæc sententia ponit] præter sensus internos percipientes obiecta sensata ab externis quandam aliam potentiam sensitiuam, non quidem cognoscentem: sed producentem species impressas in sensibus internis cognoscentibus, per quia propria obiecta cognoscant. Tribuitur hæc sententia Commentat. 2. lib. de anima comm 60. Niceph. ibidem. Iand. q. 11. & 13. & Apollin. q. 16.

161 Et potest probari primo, quia non possunt species sensus interni produci immediatè ab obiecto extra existente, sicut producuntur species sensus externi: cum non possit agere tale obiectum per se in sensum internum propter impedimētum corporis: nec producuntur media specie impressa, aut expressa sensus externi: ergo à sensu agente, quia non superest alius modus, quo produci possint.

Probatur minor, quod non media specie

impressa: nam si hac media produceretur, cum sit agens naturale, necessario eam produceret eo ipso, quod ipsa in sensu externo produceretur, sed constat sequi in sensu externo, vt in visu, & non sequi visionem: nec proinde speciem in sensu interno: ergo non producitur ab ea, immo nec potest produci, quia species sensus externi imperfectior est & quasi ordinis inferioris respectu speciei interni sensus; non ergo potest eam producere, quia ageret vltra propriam perfectionem.

162 Sed nec potest produci media specie expressa, quia sensatio tactus, gratia exempli fit in toto corpore: ergo fit in pede, valdè distante ab organo sensus interni, tunc ergo, vel species impressa tactus producit impressam in sensu interno diffundendo illam per medium, sicut obiectum externi sensus diffundit species per aerem, à quibus producuntur aliæ in potentia, vel immediatè agendo in sensum; neutrum est possibile: ergo non producitur hoc modo species.

Probatur minor, quia agens naturale non agit in extremum, nisi per medium; ergo species expressa sensus externi non agit in sensum internum, nisi agendo in medium; necesse est ergo diffundere speciem per medium, & cum per totum medium sparsus sit sensus tactus, non sentietur obiectum à sensu interno, quin sentiatur per tactum in intermedijs partibus existentem, quod contradicit experientiæ.

163 Hæc tamen sententia singularis est, & contra communem consensum Philosophorum omnium confingit sensum agentem. Imò sine vlla necessitate, quia obiectú sensibile proportionatum est cuicumque sensui; quare non indiget sensu agente ipsum eleuante ad producendam speciem sui in sensu interno: sed sine eo potest eam producere; obiecta verò nostri intellectus, præsertim corporea pro statu præsenti, non sunt ei proportionata: cum sit ipse spiritualis, & propterea non possunt eum immutare, nec ab eo percipi; quare necessaria omnino est virtus aliqua spiritualis, quæ possit producere spiritualem speciem in intellectu repræsentātem ei obiectum materiale, per quam percipi ipsum possit.

Propterea secunda opinio asserit speciem impressam sensus interni produci à sensu externo determinato ad talem productionem per solam præsentiam sen[illegible] externæ, per quam percipit [illegible] non tamen ea vllo modo concurrere ad productionem eius, nisi tanquam conditione. Ita sentiunt recentiores quidam.

164 Sed hæc etiam sententia videtur mihi falsa; primò quia si sensatio externa [illegible] sus non concurrit cum eo ad productionem speciei impressæ interni sensus, sine fundamento dicitur non posse eundem sensum eam producere, nisi ad præsentiam eius. P[illegible]batur consequentia, quia præsentia visionis non est approximatio visus ad organum sensus interni, quod est passum: nec est intelligibilis alia ratio conditionis secluso penitus concursu eiusdem visionis cum potentia: ergo sine fundamento fingitur, quod ad præsentiam eius producatur. Præterea, vel potentia concurrit propria virtute, vel tanquā virtus obiecti: sed neutro modo; ergo nec poterit ab ea produci species. Minorem probo, quia potentia cum sit longè perfectior obiecto, non potest esse virtus eius, nec vt talis concurrere, sed nec virtute propria, quia imperfectior est sensu interno: ergo non potest propria virtute in illum agere. Secundò, quia in omnibus potentijs cognoscitiuis verum est & ab omnibus receptum dictum illud D. August. Ab obiecto, & potentia paritur notitia, vel cognitio, sed si hæc sententia vera sit, non potest obiectum vllum præstare concursum ad internam sensationem cum non præstet illum per sensationem externam, & multo minus per potentiam, quā constat non esse virtutem eius: ergo nullo modo procedet ab eo species sensus interni, nec sensatio eius.

165 His omnibus exclusis *nihil aliud videtur excogitari posse, à quo producantur species impressa interni sensus, nisi ab obiecto sensus externi vt cognito per eum.* Ita vt cognitio ipsa, atque species expressa per eam producta illud perfectè repræsentantes sint virtus eius, à qua imprimantur species eiusdem obiecti cogniti in sensu interno.

Nam cum sensatio atque species expressa sensus externi sint actus vitalis eius, expressque repræsentent obiectum, perfectiores sunt speciebus impressis interni sensus, quæ nec vitales sunt, nec obiectum cum tanta perfectione repræsentant. Ita Fonsec. noster 1. libro Metaphysic. cap. 2. quæst. 3.

sect.

sect. 8. atque etiam Molin. 1. par. quaest 1. art. 2. disp. 4. quod insinuauit planè D. Thom. 1. p. q. 78. art. 4. ad 2. asserens sensus externos ita esse cum internis ordinatos, vt ex immutatione sensus externi facta ab obiecto, per quam illud percipit, sequatur alia immutatio in sensu communi, per quam percipit eandem sensationem sensus externi, & proinde obiectum per eam sensatum, & repræsentatum.

166 Ab eadem ergo sensatione, aut obiecto per eam sensato immutatur sensus internus tanquam ab obiecto sibi proprio ex mente D. Thomæ: constat autem immutatione sensus ab obiecto fieri per productionem speciei impressæ: hæc igitur producitur ab obiecto, vt sensato ab externo sensu tanquam a causa efficiente.

Hanc sententiam sequuntur iam omnes ferè recentiores, & videtur nobis probabilior, efficaciterq; ex refutatione aliarum corroborata.

Et ad primum argumentum oppositæ dicimus sensationem externi sensus, & speciem eius expressam diffundere speciem per medium, & speciem in medio productam multiplicare aliam in potentia interna: medium autem in quo producitur species impressa sensus interni ab expressa externi sunt spiritus animales valde similes aeri externo, qui per concauitates internas corporis diffusi sunt, vt species in se recipientes quasi deferant, & ab his speciebus in eis receptis multiplicentur aliæ in potentia, vnde deficientibus his spiritibus, vel impeditis vijs, per quas transire, ac moueri possint, cessant operationes internorum sensuum.

167 Et cum dicitur, per has species diffusas in medio percipi debere obiectum a sensu tactus diffuso etiam per totum corpus, negan da est consequentia, quia spiritus, per quos diffunduntur, non informantur ab anima, nec organa alicuius sensus esse possunt, & licet esse possent, species tamen non sunt proportionatæ sensui tactus, sed alterius conditionis; quare non possunt per eas elicere sensationem tactus.

QVAESTIO X.

An sensus interni solum operentur per species sensatas, vel etiam per insensatas.

168 VT titulum quæstionis explicemus, adnotare oportet duplices distingui in solis sensibus internis, qui cum apti sint operari per species receptas ab externis, vel inferioribus, species, quas ab eis recipiunt, vocantur sensatæ, quia repræsentant eis obiectum sensatum per alium sensum: si verò excogitemus speciem aliquam nō receptam in eis ab alio sensu, & ideo nec repræsentantem obiectum iam sensatum, per quam operentur, talis species dicetur insensata. Quærit igitur titulus quæstionis an omnes sensus interni, (si plures sint) vel (si vnus tantum) in omni suo actu operetur per species sensatas, vel aliqui sint sensus, seu aliquæ sensationes, quas eliciant per species insensatas, hoc est, non receptas ab alio sensu, neque repræsentantes obiecta vt ab eo sensata. Vt dum ouis percipit lupum vt sibi inimicum per æstimatiuam, & fugit, cognoscit inimicitiam eius per speciem eiusdem lupi, quam recepit a sensu externo, aut communi, quæ ideo sensata vocatur, vel per aliam non receptam ab eo: nec ideo repræsentantem eandem inimicitiam sensatam.

169 Et prima opinio negat æstimatiuam percipere obiectum vt conueniens, vel nociuum per alias species insensatas: sed per easdem receptas a sensu communi, quæ sensatæ vocantur. Ita recentiores non pauci: & probant, quia, nec tales species insensatæ sunt necessariæ, nec naturaliter possibiles.

Et necessariæ quidem non sunt, quia sufficit ouem videre lupum per speciem sensatam, vt statim naturali instinctu eum fugiat.

Sed non sunt possibiles naturaliter, quia non est a quo producantur, non .n. ab obiecto, vt sensato per sensum externum, nec per communem, quia sensus isti non cognoscunt obiectum vt conueniens: ergo nec possunt producere speciem ipsum repræsen-

tan-

tantem sub ratione conuenientis. Imò si ab eo producerentur, sensatæ forent, non insensatæ, sed nec potest produci ab eadem æstimatiua, quia sensus quicumq; solum habet virtutem cognoscendi obiectum ab eo immutatus: ergo per speciem sibi ab impressam, quia immutatio potentiæ ab obiecto fit per impressionem speciei ab eo; vt per se est manifestum in cæteris sensibus: nulla igitur potentia habet virtutem imprimendi sibi speciem obiecti, per quam ipsum cognoscat.

170 Secundò quia si æstimatiua operatur per species insensatas, maximè vt cognoscat aliquid non sensatum per sensus externos, atque communem.

Sed hoc non potest esse aliud: nisi ratio conuenientis, & boni, aut disconuenientis, & mali, aut idemmet obiectum sensatum sub hac noua ratione conuenientis non sensata, sed hoc est impossibile: ergo nō potest speciebus insensatis vti. Minorem probo, quia ratio conuenientis, aut disconuenientis non est cognoscibilis per vllum sensum: ergo nec potest cognosci per species insensatas ab eo.

Antecedens probatur, quia conuenientia boni sensibilis cum natura sensitiua, atque etiam disconuenientia consistit in proportione, seu relatione eiusdem boni cum eadē natura: nam ideo conueniens est ei, & bonum eius, quia sibi proportionatum, & ideo disconueniens, quia improportionatum, sed constat relationem, vel proportionem non esse cognoscibilem per sensum, quem ideo superius probauimus, non posse habere formale iudicium, quia non potest cognoscere conuenientiam vnius extremi cū alio, & ideo nec attribuere vnum alteri: ergo eadem ratione non potest cognoscere conuenientiam rei sensibilis cum sensibili natura, nec etiam speciebus insensatis vti ad illam cognoscendam.

Secunda opinio asserit *æstimatiuam non solum recipere species sensatas a sensu communi, vel phantasia, per quas res etiam sensatas ab eo cognoscat, sed insensatis vti ad cognoscendas easdem res sensatas, sub noua ratione conuenientis, aut disconuenientis non sensata, & ab has species insensatas reseruari in memoria, vt per eas possit easdem res iterum cognoscere.* Hæc est expressa D.Th. 1. p. q. 78. art. 4. vbi sic ait *Ad apprehendendum autem intentiones, quæ per sensum non accipiuntur, ordinatur vis æstimatiua, ... ad conseruandum autem eas vis memoratiua, quæ est thesaurus quidam huiusmodi intentionum.* Et Caiet. ibidem, q. vnica de anima art. 3 Toletus, Martinez, Perez, Iauell. 3. lib de anima, c. 3. Titel. lib. 10. suæ phil. estque communis, & vera.

172 Quam 1. hoc discursu efficaciter probo: appetitus sensitiuus tendit in rem sensibilem sub ratione conuenientis naturæ sensitiuæ, eamque sub ratione boni delectabilis appetit, & rem disconuenientem eidem naturæ sub ratione mali, aut nociui refugit: ergo ratio formalis obiectiua est conuenientia, aut bonitas sensibilis, sed cum sit cęca potentia non potest ferri in aliquid incognitum: nec sub ratione formali obiectiua incognita: ergo necesse est, quod obiectum sensibile sub ratione formali conuenientis, & boni, aut disconuenientis, & mali, proponatur ei a potentia sensitiua eam cognoscente: constat verò æstimatiuam versari circa obiectum sensibile conueniens: ergo necesse est cognoscere illud sub formali ratione conuenientis, vt sic repræsentatum appetitui possit sub eadem ratione illud appetere, vel sub ratione disconuenientis, vt possit illud refugere

173 Constat deinde non cognosci rationem conuenientis, & boni a sensibus externis, nec a sensu communi: ergo nec potest cognosci ab æstimatiua per species sensatas ei impressas ab ipsis, sed necessariò per nouas alias non sensatas.

Et vrgeri potest argument. hoc modo: idemmet appetitus rationalis, qui est voluntas, & sensitiuus conueniunt in eo, quod vterque versatur circa bonum sub ratione boni, ex eo verò distinguuntur, quia voluntas versatur circa bonum, vt apprehensum per rationem, & ideo vocatur appetitus rationalis: sensitiuus verò versatur circa bonum, vt cognitum per sensum, & ideò appellatur sensitiuus: ergo sicut non potest voluntas ferri in bonum sub ratione vniuersali boni, quin sub tali ratione formali obiectiua apprehendatur ab intellectu, & proponatur ei: pari ratione non potest appetitus sensitiuus versari circa bonum sensibile sub ratione boni delectabilis, nisi sub eadem cognoscatur per æstimatiuam, & ei repræsentetur.

174 Et si forte dixeris satis esse, quod cognoscatur ab æstimatiua bonum ipsum sensibile

sibile materialiter, hoc est, pro re ipsa conuenienti, vt in eam tendat appetitus, & non requiri, vt cognoscatur ratio ipsa formalis boni, & conuenientis est obiectum formale appetitus: ergo non potest in ipsum tendere sub tali ratione formali incognita, alioqui tenderet in incognitum formaliter, & ex consequenti posset multo melius voluntas ferri in bonum sub ratione boni, quin hæc ratio formalis boni cognosceretur ab intellectu, quod est euidenter falsum.

175 Ad primum argumentum oppositæ sententiæ negandum est, quod species insensatæ non sint necessariæ ad operationem æstimatiuæ: & cum dicitur statim ac ouis videt lupum naturali instinctu eum refugere, distinguendum est, quia vel per naturalem instinctum intelligitur operatio aliqua naturalis eiusdem ouis, vel nulla: nullam operationem intelligi, planè falsum est, quia si antequam illum videret, non refugiebat, & eo viso statim refugit: per aliquam operationem illum refugit: alioqui antequam illum videret, refugeret: hæc operatio non est sola visio: nam per solam visionem non est maior ratio fugiendi lupum, quam agnum: ergo absque dubio naturali instinctu lupum refugere, & agnum prosequi est naturalis ipsa æstimatio, quæ proprius actus est æstimatiuæ, & est notitia rei vt conuenientis, aut nociui, quam sequitur naturaliter prosecutio, vel fuga, & hanc naturalem æstimationem vocat instinctum naturæ D. Thom. in 3. d. 26 q. 1 art. 1. ad 4 his verbis: *Animalia cognoscunt rationem conuenientis, & nociui non per inquisitionem rationis sicut homo, sed per instinctum naturæ, qui dicitur æstimatio.*

176 Quod verò additur non esse possibile, negandum est, quia eo ipso quod appetitus non potest ferri in obiectum formale sibi proprium non cognitum ab aliquo sensu, necesse est cognosci, vt tale ab æstimatiua, a qua natus est proximè moueri, & ideo necesse est cognosci vt tale ab hac potentia, & cum non possit vt tale cognosci per solas species sensatas (vt probaui) necesse est per insensatas cognosci, & ideo non solum esse possibiles, sed necessarias, sed a quanam pro ducantur causa dicetur quæst. sequenti.

177 Ad secundum neganda est minor, quod conuenientia, vel disconuenientia rei sensibilis, cum natura ipsa sensibili, in qua consistit ratio boni, aut mali, non sit cognoscibilis per sensum. Et dum dicitur, consistere in relatione, & proportione ad appetitum, negandum est, quia ratio boni suo in integritate, siue in appetibilitate posita sit, absoluta est, quamuis non possit a nobis explicari nisi per respectum ad appetitum, vel appetitus ad ipsam, quemadmodum de ratione cognoscibilis docuit Arist. in prædicamento ad aliquid, quod sit absoluta, ac prior scientia, quam tamen non possumus explicare, nisi per respectum ad scientiam in ea non inclusum. Vnde sequitur conuenientiam formalem rei sensibilis cum appetitu, vel natura sensibili cognosci posse ab æstimatiua non cognita relatione, quam non includit, licet non possit sine ea explicari.

178 De conuenientia verò, aut identitate duorum extremorum inter quæ versatur formale iudicium per attributionem vnius ad alterum, diuersa est ratio, quia vel in relatione consistit, vel eam saltem includit: identitas enim duorum, vel similitudo relatio quædam est, quam sensus non potest cognoscere, & ideo nec vnum attribuere alteri per iudicium.

QVAESTIO VLT.

A quanam causa producantur species insensatæ æstimatiuæ, & quonam modo.

179 PRima opinio asserit species insensatas, quibus æstimatiua vtitur, produci immediatè à Deo.

Sed in modo, quo ab eo producuntur dissentiunt opinantes. Nam quidam eorum, vt Salas noster refert in 1. tom. com. super 1. 2. D. Thom. tract. 1. disp. 4. num. 72. putant infundi a principio generationis animalium æstimatiuæ has species insensatas, quibus fauet D. Thom. quæst. 18. de Veritate, artic 7. ad 7. hisce verbis: *Animalia bruta in sui principio accipiunt naturalem æstimationem ad cognoscendum nociuum, & conueniens, quia ad hoc ex propria inquisitione peruenire non possunt, homo autem ad hæc, & multa alia potest per rationis inquisitionem peruenire, vnde non oportuit quod omnis scientia naturaliter insit.*

Loquitur autem non de sola potentia, sed de

de actu, cuius principium est species: nam potentiam intellectiuam etiam accipit homo a principio: constat verò non esse aliud a quo species a principio possint accipere, præter Deum, ergo tenet D.Th. eas a Deo accipere.

180 Alij verò, non a principio sed ad præsentiam obiectorum, vel specierum sensatarum, quas ab inferiori sensu recipiunt: ita vt in eodem puncto, quo circa conuenientia, vel disconuenientia obiecta operari oportet, eis imprimantur a Deo immediatè, vel medijs eisdem speciebus sensatis, immediatè quidem, hoc est, a solo Deo, dum operari oportet circa obiecta conuenientia, vel nociua, nullo modo percepta per sensus externos, medijs verò speciebus sensatis, dum circa conuenientiam obiectorum sensatorum operantur, sed tunc concurrente Deo specialiter, & tales species sensatas modificante, atque eleuante, ratione cuius eleuationis, & modificationis possint repræsentare conuenientiam, vel disconuenientiam, non perceptam ab vllo alio sensu. Ita Viguer. in institutionibus c. 1. §. 8 vers. 9 & 10. quem idem Pater Salas omninò sequitur.

181 Probatur primò, quia æstimatiua non potest habere speciem conuenientiæ, nisi eam accipiat ab eadem conuenientia, vel re vt conuenienti tanquam ab obiecto: sed obiectum non potest imprimere per se immediatè speciem in sensu interno, nisi medijs externis, a quibus sentiatur: constat verò externos sensus nihil posse de conuenientia obiecti percipere: imò neque vllum internum, præter æstimatiuam: ergo nec potest ab obiecto recipere æstimatiua tales species: neque ab alio sensu externo, vel interno: sed nec potest ipsa eas sibi imprimere, quia nullam potest operationem habere, sicut nec cæteri sensus, nisi præcedente specie obiecti, cum qua sit principium eius: quare repugnat saltem naturaliter eam sibi imprimere, vel in se producere: ergo necesse est ad Deum recurrere, qui eas eidem potentiæ imprimat, sicut in cæteris effectibus, quæ non possunt habere aliam causam, recurrimus semper ad Deum.

182 Secundò probat, quia sæpe contigit animalia appetere obiecta sensibilia sibi conuenientia, vel disconuenientia fugere, numquam a se percepta per alios sensus: vt animalia quædam herbam purgatiuam quærunt, dum ægrotant, quam tamen numquam viderunt, nec alio sensu perceperunt: ergo non possunt ab obiectis sensatis, vel speciebus eorum species insensatas recipere ea repræsentantes sub ratione conuenientis, aut nociui: sed sub tali ratione ea quærunt, ergo sub eadem ea cognoscunt, quia ad quærenda omninò incognita moueri non possunt. Quare necesse est a Deo accipere species eorundem obiectorum vt conuenientium.

183 Hæc tamen sententia secundùm vtrumque modum eam defendendi valde mihi displicet propter duo.

Primum quidem, quia potentiæ sensitiuæ ex propria natura immutantur ab obiectis: ergo ex propria natura habent ab eisdem obiectis recipere species, quibus in ordine ad proprios actus perficiantur. Quare non est naturaliter possibile, quod a Deo immediatè infundantur, vel imprimantur eis species, sed æstimatiua est sensitiua potentia: ergo apta est perfici in ordine ad proprium actum ab obiecto per se, vel per suam speciem, & non a Deo immediatè eam infundente, sicut nec alteri potentiæ sensitiuæ, aut intellectiuæ, infunduntur species in ordine ad obiecta naturalia: sine fundamento ergo ponitur, quod a solo Deo perficiatur, siue a principio, siue postea ad præsentiam obiectorum, & ex eo solum quod ignoratur modus, quo possit eas a se, vel ab alio sensu accipere.

Secundò, quia omnes potentiæ sensitiuæ subordinatæ sunt: ita vt superiores, ac perfectiores accipiant species obiectorum ab inferioribus, vt internæ ab externis, & internæ inferiores a superioribus (si distinctæ sunt) ergo æstimatiua iuxta naturalem ordinem habet species recipere suo modo ab inferioribus, & non a solo Deo.

184 Secunda opinio tenet æstimatiuam perfectiorum animalium operari quidem per species insensatas, easque ex sensatis elicere, sed modum quo eas eliciat, non explicat, æstimatiuam verò animalium imperfectorum non elicere tales species, nec eis vti, fugere tamen eadem animalia nociua, & appetere conuenientia instinctu naturæ, qui non est aliud in eis, quam modus quidam obscurioris iudicij comparatione eius, quod perfectiores bellux formare consueuerunt. Ita Conimb. cap. 3. huius lib. q. 1. art. 5. Sed

non

non minus displicet hæc sententia, quam præcedens. Primo, quia euidens est apud Aristotel. & omnes, animal à imperfecta, imperfectum quoque habere appetitum: cum constet sentire dolorem, seque contrahere, si pungantur, sed etiam est euidens appetitum imperfectum versari circa conuenientia ac disconuenientia sensibilia modo imperfecto, sicut est euidens appetitum perfectum sub eadem ratione versari perfectè.

185 Deinde euidens est etiam quemlibet appetitum moueri ab obiecto sensibili sibi repræsentato, aut proposito sub ratione conuenientis, aut nociui: ergo non est minus euidens, quod æstimatiua brutorum imperfecta moueatur ab obiecto sensibili sub ratione conuenientis aliquo modo cognito: cum constet non posse ab incognito moueri.

Quare necesse est ponere in æstimatiua eorum animalium imperfectam saltem cognitionem obiecti, vt conuenientis, aut disconuenientis, quàm rationem constat non posse repræsentari etiam imperfectè per species sensatas: ergo necesse est repræsentati per species insensatas, & ideo non possunt æstimatiuæ imperfectorum animalium denegari, quia iudicium illud imperfectum (quod vocant instinctum naturæ) cum sit circa obiecta, vt conuenientia, vel nociua, habere non possunt, nisi media specie, non quiddem sensata, quia conuenientia non est percepta ab aliquo sensu interno, vel externo: ergo insensata, quam proinde malè his animalibus denegat hæc sententia.

186 Nostra igitur sententia asserit *species insensatas produci ab eadem æstimatiua medijs sensatis, quas recipit à sensu communi, vel phantasia.* Modus autem, quo id fiat, colligi debet, ex doctrina D. Thom. 1. par. quæst. 78. art. 4 ad 2 & 4. vbi tanquam fundamentum huius rei præsupponit, quod in eodem obiecto cognito ab inferiori, & superiori potentia, plura cognoscit superior, quàm inferior, siue in ordine intellectiuo, siue sensitiuo, & exemplum assignat: primo, in sensu, & in intellectu, atque etiam in diuersis sensibus. In intellectu quidem qui licet nihil cognoscat, nisi acceptum per sensus, & dependenter ab eis, sed in eadem re cognita per sensum plura ipse cognoscit, quàm sensus, vt colorem cognoscit visus solum in ratione visibilis; intellectus verò cognoscit esse visibilem, esse secundam qualitatem, esse qualitatem passibilem tertiæ speciei, pluraque alia: non solum, quàm cognoscat visus, sed quicunque sensus internus. Deinde in diuersis sensibus: nam cum visus solum cognoscat colorem, vt visibilem, sensus communis cognoscit eum, non solum vt visibilem, sed vt visum, atque etiam vt diuersæ naturæ à sono, a tangibili, & gustabili.

187 Et efficax ratio huius fundamenti est, quia perfectior potentia altior est, vniuersalior, habensque proinde obiectum, ac rationem formalem eius vniuersaliorem plura sub se comprehendentem. Et ex consequenti maioris virtutis ad cognoscendum. Et ad propositum nostrum descendés D. Thom. æstimatiuam virtutem ait (cum sit altior potentia à cæteris sensibus) vniuersalius obiectum habere, quia non solum cognoscit in eadem re rationem sensibilis proprij, & communis, sicut sensus externi, nec solum rationem sensati, & diuersæ naturæ, à quocunque alio sensato, vt sensus communis, sed rationem conuenientis, & nociui præsupponentem alias, & addentem supra eas aliquid, quod à nullo alio sensu percipi potest, nam rationem conuenientis, & nociui nullus alius sensus potest percipere.

188 Quod hoc exemplo declarari potest; videt ouis colorem, figuram, magnitudinem, & motum lupi, & hæc eadem percipit sensus communis, sed non habet virtutem deducendi ex eis notitiam disconuenientiæ: æstimatiua verò cum sit altior potentia eadem accidentia perfectius cognoscit: nempè in quantum ducunt in notitiam aliarum proprietatum, vel accidentium sensibilium, per quę sibi aduersatur, & ideo potest cognitionem, seu expressam notitiam elicere eiusdem lupi, vt sibi disconuenientis, & hac media in se producere speciem aliam eiusdem lupi, vt nociui in memoria reseruandam.

189 Quod perfectiori modo præstat intellectus, nam dum phantasia cognoscit Petrum per accidentia eius, intellectus agés media specie expressa phantasiæ (quàm phantasma vocát) producit in intellectu possibili speciem impressam intelligibilem eorundé accidétiũ, per quàm intellectus possibilis elicit cognitioné, aut speciem expressam aliarum proprietatũ, quas non repræsentat sibi species impressa, nisi quadam ratione virtuali, in quantũ accidentia illa, quę per se repręsentabat,

ſentabat, ſigna erant, vel indicia aliorum, & hæc repræſentatio virtualis, quam habebat etiam phantaſma, non erat ſufficiens, vt phantaſia accidentia illa cognoſceret, vel ſpeciem expreſſam eorum deduceret propter imperfectionem propriam: ſufficit verò vt intellectus tanquam altioris virtutis eam deducat.

190 Et eadem ſimilitudine intelligendum eſt ſpeciem ſenſus communis, & eam, quam imprimit ipſe æſtimatiuæ ſolum repræſentare, primò, & per ſe colorem, figuram, magnitudinem, & motum lupi, ſed quaſi ſecundario, & virtualiter proprietatem, aut accidens per quod nociuus, ac diſconueniens eſt oui, cuius accidentis ſigna, aut indicia ſunt illa priora.

191 Hæc verò virtualis repræſentatio non ſufficit, vt poſſit cognoſci ab inferiori ſenſu propter eius imperfectionem, ſufficit verò, vt poſſit cognoſci ab altiori, atque eminentiori, qualis eſt æſtimatiua.

Quod docuit expreſſè D. Thom. vbi ſupra ad 4. nam cum propoſuiſſet argument. hoc modo: *Intellectus nihil poteſt cognoſcere, niſi quod accipit a ſenſu: ergo neque æſtimatiua, quæ plus dependet a ſenſibus, quam intellectus, poterit cognoſcere, niſi ea quæ ab inferioribus ſenſibus accipit; ſed ſenſus inferior non cognoſcit, niſi ſenſata ab externis ſenſibus: ergo nec æſtimatiua poteſt niſi eadem cognoſcere, & ideo nullam rationem inſenſatam, nec vlla ſpecie inſenſata vti.* His verbis reſpondet. *Ad 4. dicendum, quod licet intellectus operatio oriatur a ſenſu, tamen in re apprehenſa per ſenſum intellectus multa cognoſcit, quæ ſenſus percipere non poteſt, & ſimiliter æſtimatiua, licet inferiori modo.*

192 Et cum non ſit excogitabilis alius modus, quo poſſit plura cognoſcere, niſi eliciendo ſpeciem inſenſatam alterius rationis in eodem obiecto ſenſato contentam, quam quidem non formaliter repræſentabat ſenſata ſpecies, ſed quaſi ex conſequenti, aut ratione virtuali, & non ſufficienti, vt eliceretur ſpecies eius ab inferiori potentia, ſufficiente verò, vt eliciatur a ſuperiori excellentioris virtutis, ideo poteſt æſtimatiua in forma ta ſpecie impreſſa ſenſata, elicere ex ea expreſſam talis rationis non ſenſatæ, & per hanc expreſſam imprimere ſibi aliam repræſentantē eandem rationem reſeruandam in memoria pro futuris vſibus, aut operationibus circa eandem rationem, vel obiectum.

193 Teſtimonium verò eiuſdem D. Thomæ pro prima opinione [illegible] tate prorſus caret: nam [illegible] argumentum quod verbis [illegible] probare, quod pueri in [illegible] entia ab ipſa natiuitate haberent ſcientiam, & [illegible] eius, & conſequenter vſum [illegible], & ad id probandum aſſumpſit actum æſtimatiuæ, quem animalia habent a principio ſui ortus.

Reſpondet verò actualem æſtimationem habere animalia a principio, quia non poſſunt alia via ſibi conuenienti eam acquirere, & nociua fugere: homo vero poteſt acquirere ſcientiam per vſum intellectus, non ſic verò accipere actualem æſtimationem a principio animalia, intelligit D. Thom. [illegible] talis actus, vel ſpecies inſenſata infundatur eis immediate a Deo, ſed medijs ſpeciebus ſenſatis inſenſatas eliciendo modo iam expoſito, de quo eo loci nihil aſſerit, nec negat.

194 Ad primum argumentum ſecundæ opinionis negandum eſt minor, quod [illegible] detur cauſa particularis, a qua producitur ſpecies [illegible] datur enim potentia ipſa ſimul cum ſpeciebus ſenſatis, a qua produci poteſt. Et cum dicitur inferiorem potentiam per ſpeciē ſenſatam, non poſſe cognoſcere cōuenientiam obiecti, quia nec repræſentatur per talem ſpeciem, concedendum eſt, quod non poſſit, quia inferior, atque imperfectior eſt: de repræſentatione verò conuenientiæ per ſpeciem ſenſatam diſtinguendum: nam primo, & per ſe non repræſentatur, ſed quaſi ſecundariò, & ex conſequenti, aut ratione virtuali, in quantum illa accidentia per ſe repræſentata indicia ſunt, & quaſi naturalia ſigna aliorum, per quæ lupus inſenſus, & inimicus eſt oui, hæc autem imperfecta repræſentatio diſconuenientiæ per ſpeciem ſenſatam non eſt ſufficiēs, vt a ſenſu inferiori cognoſcatur: ſufficit tamen vt cognoſcatur a potentia ſuperiori, qualis eſt æſtimatiua.

195 Ad ſecundum negandum eſt antecedens, quod animalia quærant alia nullo modo a ſe cognita per aliquem ſenſum externum, hoc eſt, ipſamet, vel aliquem effectum eorum, per quem ea ſub ratione tantum communi, aut confuſa conuenientiæ apprehendunt, & quærunt, aut diſconuenientis, & fugiunt.

196 Sed reſtat explicandum, an, & quo

modo

modo phantasia vtatur speciebus insensatis, in quo minor est difficultas, quia omnes ferè admittunt posse ex duobus simplicibus sensatis a sensu communi tertium quoddam componere, vt ex speciebus montis, & auri montem aureum

Sed an id efficiat tertiam quandam speciem simplicem repræsentantem montem aureum ex duabus simplicibus montis, & auri eliciendo, vel non nisi per vnam compositam ex eisdem simplicibus in ea permanentibus, non est apud omnes certum: sed quidam modo priori id præstare intelligunt: alij vero modo posteriori.

197 Mihi verò ita videtur explicandum, vt phantasia duabus illis speciebus simplicibus ei impressis à sensu communi per modum vnius, & tanquam vno principio partiali sensationis vtatur, per quam sensationem producit speciem expressam simplicé repræsentantem, non quidem montem, & aurum, sed montem aureum habentem etiã modum vnius rei repræsentatæ, media autem tali sensatione, aut specie expressa imprimit sibi aliam eiusdem montis aurei, quã apud se reseruat pro eodem obiecto iterum à se percipiendo.

CAPVT IV.

TEXTVS ARISTOTELIS.

De parte autem animæ, qua cognoscit anima, & sapit, &c.

Breuis expositio textus.

1 Explicata iam natura, & ratione totius sensitiuæ partis, videlicet externis, atque internis sensibus, ex quibus plena, atque perfecta notitia animæ sensitiuæ constat: sermonem transfert Aristoteles ad animam rationalem, cuius notitiam modo simili ex potentijs, seu facultatibus eius inuestigare intendit.

Incipit vero ab intellectu cognoscente (quem possibilem vocant) tanquam a prima eius potentia, quam explicare intendit in hoc primò cap. in duas partes diuiso, in priori docet, quid sit potentia ipsa, & quomodo distinguatur a cæteris, quo etiam modo operetur, vel in actum reducatur: in posteriori verò tria, aut quatuor proponit, ac soluit dubia, ex quorum solutione magis vtrumq; innotescit.

2 Naturam intellectiuæ potentiæ per similitudinem ad sensum iam explicatum intelligendam esse ait, vt sicut sentire est quoddam pati pro passione perfectiua, & impropria, quæ per receptionem formarum intentionaliũ fit, sic intelligere, quod est proprius actus intellectus. Ex quo tria colligit: primum, quod intellectus non sit capax passionis propriè dictæ.

Secundò ex propria natura aptum esse ad recipiendas obiectorum formas, seu species.

3 Postremum nullam ex hisce rerum speciebus ex se, vel a se habere, receptiuum tamen esse omnium, ita vt quemadmodum materia prima in genere naturæ est pura potentia nullam ex se habens formam naturalem, potens tamen recipere omnes, sic intellectus in genere intelligibili pura potentia sit, nullam habens ex se intelligibilem formam, potens tamen omnes in se recipere, & in his cum sensu conuenire docet, sed differre ab eo in duobus: in priori quidem, quia non est potentia organica, ideo nec corporea, vel corpori permixta, sicut sensus, quia si intellectus aliquid corporeum foret, non posset omnia corporea percipere: quemadmodum si gustus aliquo sapore naturaliter afficeretur, non posset cæteros sapores percipere, vt experientia ostendit, & ex hoc efficitur, quod sicut actu nullum corpus est, ita est omnia corpora in potentia, quia omnium similitudines recipere potest, vt per eas percipiat omnia: non tamen eas habet a principio, vt deceptus Plato posuit.

Posterius in quo differt a sensu est, quod sensus ab excellenti sensibili læditur ex parte organi, vt superius ostendimus. Intellectus verò non læditur a perfectissimo intelligibili, quin potius perficitur ipsum intelligens, quia non est in organo corporeo ratione cuius lædatur.

4 Quo autem modo operetur intellectus, vel in actu fiat, hac distinctione explicat: duplici ter potest intellectus exire de pura illa potentia, quam a principio, & ex se habet.

Primò per receptionem speciei, vel similitu

litudinis obiecti: nam species actus quidam est eius, per quem determinatur ad hoc, vel illud obiectum percipiendum, cum ex se sit in potentia quadam æquè indifferenti ad percipiendum omnia, & actus iste vocatur primus, & adhuc imperfectus: in actu autem quasi secundo, atque perfecto fit per vsum speciei, qui est perceptio actualis eiusdem obiecti.

5 Proponit tandem, & soluit in posteriori parte capitis tria, vel quatuor dubia, quorum primum pertinet ad obiectum intellectus, videlicet an per eandem animæ potentiam, seu facultatem percipiamus rem vniuersalem, & singularem, vel per diuersas, & loquitur de vniuersali, & singulari in rebus materialibus: nam de immaterialibus nō est dubium, quin a solo intellectu percipiatur vtrumque. Vt autem respondeat, distinguit singulare ab vniuersali, quia singulare, inquit, dicit hanc materiam cum his conditionibus, & accidentibus, per quæ determinatur ad hanc formam recipiendam, vt hęc caro includit hanc magnitudinem, & hoc temperamentum primarum qualitatum, sed vniuersale abstrahit ab hac materia, & his conditionibus, seu accidentibus, & solum dicit naturam, vel essentiam, seu essentialia prædicata, vt caro in communi solum essentiam & naturam, vel esse carnis.

6 Quo supposito respondet per diuersas potentias nos cognoscere vniuersale, & singulare: nam per sensus singularia materialia tantum cognoscimus, non vniuersale: sed cognitio huius pertinet ad intellectum. In horum autem cognitione, ait, se habere animā sicut lineam rectam, & reflexam, cuius sensum explicabimus in controuersijs.

7 Dubium secundum est, circa id quod in principio docuerat de intellectu, quod sit potentia passiua apta recipere rerum omnium formas: dubitat ergo, quonam modo verum hoc esse possit, cum nihil pati possit ab alio, nisi ratione materiæ, quæ principium totius passionis, & receptionis est. Et respondet distinguens duplicem passionem: propriam atque impropriam, quas agentes de sensibus in 2. li. explicuimus, propriam igitur per naturalem alterationem factam, & inter qualitates contrarias se expellentes concedit nō fieri, nisi in rebus materialibus: impropriam verò, ac perfectiuam in immaterialibus locum habere, & de hac intelligi ait, quod intellectus sit potentia passiua [illegible]

8 Proponit tertium [illegible] an intellectus ipse sit intelligibilis [illegible] an [illegible] intelligere, sicut intelligit alia: & videtur (inquit) quod non: quia v[illegible] in quantū est intellectus, & [illegible] intelligitur, esset intellectus. Si ve[illegible] intelligibilis in quantum in[illegible] intelligibilis per quid aliud sibi superadditum ex quo, & ratione intelligitur propria erit compositus, contra propriam naturam, quæ simplicissima est.

9 Respondet intellectum esse per se intelligibilem quia immaterialis est, immaterialia vero dicuntur per se intelligibilia, [illegible] per se sint proportionata eidem intellectui sua natura immateriali, & ideo per propriā speciem possunt vniri intellectui: nam materialia improportionata sunt eidem intellectui; quare non possunt ab eo per se percipi, nisi prius fiant quodammodo im[illegible] per speciem intelligibilem productam ab intellectu agente. Ad argumentum vero respondet: posset intellectum esse intelligibilem, vt entitatem immaterialem: quare solum sequitur, quod omne immateriale [illegible] se intelligibile, quod [illegible] est.

10 Sed dubitat tandem, quare intellectus non semper actu se intelligit, si per se intelligibilis est. Cui nihil respondet: sed solum asserit rationem huius inuestigandam esse. Hæc autem fortè erit satis congrua, quia intellectus dum est in corpore, non intelligit per se immaterialia sed per species corporum a sensibus receptas, & quia non semper versantur sensus circa res corporeas intellectui similes, nec potest semper ab eis recipere speciem, per quam se intelligat, nec semper potest recepta vti, & cum non semper circa has operentur sensus, nec potest semper se intelligere intellectus.

Concludit tandem sententiam capitis dicens: res purè materiales non esse actu intelligibiles: sed potentia tantum, & ideo non posse eis conuenire potentiam intellectiuam.

CAPVT V.

De intellectu agente.

TEXTVS ARISTOTELIS.

Quoniam autem in omni natura est aliquid, hoc quidem materia cuicumque generi.

Breuis expositio textus.

11 Explicato intellectu possibili, quasi continuato sermone agit de intellectu agente; caput autem licet admodum breue diuiditur in tres partes.

In quarum prima asserit, & probat in anima rationali, prçter intellectum possibilem ponendum esse agentem.

In secunda enumerat tres conditiones eius, in quibus conuenit cum intellectu possibili, & quartam, in qua ab eo distinguitur, & in tertia agit de intellectu in actu, & enumerat proprietates totius intellectiuç partis explicatq; vno verbo, an intellectus separatus operetur.

12 Asserit igitur necessariò ponendum esse intellectum agentem, tanquam virtutem, aut potentiam animæ rationalis, probatque hac ratione.

In omni re, quæ non semper est in actu, sed aliquando in actu, & aliquando in potentia, necesse est ponere aliquid, per quod sit in potentia ad omnem actum sui generis, & aliud, per quod, vel a quo reducatur in talem actum, alioqui numquam erit in actu: sed semper in potentia: sed anima rationalis, nec est semper in actu intelligendi, nec semper in sola potentia: sed aliquando intelligit actu, & aliquando solum est in potentia ad intelligendum: ergo præter intellectum possibilem, per quem solum est in potentia ad intelligendum, indiget agente aliquo, a quo reducatur in actum per productionem formarum intelligibilium, & receptionem earum, & agens hoc est alia potentia, ad quam non pertinet cognoscere obiecta, nec accipere species: sed eas producere in intellectu cognoscente, quæ vocatur possibilis, ut ita intellectus agens sit omnia agere in genere intelligibili, sicut possibilis est omnia pati, vel omnia fieri.

13 Enumerat deinde quatuor conditiones, seu proprietates intellectus agentis: primam, quod sit separabilis a subiecto, siue organo corporeo, quia non est potentia organica.

Secundò quod sit impassibilis.

Tertiò, quod sit immixtus, idest, non compositus ex naturis corporis, neq; actus alicuius organi corporei.

Quartam, quod secundum suam substantiam, vel entitatem est in actu, possibilis vero secundum propriam entitatem potius est in potentia, fit autem in actu per receptionem specierum.

14 Quòd verò omnes istæ conditiones ei conueniant, probat hoc argumento: agens nobilius est patiente in eodem ordine essendi: sed intellectus agens comparatur ad possibilem in ordine intelligibili: ergò sub ratione agentis nobiliòr est illo.

Tres autem priores conditiones conueniunt intellectui possibili: ergo potiori ratione conueniunt agenti, & ex ratione agentis conuenit ei quarta, quia agens nobilius est passo ex eo, quod est in actu, & passum in potentia, actus verò nobilior est potentia.

15 In extrema parte capitis agit de intellectu in actu, cuius tres sunt conditiones: prima, quod intellectus in actu (quem scientiam vocat) idem sit cum re intellecta, vel scita, seu cognita: non quidem in esse rei: sed in esse repræsentatiuo in quantum repræsentatur sibi obiectum per speciem receptam ab intellectu agente.

16 Secunda conditio est, quod licet intellectus, seu scientia in potentia sit prior tempore scientia in actu in eodem homine, quia quilibet homo aliquo tempore scientia caret, & solum est in potentia ad illam: sed vniuersaliter loquendo prior est intellectus, seu scientia in actu tempore, & natura, tum quia potentia non reducitur in actum, nisi per aliquod, quod iam est in actu,

actu, tum et iam, quia scientia ipsa actualis a nomine comparatur, neque aliquis fit actu sciens de sciente in potentia, nisi ex alia cognitione actuali in se præcedente, vt docuit ipse 1. lib. Poster. c. 1.

Postrema conditio intellectus in actu est, quòd semper sit in actu, intellectus verò possibilis aliquando in actu, & aliquando in potentia.

Et ex his conditionibus, quæ per quandam congruentiam applicantur intellectui agenti, insinuat Aristoteles qualis sit, & quanta sit perfectio eius: nam est intellectus semper in actu, etiam si non semper operetur.

17 Ex dictis colligit tres conditiones totius partis intellectiuæ: primam, quod sit aliquid separatum, hoc est, quod nihil eius sit actus organi corporei, vel ei alligatum: secunda quod sit incorruptibilis. Et tertia, quod sit perpetuus, hoc est, permanens corrupto corpore.

Explicat tandem vno [illegible] quo[illegible] mo-do se habeat intellectus in [illegible] separata ad intelligendum, videturque asserere quod non intelligat, quia corrumpitur (inquit) intellectus passiuus, sine quo non potest intelligere: per intellectum verò passiuum cogitatiuam, aut phantasiam intelligit, quæ cum sit potentia sensitiua, & in organo corporeo, corruptibilis est, & in separatione animæ rationalis a corpore necessario corrumpi debet.



TRA-

TRACTATVS DE natura, & ratione, atque officio intellectus agentis.

QVAESTIO I.

An detur intellectus agens.

18 NOmine intellectus agentis ſignificatur apud omnes facultas quædam ſpiritualis animæ rationalis, non quidem cognoſcitiua, nec ordinata ad cognoſcendum: ſed productiua ſpeciei intelligibilis ſpiritualis, per quam repræſentetur intellectui cognoſcenti materiale obiectum, ſicq; repræſentatum fiat ei præſens, & proportionatum, & poſſit illud cognoſcere. De qua quærimus, an ſit, hoc eſt, an verè detur in anima.

Et prior ſententia negat dari. Quam tenuerunt quidam, quos retulit Alb. Mag. in Sum. de homine, quæſt. de intellectu agente, atque etiam Iſaac Narbonenſis, vt teſtatur Mirandul. in ſuis concluſionibus, & tenuit poſteà Durand in 1. d. 3. 2 p. diſt. q. 5. Quam probat 1. quia ſi intellectus agens neceſſarius eſt vel vt agat in phantaſma, vel in intellectum poſſibilem ad producendam ſpeciem intelligibilem: ſed ad neutrum horum requiritur: ergo admitti non debet.

19 Minorem probat, quia intellectus agens non poteſt agere circa phantaſmata, niſi aliquid eis imprimendo, vel auferendo, aut ab eis abſtrahendo, ſed hæc omnia repugnant, quia neque Angelus poteſt formam aliquam corporibus imprimere, quantò minus intellectus agens aliquid corporeis phantaſmatibus imprimere poterit, & eadem ratione nihil ab eis auferre poteſt, ſicut nec Angeli a corporibus.

20 Sed nec poteſt aliquid ab eis abſtrahere, nam vel abſtractio hæc erit eductio ſpeciei intelligibilis de potentia eorum; quæ non minus repugnat: nam cum ſpecies intelligibilis ſpiritualis ſit, nec poteſt in potentia corporei phantaſmatis contineri, nec in eo recipi, vel tandem abſtrahere poteſt aliquid a phantaſmatibus producendo ſpeciem repræſentantem naturam rei materialis, ſine conditionibus indiuidualibus materialibus, quod non eſt minus impoſſibile: quia cum ſit phantaſmati intrinſecum repræſentare naturam materialem, & ſingularem, repugnat, quod ab eo poſſit abſtrahi talis ſpecies.

Quod verò non ſit neceſſarius ad agendum in intellectum poſſibilem pro ſpeciei productione, probat, quia vel ex ſe ſolo ageret, vel ſimul cum phantaſmate: & vtrumque repugnat: primum quidem, quia ſi ſolus ageret; cum agat ex neceſſitate naturæ, ſemper ageret, produceretque ſemper ſpeciem intelligibilem, per quam ſemper, & ab initio introductionis animæ in corpus intelligeret intellectus poſsibilis, quod patet eſſe falſum. Secundò verò, quia eodem modo poſſet poni ſenſus agens: qui ſimul cum obie-

obiecto ageret in sensum passiuum, vel sentientem, quod ab omnibus reijcitur.

Secundò, quia res materialis non est minus intelligibilis actu ex propria natura, cum sit ens actu, quam obiectum sensus actu sensibile: ergo non minus poterit imprimere speciem sui intellectui possibili, quam obiectum sensibile sensui: quare sicut non admittitur sensus agens, sic non debet admitti intellectus agens.

21 Posterior sententia ponit tanquam necessarium in anima intellectum agentem. Et est propria Aristotel. cap. 5 huius libri, D.Thom. 1. part. quæst. 54. art. 4. & quæst. 79. art. 3. 2 lib. contra gentes cap. 76. de Veritate, quæst. 10. art. 6. & quæst. de anima art. 4. ita etiam Scot. in 1. d. 3. quæst. 8. ad primum, & omnes sectatores eius: imò cæteri etiam Scholastici in 2. dist. 3. & omnes interpretes Aristotelis.

22 Vt aût eã efficaciter probemus, duo sunt præsupponenda tanquam certa in schola.

Primum est. Quemcumque intellectum creatum speciebus indigere ad percipiendum quæcumque alia obiecta creata, & propterea fatentur omnes de Angelis per species eis inditas adeò omnia alia a se intelligere, & consequenter de anima nostra speciebus indigere in statu quocumq; ad intelligendum.

Cuius ratio a priori est; quia quælibet substantia creata habet limitatam essentia, limitatam perfectionem, & virtutem nullo modo continentem res alias a se, & si in tellectualis sit, limitatum intellectum: quare non potest in se nec per propriam essentiam res alias a se intelligere: ergo indiget speciebus earum, per quas sibi repræsententur, & præsentes fiant in esse intelligibilis actu, & intelligantur. Probatur etiam a posteriori illis experientijs, quibus probauimus in 2. libr. dari species sensibiles, esseq; omninò necessarias ad sentiendum contra Durand. æquè enim probant dari species intelligibiles esseque nobis necessarias ad intelligendum.

Secundum præsuppositum est, animam nostram in instanti, quo creatur a Deo, & infunditur corpori, nullam habere speciem alicuius rei, sed vt Aristoteles docuit esse sicut tabulam rasam, in qua nihil depictum est, & intellectum eius esse quidem in ordine intelligibilium potentia omnia intelligibilia, actu verò nullum.

23 Cuius ratio à priori est [illegible] substantia incompleta, & pars alia [illegible] sequi perfectionem in modo [illegible] nionem cum corpore, & consequenter [illegible] modo operandi intellectuali [illegible] proprio, vnde sequitur per corporis ministerium omnium rerum species acquirere ob [illegible] rum acquisitionem dati sunt corpori a natura sensus omnes interni, & externi: Angelus verò completa substantia est non [illegible] corpus, ideo nec aptus est perfici [illegible] se, nec in suo modo intelligendi per corpus: quare nec per eum acquirit species, sed in principio suæ creationis eas accepit a Deo immediatè per infusionem. Quare errauit Plato in Mænone putans cum quibusdam alijs antiquioribus philosophis animas creari a Deo ante corpora speciebus rerum omnium plenas, per quas corporibus iam infusæ paulatim, & quasi per reminiscentiam quandam eas intelligerent.

24 Ex his duobus principijs efficax argument. desumitur ad probandam necessitatem intellectus agentis hoc modo. Ad quamlibet cognitionem [illegible], vel intellectiuam necessariò requiritur, quod obiectum in ratione sensibilis, vel intelligibilis fiat præsens, & proportionatum potentiæ, vt sic ei vnita eliciat operationem, per quam ipsum cognoscat: sed obiecta præsertim materialia, licet per sensus cognita, & per phantasmata repræsentata sunt extra intellectum, & ei vtpote spirituali improportionata, & propter eandem improportionem non possunt per se eum immutare imprimendo ei propriam speciem, sicut obiecta sensibilia immutant sensus imprimendo eis proprias species: nam res corporea cum sit inferioris ordinis, nec potest propria virtute agere in spiritualem (qualis est intellectus) nec speciem spiritualem ei imprimere quam cû apud se non habeat, necessaria est superior quædam virtus, a qua producatur in intellectu possibili species eiusdem obiecti, per quam possit ab eo intelligi, & hęc virtus appellatur intellectus agens.

25 Ad 1 argumentum. Durand respondeo intellectum agentem producere speciem in intellectu possibili, non quidem agendo in phantasmata, sed in eundem intellectum, de cuius potentia educit eandem speciem.

Et cû rursus quærit, an solus agat in intellectum

ctum possibilem, vel simul cum phantasmate: Dicimus simul cum phantasmate vt instrumento agere. Sed negamus, quod possit poni sensus agens, quia cum obiectum sensibile secundum se sit proportionatum sensui non indiget sensu agente, sed per se potest eum immutare, speciemq; imprimere: obiectum verò materiale non est proportionatum intellectui pro hoc statu, quo est in corpore, nec est actu intelligibile ab eo, sed solum in potentia: ideo non potest ei imprimere speciem sui, nec ab eo intelligi, nisi adsit alia virtus superior spiritualis, a qua producatur, & sic soluitur secundum argumentum eius.

QVAESTIO II.

Quodnam sit proprium officium intellectus agentis, ad quod exercendum reputatur necessarius.

VT officium intellectus agētis proprium commodius explicemus, hoc ordine procedendum esse arbitror, vt prius quę sunt ei deneganda officia ostendamus, vt ex eo constet, quæ sint ei concedenda.

26 Et in primis intellectum agentem non intelligere formaliter, communis est sententia ferè omnium interpretum Aristo. c. 5. huius lib. quam expressit D. Tho. in 3. d. 13. q. 1. art. 1. atque etiam Henrici, quodlib. 8. q. 12. & colligitur planè ex 4. & 5. cap. huius lib. nam cum in 4. docuisset expresè intelligere esse quoddam pati, sicut sentire, & propterea intellectum cognoscentem esse potentiam passiuam. In 5. asseruit expressè, præter intellectum cognoscētem, qui est omnia fieri, vel omnia pati, dari in anima intellectū, qui sit omnia facere, ex quib. sequitur Arist. planè sentire, quod officium proprium intellectus agentis non sit intelligere.

27 Quod hac ratione efficaciter probatur, quia pro vno, & eodem actu formaliter eliciendo vna tantum facultas ponenda est, & plures erunt superfluæ, sed intellectus possibilis formaliter intelligit: ergo agens non intelligit formaliter. Quare singularis est, & falsa sententia Ianduni c. 5. huius lib. q. 23. asserentis intellectum etiam agentem intelligere. Quod sic explicat, vt producat intellectionem non in se: quare nec ipse eam recipit, sed in intellectum possibilem eam recipientem, & non efficientem. Sed falsitatis conuincitur: primo, quia actio intelligendi immanens est: ergo in eodem principio, a quo actiuè elicitur, debet recipi: falso igitur ponit author iste, quod ab vno principio actiuè eliciatur, & in alio recipiatur, quia hoc est esse actionem trāseuntem. Secundò, quia si hoc modo se habent ad actum intelligendi intellectus agens, & possibilis, sequitur neutrum intelligere formaliter.

28 Probatur consequentia, quia cum actio intelligendi sit vitalis, necesse est, quod potentia formaliter intelligens sit principium actiuum, & intrinsecum eius, illamq; in se recipiat: nam si solum eam producit in alia potentia, non erit per eam intelligens formaliter, & si solum eam recipiat ab alio, nec eam eliciat: non erit principium eius effectiuum intrinsecum, & vitale: ergo non erit actio vitalis eius.

An intellectus agens illuminet phantasmata.

29 SVpposito igitur quod intellectus agēs non habeat officium intelligendi, sed præuium, aut prærequisitum ad intellectionem, meritò dubitamus, an eiusmodi operatio eius intellectioni præuia versetur circa phantasmata, & sit quasi illustratio eorum. Et ratio dubitandi sumitur ex Arist. c. 5. huius lib. text. 18. vbi ait intellectum agentem se habere ad intelligibilia sicut lumen externum se habet ad colores, quos sua illustratione efficit actu visibiles: cum ex se solum sint visibiles in potentia: ergo sentit Arist. proprium officium intellectus agentis esse illustrare phantasmata tanquam spirituale lumen, qua illustratione obiecta materialia, & solum intelligibilia in potentia fiunt quodammodo spiritualia, & actu intelligibilia.

30 Propter hoc tenet prima opinio intellectum agentem habere actionem realē in phantasmata, per quam eis imprimit qualitatem quandam realem lumini externo similem, & per eam sic illustrata quasi habilia fieri (vt sic loquamur) ad agendū in intel-

lectum possibilem, & imprimendum ei speciem intelligibilem obiectorum ab eisdem repræsentatorum, & hanc illustrationem phantasmatum esse primum officium intellectus agentis. Et fauet huic sententiæ D. Thom 2. lib. contra gentes cap. 77. his verbis. *Est igitur in anima intellectiua virtus actiua in phantasmata, faciens ea intelligibilia actu, & hæc potentia animæ vocantur intellectus agens.*

Et eam probabilem reputat Tolet. q. 13. huius lib. consc 9.

31 Sed ratione probatur: quia non potest intellectus agens illustrare phantasmata vllo modo, nisi per realem actionem illustrationis: sed talis actio non potest esse intellectum possibilem, quia ex actione circa eum nihil intrinsecum potest prouenire phantasmatibus. Nec etiam potest esse talis actio illustrationis circa medium: quia nullum datur inter intellectum agentem, & phantasmata: ergo necesse est fateri, quod circa eadem phantasmata sit imprimens eis spirituale lumen, per quod formaliter illustrata dicantur.

Sed hæc sententia falsitatis conuincitur hoc argumen. agens spirituale creatum non potest qualitatem, vel formã realem imprimere corporibus, vt communis sententia totius scholæ tenet id denegans Angelis: sed intellectus agens est spiritualis, & phantasmata sunt corporea: ergo repugnat talem qualitatem eis imprimere.

32 Secundò, quia vel talis qualitas esset corporea, vel spiritualis, & hanc repugnat recipi in subiecto corporeo propter manifestam improportionem: illa verò non potest facere phantasmata proportionata intellectui possibili: cum constet adhuc illa recepta corporea permanere, ac materialia, & ideo adhuc ei improportionata: ergo aut impossibile est, quod eis imprimatur talis qualitas, aut nullius effectus esse potest, & ideo superuacanea omninò. Neque aliquid valet quod Tolet. affert de anima rationali spirituali, & recepta in materia per informationẽ, quia longe diuersa est ratio de accidenti recipiendo in altero, quale est lumen spirituale recipiendum in phãtasmatibus corporeis, quia nullum accidens potest recipi in alio accidenti, aut subiecto corporeo, nisi media quãtitate, sed lumen spirituale, cum sit indiuisibile, nõ potest extendi in subiecto per quantitatem: ergo nec in eo recipi.

33 Propterea secundo [illegible] intellectum agentem illustrare phantasmata, non quidem illustratione formali, aliquam formam eis imprimendo, [illegible] & quasi extrinseca, & ideo absque [illegible] actione reali circa ipsa, vel circa [illegible], sed per solam assistentiam. Nam eodem modo [illegible] existens in aere dicitur illustrare colorem in pariete inhærentem, sine vlla actione circa ipsum, ac sine productione alicuius formæ, vel qualitatis, sed per solam extrinsecam assistentiam. Ita videtur sentire Henr. quodl. 6. q. 12 & 13. asserens phantasmata illustrata, sine vlla specie intelligibili, per quam repræsentetur obiectum posse per se immediate immutare intellectum possibilem. Sed Caietan. id tenet expresse, docens tamen necessariam esse speciem intelligibilem, sed per illustrationem phantasmatum fieri, vt in eis repræsentetur natura vniuersalis sine conditionibus indiuiduantibus, sicut per illustrationem, qua illustratur pomum a lumine fit, vt appareat in eo visui color non apparente odore, ita [illegible] 1. p. q. [illegible] art. 1.

34 Hæc tamen sententia [illegible] asserit valdè difficilia. Primum quod intellectus agens per suam assistentiam illustret phantasmata. Hoc enim falsum esse ostenditur, [illegible] quia intellectus agens est potentia actiua animæ ordinata ex se ad operandum: sed potentia actiua nullum præstat effectum absque operatione, nec omnino, nisi media operatione vt euidente deductione constat in cæteris omnibus potentijs: quarum nulla præstat vllum effectum per solam assistentiam, ergo falsum est, quod intellectus agens per solam assistentiam illuminet phantasmata.

Secundum, quod asserit est, per solam assistentiam efficere in phantasmatibus illustratis, quod repræsentent naturam vniuersalem, sine conditionibus.

Hoc verò non solum probatur falsum, sed impossibile.

Falsum quidem, quia phantasmata adhuc illustrata permanent intra ordinem specierum sensibilium, & materialium.

Sed repugnat species sensibiles, & materiales repræsentare naturam vniuersalem, sine conditionibus singularitatis: ergo falsum est, quod eam repræsentent.

Et vrgeo argumento, quia sic repræsentare naturam, sine conditionibus est aliquid

rea-

reale nouum in phantasmatibus, quod ante illustrationem non habebant: ergo productum est in eis per illustrationem, sed effectus realis non producitur per solam assistentiam causæ, sed per realem actionem eius: ergo impossibile est, id habere de nouo phantasmata per solam assistentiam intellectus agentis, sine reali actione, vt ponit Caietan. & eisdem rationibus probatur falsa sententia Henri.

35 Quibus addo contra ipsum, repugnare prorsus, quod intellectus possibilis operetur, nisi medijs speciebus sibi proportionatis, sed phantasmata sic illustrata sunt adhuc corporea: ergo improportionata intellectui spirituali, nisi per speciem spiritualem repræsententur ipsa, vel obiectum per ea repræsentatum.

Pretereà cum materialia sint, & extra intellectum possibilem, non potest vniri ei materiale obiectum, quod repræsentant, neo fieri ei intimè præsens, & proportionatum, quod præcisè necessarium est, vt intelligatur ab eo.

36 Similitudo verò, quam affert Caiet. de colore pomi apparente visui sine odore, valde dissimilis est, quia quod sic appareat, non prouenit a lumine, nec effectus eius est, sed a natura ipsa coloris, apparentis quidem visui non apparente ei odore, quia solus color & non odor pertinet ad visum in quantum ipse, & non odor visui potest apparere: in proposito verò tam vniuersale, quam singulare pertinent ad intellectum, & ideo non potest apparere vnum sine alio: cum prius appareret cum eo coniunctum absq; mutatione reali phantasmatum, quam non potest efficere intellectus agens per solam assistentiam.

Tertia igitur opinio asserit intellectum agentem, nec per actionem in ipsa illustrare phantasmata, nec per solam assistentiam, sed solum ex eo, quod phantasia hominis per coniunctionem cum intellectu habet perfectiora phantasmata, & ideò efficaciora, & quæ simul cum intellectu agente possunt imprimere speciem obiectorum, quę repræsentant in intellectu possibili. Ita Ferrar. 2. lib. de anima c. 4. & Capr. in 2. d. 3. q. 2. ar 3. hoc tamen quamuis verum sit, nihil ad præsentem quæstionem facit, quia nullum actum, nullum effectum, nullum officium intellectus agentis explicat.

Imò nihil asserit, quod iure vocari possit illustratio phantasmatum.

37 Nostra igitur sententia duo asserit. *Primum est, intellectum agentem vnicam habere actionem intellectioni prauiam, & hanc non circa phantasmata, sed circa intellectum possibilem, qua est productio speciei intelligibilis spiritualis in eo, ac de eius potentia educta, per quam repræsentatur ei obiectum materiale repræsentatum in phantasmate, fitque eidem intellectui intimè præsens, & proportionatum, vt possit intelligi, & per eandem speciem reducitur idem intellectus de pura potentia in genere intelligibili ad actum primum, atque proximum intelligendi, nec alia actio intellectus agentis necessaria est: imò nec possibilis naturaliter.*

38 Asserit secundo *per eandem actionem circa intellectum possibilem illustrari phantasmata ab eo:* & hunc sensum tenuisse Arist. ac D. Th. dum de illustratione phantasmatum ab intellectu agente locuti sunt. Ita noster Fons. 5. lib. Metaph. c. 28. q. 8. Conimb 3 lib. de anima, cap. 5 quæst 2. art. 1. & magna ex parte Toletus: estque iam communis ferè inter recentiores.

Et primum quidem assertum, quod vnica actio intellectus agentis sit circa intellectum possibilem, per quam producat in eo speciem intelligibilem. Probatur, quia nullam potest habere circa phantasmata, vt ostendimus, & aliquam habere est omninò necessarium: nec restat aliud præter intellectum possibilem: circa quod agere possit. Et quod hęc actio circa illum sit productio speciei, probatur efficaciter ex necessitate specierum ad intelligendum, sicut ad sentiendum inferius ostendenda, quas cum non habeat a principio, debet eas recipere ab intellectu agente.

39 Quod verò nulla alia sit ei tribuenda actio, probatur: nam si aliqua, vel hæc foret circa intellectum possibilem, vel circa phantasmata, sed circa neutrum horum: ergo non potest habere aliam.

Probatur minor, quia actio intellectus agentis circa possibilem, præter productionem specierum solum potest esse illuminatio earundem specierum intelligibilium a se productarum, quam videtur excogitasse Toletus quæstione 13. huius lib. concl. 6. vel productio intellectionis, sed hæc est a nobis iam refutata, & illa non est necessaria, sed impossibilis: ergo solum potest ei tribui

bui productio speciei. Minorem probo, quia illustratio alicuius rei eo tendit, vt res illa (si sit obscura) manifestetur, & appareat, sed species intelligibiles productæ in intellectu possibili, clarè, & distinctè repræsentant res intelligibiles, eo modo, quo repræsentabiles sunt per species impressas, nec sunt capaces talis repræsentationis: ergo nec necessaria est, nec naturaliter possibilis talis illustratio specierum.

Quod verò nullam possit habere actionem intellectus agens circa phantasmata, probatum est a nobis iam contra primam opinionem.

41 Probatur tandem vltimum assertum nostrum, quod per productionem speciei intelligibilis in intellectu possibili illustrentur phantasmata, quia illustrari phantasmata metaphorica locutio est desumpta ex vera, ac materiali illustratione eorum, quæ sunt in aere tenebroso, vt colores, & ex eo dicuntur illustrari, quia illuminato aere apparere incipiunt visui, & ab eo percipi, sed producta specie in intellectu possibili, per quam repræsentantur eædem res, quas repræsentant phantasmata, incipiunt apparere intellectui, & ab eo cognosci, cum prius nec ei apparerent, nec ab eo cognoscerentur, sed se haberent in ordine ad intellectum, sicut colores existentes in obscuro loco se habent ad visum: ergo per productionem speciei dicuntur ipsa illustrari, & cõsequenter phantasmata, a quibus repræsentantur, per quandam metaphoricam locutionem.

42 Quo vsus est Aristoteles c. 5. huius lib. comparans intellectum agentem, & operationem eius cum lumine, & illuminatione eius materiali, vt verba eius ostendunt: atque etiam D. Thom. vbicumque de hac re loquitur, vt actionem intellectus agentis circa possibilem explicarent. Ex quo intelligitur actionem intellectus agentis per quam producit species intelligibiles, simul esse circa intellectum possibilem, & circa phantasmata, diuersa tamen ratione: nam circa intellectum dicitur esse tanquam circa subiectum, de cuius potentia educitur species, & in quo eadem actio cum specie recipitur.

43 Circa phantasmata verò non tanquam circa subiectum, sed tãquam circa obiectum extrinseca ratione illuminatum, in quantum obiectum repræsentatum in phantasmate soli phantasiæ, repræsentatur de nouo intellectui in eadem specie [illegible] in qua ab intellectu agen[illegible] tetsit D. Th. actionem [illegible] sari circa phantasmata, [illegible] constat prçuiam esse i[illegible] strationem eorundem ph[illegible]

Ad argumentum vero [illegible] concedendum est, quod in[illegible] non pos[illegible] illuminare phantasmata, [illegible] actionem: negandum vero, quod [illegible] ctio non possit esse circa [illegible] lectum [illegible] bilem, & cum dicitur per actionem [illegible] a intellectum possibilem nihil prouenire [illegible] se phantasmatibus, distinguendum est, quia nihil intrinsecum eis [illegible] potest, [illegible] bene aliquid extrinsecum, nempe fieri [illegible] intelligibilia obiecta in eis repræsentata [illegible] prius solum essent intelligibilia in potentia: atque etiam abstrahi a phantasmatibus in quantum altiori, ac eleuatiori modo repræsentantur per species spirituales, & immateriales.

QVAESTIO III.

An, & quo modo concurrat phantasma cum intellectu agente ad productionem speciei intelligibilis.

45 VT melius intelligatur quæstio, illud præsupponere oportet tanquam in hac re certum, necessariò requiri præsentiã phantasmatis, vt possit intellectus agens producere speciem obiecti intelligendi in intellectu possibili, quod experientia patet: quia in omnibus potentijs cognoscitiuis constat non produci speciem, nisi præsente obiecto: ergo nec in intellectu produci potest, obiectum autem intelligibile non est præsens, nisi vt repræsentatum per phantasma: ergo necessaria est præsentia phantasmatis, vt determinetur intellectus agens ad producendam speciem talis obiecti: nam ex se indeterminatus est, nec determinari potest, nisi ab obiecto præsente per phantasma. Sed an phãtasma præsens adiuuet intellectum agentem, vel cum eo concurrat ad producendam speciem, & quonam modo, in hoc est posita difficultas quæstionis.

Circa quam prima opinio asserit phantasma concurrere cum intellectu agente ad productionem speciei tanquam causam partialem, ita vt ex vtroque resultet vna totalis eiusdem effectus. Ita videtur sentire Scotus in 1. dist. 3. quæst. 8 ad 1. & quamuis Toletus putet velle Scotum asserere quod solum sit causa instrumentalis: sed contextus verborum Scoti partialem causam potius quàm instrumentalem denotat. Et probari potest, quia obiectum est causa efficiens speciei per virtutem obiectiuam, quàm habet: ergo non potest concurrere tanquam instrumentum, quia hoc non agit per virtutem propriam: sed per eleuationem ab agente principali; quare phantasma repræsentans obiectum intelligibile, concurret cum intellectu agente ad productionem speciei, non vt instrumentum, sed vt partialis causa.

46 Secundò opinio ex diametro opposita negat omnino, quod phantasma vllum concursum effectiuum præstet ad productionem speciei intelligibilis, hoc est, nec partialem, nec instrumentalem: sed solum se habere putat tanquam materiam determinantem intellectum agentem, qui cum ex se sit indifferens ad producendam speciem cuiuscunque obiecti, per præsentiam phantasmatis determinatur ad producendam speciem eiusdem obiecti per phantasma repræsentanti & non alteram, eo ferè modo, quo concurrit exemplar externum ad productionem effectus artificialis, vt dum artifex assumit sibi imaginē aliquam quasi pro exemplari determinante actionem eius, nō quidem per effectiuum concursum, (quem certum est non præstare) sed solum per suam præsentiam præbendo determinatam materiam. Ita sentiunt ex recentioribus nonnulli.

47 Probatur testimonio D. August. 12. super Genes. ad literam in fine cap. 15. & in principio 16. his verbis loquentis, Nec sanè putandum est facere aliquid corpus in spiritu tanquam spiritus corpori faciēti materiæ vice subdatur. Omni enim modo præstātior est qui facit, ea re, de qua aliquid facit, neq; vllo modo spiritu præstātius est corpus, imò perspicuo modo spiritus corpore &c.

48 Quæ si benè expendantur, probare videntur ex mente D. August. nullam posse causalitatem efficientem tribui phantasmati ad productionem speciei.

Nam in primis asserit non posse spiritum vice materiæ subdi corpori circa se aliquid facienti; sed si phantasma concurrit effectiuè cum intellectu agente, siue vt causa partialis, siue vt instrumentum, verum est agere in intellectum possibilē, & hunc ei subdi vice materiæ; cum sit subiectum actionis eius, atque effectus producti, videlicet speciei intelligibilis; & hoc reputat impossibile D. August. Ergo ex mente eius nulla causalitas efficiens potest tribui phantasmati: nam ex quacumque etiam, sequitur idem phantasma præstātius esse intellectu. Quod patet esse falsum.

49 Probatur deinde ratione primò, quia res inferior non potest naturaliter agere in rem superiorem, neque corpus in spiritum, etiam vt instrumentum; quod adeo verum est, ac necessarium, vt ex Scholasticis non pauci putent, nec de potentia absoluta Dei fieri id posse, & ideo maxima premuntur difficultate omnes in explicando modo, quo dæmones, & animæ torqueantur igne inferni, quod non foret adeo difficile explicatu, si posset ignis tanquam instrumentum Dei agere in spiritum: sed phātasma quamuis illustratum, vel eleuatum ab intellectu agente, corporeum est; ergo non potest vllo modo agere in intellectum possibilem ad producendam speciem intelligibilem.

50 Secundò, quia instrumentum prælertim apud D. Thom. debet habere præuiam aliquam operationem ex propria virtute circa passum, per quam disponatur, vt possit eleuari à principali agente, alioqui si nihil proprium habeat, non dicetur agere ipsum, sed solum agens præcipuum, vt si serra propria virtute non secaret, eleuari non posset ab artifice ad producendam cum eo effectum artis, sed constat phantasma, etiam illuminatum nihil agere posse propria virtute circa intellectum possibilem: cum iste sit spiritualis, & illud corporeum: ergo nec poterit vllam habere causalitatem, etiam instrumentalem ad producendam speciem.

51 Tertia opinio asserit ad productionem speciei intelligibilis concurrere intellectum agentem vt præcipuā causam; phantasma verò vt instrumentum. Ita D. Thom. 3. par. quæst 9. artic. 4. ad 2. sed expressius id docet quæst. 10. de Veritate, art. 6. ad 7. hisce verbis:

verbis: *In receptione, qua intellectus possibilis species rerum accipit à phantasmatibus, se habēt phantasmata, vt agens instrumentale, & secundarium, intellectus verò agens, vt agens principale, & primum, & ideo actionis effectus relinquitur in intellectu possibili secundum conditionem alterius tantū, & ideo intellectus possibilis recipit formas vt intelligibiles actu ex virtute intellectus agentis, sed vt similitudines determinatarum rerum ex cognitione phantasmatum.*

52 Capteol. in 2. dist. 3. q. 2. ad argumen. Durand. contra 8. conclus. Caietan. 1. p. q. 55. art. 2. ad 2. & q. 79. art. 3. Ferrat. 2. lib. contra gentes, c. 77. Soncin. 7. lib. Metaphys. q. 12. & 14. Iauel 3. lib. de anima, tract. de intellectu agente, q. 3. Bañ. 2. 1. p. q. 79. art. 3. dub. 4. & omnes ferè recentiores: & videtur nobis probabilior: quamuis difficilè sit rationem aliquam efficacem eius reddere.

Duo igitur à nobis probanda sunt, primū quod aliquo modo concurrat effectiuè phantasma ad productionem speciei intelligibilis, & non solum tanquam materia, aut in genere causę materialis. Hoc enim est, quod secunda opinio negat, & in quo conueniūt, prima, & tertia.

53 Secundò probandum nobis est, quod talis causalitas efficiens phantasmatis instrumentaria tantum sit, & non principalis, etiam partialis, vt asserit prima opinio, & primum quidem difficile est efficaciter probare, sed egregiam rationem eius insinuauit D. Thom. (si verba eius citata expendantur) sic formandam, species intelligibilis producta ab intellectu agente duo habet, & quod spiritualis sit, & quod sit similitudo talis rei determinatæ: ergo secundum vtramque rationem debet ei assignari efficiens causa, sed intellectus agens, qui absque dubio causa efficiens est eiusdem speciei secundum rationem priorem, non potest eam producere secundum posteriorem, nisi effectiuè concurrēte phantasmate; ergo non potest ei denegari aliqua efficientia.

Probatur minor, quia à solo intellectu agente, & concursu eius non potest habere species determinatam repræsentationem; immo nec potest esse repræsentatiua obiecti: quia intellectus agens ex se nullam habet similitudinem cum obiecto: ergo nec potest solus producere similitudinem eius, quæ est species; necesse est ergo tribuere aliquam efficientiam phantasmati coniuncto cum intellectu agente, vt [illegible] speci[illegible] secund[illegible] vtramque rationem pos[illegible] phantasmate operan[illegible] procede[illegible]

54 Et si dixeris s[illegible] intellectum agētem per [illegible] phantasmatis præbentis ei det[illegible] materiam pro determina[illegible] spec[illegible] da, etiamsi nullam efficientiam pr[illegible] productionem eius: sed material[illegible] concurrat quemadmodum [illegible] ad cuius similitudinem altera de[illegible]gitur

55 Probo non posse hoc modo s[illegible] habere phantasma: quia [illegible] causa [illegible] determinatur per solam præsentiam alter[illegible] ad productionem talis effectus, vt eu[illegible] inductione constat; ita vt nullus dari possit casus talis determin[illegible]. [illegible] ad eam requiritur subiectum, vel materia sub determinatis dispositionibus talem formam potius, quàm alia[illegible] petentibus; ergo non suffi[illegible] præ[illegible]tia phantasmatis [illegible] determinandu[illegible] in[illegible]ctum agētem ex [illegible] omnino indifferent[illegible] qui nec potest s[illegible] habete tanquam subiectum, vel materia tali modo disp[illegible]situm: cum constet non posse i[illegible]tellectum agentem circa ill[illegible] agere, vt circa subiectum. Nec tandem potest se habere phantasma, tanquam causa exemplari, quia exemplar solum potest reperiri in [illegible] per cognitionem, qualis non est [illegible]tellectus agens: quare nec potest se habere phantasma ad illum tanquam imago, ex qua veluti depingat alteram.

56 Quod verò à quibusdam recentiorib. excogitatur nempè phantasma per solam sympathiam determinare intellectum agētem absque concursu aliquo efficiente. Insufficiens est, quia cum sit determinatio obiectiua in ordine ad productionem similitudinis eiusdem obiecti, & species producta sit virtus eiusdem obiecti, vt talis concurrens ad intellectionem, non est intelligibile, quod absque efficientia eiusdem obiecti, seu phantasmatis naturaliter producatur. Alioqui etiam posset dici, quod per solam sympathiā determinatur sensus interior ab specie expressa inferioris absq; vlla efficientia, quod paret esse falsum; denegari ergo non potest phantasmati efficientia aliqua ad productionem speciei.

57 Sed quod efficientia hæc non sit partialis causæ, etiam minus principalis, vt asserit Scotus: sed solius instrumenti; probatur, quia

quia hoc est apertum discrimen inter partialem causam,& instrumentum, quod illa attingit effectum propria virtute, & non per solam motionem alterius causę: instrumentum verò non potest propria virture effectum attingere: sed tanquam virtus alterius,vel per solam eleuationē eius:sed phantasma non potest propria virtute agere circa intellectum possibilem,nec attingere speciem intelligibilem: cum vtrumque sit spirituale,phantasma verò quomodocumque acceptum materiale, & corporeum: ergo repugnat ei concursus partialis causæ efficientis.

58 Ad argumentum pro Scot. distinguendum est antecedens, quod obiectum sit causa efficiens speciei per virtutem obiectiuam,quam habet: nam speciei proportionatæ propriæ virtuti, & in potentia etiam sibi proportionata, verum est, & experientia probatum in obiectis sensibilibus: sed speciei superioris ordinis,& in potentia etiam altioris ordinis producendæ, planè falsum; & ita se res habet in phantasmate repræsentante obiectum materiale, cuius virtus obiectiua inferioris ordinis est respectu speciei intelligibilis,atque etiam intellectus,in quo producenda est,cum materiale, & corporeū sit phantasma; intellectus verò, & species spirituales,& incorporeæ, & propterea nec phantasma,aut obiectum ab eo repræsentatum propria virture possunt immutare intellectum,nec producere in eo speciem. Et si dicatur effectum cuiuslibet causæ procedere similem virtuti propriæ eius, per quam operatur,& non instrumento:sed species intelligibilis procedit similis phantasmati, & obiecto ab eo repræsentato,cum illud idem repræsentet; ergo erit causa eius per virtutē propriam,& non instrumentū,quia effectus non assimilatur instrumento non agenti per virtutem propriam.

59 Respondeo phantasma,seu obiectum ab eo repræsentatum duo habere,nempè rationem obiectiuam:sed improportionatam & ratione prioris non est Instrumentum:sed ratione posterioris, quia propter improportionem non potest agere,nisi eleuetur, imo propter eam eleuatur, quia si haberet proportionem, præcipua, ac totalis causa foret speciei, & nullo modo indigeret intellectu agente ad illam producendam; propter rationem igitur obiectiuam assimilatur ei species intelligibilis, & propter improportionem habet rationem instrumenti, cui non posset assimilari species, nisi adesset obiectiua ratio.

Ad formam igitur argumenti dum dicitur,effectum non assimilari instrumento,distinguo; sub ratione instrumenti concedo: nam alioqui cuicunque instrumento assimilaretur: nego tamen quod non assimilatur ei vt instrumento tali, nempè obiectiuo, quod quidem propter improportionem habet rationem instrumenti, non propter rationem obiectiuam.

60 Testimonium D.August. in fauorem secundæ opinionis propositum intelligitur de causalitate propriæ virtutis, qualis est in causa principali totali, vel partiali; non de instrumentaria, quam non habet instrumentum ex propria virtute: sed ex virtute causæ principalis, quæ cū sit eiusdem ordinis cum subiecto, circa quod agit, & cum effectu, quem circa illam producit,non dicitur agere in rem superiorem, nec producere effectum se superiorem,vt si ad propositum accommodetur. Phantasma non agit in intellectum possibilem, nec producit in eo speciem intelligibilem propria virtute corporea, & materiali, & ideo nec vt materiale, & corporeum est: sed vt eleuatum ab intellectu agente spirituali, & immateriali; quare licet secundum se sumptum sit inferioris ordinis, non vt tale agit: sed vt aliquo modo attingit ordinem superiorem, hoc igitur modo non negat D. Augustinus agere posse: sed priori, vt contextus verborum ostendit.

61 Ad primum argumentum eiusdem sententiæ negandum est antecedens, quod corpus non possit agere in spiritum, etiam vt instrumentum: nam valdè probabile est Sacramenta producere gratiam in anima, vt instrumenta Physica eleuata à Deo. Nec in eo posita est præciptia difficultas pœnæ dæmonum,an possit ignis vt instrumentum Dei actione Physica in eos agere: sed potius in modo,quo per talē actionem ignis, vel per alligationem in eo, aut quouis alio possit eis grauis adeò inferri pœna; quare ex hoc non potest probari, quod phantasma non possit agere in intellectum possibilem virture agentis.

Sed licet admitteretur corpus nullo modo posse agere in spiritum,non probaretur, quod

quod phantaſma non poſſit agere in intellectum: nam ipſe, & anima, non ſunt purè ſpirituales, ſicut Angeli: ſed ſic anima ſpiritualis eſt, vt ſit vera forma corporis; ſic intellectiua, vt ſimul ſit vegetatiua, & ſenſitiua: ſic ſpiritualis, vt per informationem corporis perficiatur in proprio eſſe, atque etiam in modo intelligendi ſibi connaturali. Vnde fit, vt ſic intellectus eius habeat ſibi naturaliter ſubordinatas potentias ſenſitiuas, vt medijs operationibus earum perficiatur in eodem modo intelligendi: & hinc eſt, quod phantaſma hominis propter radicationem in eadem anima cum vtroque intellectu, & propter naturalem ſubordinationem, & ſympathiam aptum ſit eleuari ab eodem intellectu agente ad producendam ſpeciem in intellectu poſſibili eiuſdem obiecti materialis à ſe repræſentati.

62 Ad ſecundum reſpondeo ex his, quæ in 7. libro Phyſic. adnotaui de inſtrumentis, neceſſarium quidem eſſe, quod inſtrumentum aliquid proprium habeat ratione cuius poſſit eleuari ab agente præcipuo, eique correſpondeat aliqua ratio in effectu producto ab vtroque; quamuis non ſit neceſſarium, quod habeat ex proprijs operationem diſtinctam ab actione agentis præcipui; habet igitur ex proprijs phantaſma eſſe expreſſam ſimilitudinem obiecti naturaliter ſubordinatam intellectui, & quæ poſſet imprimere ſpeciem obiecti à ſe repræſentati in potentia ſibi proportionata, ex quo aptum eſt, vt eleuetur ad imprimendam ſpeciem eiuſdem obiecti in intellectu, ex quo etiam correſpondere poteſt ei in ſpecie intelligibili ratio ſimilitudinis talis obiecti, quamuis non poſſit ex propria virtute diſtinctam habere operationem ab intellectu agente circa poſſibilem: ſed ſolum eandem operationem cum eo, eleuatum ab eo exercere, quod ad rationem inſtrumenti ſufficere putandum eſt.

QVAESTIO IV.

An intellectus agens, & poſſibilis ſint potentiæ animæ realiter diſtinctæ.

63 PRæſupponit titulus quæſtionis, quod intellectus agens ſit potentia, & virtus animæ, per quam materialia obiecta intelligibilia ſolum in potentia ab intellectu poſſibili fiunt actu intelligibilia per ſpeciem intelligibilem ſpiritualem productam in eo ab eodem intellectu agente ſimul cum phantaſmate: & hanc potentiam animæ ſpiritualem eſſe, & immaterialem, ſicut anima ipſa, in qua eſt. Neceſſe corpori, aut [illegible] parti, vel organis [illegible], quod eſt non eſſe organicam [illegible] vt [illegible], & alios [illegible] ſus: ſed immediatè inhærere animæ, & ideo ſeparabilem eſſe à corpore cum eadem anima, quæ omnia docuit expreſſè, [illegible] probauit Ariſt. c. 5. huius libri, & D. Thom. [illegible] etiam probauit 2. lib. contra gentes, c. 78. & 1. p. q. 79. art. 4.

Vnde ſequitur primo errasse in principijs veræ philoſophiæ omnes, qui intellectum agentem admittentes illum non intra animam: ſed extra, ac ſeparatum ab ea poſuerunt.

64 Et in primis Plato 6. libro de Republic. qui videtur ſenſiſſe intellectum agentem eſſe lumen diuini intellectus mentes noſtras irradiàs, ac eis imprimẽs intelligibiles ſpecies, per quas materialia obiecta fiant actu intelligibilia. Deinde errauit Auicenna 9. libro Metaphyſ. cap. 4. & in lib. natur. cap. 5. qui intellectum agentem poſuit ſubſtantiam quidem creatam extra animam, vt Angelum, vel quid ſimile, à quo nobis imprimãtur earundem rerum ſpecies.

65 Quod etiam tenuere cum eo Auemp. in epiſtol. de lumine, & Auerr. in libro de beatitudine animæ, ca. 5. & iam illi, quàm Plato conſequenter putauerunt vnum eſſe intellectum agentem in omnibus hominibus: nam ſi ſeparatus eſt ab anima, non eſt cur multiplicetur: ſed vnus cum ſit, poterit omnibus hominibus ſpecies imprimere.

65 Secundò sequitur errasse etiam alios (licèt minus) qui cum ponerent intellectum agentem intra animam, dixerunt esse habitum principiorum, per quem cognoscimus prima principia. Et vocatur ab Aristotele intellectus principiorum, 6. lib. Ethic. c. 6 & 11. & ca. 5. huius libri, vocat cum habitum, vel artem. Hanc sententiam referunt Alber. in Summa de homine c. 3. Diuus Bonauen. in 2. distin. 14. art. 2. q. 4 Et tandem errarunt alij, qui putarunt esse lumen quoddam deriuatum in animas nostras ab aliqua substantia superiori creata, & habere modum qualitatis tertiæ speciei, quam sententiam refert idem Alber. Magn. 2. lib. de anima, trac. 3. c. 8.

66 Probatur autem vtrosque errasse, quia habitus principiorum præsupponit notitiam terminorum: ergo intellectum agentem, à quo producuntur species eorum, quatere repugnat intellectum agentem esse habitum: & cum intellectus agens sit virtus naturalis animæ proximè ordinata ad agẽdum, non potest esse qualitas tertiæ speciei: sed primæ, quæ est naturalis potentia.

Hac igitur veritate præsupposita, ac probata aduersus hos omnes Philosophos quod intellectus agens sit potentia animę, præsupposito etiam alio quod superius ostendimus, videlicet non esse potẽtiam cognoscitiuam, aut intellectiuam, quærimus an sit eadem cum intellectu possibili, seu cognoscente, vel distincta realiter.

67 Et prima opinio negat esse potentias realiter distinctas: sed eandem esse putat prædicta officia diuersa habentem, à quibus diuersa nomina intellectus agentis, & possibilis accipit, quam probabilem reputant Tolet. quæst. 14. huius libri. Conimb. c. 5. quæst. 1. art. 2. Suarius tomo 1. in 3 par. Diu. Thom. disput. 30 sectio. 2. ad finem: sequuntur verò Maior in 2. dist. 16. quæst. vnica. Abulens. in c. 23. Exodi, q. 70. Niphus lib. 1. de intellectu tract 4. c. 21. & ex recentioribus non pauci. Quorum præter rationes alias, hoc videtur potissimum fundamentum, quod non sunt multiplicandæ entitates reales (præsertim si sint potentiæ ad operandum) sine ratione conuincente, sed non datur ratio conuincens ad distinguendas, has potentias; vt constabit ex discursu quæstionis; ergo non debent poni distinctæ potentiæ intellectus agens, & possibilis.

68 Sed ratione probant primo, quia si intellectus agens distincta potentia est à possibili; sequitur hæc aperta contradictio, quod sit potentia viralis, & non vitalis, vitalis quidem, quia sequitur naturaliter animam, quæ est principium vitæ; cum ea conuertitur, & cũ ea separatur à corpore: quòd verò vitalis non sit, probatur, quia non est principium actus vitalis, nam solum est principium producendi speciem intelligibilem, quam productionem fatetur opposita sentẽtia non esse actum vitalem: & probatur apertè, quia productio speciei sensibilis impressæ non est actus vitalis: cum fiat à solo obiecto non viuente: ergo nec productio speciei intelligibilis.

69 Probant secundo, quia si intellectus agens ponatur distincta potentia à possibili, sequitur hanc potentiam ociosam esse in anima, & omninò inutilem in statu separationis à corpore, quia nullũ prorsus actum in eo statu habere potest; cũ nulla sit ibi productio specierum ex phantasmatibus, hoc autem magnum incommodum est.

70 Secunda opinio ponit intellectum agentem esse potentiam animæ realiter distinctam ab intellectu possibili: ita D. Thomas expresè 1. par. quæst. 79. art. 7. his verbis: *Diuersificatur tamen potentia intellectus agentis, & intellectus possibilis, quia respectu eiusdem obiecti aliud principium oportet esse potentiam actiuam: quæ facit obiectum esse in actu, & aliud potentiam passiuam, quæ mouetur ab obiecto in actu existente, &c.* Et paucis interpositis. *Sic igitur nulla alia differentia, potentiarum in intellectu esse potest, nisi possibilis, & agentis.* Et art. 10. eiusdem quæstionis vbi sic ait: Intellectus agens, & possibilis sunt diuersæ potentiæ, sicut & in omnibus alia est potentia actiua, & alia passiua Ita Caietan. & Bannez, art 3 eiusdem quæstionis dubio 1. Ferrar 2. lib. contr. gent. cap. 77. & 78. estq; communis in schola D. Tho. quam Scotus etiam sequitur in 1. dist. 3. q. 8 ad primum. Albert. Magn. in Summa de homine, tract. de intellectu agente, quæst. 6. & ex recentioribus Toletus, Conimbr. locis citatis, & noster Valentia, 1. par. dispur 6. quæst. 5. puncto 2 ad finem: qui omnes sentiunt esse propriam Aristot. quia vbicunque de intellectu agente, & possibili loquitur, tanquam de diuersis potentijs loquitur, præsertim in principio huius capitis tex. 18. vbi sic

sic ait: Est quidam talis intellectus, qui omnia fit, quidam verò, qui omnia facit. Et tex. 19. Et hic intellectus separabilis est, & immixtus, & impassibilis, substantia actu existens, semper enim honorabilius est agens patiente, & principium materia. Et videtur nobis probabilior; non solum propter tantorum virorum authoritatem, sed ob efficaciora argumenta.

71 Primum colligimus ex verbis D. Th. in primo loco: nam potentiæ distinguuntur ex diuerso modo operandi circa sua obiecta, non enim possunt diuersi modi operandi comprehendi ab eadem potentia, vnde hac potissimum ratione probamus intellectum esse potentiam realiter distinctam à voluntate, quia diuersos habent modos operandi; nam intellectus tanquam potentia cognoscitiua, & ideo passiua operatur attrahendo ad se obiectum, sibique coniungendo: voluntas verò potius operatur per modum inclinationis, ac tendentiæ in obiectū præsupposita cognitione intellectus, & quia isti modi operandi diuersi, quorum vnus præsupponit naturaliter alterum, non possunt per eandem virtutem exerceri, distinguunt diuersas: sed intellectus agens, & possibilis habent diuersos modos operandi; quorum vnus præsupponit naturaliter alterum; ergo sunt potentiæ realiter distinctæ.

72 Minorem probo, quia proprius modus operandi cuiuslibet potentiæ cognoscitiuæ, & consequenter passiuæ est pòr attractionem obiecti ad se, sibique illud coniungendo: modus verò operandi intellectus agentis tanquam potentia actiuę, nec est per attractionem obiecti ad se, neque illud sibi coniungendo: sed potius producendo illud, nempè speciem intelligibilem, quæ est proprium eius obiectum ad quod producēdum per se ordinatur, & hanc productionem præsupponit naturaliter modus operādi per cognitionem; ergo habent distinctos modos operandi: quorum vnus præsupponit naturaliter alterum.

73 Nec potest dici quod modi isti operandi diuersi, sint inadæquati, & ideo possint conuenire eidem potentiæ, sicut modi operandi internorum sensuum, pro quibus vnam tantum potentiam ponimus. Quia operationes, vel modi operandi inadæquati debent conuenire in vna aliqua ratione cōmuni, adæquata quidem tali potentiæ, sub qua comprehendantur omnes, t[illegible] adæquati, vt in eisdem [illegible] contingit, nam omnes m[illegible] o[illegible] & o[illegible]nes operationes internæ [illegible] in ratione communi adæquata c[illegible] obiectum sensibile, sub qua compr[illegible] omnes tan[illegible] inadæquatæ. [illegible] modus operandi intellectus agentis, & possibilis, [illegible] operationes eorum, non possunt habere rationem communem, quæ sit adæquata eidē potentiæ, & sub qua comprehendantur propriæ, tanquam inadæquatæ; ergo nec possunt esse inadæquatæ.

Minorem probo, quia neque conueniunt in modo operandi per attractionem obiecti ad se, nec operationes in ratione cognitionis obiecti.

74 Ex quo aliud argumentum de[illegible] satis efficax, quia nulla potentia cognoscitiua inuenitur, quæ possit habere act[illegible], q[illegible] non sit cognitio, nec appetitiua, [illegible] non [illegible] appetitio, vt in [illegible], & [illegible], & appetitu constat, sed intellectus possibilis est potentia cognoscitiua; ergo n[illegible] potest habere actum, qui non sit co[illegible] sed constat productionem speciei non [illegible] se cognitionem, ergo nec potest [illegible] actus intellectus possibilis, sed alterius potentiæ ab eo distinctæ, quæ est intellectus agens.

75 Probatur tandem, quia ad productionem speciei intelligibilis concurrit phantasma cum intellectu agente tanquam instrumentum eius, sed eadem est actio realis instrumenti, & principalis causæ: ergo eadem est actio realis phantasmatis, & intellectus agentis circa intellectum possibilem, sed actio phantasmatis circa intellectum possibilem est transiens: cum non maneat apud se, sed transeat ad intellectum possibilem, tanquam ad subiectum, in quo recipitur: ergo repugnat hanc eandem actionem esse ab intellectu possibili realiter, tanquam à principio actiuo, sed ab alia potentia, quia nihil potest agere in se ipsum actione transeunte, sed immanente, nec possibile est eandem actionem realem simul esse immanentem, & transeuntem.

76 Fundamentum oppositæ sententiæ conditionatum est, quod non sint entitates, vel potentiæ multiplicandæ sine vrgenti ratione: vrgens verò ratio non debet esse demonstratiua, sed satis est intra latitudinem pro-

probabilitatis esse efficacem. Et in hac parte extant rationes pro distinctione reali intellectus agentis à possibili satis probabiles, & in hoc genere vrgentes, atque efficaces à nobis allatæ, extat etiam authoritas totius fermè Scholæ, quæ abundè satis sufficiunt, vt nostra potius sententia, quam opposita amplectenda sit. De sensibus verò internis, qui obijci possent, diuersam esse rationem, probauit prima ratio nostra, & efficaciores longè rationes attulimus pro eorum vnitate, quàm afferantur pro identitate intellectus agentis, & possibilis.

77 Primum argumentum si aliquid probat æque procedit contra sententiam oppositam, ac contra nostram; nam ex eorum sententia sequitur eandem operationem esse vitalem, & non vitalem, quod sic probo: operatio per quam intellectus possibilis imprimit sibi species, procedit à potentia consequente naturam animæ rationalis, quæ est principium vitæ; ergo est vitalis; nam hæc videtur esse definitio vitalis operationis, ex alia verò parte probatur, quod non sit vitalis, quia terminus eius, qui est species, produci potest ab agente extrinseco, & in sensibus à solo obiecto non viuente producitur. Dicendum igitur est, intellectum agentem non esse potentiam vitalem, sed inferiorem vitalibus, vt ex modo agendi eius, simili modo agendi potentiarum inferiorū, vt caloris, aut luminis satis est manifestum, & ideo nec productio speciei ab eo vitalis est operatio, sed solum habet esse præuiam, atque ex se ordinatam ad vitalem operationem.

Nec satis est, quod intellectus agens procedat ab anima, quæ est principium vitæ, quia non procedit ab ea, vt à principio vitæ, sed secundum rationem inferiorem formæ substantialis eo ferè modo quo procedit ab eadem anima, tanquam à substantia spirituali proprietas substandi accidentibus spiritualibus, vel alia similis. Imò eo modo quo tenentur dicere authores oppositæ sententiæ productionem speciei procedere ab intellectu possibili, non vt à potentia vitali, sed secundum rationem inferiorem potentiæ non vitalis.

78 Ad secundum neganda est consequentia, quod intellectus agens in statu separationis animæ à corpore ociosus sit, vel superfluus; quia licet pro tempore illo careat propria operatione, habiturus est eam post reunionem eiusdem animæ perpetuò in corpore permansuræ.

Quemadmodum ergo non iudicatur inutilis, vel ociosus in statu separationis appetitus naturalis animæ ad informandum corpus, quamuis pro toto isto tempore non informet, sed satis esse existimatur, vt ociosus non sit, quod suo tempore informatura sit, & informauerit: ita non potest ociosus iudicari intellectus agens in statu separationis licet in eo non operetur, sed satis est operaturum esse, dum anima reuniatur corpori. Immo etiam, si nunquam foret amplius operaturus, ociosus non esset, sed satis esse iudicaretur, quod aliquando operatus fuerit, & pro toto sequenti tempore, aut etiam pro tota æternitate ad ornatum, & integritatē animæ rationis quantum ad omnes suas virtutes permaneret.

79 Quod exemplo potentiæ vegetatiuæ ostenditur in corporibus beatorum permanentis, quamuis nullam operationem sit habitura in tota æternitate; nam in illo statu nec nutriuntur corpora, nec vlla fit conuersio alimenti, quam constat esse, proprium actum huius potentiæ, & nihilominus nec ociosa iudicatur, quia iam habuit proprium actum, & ad integritatem corporis viuentis, quoad omnes suas potentias, quas accipit ab anima necessarium iudicatur permanere.

APPENDIX.

DVBIVM.

Vter sit altero perfectior, intellectus agens, vel possibilis.

PRæsupposito, quod sint distinctæ potentiæ, quærimus, vtra sit nobilior altera.

Et videtur nobiliorem esse intellectum agentem, quia Aristoteles id expressè docet, & probat; cap. 5. huius libri textu 19. his verbis. *Semper enim honorabilius est agens patiente, & principium materia.*

Nomi-

80 Nomine autem agentis, atque principij agentem intellectum designat, & nomine patientis, & materiæ intellectum possibilem; ergo sentit illum esse nobiliorem. Quod docuit etiam D. Thomas 2. distin. 20. quæst. 2. art. 2. ad 2. inquiens intellectum agentem altiorem potentiam esse, quam possibilem.

Dubium hoc hac distinctione soluendum est: Intellectus possibilis potentia passiua vocatur, non quod purè passiua sit, vel solum habeat pati, seu recipere; nam si hoc solum haberet, omnium potentiarum esset imperfectissima: sed passiua ideo dicitur, quia cognoscitiua est, & in ordine potentiarum intellectiuarum infima, quia ex se non habet vllam formam intelligibilem, per quam possit proprium actum cognitionis exercere, nec petit ex propria natura, vt ei infundatur, sed vt ab obiecto media aliqua actiua virtute eam recipiat eductam ex propria potentia, quod est sub genere intellectiuæ potentiæ imperfectissimum.

81 Habet igitur perfectionem intellectiuæ potentiæ (quæ absque dubio maxima est) sed cum prædicta imper[illegible] intrinseco annexa. Idem [illegible] rari potest, vel secundum [illegible] actum vitalem intelligendi, quem [illegible] tum, atque intrinsecum principium [illegible], vel secundum pas[illegible]onem, & [illegible] speciei intelligibilis præu[illegible], a[illegible] ad intellig[illegible]ndum

Et iuxta has duas considerationes dicendum est, quod si fiat comparatio intellectus possibilis cum agente secundum priorem (quæ absoluta est,) longè perf[illegible]ctior [illegible] illo, sicut potentia [illegible]talis, & actus [illegible]nis perfectiores sunt non vitalibus. S[illegible] vero comparentur secundum considerationem posteriorem (quæ solum vocatur secundum quid) perfectior est intellectus agens, [illegible] in quolibet genere perfectius est agens passo. Ari[illegible]toteles igitur, & Diuus Thomas solum loquuntur iuxta hanc posteriorem considerationem; non iuxta priorem & eodem modo procedit argumentum, quare nihil probat aduersus solutionem dubij [illegible]ditam.



TRA-

TRACTATVS DE NATVRA, Actu, & obiecto intellectus possibilis.

QVÆSTIO I.

An sit, & quid sit intellectus possibilis.

82 Quidam putantes animam rationalem non informare corpus, sed ei assistere ad intelligendum, sicut nauta assistit naui ad motum, cōsequenter posuerunt intellectum possibilem separatum à corpore cum ipsa. anima, plerumque speciebus à principio: per quas intelligens anima ipsa communicat intelle-ctionem corpori, sicut nauta communicat motum naui.

Ita quidem vt pro singulis, ac distinctis hominibus dentur singuli, ac distincti intellectus eis assistentes. Ita videtur sensisse Plato, & eum secutus Plutar. vt testatur Philop. c.4. huius lib.

83 Alij verò putauerunt intellectum possibilem pertinere ad substantiam animæ rationalis, quæ ex possibili, & agenti tanquam ex duplici parte substantiali composita est: ex possibili quidem, vt materia, & ex agente, vt forma; vnumque in omnibus hominibus singulis assistentem ad intelligendum; eam vero semper intelligere, quia non intelligit per species, sed ex eo solum, quod lumen intellectus agentis communicatur possibili, homines verò successu temporis intelligere, quia licet à principio suæ generationis eis assistat anima, & intellectus, sed non communicatur eis à principio lumen intellectus agentis, sed procedente tempore, & quo plus vel minus eis communicatur, plus etiam vel minus intelligunt.

84 Ita sentiunt Themist. in suo 2 lib de anima, à cap. 13. Ita Theophrastus, vt testatur Auerr 3. libro de anima com. 5. & ab hac sententia hoc solum differt idem Auer. quia vtrumque intellectum ponens in anima, non eos ponit tanquam partes componentes, sed tanquam virtutes eius. Et hi omnes negant omnino intellectum esse potentiam organicam, sed extra organicas eū omnino collocant in anima.

Sed alij, organicam potentiam illam effi ciunt ex mixtione elementorum resultantem cum anima ipsa, & ideo vtrumque corruptibilem, ac mortalem. Ita sentiunt Auemp. & Albumazar, quos citat Auerr. vbi supra. Et Alexand cap. 4. huius lib. Sed diuersis incedunt vijs: nam isti putant intellectum possibilem esse virtutem animæ organicam recipientem influxum ab intellectu agente separato, qui est Deus, & per talem influxum recipere etiam ab eo species, per easque intelligere.

85 Illi verò influxum intellectus agentis separari concedentes, negant quod ab eo recipiat species, sed putant intellectum esse virtutem imaginatiuam singulorum hominum habentem propria phantasmata à se formata medijs externis sensibus, eiusmodi autem phantasmata imaginatiuæ virtutis per influxum intellectus agentis illustrari, & per talem illustrationem relucere in eis naturam vniuersalem, sine conditionib. singularitatis: cum ante illustrationem repræsentarentur cum eis; & ita imaginationem ipsam per species proprias, seu phantasmata sic illustrata intelligere, & non per alias ab intellectu agente receptas.

Vera tamen sententia Aristotelis c.4. huius lib. duo afferit:

86 Primum, quod intellectus possibilis, seu cognoscitiuus rerum sit potentia animæ rationalis ei inhærẽs, & propriam naturam eius consequens, eiq; concessa ad intelligendum res omnes.

Secundum, non esse potentiam organicã, sicut sensitiuam, nec immediatè inhærere corpori, vel alteri parti eius, sed animæ, & media anima esse in toto corpore, & in singulis partibus eius; & ita animam esse, quæ immediate per ipsum intelligit, & communicata anima corpori per informationem, communicari ei intellectum, & operationẽ eius; ita vt verum sit hominem intelligere per animam, & intellectum. Ita sentiunt cum Aristotele cæteri omnes interpretes, tam recentiores, quàm antiqui, in eodem cap.4 ita etiam Scholastici cum Diuo Thoma 1 par.quæst.79.art.1.& 2. & Scoto in 1. dist 3.

87 Et probatur hoc argumento, sicut sentire conuenit homini ratione naturæ sensitiuæ sibi essentiali, atque intrinsecæ, ita intelligere, & velle conueniunt homini per naturam rationalem: cum notum sit ei soli, & non brutis conuenire: sed sensus per quos elicit sensationes non possunt esse extra ipsum, nec virtutes ab eo separatæ: ergo nec intellectus, & voluntas, per quas virtutes elicit intellectiones, & volitiones possunt esse ab eo separatæ, aut extra ipsum; sed necesse est intra ipsum hominem esse, præsertim cum anima cuius virtutes, & potentiæ sunt, sit vera forma informans corpus, & constituens cum eo hominem.

88 Probatur minor, quia sensationes & intellectiones sunt vitales operationes hominis, vt sensitiui, & intellectiui, sed operationes vitales debent procedere a principio intrinseco efficiente: ergo sensus & intellectus qui sunt potentiæ, a quibus procedunt, debent esse intra ipsum, & non extra, falsum est ergo extra hominem intellectum ponere.

89 Secundum quod afferit vera sententia, est intellectum possibilem non esse potentiam organicam immediatè inhærentem corpori, vel alicui parti eius: sed immediatè esse in anima tanquam in subiecto, & media anima esse in corpore, & singulis eius partibus; Probatur primò, ex modo operandi, quia virtus organica ita alligatur corporeo organo, vt nihil possit præter sensibilia ac singularia accidentia percipere, nec reflecti supra proprium actum, vt eum cognoscat: quæ omnia euidenti experientia sunt omnibus nota: sed intellectus non solũ singularia cognoscit, sed vniuersalia, nec solum sensibilia, & corporea, sed incorporea, reflectiturque supra proprium actum, & illum cognoscit, quæ omnia non minus euidenter ostendit experientia. ergo euidenter falsum est, quod intellectus sit potentia organica, vel plures ex eidem philosophis sentiunt.

90 Secundò quia euidens experientia docet omnem virtutem organicam lædi à vehementi sensibili, & debilitari debilitato corpore. Et eadem experientia docet intellectum non lædi ab excellenti intelligibili, sed quo perfectius est, magis ab eo perficitur, & quo magis debilitatur corpus, eo intellectus perfectius intelligit, vnde prudentiores videntur esse seniores: ergo intellectus possibilis non est potentia organica.

QVÆ-

QVAESTIO II.

An necessario sint ponendæ species intelligibiles in nostro intellectu ad intelligendum.

91 SVfficeret in 2. lib. disputasse de speciebus sensibilibus, probasseque necessarias omnino esse ad sentiendum, vt putaremus non esse minus necessarias intellectui nostro ad intelligendum. Nisi adessent plures etiam ex his, qui eas in sensu admittentes, negauerint in intellectu dari, sed posse immediatè moueri à phantasmatibus, & per illa intelligere singularia omnia in eis repræsentata, & consequenter vniuersalia. Ita ex antiquioribus interpretibus Aristotelis Themistius in suo 3. lib de anima cap. 20. Theophrastus, & Auemp ad 4. cap. huius libri: ex Theologis verò Henr. quodlib. 4. q. 4. 5. & quodlib. 5. q. 4. Durand in 2. d 3. q. 6. Bachon, q. 2. prolog. Goffr. quodlib. 9. q. 19. & Gabr. in 2. d 3. qu. 2. quamuis author iste ad cognitionem intuitiuam dumtaxat necessarias non esse arbitretur, benè tamen ad abstractiuam. Probari potest hæc sententia exemplo internorum, atque externorum sensuum; nam propter solam subordinationem naturalem possunt interni cognoscere obiecta proximè eis repræsentata per actus externorum.

92 Et appetitus fertur in suum obiectum ei repræsentatum per sensum, atque etiam voluntas in bonum repræsentatum sibi per intellectum: ergo poterit intellectus ipse ferri in obiecta sibi repræsentata per phantasmata, præsertim illustrata, in quibus naturæ vniuersales relucent, & quæ sunt actus, vel species expressæ phantasiæ sibi subordinatæ absque alijs speciebus.

Secundò quia si intellectus intelligit per species: ergo semper, & necessario erit in actuali intellectione contra euidentem experientiam. Probatur consequentia, quia eas quas semel accipit, semper apud se retinet in memoria: ergo semper intelligit per eas, quia sola potentia, cum specie obiecti sufficiens principium intellectionis est.

93 Communis tamen, & vera sententia Scholæ, *tenet necessario ponendas esse species obiectorum in intellectu possibili, per quas obiecta omnia possit percipere, nec sufficere phantasmata ad intelligendum.* Ita Alensis 2 par. quæstio. 24 membr. 2. & 3. & q. 26. num 2. & cæteri omnes Scholastici in 2. dist. 3. Alber. Magn. art. 15. D. Bonauen. art. 2. q. 1. Richard. art. 3. q. 2. Scotus q. 6 D. Thom. 1. par. q. 55. art. 1. ac tandem omnes interpretes Arist. præter citatos pro opposita sententia, c 4. & 5. huius li. Colligitur verò ex his, quæ de intellectu possibili docet Arist. c. 4. & 5 videlicet actu nullum esse intelligibile, sed potentia omnia, fieri autem omnia actu per intellectum agentem, qui est omnia facere, quæ non possunt esse vera, nisi ratione specierum in eo productarum, per quas ei vniuntur obiecta, & dicitur ipse singula fieri in esse intelligibili, in quantum sibi repræsentantur per species; nam per se extra sunt, & ab eo separata.

94 Probatur deinde ratione primò, quia ab obiecto, & potentia paritur notitia, vt ex D. August. superius attulimus: ergo ex vtroq; fit vna causa totalis, & completa eius; quare necesse est obiectum vniri intellectui ad talem concursum præstandum cum eo, sed constat non posse ei vniri per se; cum sit extra ipsum, & ab eo separatum: ergo necesse est, quod per aliquam virtutẽ vocamus speciem intelligibilem.

Hæc igitur necessaria est ad intelligendũ. Ex quo efficaciter sequitur, non esse minus necessarias in intellectu nostro, quia si obiecta sensibilia proportionata sensibus nõ possunt cum eis concurrere ad sensationes, nisi eis vnita per species, à fortiori eadem obiecta sensibilia, & corporea omnia intellectui improportionata non poterunt percipi ab eo, nec cum eo concurrere ad intellectionem, nisi proportionata fiant, & vniantur ei per species.

95 Et hæc argumenta planè ostendunt non posse phantasma repræsentans obiectũ cõcurrere per se cum intellectu ad notitiam eius eliciendam, cum non sit ei proportionatum, nec intimè præsens: sed extra ipsum, nec ideo posse per se ei vniri; nec eum reducere de potentia in actum, nisi media specie intelligibili spirituali, per quam fiat obiectum, quod repræsentat proportionatum eidem intellectui, & actu intelligibile ab eo,

ſitque intra ipſum, & intimè ei præſens; & ideo falſum eſſe fundamentum oppoſitæ ſententiæ.

96 Exemplum verò de ſenſibus internis, & externis nihil valet, nam ſenſus internus non operatur per ſpeciem, vel ſenſationem externi, ſed neceſſe eſt, quod his medijs producatur ſpecies alia in ſenſu interno ei proportionata, per quam fiat in actu primo potens elicere ſenſationem. Ita ergo licet phantaſia ſit potentia ſubordinata intellectui poſſibili, non ſufficit ſpecies, vel ſenſatio eius ad reducendum in actum intellectum poſſibilem, quia inferioris ordinis eſt, & omnino improportionata: cum ſit materialis, & corporea: ſed requiritur neceſſario ſpecies alia ſuperior ſpiritualis proportionata intellectui, ad quam producendam ponitur intellectus agens eleuans phantaſma, vt ſecum concurrere poſſit ad eam producendam. Voluntas verò, & appetitus non ſunt potentiæ cognoſcitiuæ, ſed appetitiuæ, & ideo non operantur attrahendo ad ſe obiectum ſibique vniendo, ſed per modum inclinationis, ac tendentiæ in ipſum, vt eſt in ſe, quare nec ſunt potentiæ paſſiuæ, nec indigent ſpecie per quam reducantur in actum, ſed ſufficit eis per ſpeciem expreſſam potentiæ cognoſcitiuæ repræſentari obiectum extra ipſas, vt in ipſum tendere poſſint.

97 Secundum argumen. facilè ſoluit Auicenna lib. 6 natur. p. 6. c. 6. admittens quidem ſpecies in intellectu, aſſerens verò ſtatim intellectione facta tranſire, ſicut ſpecies viſibiles ſtatim deſinunt viſione facta. Cuius ratio eſt, quia quidquid recipitur in intellectu, recipitur intelligibiliter: ergo tranſacta intellectione deſinit, nec permanere poteſt. Hæc tamen ſententia tanquam apertè falſa reijcitur à D. Thom. 2. libro contra gentes, cap. 74. & 1 par. q. 79 art. 3. quia ſi in parte ſenſitiua conſeruantur ſpecies ad ſentiendum obiecta iam ſenſata, & pro eis conſeruandis ponitur memoria, potiori iure debet poni in parte intellectiua, vt conſeruentur; falſum eſt igitur, quod ſtatim facta intellectione tranſeant: ſed euidenti experientia probatur permanere in memoria intellectiua: cum experiamur nos recordari præteritorum conceptuum rerum, quas iam ſemel cognouimus.

98 Recipiuntur ergo in intellectu ſpecies intelligibiliter, hoc eſt, ad mo[illegible] lectus: ſed non vt res in[illegible] vt formæ quaſi habit[illegible] ſeunt: ſed permanent. N[illegible] telligimus: ſed indiget in[illegible] à phantaſmate, vt actu intel[illegible] cemus inferius.

QVAESTIO III.

An ſpecies intelligibiles, quæ producuntur ab intellectu agente in intellectu poſſibili ſint repræſentatiuæ rerum ſingularium, vel vniuerſalium.

99 PRæſuppoſita neceſſitate ſpecierum, iam incipimus agere d[illegible] obie[illegible], quæ per eas in[illegible] intellectus. Et prima occurrit diſputatio de ſingularibus ſenſibilibus, atque corporeis, an ea intell[illegible] per ſpecies proprias ea r[illegible]ntantes [illegible]ptas ab intellectu agente, vel [illegible] recipiat ab eo ſpecies vniuerſalium, per quas con[illegible] te, aut indirectè per [illegible] ſingularia. Præſupponit autem titulus quæſtionis tanquam certum, quod per cognitionem intellectiuam cognoſcimus ſingularia ſenſibilia, & non ſolum per ſenſus.

100 Quod euidenti ratione ab experientia deducta probatur: nam experimur omnes nos intellectu cognoſcere vniuerſalia, quæ per ſenſum cognoſci non poſſunt, eaque definire, & diſtinguere à ſingularibus, atque etiam vnum ab altero, vt genus à ſpecie; ſed impoſſibile eſt per ſenſum hæc præſtari, nec per intellectum, quin ſingularia ſenſibilia, ac determinata cognoſcat: ergo euidens eſt ea cognoſcere per ſe, & non ſolum per ſenſum. Minorem ſic probo; vniuerſale non eſt cognoſcibile, niſi cognitis inferioribus, ad quæ intrinſecum dicit ordinē: cum ſit vnum in multis ex propria definitione. Et ſi ſit vniuerſale ſpecificum, vt homo, vel equus, habet indiuidua pro inferioribus, vt Petrum, & Ioannem, hunc, & illum equum: ergo repugnat cognoſci ſpeciem, niſi cognitis indiuiduis, per quæ definitur, & ad quæ dicit intrinſecum ordinem,

cui-

Euidens igitur est intellectum singularia cognoscere; intellectus etiam efficit propositiones de subiecto singulari, vt hanc, Petrus est homo, & similes: ergo coniungit extrema, quod non posset, nisi cognoscendo vtrumq. Nec posset corrigere sensum circa magnitudinem solis, nisi eum cognoscendo. Et tandem cum sit potẽtia superior sensitiuis, necesse est cognoscat, quidquid possunt ipsæ cognoscere, & hæc sunt singularia.

102 Ex quibus sequitur euidenter falsam esse sententiam Philop. & Alexand c.4. & 5. huius lib. Themist. in suo 3. lib. de anim. c. 20. & Auerr. 3. libro de anima comm. 9. qui omnes negant intellectum per se cognoscere singularia, & solum ea cognoscere per sensus sibi subordinatos. Præsupposito igitur tanquam certo, quod intellectus sua cognitione intelligat singularia materialia, quærit titulus quæstionis, an per speciem propriam, quam sibi imprimat intellectus agens ea cognoscat, vel per speciem vniuersalis.

103 Et prima opinio tenet non dari speciem impressam repræsentantem singulare materiale, nec per talem speciem propriam ea cognoscere intellectum. Et ideo nec directè: sed per quandam reflexionem. Ita Diu. Thom. expresſè 1. par. quæst. 86 art. 1. & ibidem Caietan. atque etiam 2. lib. contra gentes, c. 100. & ibid. Ferra. Capreol. in 1. distin. 25. q. 2. ad argum. contra 2. concl. Argen. in 4 dist. 50. art. 3. & cæteri Thomistæ, nemine discrepante, & nouissimè eam sequuntur noster Fonsec. 2. lib. Metaph. cap. 2. q. 3. sect. 5. & Conimb. 1. lib. Physic. cap. 2. quæst. 4. art. 3.

Probatur testimonijs Aristotelis, qui 2. lib. de anima, ca. 5. hoc discrimen constituit inter sensum & intellectum, quod sensus est singularium, intellectus verò vniuersalium; quare sentit intellectum non cognoscere singularia per se, & directè Quod asserit etiam in hoc 3. lib. textu 10. his verbis: *Sensitiuo igitur calidum, & frigidum iudicat, & quorum ratio quadam ipsa caro, alio autem separabili, aut circumflexa se habet ad se ipsam cum extensa fuerit, carni esse discernit.*

104 Quibus (licet obscuris) duo asserit: primum, quod intellectus cognoscit hãc carnem singularem constantem tali tẽperamento calidi, & frigidi, alijsque qualitatibus in certo gradu, atque etiam cognoscit esse, seu essentiam carnis, quæ est quidditas eius abstrahens à conditionib. singularibus, & hoc est, cognoscere carnem in vniuersali. Postremũ, quod in cognitione vtriusque se habet sicut linea recta, hoc est, extensa secundum directam longitudinẽ, & rursus supra se reflexa, aut retorta. Et illo modo (recto quidẽ) vniuersale cognoscere intellectũ, hoc verò modo, scilicet supra se reflexo, aut retorto cognoscere singulare.

105 Probatur deinde ratione: primò, quia intellectus est immaterialis: ergo ex proprio modo cognoscendi abstrahit a materialitate singulari tanquam à ratione sensui proportionata: sibi verò improportionata. Vnde intellectus agens producens species intelligibiles dicitur eas abstrahere, & consequẽter naturas repræsentatas ab eisdem conditionibus singularibus, ac materialibus: sed sic abstrahere intellectum agentem est producere species repræsentantes naturas nõ repræsentatis conditionibus singularibus, & materialibus: ergo cognoscere eas intellectũ possibilem abstrahendo ab eisdem conditionibus est cognoscere easdẽ in vniuersali; quare primo, per se, atque directè sola vniuersalia cognoscit; singularia verò indirectè tantum, & per reflexionem.

106 Secundò probat Fonseca, quia intellectus noster medius est inter sensum, & intellectum Angelicum, perfectior quidem illo: sed imperfectior hoc; ergo species intelligibiles nostri intellectus medias quoque esse oportet inter sensibiles, & Angelicas: sed species sensibiles repræsentant sola singularia, & species Angelorum naturam vniuersalem, & omnia, vel plura singularia eius: ergo species nostri intellectus solum repræsentant naturam vniuersalem, & non singularia; quare non poterit hæc: sed illam tantum per eas cognoscere directè, & singulare per reflexionem.

107 Eiusmodi autem reflexio, per quam hæc sententia asserit singularia materialia cognosci ab intellectu (in quo consistit maxima difficultas eius) tribus modis explicatur à diuersis. Primò quidem à Caietan. vbi supra hoc modo, intellectus cognoscens primo, & per naturam vniuersalem videt non posse per se consistere: sed necessario esse debere in singularibus, & ex hoc quasi per consequentiam, vel argumentum deuenit in notitiam singularium, & ideo asserit

intellectum argutiuè ea cognoſcere: ſed fatetur Caietan. per hunc modum eam cognoſcendi nullum ſingulare determinatum cognoſcere, quia non poteſt tale argumentum ducere ab vniuerſali ad aliquod determinatum ſingulare, potius quàm ad aliud; ideo ad nullum determinatum: ſed ſolum ad ſingulare vagè ſumptum; quare hoc modo duntaxat poſſe illud cognoſcere.

108 Secundò modo ſic explicatur ab alijs, intellectus cognoſcens vniuerſale reflectitur ſupra ſuum actum, quem videt factum per ſpeciem ortam à phantaſmate, & ita cognoſcit phantaſma, & ex conſequenti naturam ſingularem per ipſum repræſentatam.

Tertiò modo id explicat Fonſeca, & eum ſecuti Conimbr. vbi ſupra, & aſſerunt quod ſpecies rei vniuerſalis non repræſentat determinatè hoc, vel illud ſingulare: ſed confuſè, & quaſi indeterminatè omnia, & intellectus per eam informatus non poteſt hoc potius determinatum ſingulare, quam illud cognoſcere, & ideo nullum prorſus determinatum.

109 Determinatur verò à phantaſmate huius determinati ſingularis cum eodem intellectu concurrente ad cognitionem talis ſingularis potius, quam alterius, quia ſicut phantaſma poteſt actiuè concurrere cum intellectu agente actionem eius determinando; ita poteſt concurrere actiuè cum poſſibili terminando cognitionem eius, eamque determinando ad hoc ſingulare, quod repræſentat cognoſcendum potius, quàm ad aliud. Et meritò quidem determinari poſſe à phantaſmate intellectum poſſibilem aiūt propter cognationem, aut ſimilitudinem, quam habet ſpecies intelligibilis cum phantaſmate, à quo producta eſt, & quæ naturam vniuerſalem repræſentat exiſtentem in ſingulari eodem per idem phantaſma repræſentato. Et hunc modum cognoſcendi ſingularia videtur tradere D. Thom. 1. part. q. 86. art. 1. aſſerens non poſſe intellectum cognoſcere naturam vniuerſalem per propriam eius ſpeciem, niſi conuertendo ſe ad phantaſmata, & per hanc conuerſionem, quæ eſt quaſi reflexio quædam dicitur cognoſcere ſingulare.

110 Secunda opinio tenet intellectum noſtrum per ſe, & directè, & ideo per propriam ſpeciem cognoſcere ſingulare materiale, & ita ſpecies, quas producit intellectus agens in poſſibili per ſe, ac [illegible] tare ſingularia materialia. [illegible] 45. q. 3. Richard. in 2. diſt. 24. q. 4. [illegible] diſt. 3. q. 1. art. 2. Ocham q. [illegible] Burlæus [illegible] & Thienen. 1. lib. Phyſic. Apol. [illegible] anima. q. 12. Toletus ibidem [illegible] Valen. [illegible] diſp. 6. q. 7. puncto 1. con. 2. ita etiam [illegible] Duran. in 2. diſt. 8. q. 7. & etiam communis [illegible] ferè inter recentiores.

Probant primo, quia ſi aliquid obſtaret vt per ſe, & directè cognoſceretur ab intellectu noſtro ſingulare materiale, & ſpecies ipſum per ſe ac diſtinctè repræſentans produceretur ab intellectu agente, eſſet ſingularitas; vel materialitas, vel vtraq; ſimul: ſed nihil horum obſtat: ergo per ſe, & directè, ac per propriam ſpeciem cognoſcitur.

111 Probatur minor, quia ſingulare materiale cognoſcitur ab Angelo per ſe, & directè, atque etiam ab anima ſeparata, & repræſentatur per ſe per ſpecies eorum: ergo nec impedit ſingularitas, nec materialitas, & de materialitate conuincitur non impedire, quia vniuerſale naturæ materialis, vt homo in communi, vel equus materiale eſt, & cum ſua materialitate repræſentatur per ſpeciem, & intelligitur per ſe ab intellectu, ergo non impediet materialitas rei ſingularis, quin per ſe repræſentetur, & per ſe intelligatur.

112 Secunda ratio, quidquid poteſt cognoſcere potentia cognoſcitiua inferior per ſe, & directè, poteſt etiam ſuperior: nam cū hoc perfectionis ſit, non poteſt in potentia inferiori reperiri, quin reperiatur etiam in ſuperiori, ſed ſenſus qui ſunt inferiores potentiæ reſpectu intellectus, cognoſcunt per ſe, & directè ſingulare materiale, ipſumque repræſentant per ſe, & diſtinctè ſpecies ſenſibiles: ergo multo melius poterit per ſe, & directè cognoſci ab intellectu, & repræſentari per ſpecies intelligibiles. Quibus non ſolum euidens fit ſingularia cognoſci ab intellectu: ſed eſſe quæ primo ſe offerunt ei cognoſcenda, quam vniuerſalia: nam hæc non cognoſcit intellectus, niſi à ſingularibus ea abſtrahat; quare ſingularia non ſolum per ſe, & directè: ſed priuſquam vniuerſalia. Ideo falſum planè eſſe, quod per reflexionem ex cognitione vniuerſalis cognoſcantur.

113 Ex his duabus opinionibus prior videtur

detur mihi valdè probabilis propter solam authoritatem D. Thomæ: posterior verò efficacioribus rationibus probatur, & quibus vix potest satisfieri, & ideo ab omnibus ferè hoc tempore defenditur, longeque plausibilior est. Et propterea eam defendere statui, & his assertionibus explicare eam, ac modum simul, quo cognoscatur singulare materiale.

Prima est, intellectus agens per se, & directè producit in intellectum possibilē speciem repræsentātem distinctè singulare materiale determinatum.

114 Hanc probo ex his, quæ superius etiam ex mente D. Thomæ definita sunt à nobis, & probatur hoc modo, intellectus possibilis est pura potentia in ordine ad formas intelligibiles nullam habens in se, reducitur verò in actum ab intellectu agente circa ipsum operante medio phantasmate tanquam instrumento, à quo actio eius determinatur, vt speciem talis obiecti, potius quàm alterius producat: cum ex se sit indifferens ad producendam speciem cuiuslibet: sed phantasma repræsentat naturam materialē contractam per conditiones materiales indiuiduales, ac determinatas: ergo vt eam sic repræsentans concurrit cum intellectu agente & determinat actionem eius: vt producat speciem obiecti à se repræsentati, potius quàm alterius; vnde sequitur per talem actionem sic determinatam per se produci speciem intelligibilem in intellectu possibili repræsentantem illud idem singulare materiale, vt tale per phantasma repræsentatum.

Secunda assertio, *naturaliter est impossibile, quod intellectus agens producat speciem repræsentantem naturam vniuersalem, sed semper, & necessario producit speciem repræsentantem singulare.*

115 Probatur primo, quia non potest intellectus agens producere speciem in intellectu possibili, nisi secundum exigentiam phantasmatis, & obiecti per ipsum repræsentati, à quibus modificatur, ac determinatur actio eius, sed phantasma non repræsentat naturam vniuersalem, sed singularem, ac determinatam per tales conditiones materiales: ergo naturaliter est impossibile, quod concurrat cum intellectu agente ad productionem speciei repræsentantis naturam vniuersalem; constat autem nullam speciem posse producere intellectum agentem, nisi concurrēte cum eo phantasmate, & modificante actionem eius: ergo naturaliter est impossibile, quod intellectus agens producat speciem rei vniuersalis. Et argumen. hoc eodem modo probat, si dicatur phantasma concurrere tanquam instrumentum, siue vt partialem causam, vel vt materiam, siue tanquam exemplar, vel quouis alio modo, vt consideranti est manifestum.

116 Secundò quia intellectus agens, & phantasma sunt agentia naturalia: ergo operantur ex determinatione ad vnum, & ex consequenti semper eodem modo, sed phātasma concurrit in quantum repræsentat obiectum; ergo semper, & necessario concurrit secundum quod repræsentat ipsum obiectum, sed quodcunque repræsentat rem singularem materialem, & nullam rem vniuersalem; ergo semper producitur species rei singularis, & nunquam rei vniuersalis. Probatur consequentia, quia species intelligibilis procedit similis obiecto repræsētato per phantasma, quia concursus eius semper est obiectiuus, & ideo tale obiectum, & non aliud debet necessario repræsentare species producta, quale repræsentatur phantasmate obiectiuè concurrente.

117 Tertia assertio, *per primam cognitionem cuiuscunque obiecti nunquam cognoscitur vniuersale, sed semper singulare, & ideo primò cognitum ab intellectu nostro non est vniuersale, sed singulare.* Hæc sequitur ex præcedenti, quia prima cognitio cuiuslibet rei fit per speciem productam ab intellectu agente, & phantasmate eam in singulari determinato repræsentante, sed non potest produci ab intellectu agente, & phantasmate species repræsentans naturam vniuersalem, sed singularem tantùm, vt in præcedente conclusione assertum est; atque probatum; ergo vera est hæc tertia assertio, quod prima cognitio cuiuscunque obiecti non potest esse eius vt vniuersalis, sed vt singularis.

118 Ex his autem tribus assertionib. tria alia infero. Primum, non esse verum, quod singulare materiale cognoscatur à nostro intellectu cognitione reflexa, & non directa. Quod efficaciter etiam probari potest ex refutatione illorum trium modorum quos retulimus, quibus talis reflexio explicatur à diuersis. Et primum à Caietan. excogitatum constat esse falsum, quia ex eo sequitur (id,

quod Caiet ipse concedit) nullum singulare determinatum cognoscere intellectum, sed vagum dumtaxat contra euidentem experientiam, quia species repræsentans vniuersale, & vniuersale ipsum repræsentatum non potest esse ratio cognoscendi vnum potius quam aliud: imò nullum secundum rationem determinatam, cum nullum repræsentetur in specie.

119 Quod verò secundus sit falsus, ita probo: dum dicitur intellectum cognoscentem naturam vniuersalem reflecti supra talem cognitionem, quam videt factam per speciem eductam ex phantasmate, inquiro, quonam modo cognoscat talem speciem eductam esse ex phantasmate, videlicet, cognito phantasmate, vel non cognito: hoc secundum repugnat ex terminis; cognosci verò phantasmata iuxta eandem sententiam non est possibile: cum fateatur non posse repræsentari per vllam speciem intelligibilē, quia est singulare materiale, & sine specie cognosci repugnet.

120 Nec habet minorem difficultatem tertius modus reflexionis per conuersionem ad phantasma.

Primo quia vel talis conuersio est cognitio phantasmatis, vel rei singularis materialis per ipsum repræsentatæ, & cum vtrumq; sit singulare materiale, quæritur per quam speciem impressam, vel expressam cognoscatur; & nullam talem designare poterunt: cum teneāt singulare materiale per nullam speciem repræsentari posse.

Secundò infero, falsum esse quod à quibusdam recentioribus dicitur, videlicet per eandem speciem impressam ab intellectu agente repræsentari vniuersale, & singulare. Quod ex nostris tenent Valentia vbi supra, & Conimb. 3. lib. de anima, c. 5. q. 6. art. 1. addentes, etiam phantasma repræsentare naturam vniuersalem & singularem simul.

121 Et probare videtur Valentia, quia intellectus agens dicitur abstrahere species intelligibiles à phantasmatibus: ergo repræsentant naturam abstractam à conditionib. singularitatis, quod est repræsentare illam in vniuersali: neque obstat, inquit, quod simul repræsentetur cum eisdem conditionibus, & ideo vt singularis: nam hoc habet ex modo, quo repræsentatur per phantasma, illud verò ex virtute intellectus agentis. Quod probari etiam posset ex specieb. Angelorum, & animæ separatæ, per quas vniuersalis natura, & singula[illegible] repræsentantur. Nihilominus [illegible] assero, & probo primo, quod phantasma [illegible] repræsentet vllo modo [illegible] vniuersalem, sed singularem dumtaxat [illegible] phantasma est species sensibilis, sed species sensibilis non repræsentat obiectum, nisi [illegible] bile, & nō est sensibile, nisi in singulari, quia nullus sensus potest percipere vniuersale: ergo nec repræsentatur, nisi in singulari.

122 Secundò quia si phantasma repræsentaret naturam vniuersalem, & singularem simul: cum sit species expressa phantasiæ, sequeretur phantasiam vtrumque etiam percipere, quod patet esse falsum. Secundò probatur, quod neq; species impressa ab intellectu agente repræsentet vtrumque, quia phantasma determinat obiectiuè quamlibet actionem intellectus agentis, & nullum est aliud, à quo obiectiuè determinetur, vnde sequitur, quod sicut habet species, quod sit spiritualis à solo intellectu agente, ita habet, quod repræsentet tale obiectum à solo phantasmate; ergo impossibile est producere speciem alio modo repræsentantem obiectum, ac repræsentatur per ipsum phantasma, sed per phantasma repræsentatur solum, vt contractum cum his conditionibus singularitatis: ergo hoc tantum modo, & non alio potest repræsentari in specie producta per actionem intellectus agentis.

123 Nec argumenta in contrarium aliquid probant: nam virtute intellectus agētis hoc solum fieri potest, vt species intelligibilis producatur spiritualis, & in subiecto spirituali: quod verò repræsentet vniuersale, aut singulare, non ex virtute eius habet; sed solum ex phantasmate, quia hoc pertinet ad modificationem obiectiuā à phātasmate faciendam. Quod verò dicitur intellectū agentem abstrahere species intelligibiles à phātasmatibus, non est verum, si sic intelligatur, quod producit species repræsentantes naturā vniuersalem, sed in hoc tantum sensu, quod producit speciem abstractam à materia, & modo materiali, eleuatiori modo quo idēmet singulare repræsentatur per phātasma.

De speciebus verò Angelorum, & animæ separatæ diuersa est ratio, quia illæ à superiori causa producuntur, nempè à Deo, & vt congruunt naturæ superiori, vel habenti statum eius, & propterea vniuersaliores esse de-

debent: species verò nostri intellectus producuntur limitatę a phantasmate secundum repræsentationem, & ideo solum possunt repræsentare singulare ab eo repræsentatum.

124 Tertio infero *falsum esse, quod a quibusdam alijs dicitur, videlicet per actionem intellectus agentis circa phantasmata praeuiam pro ductioni speciei intelligibilis, vel per eandem, quæ est productio eiusdem speciei fieri, vt natura vniuersalis reluceat, in eisdem phantasmatibus, & ideo possint concurrere cum intellectu agente ad producendam speciem vniuersalis.* Falsum verò hoc esse assero; & sic probo, naturam vniuersalem relucere in phantasmate non potest esse aliud, quam repræsentari ab eo: nam si non repræsentatur, nec verum est in eo apparere, aut relucere, aut conspici: sed repręsentari in phantasmate repugnat: cum sit species sensibilis repræsentans naturam contractam per singularitatem: nam sic est perceptibilis per sensus, & non sine tali cõditione: ergo repugnabit etiam in eo relucere, quantumcumque illustrato ab intellectu agente, quia per talem illustrationem nihil reale intrinsecum ei prouenire potest, & ex consequenti, nec noua repræsentatio, nec nouus modus repræsentandi obiectum, vterque enim aliquid reale intrinsecum est in repræsentante.

Quonam modo cognoscatur vniuersale ab intellectu nostro.

125 SVpposito, quod non detur species intelligibilis producta ab intellectu agente repræsentans naturam vniuersalem: explicare oportet, quonam modo cognoscatur vniuersale a nostro intellectu: nam cognosci sine specie, per quam repræsentetur impossibile est.

Cui respondeo, cognosci per similitudinem, aut conuenientiam singularium hoc modo, productis speciebus singularium ab intellectu agente, cognoscit per eas intellectus possibilis primo, & per se, atq; directe singularia ipsa.

Deinde considerat in eis naturam in qua conueniunt non consideratis differentijs indiuidualibus, per quas differunt, elicitq; cognitionem, atque speciem expressam vniuersalis, & hæc est vera, & propria abstractio, vt explicui in quæstionibus vniuersalibus Dialecticæ; nam abstrahere vnum ab alio non est aliud, quam cum potentia abstrahens possit vtrumq; cognoscere, vnũ cognoscere non cognito alio, ex quibus illud dicitur abstrahere ab altero, quod cognitionem alterius præsupponit.

126 Et propterea dicitur intellectus abstrahere potius vniuersale a singularibus, quam singularia ab vniuersali, quia cum natura vniuersalis existat in singularibus, cognitio eius cognitionem singularium præsupponit, quod autem ita fiat abstractio, probatur ex vulgato illo in Schola Dialecticorum inculcato, quod scriptum nobis reliquit Arist. 1. phys. tex. 18. *Abstrahentium non est mendacium*, quasi dicat abstractionem esse simplicem cognitionem absq; vlla affirmatione aut negatione, & ideo sine vero, & falso, in eo solum consistens, quod vnum cognoscatur non cognito alio: cum vtrumq; possit cognosci a potentia.

127 Media autem cognitione: atque specie expressa repræsentante naturam vniuersalem imprimere sibi potest intellectus possibilis aliam speciem intelligibilem repræsentantem naturam vniuersalem, quam sibi reseruat, in quantum est memoria pro vsu futuro; nempe, vt quoties se obtulerit occasio, possit eandem naturam vniuersalem iterum cognoscere sine noua cognitione singularium.

128 Quam virtutem formandi sibi vnam speciem ex alijs præconceptis tribuit D. Th. non solum intellectui, sed etiam imaginationi, & cum eo sentiunt ferè omnes: & constat nobis experientia primam cognitionem vniuersalis longè difficiliorem esse cognitione singularium: quare non mirum est, si hæc primo directè, ac facilè fiat: illa verò saltem dum primo fit, post cognitionem singularium fiat, & quasi indirecte, & per quandam reflexionem, & discursum ex illa colligatur.

129 Testimonium verò Arist. quod pro opposita sententia affertur, satis obscurum est, & ideò intentum, & contextum eius expendere oportet, vt germanum sensum eius eliciamus. In eo enim textu quærebat Aristoteles (vt verba ostendunt) an per eandem potẽtiam sensitiuam, qua cognoscimus singularia sensibilia, cognoscamus naturam vniuersalem in eo existentem, vel per vniuersam. Et respondet per aliam quidem, aut sepa-

parabilem, hoc est: distinctam realiter ab ea vel saltem habentem se ad ipsam atq; cum extensa fuerit linea flexa, hoc est distinctam esse ratione, sicut distinguitur ratione linea flexa a se ipsa cum extensa fuerit, eadem est enim linea realiter, quæ modo flexa est, deinde verò extenditur, & recta fit. Sensus itaque illorum verborum rectæ, ac reflexæ lineæ non ad cognitionem vniuersalis, & singularis refertur, sed ad distinctionem potentiarum, per quas vnum, & alterum cognoscitur, quam realem esse, vel rationis non determinat illis verbis, sed in futurum decernendum relinquit. Nihil ergo de modo cognoscendi vniuersale, & singulare disputat eo loci Arist. & proptereà nihil aduersus nostram sententiam colligi ex eo potest.

130 Ad primum argumentum concessa antecedente, quod intellectus sit immaterialis, distinguendum est consequens, quod in modo cognoscendi abstrahat a materialitate: nam ex parte ipsius cognitionis, & principij eius, quod est species impressa, atque etiã ex parte termini, qui est species expressa verum est, sed ex parte obiecti cognoscendi necessarium non est, alioqui nullus omninò intellectus posset singulare materiale cognoscere, quod patet esse falsum.

131 Nihil ergo impedit singularitas, nec materialitas rei singularis repræsentatæ per phantasma, quin possit per se, directè, ac primò intelligi ab intellectu nostro, quia licet sit improportionatum, & solum intelligibile in potentia secundum se, per speciem tamen intelligibilem propriam productã ab intellectu agente fit quodammodo immateriale, atque spirituale, & actu intelligibile, sufficienterq; proportionatum, vt per se, & directè intelligatur, nec potest habere maiorem proportionem vniuersale: cum etiam sit materiale, & corporeum secundum se, & hæc sufficit iuxta oppositam sententiam vt per se sit intelligibile, & primo, atq; directe intelligatur.

132 Ad secundum respondetur intellectum nostrum medium quodammodo esse inter sensum, & Angelorum intellectum, & ideo speciem eius medium aliquo modo tenere inter species vtriusque, non quidem in repræsentando vnum, vel plura, sed in modo cognoscendi, & repræsentandi: nam licet vnam tantum rem vniuersalem, vel singularem repræsentet species nostri intellectus, longe tamen perfectiori modo, ac species sensibilis rem singularem, sed [illegible] pe rfectè, ac species Angeli repræsentat eandem rem singularem.

QVAESTIO IV.

An substantia materialis, & accidentia eius non per se sensibilia cognoscantur ab intellectu nostro pro hoc statu per speciem propriam, & ideò directè, ac per se.

133 PRima opinio tenet dari speciem propriam substantiæ, & omnium accidentium eius, etiam temporis, ac relationum: per quam per se cognoscitur conceptu proprio; non solum ab intellectu, sed etiam a phantasia, quare nõ solum dantur species intelligibiles horum omnium propriæ, sed etiam propria phantasmata, a quibus producuntur in intellectu possibili, & per ea cognoscitur primo substantia: deinde accidentia. Ita sentiunt Soncin. 7. metaph. quæst. 14. Iauel. q 3. & ex nostris Fonseca 2. metaph. cap. 1. quæst. 2. sect. 5. & 5. metaphys. cap. 28. quæst. 4. & sect. 4. & Conimb. 3. lib. de anima cap. 5. quæst. 5. art. 1. concl. 2. & 3. pro qua etiam referunt D. Th. de Veritate, q. 10. ar. 5. 2 lib. Post. textu 27. & opusc 29. Auer. 2. lib. de anima com. 63. Ferra. lib. 3. q. 3. Apollin. q. 12. Abulen. super c. 25 Matth. q. 608 Caiet. 3. p. q. 76. art 7

134 Probatur testimonio Arist. 7. metaph. text. 4 vbi docet expresse substantiam priorem esse cognitione accidẽtibus, sicut prior est secundum entitatem: cum intelligibilitas sit propria passio entitatis: ergo sentit prius cognosci ab intellectu, quã accidentia, quod non potest esse verum, nisi per propriam speciem cognoscatur.

Probatur etiam ratione: primo quia phãtasia, aut æstimatiua habet virtutem eliciendi ex accidentibus sensatis per sensus externos speciem aliorum non sensatorum: ergo a fortiori habebit virtutem eliciendi speciem substantię, quamuis non sit sensata per externos sensus.

Probatur consequentia, quia accidentia omnia sensibilia a sensibus externis habent sur-

fundamentum in substantia, & vt ei inhaerentia percipiuntur ab eis: ergo poterit phãtasia tanquam superior virtus elicere ex speciebus sensatis insensatum eius, & hac potest imprimere speciem intelligibilem eiusdem substantiae in intellectu possibili virtute agentis. Secundo, quia phantasma concurrit tanquam instrumentum cum intellectu agente ad producendam speciem: ergo etiam si sola accidentia repraesentaret, posset imprimere speciem substantiae.

Probat consequentia, quia accidens secundum proprium esse per modum instrumenti potest concurrere ad productionem ipsius met substantiae: ergo potiori ratione accidens vt sensatum, vel eius species poterit tanquam instrumentum animae producere speciem substantiae: & aliorum accidentium.

135 Secunda opinio non nihil differta prima, asserit enim primam cognitionem nostri intellectus, nec esse conceptum substantiae, nec accidentis, sed totius coniuncti, seu aggregati ex substantia, & accidenti.

Et ideo speciem primo productam ab intellectu agente, & phantasmate totum illud coniunctum repraesentare per modum substantiae, quia repraesentat illud per modum per se existentis, vt album, cognito verò coniuncto ab intellectu prima cognitione simplici per modum vnius, separat substantiam ab accidenti per discursum, & intelligit vtrumq; seorsum ab alio, non quidem substantiam prius necessariò, nec accidens, sed indifferenter potest intelligere vnum prius altero, & per alterum, vt accidentia per substantiam, & substantiam per accidentia: ita tamen vt neque conceptus substantiae sit absolutus, neque accidentis, sed vterque connotatiuus, quia nec intelligimus accidens, nisi in substantia, & cum ordine ad illam, nec substantiam, nisi in ordine ad accidentia: quare conceptus substantiae semper accidentia connotat. Ita Tolet. 3. lib. de anima, q. 6. qui pro hac sententia refert Apollinarem.

136 Probat primo experientia, quia quisque in se experitur non percipere animal, nisi vt substantiam se mouentem, neque hominem, nisi vt habentem principium discurrendi, pariterque de caeteris, sed conceptus isti non sunt absoluti, sed connotatiui, vt per se patet: ergo nec aliquem conceptum substantiae absolutum habemus, sed connotatiuos omnes.

Probat secundo ratione, quia intellectus dependet in sua cognitione a phantasmate: ergo quidquid intelligit, habet ordinem ad phantasma, & cum tali ordine intelligitur: sed phantasma repraesentat accidentia: ergo necesse est quamlibet substantiam intelligere cum ordine ad accidentia, & consequenter non conceptu absoluto, sed connotante accidentia. Et potest sic vrgeri ratio, res omnes intelligimus, sicut sunt a parte rei, sed a parte rei quaelibet substantia corporea naturaliter est coniuncta alicui accidenti, & quodlibet accidens est in aliqua substantia, ita vt ex vtroque fiat vnum coniunctum seu aggregatum: ergo aggregatum concipimus, & ideo conceptu connotatiuo, non absoluto.

137 Vltima opinio vtrique opposita est, negans omninò, quod detur species propria substantiae, aut totius coniuncti ex substantia, & accidente, sed ab intellectu agente produci speciem propriam solius accidentis per se sensibilis, & hoc tantum intelligi prima cognitione, ex quo ita cognito peruenit intellectus per discursum ad cognitionẽ substantiae, & accidentium insensibilium per se. Ita Scot. in 1. d. 3. q. 1 & 3. & d. 8. quaest. 2. Ricard. in 2. dist. 24. q. 3. art. 3. Herue. quodl. 3 q. 12. Tignos 1. lib. de anima, ad tex. 11. Iand. ibid. q. 10. Vales. in lib. de sacra philos c. 74. pag. 478. & est iam ferè communis inter recentiores, & videtur nobis probabilior. Quã his assertionibus explicamus.

138 Assertio prima, *substantia nullo modo repraesentatur per phantasma, nec per aliquam speciem sensibilem impressam, vel expressam, nec per eam potest percipi ab vllo sensu.* Haec est cõtra primam opinionem, & ad eam probandam duo praesuppono in doctrina Aristotelis certa, & ab omnibus admissa.

Primum est quod substantia non est per se sensibilis, sed per accidens.

Secundum, sensibile per accidens esse id, quod coniungitur per accidens esse id, quod coniungitur per accidens, ei quod est per se sensibile, vt substantia Petri dicitur sensibilis per accidens, quia per accidens coniungitur albedini per se sensibili; vtrumque docet expressè Aristotel 2. lib. de anima, c 6 Ex his autem duobus sic arguo: sensibile per accidens nullam habet in se rationem sensibilis, sed

ſed ſolum dicitur ſenſibile, quia coniungitur per accidens habenti illam: ergo nullam habet in ſe rationem per quam poſſit mouere ſenſum, ſed ex eo ſolum mouere dicitur, quia ſenſibile per ſe (ei coniunctum per accidens) mouet ſenſum, ſed ſenſibile mouet ſenſum per ſpeciem, quam ei imprimit ſe repræſentantem: ergo ſi non habet in ſe rationem, per quam moueat, ſequitur nec habere in ſe rationem aliquam, per quam repræſentetur per ſpeciem: nulla ergo talis ſpecies dari poteſt, quæ ſit propria ſenſibilis per accidens, a qua repræſentetur: ex quo efficaciter ſequitur non poſſe dari ſpeciem ſenſibilem expreſſam, vel expreſſam in ſenſu aliquo interno, vel externo, aut etiam phantaſma, per quam repræſentetur ſubſtantia, vel accidentia eius per accidens tantum ſenſibilia.

139 Secunda aſſertio, *intellectus agens non poteſt imprimere intellectui poſſibili propriam ſpeciem ſubſtantiæ eam repræſentantem*. Hæc eſt etiam contra primam opinionem, & probatur hac ratione: intellectus agens nullam poteſt imprimere ſpeciem, niſi determinetur per phantaſma vt repræſentans obiectum: ergo nullius obiecti poteſt ſpeciē producere, niſi eius quod repræſentatur per phātaſma: ſed ſubſtantia, nec repræſentatur, nec eſt repræſentabilis per phantaſma: cum nullam habeat in ſe ſenſibilitatem, ratione cuius repræſentetur per ſpeciem ſenſibilem: ergo nec poteſt intellectus agens ſimul cum phantaſmate imprimere intellectui poſſibili ſpeciem propriam ſubſtantiæ, nec accidentium eius non ſenſibilium.

140 Aſſertio tertia, *non poteſt dari phantaſma repræſentans totum coniunctum, vel aggregatum ex ſubſtantia, & accidenti per ſe ſenſibili, nec proinde poteſt produci ab intellectu agēte ſpecies intelligibilis repræſentans intellectui idem coniunctum*. Hæc eſt contra ſecundam opinionem, & in primis ſequitur ex 2. & 3. noſtra aſſertione. Sed probatur etiam, quia vel repræſentari ſimul cum alio eſt repræſentari vtrumque, vel illud tantum, quod in ſe ſenſibile eſt, aliud verò quod non eſt ſenſibile, ſolum dici repræſentatum per accidens: quia eidem coniunctum eſt: ſed vtrumque eſt impoſſibile: primum quidem, quia ſubſtantia nullam habet in ſe ſenſibilitatem, ratione cuius repræſentetur: ergo repugnat, quod repræſentetur ſimul cum alio, ita vt repræſentetur vtrumque. Poſtremum verò, quia [illegible] eo ſolum quod ſubſtan[illegible] ſenſibili per ſe, nulla poteſt aduenire [illegible] ſenſibilitas, per quam repræſentetur per ſpeciem: ergo ex hoc non poteſt eſſe verum, quod repræſentetur vtrumq; per phantaſma, & conſequenter nec per ſpeciem intelligibilem medio phantaſmate productam ab intellectu agente.

141 Et ex his tribus aſſertionibus tria inferuntur.

Primum, quod ſubſtantia non poteſt primo cognoſci ab intellectu, ſed prima eius cognitio aſſequenda eſt ex cognitione alicuius proprietatis eius per ſe ſenſibilis aduerſus primam ſententiam.

Secundò infertur non eſſe primum cognitum ab intellectu coniunctum, vel aggregatum ex ſubſtantia, & accidenti per ſe ſenſibili, quod etiam fit ex probatis manifeſtum: nā ſi non eſt coniunctum illud repræſentabile per phātaſma, nec proinde producibilis ſpecies intelligibilis eius ab intellectu agente, repugnat eſſe primum cognitum ab intellectu poſſibili.

142 Infertur tandem veram eſſe noſtram ſententiam: nam ſicut ſolum dantur propria phantaſmata accidentium per ſe ſenſibilium, ſic ſolum producuntur ab intellectu agente ſpecies intelligibiles eorum, & ita hæc ſola ſunt per ſe, & primo, & cognita ab eo; ſubſtantia verò, & accidentia inſenſibilia non per ſe, nec per ſpeciem propriam, ſed ſolum poſt cognitionem, & ex cognitione eorum.

Sed explicare oportet, quonam modo cognoſcatur ſubſtantia, ſi non datur ſpecies propria eius producta ab intellectu agente. Cui reſpondeo, eodem modo cognoſci per ſpecies accidentium per ſe ſenſibilium, ſicut diximus ſupra cognoſci vniuerſale ea cognitione ſingularis ſenſibilis eius, nam habita notitia huius, & illius ſingularis cognoſcit intellectus ſimilitudinem inter ea non conſiderata tunc differentia per conditiones indiuiduantes, & hæc eſt abſtractio vniuerſalis a ſingularibus: cum quibus deinde confert, aut comparat eandem naturam ſic abſtractam, & efficit eam formaliter vniuerſalem per relationem vniuerſalitatis reſultantem ex tali comparatione.

Ad ſimilitudinem igitur huius cognitionis intelligi debet cognitio ſubſtant[illegible]

[f]ormae ex accidentibus, quibus cognitis per species proprias intelligit nō esse per se, sed apta inhaerere alicui a qua sustententur, & ita elicit ex speciebus accidentium conceptum substantiae,& modo simili cognoscit accidentia,non per se sensibilia.

143 Sed vt intelligamus,an conceptus iste substantiae sit ei proprius,& quonam modo aduertare oportet conceptum proprium alicuius duplicem esse:na vel ita est proprius, vt entitatem, aut essentiam eius per se, & proximè, & adaequatè repraesentet, quo pacto conceptus quem format vnus Angelus de propria substantia,vel de substantia alterius,vocatur proprius.

Alio modo proprius dicitur conceptus, qui repraesentat rationem aliquam cum aliquo conuertibilem, & propterea talis conceptus proprius vocatur,licet rem talem per se immediatè non repraesentet, & hoc modo vocatur proprius conceptus Dei, quem format Angelus ex propria,vel alterius natura de quo certum est non repraesentare adequatè,& proximè entitatem,aut essentiam infinitam Dei, sed non est minus certum Deo soli conuenire, & cum eo conuerti, & ideò dicitur proprius non modo priori, sed posteriori.

144 Et iuxta hanc distinctionem dicimus intellectum nostrum pro hoc statu quasi discurrendo ex propria cognitione accidentiū per species proprias formare proprium conceptum substantiae per alienas species: non quidem eam proximè, & adaequatè repraesentantem, sed conuertibilem, atque ei soli conuenientem. Sicut nos ex corporeis creaturis per modum similitudinis,aut dissimilitudinis per modum attributionis,aut negationis formamus proprium conceptum Dei,& Angelorum.

145 Vnde intelligimus non repugnare, quod plurium rerum,quas non cognoscimus per species proprias, formemus proprios conceptus hoc posteriori modo, non priori,qui conceptus vocantur etiam species expressę propriae earum,quibus medijs existimamus, quod intellectus ipse possibilis ibi imprimat species,quas reseruat in memoria prorsu futuro,nēpe vt facile possit, & sine no[u]o discursu easdē res iterū,& saepius cognoscere,sed tales species impressae nō sunt propriae modo priori,sed posteriori,sicut conceptus ipsi,quibus medijs imprimuntur.

Ad testimonium Arist. quod opponit prima opinio admitto substantiam ex propria esse notiorem accidentibus:quo ad nos verò qui nihil pro hoc statu percipimus,nisi medijs sensibus, notiora sunt accidentia, quae solum cognosci possunt per speciem propriam: quamuis ab alio quocumq; intellectu non cognoscente hoc modo,sed res ipsas vt sunt in se,non solum per speciem propriam sed prius,quam accidentia cognoscantur.

146 Ad primum argumentum distinguendum est antecedens,quod phantasia,vel aestimatiua habeat virtutem eliciendi speciem accidentium non sensatorum ex speciebus sensatis, nam accidentium per sensibilium, licet per inferiores sensus non sensatorum habet quidem,non tamen alicuius nullo modo sensibilis per se,quia repugnat hoc repręsentati per speciem sensibilem vllius sensus, vt probauimus,& cum substantia nullam habeat in se rationem sensibilitatis,ratione cuius possit repraesentari per speciem sensibilem:repugnat vllum sensum,etiam ex sensatis a sensu inferiori elicere speciem eius. Et cum eadem substantia non sit per se sensibilis ab vllo sensu,nec proinde repręsentabilis per vllam speciem sensibilem sensatam, vel insensatam,nec potest elici a phantasia proprium phantasma eius, per quod sentiatur, & ita non potest intellectus agens producere speciem intelligibilem eiusdem substantię in intellectu possibili,quia nullius rei speciem producere potest, nisi determinetur obiectiuè a phantasmate eam repraesentante.

147 Ad aliud verò, quod additur de instrumento, dicimus, quod sicut non quodcumque accidens potest concurrere tanquam instrumentum substantiae, sed illud tantum, quod est virtus eius. Ita nec potest quodcumque phantasma concurrere, vt instrumentum cum intellectu agente ad producendam speciem intelligibilem alicuius rei, nisi illud solum, a quo repraesentatur, & cum non repraesentetur substantia per vllum phantasma, non potest produci ab intellectu agente species eius: nec sufficit, quod repraesentetur accidens eius, quia licet virtus eius sit ad naturales actiones cum ea eliciendas, sed respectu huius concursus obiectiui cum intellectu agente non concurrit obiectum, nisi vt per se repraesentatum per phantasma, & cum non re-

repræsentetur substātia per phantasma, nec sufficit repræsentari accidens eius, neque ad talem concursum potest aliquid concurrere per aliud, sed necesse est, quod per se ipsum repræsentatum concurrat, vt species producta similis ei euadat ipsum repræsentans.

148 Quod verò intellectus possibilis ex vno repræsentato per speciem impressam elicit conceptum alterius, ideo habet, quia potentia cognoscitiua, ac discursiua est. Intellectus verò agens cum non sit potentia cognoscitiua, nec discursiua, sed purè naturalis, & ex se indeterminata, determinabilis verò per phantasma, non potest cum vno phantasmate producere speciem alterius rei, nisi eius tantum, quod per se repræsentatur per idem phantasma, qui ab illo solum potest obiectiuè determinari, & non ab alio, etiamsi sit causa, vel effectus eius.

149 Ad primum argumentum secundæ opinionis negandum est, quod detur species producta ab intellectu agente repræsentans illud coniunctum ex substantia, & accidenti: negandum est etiam, quod conceptus omnes, quos de substantia formamus sint connotatiui, sed quia omnes formantur in sua origine ex speciebus accidentium, propterea primi accidentia connotant, post verò intellectus suo discursu alios elicit absolutos, vt cum concipimus definitionem hominis, nempe *Animal rationale*, absolutos conceptus eius formamus absque vllo ordine ad accidentia.

Ad argumentum verò concedimus quemlibet conceptum substantiæ medijs phantasmatibus accidentium formari, & ideò primi, quia immediatè ab eis dependent, quodam modo possunt ex hoc connotatiui appellari.

Cæteri verò, quos per discursum format intellectus non nisi remotam quandam dependentiam habent, & ideo non formalem, necessentialem, & propterea absoluti esse possunt modo exposito.

150 Et quod tandem additur intellectum percipere res, vt se habent a parte rei, distinguendum est: nam ita, vt se habent, eas intelligit, quia cum eisdem prædicatis eis conuenientibus: sed in modo eas percipiendi, sensus sequitur, & ideo solum eas potest intelligere, vt per sensus perceptas, & quia substantia non est per se sensibilis, nec per species repræsentabilis, quamuis a parte rei sit coniuncta cum accidentibus, non percipit eam coniunctam: sed sola eius accidentia potest percipere per species propr[ias], [ips]am vero, nō nisi per speciem accidentium, & ideo quodā modo ab eis diuisum. Non quod diuisam esse a parte rei iudicet: sed quod non sit perceptibilis simul cum accidentibus, licet ex hoc non diuidatur ab eis diuisione, aut separatione reali.

QVAESTIO V.

Quonam modo cognoscantur ab intellectu pro hoc statu substantiæ separatæ, vt Deus, & Angeli.

151 VNum præsupponit titulus quæstionis tanquam certum, & alterum quærit tanquam dubium. Præsupponit quidem intellectum nostrum pro hoc statu aliquo modo substantias separatas, atq; spirituales cognoscere, vt Deum, & Angelos.

Quod euidens est in doctrina Aristoteles nam vt cætera eius testimonia omittamus, id expressè docet 1. lib. de partibus anim. c. 5 non longe a principio hisce verbis. *Res namque illas superiores tametsi leuiter attingere possumus, tamen ob eius cognoscendi generis excellentiam, amplius oblectamur, quam cum hæc nobis coniuncta omnia tenemus*. Et huius ratio est manifesta, quia sub obiecto intellectus nostri (quod secundum se est vniuersalissimum ens secūdum totum suum ambitum) continentur: ergo aliquo modo tanquam ab eo cognoscibiles. Et euidens experientia docet, quod saltem per effectus corporeos, ac sensibiles a nobis cognoscantur. Sed quonam modo per corporea cognoscantur spiritualia in dubium reuocat titulus quæstionis.

152 Circa quam prima opinio recentiorum tenet nullam dari speciem propriam, nec proprium conceptum rei spiritualis in nostro intellectu: sed idolum tantum rei materialis, quod a nobis eius loco substituitur, & ad cuius similitudinem excogitat intellectus se habere Angelum in spiritualibus, eo modo quidem, quo imago depicta

sub-

substituitur pro re, quam repræsentat.

153 Probatur experientia: nam cum volumus intelligere Angelum, iuuenem quendam pulcherrimum depingimus, quem loco eius nobis substituimus intelligẽtes pulcherrimum adeo, seu perfectum esse Angelum in ordine rerum spiritualium: ac nobis videtur iuuenis ille depictus in rebus corporeis: ergo nullam aliam speciem, vel conceptum proprium Angeli formamus: sed per solam similitudinem eius depictam cognoscimus. Probatur etiam ratione: quia solum ea potest intellectus noster per se intelligere, quæ percipiuntur per sensus: sed per sensus solum possumus percipere res corporeas: ergo solum possumus habere species, ac formare conceptus rerum corporearum, ad quarum similitudinem percipiamus spiritualia, horum verò, neque propriam speciem, neque conceptum.

154 Secunda opinio per extremum opposita affirmat intellectum nostrum pro hoc statu intelligere res spirituales per species intelligibiles proprias earum productas ab intellectu agente, eo quidem modo, vt prius intellectus possibilis cognoscat vltra eas dari alias superioris, ac excellentioris ordinis habentes esse quodam modo eis oppositum carens imperfectionibus materialibus, & corporeis, quo discursu atq; cognitione præsuppositis virtutem habet intellectus agens (cum sit spiritualis) producendi speciem spiritualem eas repręsentantem. Ita sentiunt, & explicant recentiores alij.

155 Probant primo, quia præsupposita determinatione sensus externi producitur per sensum internum species quędam noua, atq; insensata repræsentans rationem vniuersalem, ac superiorem, quam non attingit sensus externus, vt rationem conuenientis, aut disconuenientis: ergo supposito discursu intellectus determinato circa eadem accidentia sensibilia, & phantasmata eorum, a quibus determinatur intellectus agens, poterit producere speciem intelligibilem rei spiritualis, per quam directè, & per se eam percipiat intellectus possibilis, quia nulla potest afferri ratio alicuius momenti, qua probetur id repugnare.

156 Secundò quia intellectus animæ separatæ intelligit Angelos per proprias species eorum sibi infusas a Deo, vt in tractatu de anima separata ostendetur: ergo poterit eosdem intelligere per species proprias eorum adquisitas per virtutem intellectus agentis, & phantasmatum.

Probatur consequentia: nam si talem cognitionem habere non potest in corpore: ergo imperfectior erit status animæ in corpore, quam extra illud, cum perfectiorem habeat operationem, ex qua perfectior modus essendi euidenter colligitur.

157 Tertia opinio communis est *negans intellectui pro statu corporis omnem cognitionem substantiarum separatarũ per proprias species intelligibiles a quibus per se immediatè repræsententur* contra secundam sententiam, *& ei concedens, quod per alienas species rerum corporearum proprios conceptus earum formet, & non solum idolum rei corporeæ* contra primam. Ita expressè D.Th. 3. lib. contra gentes, c. 45. & ibidem Ferr. & 1. p. q. 88. art. 1. & 2. ibidem Caiet. Ban. ac cæteri eius interpretes. Scot. in 1. d. 3. q. 2. §. *Quinto dico, quod ista quæ cognoscuntur de Deo, cognoscuntur per speciem creaturarum.* Et cum his omnes ferè recentiores. Et videtur mihi non solum probabilior, sed vera. Quæ primo explicanda a nobis est, deinde probanda.

158 Explicatur autem hoc modo. Duabus vijs, aut modis potest intellectus pro hoc statu peruenire ad cognitionem rerum spiritualium per corporeas, prior vocatur negationis, aut remotionis, quam ponit D.Th. 1. p. q. 88. art. 2. ad 2. remouendo, aut negando a re corporea omnes imperfectiones. Vt si intellectus directè, & per se cognoscat albedinem per speciem propriam productam ab intellectu agente, & ex cognitione eius discurrendo intelligat esse formam, vel actum inhærentem subiecto corporeo, quod maximæ imperfectionis est, qua carent spirituales substantiæ, quas ideò intelligit esse actus completos per se subsistentes, non corporeos, nec materiales: sed spirituales, vt sunt Angeli, in quibus adhuc intelligit dependentiam ab alio in suo esse, quod cognoscit non habere a se: sed ab alio, atq; etiam limitationem ad certum genus, & speciem, & ex consequenti compositionem ex esse, & essentia, atque etiam ex substantia, & accidentibus spiritualibus, quæ sunt potentiæ, & actus, remouens igitur hæc a substantia spirituali format conceptum cuiusdam substantiæ simplicissimæ his omnibus carenti, quæ purus actus sit a nullo depẽdens, & ideo

non

non habens esse limitatum: sed infinitum, & talem substantiam spiritualem intelligit esse Deum.

159 Alia via est positionis, seu attributionis, quā posuit Scotus vbi supra, in qua procedit intellectus attribuendo substantiæ spirituali quidquid perfectionis cognoscit in rebus corporeis: sed sine imperfectione: imò cum maiori perfectione: ita vt ex pluribus positiuis, ac perfectis eliciat conceptum perfectiorem absque imperfectione, quem Deo attribuit, & isti sunt conceptus proprij, quos de Deo, & Angelis format intellectus, non quidem proprij, hoc est, per propriam speciem rei formati nec repræsentantes per se immediatè entitatem, vel substantiam eorum, & ideo nec quidditatiui, quamuis sint conceptus prædicatorum pertinentium ad quidditatem eorum, & cum eis conuertibiles, quia eis solis conueniunt: quare merito vocantur proprij, quamuis per species alienas formati.

160 Et ecce apertam deceptionem primæ opinionis, quæ solum putat alienum conceptum dumtaxat formare intellectum eis aliquo modo similem, vt pulcherrimi iuuenis, & non proprium, qui eis solis conueniat. Colligitur etiam deceptio secundæ opinionis concedentis intellectui quidditatiuum cóceptum per speciem propriam earum formatum.

161 Quod formare non posse efficaciter probari potest. Primo a priori hoc modo, quantumcumque discurrat intellectus circa accidentia sensibilia, impossibile est acquirere propriam speciem harum substantiarum: nam virtus, & operatio intellectus agentis ad producendam quamcumque speciem intelligibilem ex communi omnium sententia determinatur, ac modificatur per phantasma obiectiuo modo concurrens cum eo: ergo impossibile est intellectum agentem producere speciem, nisi illius obiecti, quod per phantasma repræsentatur.

162 Probatur consequentia, quia ex se indifferens ad producendam speciem repræsentantem quamlibet rem, & non potest determinari, nisi ab aliquo tribuente ei obiectum determinatum, cuius speciem potius, quam alterius producat: sed constat per phantasmata, nec repræsentari spiritualia obiecta: sed sola corporea cum sit species sensibilis: ergo non potest ab intellectu agen-

te produci species spiritualia repræsenta[...]
sed rem dumtaxat sensibilem: quare nec [...]
terit spiritualia cognoscere per propria[...]
cies, nec conceptus earum quidditatiuos [...]
mate.

163 Quod vero dicitur non posse inte[...]
ctum agentem ex se producere talem [...]
ciem, nisi præcedente illo discursu inte[...]
ctus possibilis, friuolum est, & ideo non [...]
lit efficacitatem argum quia quantumcu[...]
discurrat intellectus circa sensibilia, n[...]
potest per talem discursum ponere in p[...]
tasmatibus, nec mouere, vel eleuare il[...]
repræsentandum rem aliam altiorem, n[...]
tiori modo, ab eadem re sensibili, quam [...]
se repræsentant, quia impossibile est [...]
fieri sine mutatione intrinseca eorum, qu[...]
non potest vllo modo efficere intelle[...]
agens nec possibilis, vt superius proba[...]
mus.

164 Secundò probatur à posteriori [...]
quasi ab inconuenienti, quia si cogno[...]
mus substantias spirituales per proprias [...]
cies, sequitur euidens nobis esse, quod p[...]
ter Deum dentur substantiæ pure spiri[...]
les, completæ, & omni prorsus corpore [...]
rentes, quod patet esse falsum, quia mult[...]
hoc dubitarunt.

Probatur consequentia, quia quod [...]
propriam speciem cognoscimus, licet [...]
perfectè illud cognoscamus, repræsenta[...]
nobis per propriam entitatem: ergo per [...]
lam immediatè cognoscitur a nobis, q[...]
est euidenter cognosci. Sequitur etiam [...]
turaliter dari speciem propriam ipsius [...]
eum quidditatiuè repræsentantem, & si[...]
est in se, per quam erit a nobis euidenter [...]
quidditatiuè cognoscibilis naturaliter. Co[...]
tra communem sententiam totius Schol[...]
& Sanctorum Patrum, atque etiam con[...]
euidentem experientiam: experimur en[...]
omnes, numquam nos cognoscere diuina[...]
essentiam, aut aliquod attributum Dei, vt [...]
ipso est: sed solum per quandam similitud[...]
nem creaturarum. Idemq, de Angelis, & a[...]
ma nostra inferioribus notum est.

165 Ad experientiam primæ opinionis [...]
spondeo, iuuari quidem intellectum iuue[...]
illo pulcherrimo depicto ad intelligendu[...]
Angelum, in quātum ex pulchritudine ei[...]
& alijs per discursum format proprium c[...]
ceptum Angeli seclusis adhuc imperfecti[...]
nibus eiusdem simulachri.

Vn-

Vnde ad arg eiusdē sententiæ distinguendum est antecedens, quod solum ea possit intellectus noster pro hoc statu intelligere, quæ percipiuntur per sensus: nam per se, & directè, verum est, indirectè verò, & per discursum potest etiam proprium conceptum rerū spiritualium formare modis explicatis.

166 Ad 1. verò secundæ opinionis concedendum est, quod potentia sensitiua superior possit rationes alias in obiecto sensato ab interiori sensu percipere per species insensatas, quas sibi producit repræsentatas: sed hoc ideo potest, quia rationes istæ insensatæ sensibiles a se sunt, sibiq; proportionatæ: quāuis respectu inferioris sensus improportionatæ. Et quia potentia cognoscitiua formare potest speciem expressam obiecti sibi proportionati, ea media potest in se producere impressam, etiam insensatam, qua pro vsu futuro sibi reseruat in memoria. Vtraq; autem hæc ratio cessat in intellectu agente respectu substātiarum separatarum, quæ omninò sunt ei improportionatæ: cum per phantasmata non repræsentetur: imò, & intellectui possibili pro hoc statu improportionatę sūt: cum nihil per se immediatè possit percipere, nisi a sensibus perceptum, constat autem spirituales substantias nō esse per sensus perceptibiles: quare neq; agēs intellectus potest speciem producere per se immediatè eas repræsentantem. Deinde intellectus agens non est potentia cognoscitiua sicut sensus externus: sed naturalis atque inferioris ordinis, & ideo solum potest producere speciē impressam secundum determinationem phantasmatis: hoc est, eius tantum obiecti, quod per phantasma repræsentatur.

167 Ad 2. dicimus negari non posse, quod intellectio animæ separatæ respectu substantiarum spiritualium perfectior sit ea, per quam in corpore easdem percipit, & ex hac etiam parte status ille perfectior. An verò, & quomodo maior hæc perfectio compensetur per informationē corporis: ita vt omnibus pensatis absolute sit perfectior status animæ in corpore statu separationis: mox explicabitur a nobis in tractatu de anima separata.

QVAESTIO VI.

Quonam modo anima pro hoc statu se ipsam cognoscat.

168 PRæsupponit titulus quæstionis tanquam certum, quod anima pro statu præsenti se ipsam aliquo modo cognoscat: quod satis est cuiq; per se manifestum: & in sacris literis plura de anima ipsa habentur, atq; etiam hæc pars philosophiæ, quam elucidamus, eam habet pro parte principaliorē sui subiecti, ac de potentijs, seu proprietatibus eius copiosè differit. Modum verò, quo se cognoscat, in dubium reuocat.

169 Prima opinio asserit animam se cognoscere per propriam substantiam, quæ ei loco speciei intelligibilis deseruit: sicut de Angelo docet D.Th. 1.p.q.56.art.1.& cū eo ferè omnes Scholastici, & ideo absq; vlla specie vel re materiali cognita. Ita Henr. quodl. 4.q.7. Greg. in 1.d.3.q.2. quam vt probabilē defendit noster Valen. 1.p.d.6.q.7. pun. 2. & videtur expressa a D.Aug. 9. lib. de Trin. c. 3. hisce verbis: *Mens ergo ipsa, sicut corporearum rerum notitias per sensus corporis colligit, sic corporearum rerum per semetipsam: ergo & semetipsam per se ipsam nouit, quoniam est incorporea.* Et ratione probatur, quia anima non est minus intimè præsens, & proportionata per se ipsam intellectui proprio, quam Angelus respectu proprij intellectus: ergo non indiget phantasmate, neque vlla cognitione rei materialis ad cognoscendum se ipsam, imò neq; vlla specie sui.

170 Probatur consequentia, quia phantasmate, aut cognitione rerum materialium indiget intellectus noster pro hoc statu ad cognoscendas substantias separatas, quia cum corpore prorsus careant, & ipse sit in corpore, improportionatæ censentur: & ideò non potest eas per se immediatè cognoscere, sed medijs corporeis rebus sensibus corporeis perceptis, sed licet anima sit spiritualis, est tamen forma corporis, & in corpore ipso, sicut intellectus: ergo erit anima per se ipsam omni ex parte proportionata intellectui proprio in corpore existenti, & cum sit ei intimè præsens, erit etiam per se ipsam

ipsam intelligibilis ab eo absq; phantasmate, vel cognitione alicuius rei materialis: & etiam absque vlla specie sui: cum per se ipsam exercere possit omnia officia speciei, longe melius, quam species ipsa, quæ ideo superflua censeretur. Quod ex eadem anima separata vrgeri potest se intelligente per se immediate, sine specie: ergo cum non sit minus sibi intimè præsens, quam est extra corpus, per se ipsam, & sine specie intelligitur.

171 Secunda opinio tenet intellectum pro hoc statu cognoscere animam propriam sicut cæteras substantias spirituales separatas per propriam speciem eius productam ab intellectu agente, non quidem ex aliquo phantasmate eam repræsentante, sed ita vt præsupposita determinatione sensuum operantium circa effectus sensibiles, & supposito discursu intellectus possibilis per quem ex actibus, & operationibus vitalibus cognoscat dari quasdam alias formas excellentioris ordinis supra formas rerum inanimatarum: producat idem intellectus agens suæ virtute speciem intelligibilem repræsentantem formam excellentioris ordinis supra formas rerum inanimatarum, & habentem operationes vitales, non solum corporeas, sed spirituales, qualis est anima rationalis.

172 Et fundamentum huius opinionis est, quod intellectus agens est virtus spiritualis superior, & quasi vniuersalis ad producendum speciem cuiuslibet rei quantumlibet excellentioris, excitatus a sensibus operantibus, circa sensibilia quæcumque, & ab intellectu possibili discurrente circa effectus sensibiles aliarum rerum inferiorum potest producere speciem intelligibilem propriam eius, & ideo speciem animæ, sicut aliarum rerum spiritualium, per quam cognoscit eam intellectus cognitione quidditatiua Ita sentiunt recentiores quidam interpretes Aristotelis superius citati pro modo intelligendi substantiam corpoream diuinam, & Angelicam per proprias species hac etiam ratione productas, quia nulla in hoc inuenitur repugnantia, nec ratio alicuius momenti eam probans, & cum ex alia parte pertineat ad dignitatem, & excellentiam intellectus agentis productio talis speciei, & ad excellentiam intellectus possibilis talis cognitio per eam, non sunt eis denegandæ.

173 Tertia opinio *duo negat, & vnum affirmat, primum quod negat est, animam cognoscere per se ipsam immediate, sicut angelus se cognoscit contra primam [illegible]. Secund. negat se cognoscere per propriam speciem a qua per se immediatè repræsentetur [illegible] tandem affirmat, quod per aliud se cognoscat videlicet cognoscendo proprium actum, vel etiam per species rerum materialium eo modo, quo cognoscimus substantias separatas.*

174 Ita D. Thomas quæstione 10. de Veritate, articulo 8. & 1. parte, quæstione 87 art. 1. & ibidem Caietan. & Bannez. Ferrar. 3. contra gentes capitulo 46. & cæteri Thomistæ. Ægidius quodlibet. 1. quæst. 3. & quodlib. 2. quæst. 13. & est etiam communis fere inter recentiores, nobisque videtur probabilior, & magis consentanea doctrinæ Aristotelis.

175 Probatur hoc vltimum contra primam opinionem ex cap. 4. huius libr. text 8. vbi loquens Aristoteles de intellectu constituto in actu primo ad intelligendum per species, asserit expressè, tunc posse non solum alia a se, sed etiam se ipsum intelligere: ergo sentit planè nec alia, nec se ipsum posse intelligere antequam species recipiat, sed esse in pura potentia respectu cuiuscumque intellectionis, tam aliorum obiectorum quam sui ipsius, ita vt nullam prorsus habeat, ex quo planè deducitur non se intelligere per se ipsum immediatè, & sine specie, vt asserit prima opinio. Verba Aristotelis hæc sunt. *Cum autem singula factus est, vt sciens dicitur, qui secundum actum: hoc autem accidit, cum potest operari per se ipsum, est quidem, & tunc potentia quodammodo, non tamen similiter, vt erat antequam addisceret, aut inueniret. Et ipse autem se ipsum tunc potest intelligere.*

176 Vt autem probemus tandem sententiam nostram aduersus vtramq; oppositam, vnum oportet adnotare; videlicet animam nostram duo habere, vnum quod sit forma physica informans corpus, etiam vt rationalis, sub qua consideratione euidens est pertinere ad statum, & ordinem physicum, materialem, atque sensibilem: alioqui non posset per se, & tanquam obiectum proprium pertinere ad hanc partem naturalis philosophiæ. Habet præterea aliud, nepe extra corpus esse, quod est habere modum essendi similem substantijs separatis, & cõsequenter modum operandi: Ita vt sicut illę operantur

per species infusas a Deo, sine vlla depédentia a sensibus: pari ratione anima separata. Et quemadmodum in his duobus statibus habet diuersum modum intelligendi actiuè, ita habet diuersum modum intelligibilitatis passiuæ, quia modus intelligibilitatis cuiuscumq; rei, sequitur modum essendi eius.

177 Vnde fit, quod extra corpus existens sicut habet modum intelligendi similem modo intelligendi Angelorum, ita habet modum intelligibilitatis passiuæ similem modo intelligibilitatis eorum: quare sicut Angeli sunt actu intelligibiles, & ideo cum sint sibi intimè præsentes, non indigent specie, per quam intelligantur a proprio intellectu, sed intelliguntur per se ipsos immediatè, sic anima in statu separationis est per se ipsam actu intelligibilis, sibique vt in tali statu existenti intimè præsens, & propterea non indiget specie, vt vniatur proprio intellectui modo intelligibili, sed per se ipsam ei vnitur, & per se ipsam intelligitur, & non per speciem.

178 Sed in statu informandi corpus exercet officiú formæ corporeæ, vegetatiuæ, sensitiuæ, & rationalis: quamuis entitas eius sit spiritualis, & sicut habet modum essendi formæ corporeæ, habet modum operandi eiusdem: ita vt in quãtum vegetatiua, & sensitiua habeat potentias organicas per quas exercet actus corporeos, atq; sensibiles: imò modum intelligendi quodammodo corporeum habet, quia licet intellectus adhuc in corpore non sit organica potentia, nec dependeat a corpore tanquam ab organo, dependet tamen a sensibus tanquam administrantibus sibi obiectum, sine quorum ministerio non potest naturaliter illud intelligere, & sicut habet modum essendi, & operandi, ac intelligendi, ita corporeum, pari ratione habet modum intelligibilitatis passiuæ corporeum, & sensibilem.

179 Sed res corporei ac sensibilis ordinis non possunt percipi ab intellectu pro statu corporis, nisi medijs sẽsibus, hoc est, nisi per sensus percipiantur, & phantasmata eorum possint concurrere cum intellectu agente ad producendam speciem in intellectu possibili, per quam intelligantur: ergo neq; anima prout informans corpus potest alio modo intelligi a proprio intellectu, sed constat nó esse per se sensibilem cum sit entitas immaterialis, sed solum per suos actus, aut effectus sensibiles: ergo nec est per se intelligibilis, sed per species eorum.

180 Ex quibus sic probatur nostra sententia, & refutantur aliæ: modus intelligibilatis cuiuslibet rei sequitur modum essendi eius, sed anima prout informãs corpus habet modum essendi corporeum, & ens corporeum ex se non est actu intelligibile, sed solum in potentia, fit autem actu intelligibile per speciem productam ab intellectu agẽte medio phantasmate proprio a quo repræsentatur, & nullo alio modo: ergo anima vt informãs corpus non est actu intelligibilis, sed solum in potentia: quare debet fieri actu intelligibilis per speciem. Vnde sequitur non posse per se immediatè ac sine specie intelligi contra primam opinionem.

181 Vlterius non habet proprium phantasma, a quo determinetur obiectiuè intellectus agens ad producendã speciem sui per se immediatè eam repræsentantẽ: ergo non potest intelligi per speciem propriam cõtra secundam opinionẽ. Restat igitur solum posse fieri actu intelligibilem, in quãtum per species proprias suorũ effectuum, vel per proprium actum intelligendi, quem habet in corpore, eam potest intellectus discurrendo percipere, vt asserit nostra sententia.

182 Testimonium D. Aug pro 1. opinione oppositum, difficilem habet expositione, & absq; dubio videtur inclinare in primã sententiã, quod anima se cognoscat per semetipsam, & nõ per speciem, nec per discursum ex notitia rerũ sensibilium, nec per propriũ actum, vt asserimus, sed adhuc si verba eius expendamus, non videbitur contra mentem eius expositio D. Th. q. illa 87. a. 1. ad 1. in eo consistens, quod D. Aug. comparat notitiã rerum spiritualium, quam consequitur anima per se ipsam notitiæ rerum corporearum, quam consequitur per sensus: nam ex cõparatione hac colligit se cognoscere animã per se ipsam, quia est incorporea, vt autẽ comparatio illa recta sit, non est necessarium, quod anima se cognoscat per se ipsam, hoc est, sine medio (in hoc. n. consistit tota difficultas verborum Aug.) sed licet se cognoscat per proprium actũ cuius principium est, benè potest ex notitia sui sic habita colligere notitiam aliarũ rerum spiritualium eo modo, quo colligit per sensus notitiam rerum corporearũ.

183 Cognoscere aũt se per seipsam nó necessario tollit mediũ suę cognitionis esse ac-

tum proprium, sed cũ eiusdem actus ipsa sit principium actuale, cognoscens se ipsam vt actu existentem per actualem existentiam sui actus, quia actuale principium eius est, ex consequenti dicitur se cognoscere per se ipsam, & hunc sensum tenuit D. August.

184 Ad ar g. eiusdem sententiæ distinguendum est primum antecedens, quod anima nõ minus sit proportionata intellectui proprio, quam essentia Angeli proprio etiam intellectui: nam secundum statum separationis a corpore, verum est, & propterea in eo statu se cognoscit per se ipsam, sicut Angelus. Falsum verò secundum statum informandi corpus, ex quo potius pertinet ad ordinem rerũ corporearum ac sensibilium, & propterea hoc modo considerata non est actu intelligibilis: sed potentia tantum, sicut cæteræ res corporeæ: quare nec per se intelligi potest, sed sicut res aliæ sensibiles per species, quas cum non possit habere proprias: cum nec habeat propria phantasmata, solum potest intelligi per species alienas.

185 Fundamentum verò secundæ opinionis, quod intellectus agens sit virtus vniuersalis ad producendum species omnium rerũ, planè falsum est, quia potius ex propria natura limitatur per phantasma obiectiuè determinans actionem eius: quare solum potest producere species earum rerum, quę per phantasmata repræsentantur, & ideo non speciem animæ.

QVAESTIO VII.

Quonam modo cognoscat intellectus se, & suos actus, habitus, atq; species, nec non voluntatem, & eius actus, & habitus.

PRæsupponitur tanquam certum, quod intellectus hæc omnia aliquo modo cognoscit. Quod his verbis certissimũ esse docuit D. August. 10. lib. de Trin. c. 10. *Viuere se, & meminisse, & intelligere, & velle, & cogitare, & scire, & iudicare quis dubitet?* Et post Aug. D. Th. 1. p. q. 87. ar. 3. & cum eo omnes. Quod quisq; apud se satis euidenter experitur, & propterea nulla indiget probatione.

Sed hoc supp[illegible]ito modum [illegible] imus, quo hæc ab intellectu pro h[illegible] stat[illegible] [illegible]oscantur.

186 Et prima opinio tenet, quod sicut anima se cognoscit per se ipsam, sine vlla specie, ita hæc omnia, quia intra ipsam sunt. Ita sentiunt omnes illi, quos in præcedenti quæstione citauimus pro prima opinione. Quorum fundamentum est etiam idem, nempe hæc omnia esse actu intelligibilia ex se, & intimè præsentia intellectui: quare nulla specie indigent, vt intelligantur. Et de intellectu ipso, speciebus, & intellectione putant manifestum: sed de voluntate, & actibus, & habitibus eius eodem modo tenendum esse docent, quia vt D. Tho. asserit 1. p. q. 87 art. 3 & 4.

187 Voluntas non est aliud, quam inclinatio intelligibilis per modum principij, & actus eius inclinatio intelligibilis actualis: sed inclinatio intelligibilis est in intelligente, & ideò vere vtraq; inclinatio intra intellectum esse dicitur. Quod probat in solutione ad primum, quia licet intellectus, & voluntas sint diuersæ potentiæ, & ex hac parte quælibet videatur esse extra aliam, & quę in vna sunt, respectu alterius videantur extranea, cęterumquia in eadem anima tanquam in subiecto radicantur, & actus vtriusq; habet necessariam dependentiam ab alia, & ab actu eius: propterea voluntas ipsa, & quæcunq; in ea sunt, dicuntur quodam modo esse in intellectu, & ideò intimè ei præsentia: vnde per se intelligi ab eo possunt.

188 Secunda opinio negat sine specie intelligi, concedit tamen proprias species eorum produci ab intellectu agentis præsuppositis duobus, nempe exercitio sensuum circa quæcunque sensibilia, & discursu intellectus circa potentias sensitiuas, species earum, & actus, atque etiam circa appetitum sensitiuum, & actus eius: quo discursu colligit quasdam alias potentias, actus, & species altioris ordinis dari, & his duobus quasi excitari intellectum agentem docet, vt sua virtute vniuersali ad producendas species quarumlibet rerum, producat proprias earumcumq; horum, per quas intelligatur. Ita sentiunt recentiores illi quæst. præcedente citati, ac refutati.

189 Tertia opinio est aliorum recentiorũ, qui diuerso modo loquuntur de intellectu, & voluntate, ac speciebus, & habitibus, &

de

de actibus vtriusq; potentiæ nam de illis asserunt, neque per se ipsa, neq; per proprias species cognosci: sed per alienas rerum sensibilium. De actibus verò intellectus, & voluntatis affirmant per species proprias, quas ipsi per se, & immediatè imprimunt intellectui cognosci ab eo. Et hoc vltimum probant hoc discursu: vel actus isti cognoscuntur ab intellectu per alienas species rerum sensibilium, aut per species proprias productas ab intellectu agēte: vel tandem sine speciebus: sed nullo ex his modis possunt cognosci: ergo cognoscuntur per species proprias, quas ipsi immediate per se imprimunt intellectui, quia non superest alius modus quo possint cognosci.

190 Antecedens probatur, & primo quod non cognoscantur per alienas species rerum sensibilium, quia licet quidditas, & essentia horum actuum possit cognosci per discursum ex sensibilibus, sicut cognoscitur anima ipsa, existentia verò eorum in anima, hoc est, quando sint in ea, quando eliciantur ab ipsis potentijs, vel quod idem est actus ipsi in indiuiduo, non possunt ex sensibilibus cognosci, quia nulla datur res sensibilis, & sæpe nullus datur effectus sensibilis eorum, per quem cognoscere possimus, quando sint, vel non sint in intellectu, vel in voluntate: nam licet quando aliqua actio externa, vel motus corporis, aut alicuius partis eius resultat ex actu intellectus, vel voluntatis, vt ex intellectione loquutio externa, & ex actu voluntatis motus progressiuus, vel aliqua excitatio appetitus sensitiui, aut quid simile, possemus fortè dicere, quod per species eorum cognoscantur: sed cum sæpè contingat eosdem actus existere in eisdem potentijs ab eisq; elici, nullo motu, vel actu externo, aut excitatione appetitus causata, nulla restat via eos cognoscendi per alienas species rerum sensibilium: quare necessariò dicendum erit esse a nobis prorsus incognitos.

191 Vnde sequitur concedendum quoque esse, quod dentur sæpe in nobis actus voluntatis perfecti, ac plene deliberati nobis prorsus ignoti, imò naturaliter incognoscibiles. Et tandem sæpe hominem grauiter peccare, quin possit peccatum suum cognoscere, & consequenter, quin possit de illo cōteri: quod non solum videtur falsum, sed periculosum in fide. nam talia peccata videbūtur omninò irremissibilia: quia nisi cognoscantur, nō potuerunt deleri per contritionem, vel attritionem simul cum Sacramēto, aut vllo alio medio. Probant deinde, quod non cognoscātur per speciem productam ab intellectu agente, quia hæc non potest produci, nisi medio phantasmate eos repræsentante; constat verò nullum posse dari phantasma eorum, cū nō sint per se sensibiles ab vllo sensu, sed incorporei prorsus, atq; per se insensibiles.

192 Et tandē quod cognoscantur per speciē propriam, probant ex sensationibus: nā sensatio sensus externi simul cū obiecto per eam sensato producit speciem propriam in sensu interno, quamuis non sit ab eodem seu su externo cognita, quia obiectum eius est cognoscibile ab eodem sensu interno: ergo intellectio, & volitio, qui sunt actus proprij harum potentiarum: quamuis non sint cognitæ per sensus, producent speciem propriam in intellectu, a quo obiecta earum cognoscuntur, & per talem speciem cognoscentur ab eo.

193 Et quod non cognoscantur per se immediate sine specie, ostendunt ex eo, quod non solum percipimus hos actus, dum præsentes sunt, sed iam præteritos: nam per memoriam recordamur nos eos aliquando habuisse præsentes, sed iam præteriti non possunt per se immediatè percipi, quia quod nō est, non potest per se mouere potentiam ad sui perceptionem, ergo necesse est concedere, quod speciem produxerint, per quā præsentes percepti sint ab intellectu, & eam reliquerint in memoria asseruatam pro futuro actu recordationis, vel contra experientiam negare, quod eorum recordemur per actum memoriæ.

194 Vltima opinio, *tam de intellectu, & speciebus eius, quam de voluntate, & actibus, & habitibus vtriusque potentiæ negat vtrumq; & quod eos intelligat per se immediatè, sine specie, atque etiam quod eos intelligat per species proprias eorum, siue productas ab intellectu agente, siue ab eis immediatè: Et solum admittit, quod eas cognoscat per species alienas rerum sensibiliū.* Ita D. Thom. expresse 1. p. q 87. art. 3. in corpore, & ad primum. Ita etiam Caier. ibidem & Banez dub. vnico, in solutione confirmationis 1. argum. Ferrar. 1. contra gent. c. 53. & Tolet. 3 lib. de anima, q. 11. Conimb. c. 8. eiusdem lib. q. 5. ar. 2. & plures alij: videturq; nobis probabilior, & sequenda.

195 Sed circa hos authores adnotare oportet

Banez excipere ſpecies intelligibiles, quas aſſerit cognoſcere intellectum ſub ratione ſpecierum per ſeipſas, & non per alias ſpecies, vt D.Th.docet q.10.de Veritate, art.9.ad 10 ſed probat, quia ipſamet ſpecies, quæ per ſe ipſum repræſentat quidditatem rei, repræſentat ſe ipſam intellectui, quantum neceſſe eſt, vt poſſit cognoſci per actum reflexum: ergo non eſt ponenda alia ſpecies, per quam cognoſcatur. Nec tamen propter hoc intellectus cognoſcit aliquid ſine ordine ad quidditatem materiale, quia ipſamet ſpecies eſt quidditatis materialis ſpecies, vnde cenſetur quidditas materialis. Et præterea quia ſi ſpecies non cognoſceretur per ſe ipſam, deberet cognoſci per aliam ſpeciem, & hæc per aliam, & ita daretur proceſſus in infinitum, qui nullo modo admitti debet.

196 Conimb. verò excipiunt ſolos actus voluntatis in fine eiuſdē articuli inter quos, & actus intellectus hoc eſſe diſcrimen aſſerunt, quod actus intellectus cum ab eo eliciatur, non poſſunt directa cognitione ab eo percipi, ſed reflexa opus eſt, reflexam verò habere non poteſt, niſi per ſpeciem, quā cum non poſſit per ſe producere, nec poteſt per propriam ſpeciem cognoſci, ſed per alienam rerum ſenſibilium. Actus autem voluntatis cum ſint alterius potentiæ, & ſimul ſint per ſe intelligibiliter præſentes intellectui, vt aſſeruit D.Th.loco cit.in principio huius quæſtionis, poſſunt percipi ab eo directa cognitione, ac per ſe, & non per ſpecies alienas rerum materialium.

197 Nos vero iuxta vltimam ſententiam aſſerimus prædicta omnia nullo excepto per alienas ſpecies rerum materialium, & ad ſimilitudinem earum, & non per proprias, nec per ſe ipſa ſine ſpecie cognoſci ab intellectu pro hoc ſtatu. Hanc probo, primo hac ratione deſumpta ex D.Tho. 1.par. q.87.art.3.ad 1.

Quia obiectum adæquatum noſtri intellectus pro hoc ſtatu eſt ens, & verum, non in toto ſuo ambitu, ſed conſideratum in rebus materialibus, ac ſenſibilibus: ergo ſolum poteſt ſenſibilia percipere per ſe, ſpiritualia verò ſolum in quantum per hæc eadem ſenſibilia ei innoteſcere poſſunt, quod eſt ſolum per ſpecies, ac ſimilitudinem eorum ea percipere: ſed conſtat prædicta omnia ſecundum propriam entitatem ſpiritualia eſſe: ergo non poſſunt per ſe ipſa, vel per ſpecies proprias percipi ab intellectu (vt de cæteris ſpiritualibus oſtendimus) ſed ſolum per ſpecies rerum ſenſibilium, & ad ſimilitudinem eorum.

Probatur antecedens, quia anima pro hoc ſtatu eſt actualis forma corporis: ergo ſicut perficitur in ſuo eſſe communicando illud corpori, ita nata eſt perfici in ſuo modo operandi per miniſterium corporis: corpus verò non exhibet ei miniſterium ad intelligendum, niſi per ſenſus, ergo ſolum poteſt per ſe intelligere ſenſibilia, ſpiritualia verò (qualia ſunt prædicta omnia) non per ſe, & ideo nec per ſpecies proprias, ſed ſolum per ſpecies ſenſibilium, & ſimilitudinem eorum.

158 Quod probat etiam efficaciter experientia ipſa: nam experimur omnes intellectum, & voluntatem, habitus, ſpecies, & actus vtriuſque potentiæ ſecundum quidditates, & eſſentias difficile admodum a nobis cognoſci, & poſt longum diſcurſum, & ſtudioſam inquiſitionem, vt aſſeruit D.Thom. art.2.eiuſdem quæſtionis quod non eſſet verum, ſi per ſe immediatè, ac ſine ſpecie cognoſcerentur, aut per ſpecies proprias ab eis immediate productas, quin potius ſemper, & a principio eſſet intellectus in actuali cognitione eorum: cum nullum poſſet habere impedimentum, nec phantaſmatibus, vel operationibus ſenſuum indigeret ad ea cognoſcenda, quod eidem experientiæ contradicit.

199 Hanc ſententiam ſic probatam recipiunt omnes citati pro tertia opinione, atq; etiam plures ex citatis pro prima, & ſecunda.

Sed reſtat eandem noſtram ſententiā ſpecialius probare contra eos, qui vnum, vel alterum excipiunt, quod per ſe immediatè, ac ſine ſpecie cognoſci affirmāt. Et primo quia ſi ſpecies intelligibiles per ſe ipſas ſine alijs perciperentur ab intellectu, euidenter cognoſcerentur: ergo non poſſet dubitari de exiſtētia earum in intellectu, aduerſus prædictam experientiam. Probatur euidenter conſequentia, quia quod per ſe ipſum cognoſcit intellectus, per ſe ipſum intuetur, quod eſt euidenter illud cognoſcere: nam intuitio euidentem notitiam importat.

200 Conſequens autem falſum eſt: cū conſter plures dubitaſſe, & hucuſq; adhuc de ſpeciebus ſenſibilibus ſolum a poſteriori probatum

tum esse per extrinsecam experientiam: ergo apertè falsum est, quod actus isti spirituales per se cognoscantur ab intellectu. Nec D. Tho. oppositum sentit, vbi eum citat Banez, quin potius docere videtur nostram sententiam. Nam verba eius hæc sunt. *Intellectus cognoscit speciem intelligibilem, non per essentiam suam, neque per aliquam speciem, sed cognoscendo obiectum, cuius est species per quandam reflexionem.* Constat verò obiectum repræsentatum per speciem esse sensibile, ex cuius cognitione reflexa cognoscitur species: ergo sentit D. Thom. non cognosci speciem per se ipsam (vt affirmat Banez) sed per cognitionem rei sensibilis.

201 De actibus verò voluntatis aduersus Conimb. qui eos excipiunt a communi modo cognoscendi cętera spiritualia, atq; etiam de actibus intellectus aduersus primam, & secũdam opinionem, in primis probo, quod non possint cognosci immediatè per se ipsos, ac sine specie, quia actus isti secundum proprias entitates sunt spirituales: ergo improportionati respectu modi intelligendi, quem habet anima in corpore in quo nihil potest per se intelligere, nisi ministerio corporis, & sensuum eius, & ideo nihil nisi corporeum, vel per speciem corporis.

202 Quod vero nec per species productas ab intellectu agente ex superioribus constat, quia intellectus agẽs nullam potest speciem producere, nisi determinatus per concursum obiectiuum phantasmatis, sed actus isti non possunt per phantasma repræsentari: cum sint entitates spirituales: ergo nec potest intellectus agẽs producere species eorum, per quas cognoscantur.

203 Quod vero nec per species quas ipsi per se immediatè imprimant intellectui, sic probo; vel actus isti sunt actu intelligibiles, vel potentia tantum: Si dicatur primum: statim infero non indigere specie, sed per se ipsos intelligi: probatur consequentia, quia si sunt per se actu intelligibiles: cum sint etiã vt tales præsentes intellectui, sequitur per se etiam ab eo, ac sine specie intelligi: Si verò solum sunt intelligibiles in potentia, sequitur non posse per se immediatè imprimere speciem: sed per virtutem intellectus agentis, quod probatum est impossibile.

204 Probatur tandem de actibus voluntatis, quod nec per se immediatè, nec per proprias species, quas ipsi imprimant intellectui, possint ab eo intelligi, quia euidenti experientia constat omnibus, & singulis hominibus sæpe ignorare an habuerint deliberatum, sed liberum consensum circa obiecta aliqua, vnde plures traduntur regulæ a Theologis in tractatu de conscientia ad curandos scrupulos, & conscientias timoratas sedandas: ergo sæpe homines incerti sunt de existentia actuum liberorum in voluntate propria, quod euidens signum videtur esse, eos nec per se ipsos immediatè, nec per species proprias cognoscere, quia si ita eos cognoscerent, certa, & euidens foret eorum cognitio; quare dubij esse nõ possent de existentia eorum.

Huic argumentum posset responderi, posse quidem eosdem actus per seipsos, vel per speciem propriam causare euidentem notitiam sui in intellectu, sed eam non causare, quia requiritur aduertentia ipsius intellectus & quia sæpe homines non aduertunt, ideò non certò eos cognoscunt, sed dubitant de existentia eorum in voluntate.

205 Sed nec hæc solutio vera est, nec satisfacit argumento: quia si actus ipsi per se immediatè percipiũtur, vel per speciem, quam per se immediatè imprimunt, nihil potest esse, quod aduertentiam intellectus impediat, quia cum cognitio eorum, nec ex phantasmatibus, neque omnino a sensibus dependeat, sed eo ipso, quod voluntas tendit in obiectum, ipsamet eius tendentia, quæ est actus eius imprimat speciem sui in intellectu, nullum est aliud obiectum, a quo impediatur intellectus ipse, quin informatus specie eiusdem actus, ipsum percipiat, præsertim cum nulla prorsus reflexio sit necessaria ad eum percipiendum, nec discursus aliquis, sed cum sit actus alterius potentiæ ab intellectu, per actũ directum, ac simplicem, & absque mora temporis ab eo percipiatur.

206 Vt autem nostram sententiam explicemus, & argument opposita soluamus duo sunt adnotanda ex doctrina D. Th. 1 p. q. 57. art. 2. 3 & 4.

Primum est dupliciter esse præsentes intellectui voluntatem, habitum eius, & proprium actum; imò, & intellectum ipsum cũ suis speciebus, habitibus, & actibus: primo, secundum propriam rationem, qua cõcurrunt ad actum tanquã principia eius, vel qua sunt actus ab eisdem potentijs producti, quam præsentiam habent per se ipsos, & non per

ſpeciem propriam, vel alienam, quia per proprias entitates ſunt principia actus, vel actus ipſi ab eo eliciti, & non per ſpecies. Et hanc præſentiam explicuit D.Tho. art.4. eiuſdem quæſtionis dicens voluntatem eſſe in intellectu, vel ei præſens intelligibiliter, & actum eius tanquam principiatum in ſuo principio: cum intellectus ſit quodammodo principium actus voluntatis.

297 Alia eſt præſentia obiectiua, quam res habet reſpectu potentiæ, a qua cognoſcibile eſt, & in quantum actu ab ea cognoſcibilis, & hoc modo ſolum eſt præſens intellectui noſtro pro hoc ſtatu obiectum materiale repræſentatum per ſpeciem in eo receptam, ſpiritualia verò non ſunt ei ſecundum ſe præſentia, ſed ſolum per extrinſeca, hoc eſt, ratione materialium obiectorum, per quorum ſpecies, & ſimilitudinem cognoſcibilia ſunt: quare nec voluntas eſt per ſe præſens intellectui præſentia obiectiua, nec actus, vel habitus eius, neque ſpecies intelligibiles, nec actus eiuſdem intellectus: imò nec intellectus ipſe ſibi.

208 Et quia plures recentiores hanc diſtinctionem præſentiæ apud D.Tho. expreſſam non conſiderarunt, non ſolum contra mentem eius locuti ſunt de cognitione horum: ſed etiam contra expreſſa verba eiuſdem loci, ex quibus planè intelligitur D.Thom. ſentire, quod nihil horum per ſe immediatè, nec per ſpeciem propriam cognoſci poſſit ab intellectu: ſed ſolum per alienam ſpeciem, ac ſimilitudinem rerum materialium.

209 Secundò adnotare oportet hæc omnia cognoſci ab intellectu per cognitionem reflexam obiecti materialis directè cogniti ab eo hoc modo, aut diſcurſu, ſi intellectus cognoſcat hominem, ſtatim reflecti poteſt ſupra eundem hominem, vt a ſe cognitum, & cognoſcens eum vt a ſe cognitum, colligit ſe habere apud ſe notitiam, vel cognitionem eius, & cum cognoſcat notitiam propriam eſſe actum vitalem ab obiecto, & potentia tanquam ab vno completo principio eliciendum, colligit notitia proprij intellectus, & ſpecies eiuſdem obiecti cogniti.

210 Actus verò voluntatis ex aliquo ſigno externo, aut ex motu aliquo corporis, aut alicuius partis eius, vel ex cōmotione appetitus ſenſitiui ab eo cauſata, quod ſi nihil horum procedat ab eo ſolum poteſt per actum reflexum cognoſcere illud obiectum fuiſſe a ſe propoſitum voluntati, hoc v[illegible] modo, hoc eſt, intenſa, aut vehementi propoſitione vel remiſſa, ex quo per aliqua coniecturas colligere poterit modum, quo voluntas erga illud affecta fuerit, hoc eſt, an a[illegible] elicita ab eo, & ideo an per actum liberum ei conſenſerit, vel non: ſed certò cognoſcere talem actum liberum fuiſſe in voluntate, aut non fuiſſe non poterit.

211 Argum. primæ opinionis ſumitur ex verbis D.Th. aſſerentis actus intellectus, & voluntatis eſſe intra intellectum intelligibiliter. Cui reſpondeo tantum ſignificare (vt ibidem explicat D.Th.) eſſe intra intellectum, tanquam aliquid contentum intra ambitum vel latitudinem ſui obiecti: ex quo ſolum inferri poteſt, quod ſit verumq; intelligibile ſiue potentia, ſiue actu, quod ſufficiebat ad intentum illius articuli.

212 In quo ſolum in cōi quæſiuit D. Tho. an intellectus cognoſcat actus voluntatis nihil curando de modo quo cognoſcantur, de quo nec verbum loquitur in toto artic. quin potius ipſe ſe explicans dixit actus voluntatis eſſe intelligibiliter in intelligente ſicut in primo principio, & in proprio ſubiecto, q̄ conſtat habere ſiue ſint actu intelligibiles, ſiue ſolum potentia, & ſiue per ſe immediatè intelligātur, ſiue per ſpeciem propriam, ſiue per ſolas ſpecies alienas rerum materialium.

213 Fundamētum ſecundæ opinionis iam fuit a nobis ſuperius explicatum, & efficaciter ſatis refutatum. Nunc verò ſoluenda ſunt argumen. illorum, qui de vna, vel altera re ſpirituali tenent, quod per ſe immediatè, atque directè cognoſcatur. Et argumen. quibus probauit Bannez de ſola ſpecie intelligibili, quod per ſe ipſam cognoſcatur directè, ſic ſoluuntur. Primum quidem negando antecedens, quod ſpecies obiecti ſicut repræſentat ipſum intellectui, ſic etiam repræſentet ſeipſam: nam cum ipſa debeat cognoſci tanquam obiectum, & reflexa cognitione, debet eſſe obiectum per ſe proportionatum intellectui quod patet eſſe falſum, cum non percipiatur per ſenſus, & ſolum obiecta ſenſata proportionata ſint ei, vt probauimus. Quod verò aſſerit ſufficere, quod ſit ſpecies obiecti materialis, vt materialis ipſa dicatur, etiam eſt falſum: cum debeat cognoſci tanquam obiectum, quod & ſumpta vt q̄d, ſit ſpiritualis, & nullo modo ſenſibilis.

Ad

Ad secũdum negamus dari processum in infinitum ex eo, quod vna species debeat cognosci per aliam, quia non cognoscitur per aliam sibi propriam: sed per discursum ex similitudine rei materialis.

Ad primum argumentum eorum, qui excipiebant actum voluntatis concedendum est, quod infert, videlicet sæpè contingere, quod actus voluntatis deliberatus, vel consensus liber eius in obiectum aliquod fit in voluntate, & non certo cognoscatur ab intellectu, neque ab homine illum habente, atque etiam commisisse hominem mortale peccatum, & dubitare an illud commiserit, vel non; imò ignorare, quod illud commiserit Quod verò tale peccatum sit irremissibile, vel non possit homo veniam eius consequi negamus. Quin potius existimo necessarium esse, & ex sacris literis efficaciter probari.

124 Nam si homo cognoscit, vel sibi constant omnes actus peccati, etiam purè interni, quomodo potest esse verum illud Psalm. 18. *Delicta quis intelliget? ob occultis meis munda me, & ab alienis parce seruo tuo*, quibus regius Psaltes à Deo petit veniam delictorum sibi occultorum, censet igitur plura hominem peccata interna perpetrare, quæ vel certo non cognoscit, vel simpliciter ignorat se ea commisisse: quod quisque in se experitur; idque prouenit ex maxima difficultate cognoscendi pro hoc statu actus nostræ voluntatis, quia non possunt, nisi ex sensibilibus cognosci, & iste modus cognoscendi multis implicatur difficultatibus, ac propterea necesse est plures dari in voluntate, qui vel nõ cognoscuntur ab intellectu, vel non certa, & euidenti cognitione.

215 Et tandem falsum est, quod eiusmodi peccata purè interna, quorum existentia in volũtate nobis fuit ignota, irremissibilia sint: nam remittuntur per actum contritionis extra Sacramentum Pœnitẽtiæ: sed cum voto eius, vel per Sacramentum ipsum, in quo directè absoluitur homo à peccatis confessis, indirectè vero ab oblitis, aut ignoratis inculpabiliter.

Ad secundum concedendum est antecedens de sensatione sensus externi, quod producat speciem sui in sensu interno: sed neganda consequentia, quod actus intellectus, & voluntatis per se immediatè producant speciem sui in intellectu; & ratio discriminis (egregia satis) est; quia sensatio sensus externi est obiectum proportionatum respectu sensus interni, actus verò intellectus, & voluntatis non sunt proportionati in ratione obiecti respectu eiusdem intellectus pro hoc statu; quare non possunt imprimere speciem sui in intellectu, nec per eam cognosci; sed solum per species rerum materialium.

216 Cætera argument. eiusdem opinionis non procedunt contra nostram sententiam.

Solum restat explicandum quonam modo intelligantur actus internorum, atque externorum sensuum, atque etiam actus appetitus. Et de sensibus ipsis tam externis, quam internis constat per species organorum, in quibus resident, intelligi, de actibus verò externorum per actus internorum, vel phantasmata, à quibus repræsentantur. De eisdem verò actibus internorum dicimus cognosci per speciem obiectorum, quæ phantasmata ipsa repræsentant: cum ea repræsentent, vt sensata, & vt sic imprimant speciem eorum in intellectu possibili simul cum agente; immo eodem modo cognoscuntur phantasmata ipsa: cum imprimant speciem obiectorum, vt per ea repræsentatorum.

217 De actibus verò appetitus, dicimus intelligi per speciem obiecti, circa quod versantur; sensatum quidẽ per æstimatiuam præsupposita sensatione sensus externi, atque communis, quamuis non repræsentent rationem ab eis sensatam: sed à sola ipsa æstimatiua percipiente conuenientiam obiecti, speciemque expressam eius formante, per quam repræsentatur expressè eadem conuenientia, & consequenter actus ipse eam exprimens, qui simul cum obiecto sic sensato concurrere potest cum intellectu agente ad producendam speciem eiusdem obiecti, vt sic sensati, & eiusdem sensationis: Ita vt quasi per modum vnius ab ea repræsententur.

APPENDIX.

DVBIVM.

Quodnam sit obiectum adæquatum nostri intellectus pro hoc statu.

218 PRæsupponit dubium hoc dupliciter sumi posse intellectum nostrum: videlicet secũdum se, aut prout est in corpore: & si secundum se accipiatur, eadẽ est quę stio de illo, ac de intellectu Angelorũ; imò ac de intellectu diuino: nam idem est obiectum adæquatum omnium, licet in modo illud attingendi valdè differant. Si verò sumatur noster intelectus, prout est in corpore, diuerso modo loquendum est de illo quantum ad obiectum adæquatum.

Vt autem ei vtroque modo sumpto proprium obiectum assignemus, distinguendum est primo obiectum adæquatum in motiuũ, & terminatiuum; motiuum est, quod mouet intellectum ad sui perceptionem: terminatiuum, quod actũ eius terminat, etiam si eum non moueat: sed ad similitudinem eius, quod mouet, percipiatur. Secundò distinguendum est obiectum, tam motiuum, quam terminatiuum, in per se, & per accidens, siue (quod idem est) in directum, aut proportionatum, & in indirectum, atque improportionatum.

219 Obiectum per se intellectus dicitur illud, quod per propriam speciẽ ipsum per se immediatè repræsentantem, aut per se immediatè sine specie percipitur (vt omnes opiniones comprehendamus) obiectum verò per accidẽs siue indirectum, quod nec per se immediatè, nec per propriam speciem impressam, vel expressam ipsum repræsentantem percipitur: sed per similitudinem aliorum, vt spiritualia.

220 His suppositis dicendum est primo, *adæquatum obiectum vniuersalissimum intellectus nostri, siue secundum se accipiatur, siue pro statu corporis comprehendens quidquid aliquo modo perceptibile est ab eo, siue per se, vel per accidens, siue per speciem propriam, vel alienã, aut alio quocumq; modo esse ens vniuersalissimũ in toto suo ambitu, hoc est, prout comprehendit entitatem increatam, atq; creatam, naturalem, & supernaturalem, substantialem, & accidẽtalem positiuam, & negatiuam, realem tandem, & rationis.* Ad hoc nullum fermè di[...]tatem reperio: nam licet dissentiant communiter in modo, quo percipiuntur ab intellectu secundum se accepto particularia entia, omnes tamen sentiunt hæc omnia percipi posse vno vel alio modo, non solum ab intellectu nostro secũdum se: sed etiam pro statu corporis, vt ex præcedentib. quæstionibus manifestũ est; ergo obiectum adæquatũ vniuersalissimum prout comprehendit directum, ac per se, indirectum, & per accidens, est vniuersalissimum quoque ens comprehendens quodcumque aliquo modo cognoscibile.

221 Secundò dicendum est, obiectũ adæquatum per se pro statu corporis, hoc est, siue per se motiuum, vel per se terminatiuum esse ens per se sensibile, & nihil aliud, & cũ ens per se sensibile solum sit illud quod per se percipi potest ab aliquo sensu interno vel externo, & hoc solum comprehendat accidẽtia aliquo modo per se sensibilia, erit adę quatum eius obiectum per se accidẽs aliquo modo per se sensibile. Colligitur planè hoc ex præcedẽtibus quæstionibus agitatis circa modum, quo percipiuntur ab intellectu pro hoc statu particularia entia.

222 Nam in primis ostendimus Deum, & Angelos non per se ipsos, nec per species proprias percipi ab eo: sed nec animam ipsam, nec intellectum, & volũtatem eius, nec species, habitus, & actus vtriusque; imò nec substantiam corpoream; ergo nihil horum pertinet ad obiectum per se eius; imò nec accidentia: præter hæc autem omnia tantum supersunt accidentia aliquo modo per se sensibilia: ergo accidẽs per se sensibile, & nihil aliud, est obiectum per se adæquatum eius, tam motiuum, quam terminatiuum.

223 Nam licet substantiæ corporeæ, & rerum spiritualium formemus proprios cõceptus, hoc est, illis solis, & non alijs conuenientes, cum eisque conuertibiles, non tamẽ eas per se repræsentantes, sed illa tantũ prędicata eis propria ex similitudine rerum per se sensibilium per discursum collecta; quare non dicuntur obiecta per se, & directè terminatiua intellectus.

TRA-

TRACTATVS DE Actu intellectus possibilis.

QVAESTIO I.

Quidnam sit speculari phantasmata, & an sit necessarium in omni prorsus intellectione pro statu præsenti.

EXplicatis his, quæ pertinent ad obiectum intellectus possibilis, agendum est de actu eius. Circa quem primo quærimus, an pro statu præsente intelligere possit, sine speculatione phantasmatum, aut sine conuersione ad illa.

Vt autem necessitatem huius conuersionis, aut speculationis discutere possimus, explicare oportet, quidnam sit, vel quid per eã intelligatur. Duobus autem locis loquitur de ea Aristoteles; prior habetur text. 30. huius lib. vbi ita ait. *Nunquam sine phantasmate intelligit anima*, Posterior text. 39. vbi hæc expressa habet verba, *Qui non sentit aliquid nec addiscet, nec intelliget. Et cum speculetur, necesse est simul phantasma aliquod speculari.*

224 Quibus verbis manifestum in primis est, vt benè adnotauit Ferrar. q 15. huius libri, & Bañez 1. par. q. 84. art 7. dub. 3 ad 2. asserere Aristotelem, quod dum intelligit homo, necesse sit aliquod speculari phantasma; non tamen quod per eundem intellectũ illud speculetur aut cognoscat, sed per imaginationem seu phãtasiam, quia intellectus non potest aliquam oprationem habere circa phantasma, neque illa, vel obiecta in eis repræsentata immediatè per se cognoscere propter manifestam improportionem, vt superius probauimus contra Enricum: quare sensum eius esse affirmant, quod necesse sit intelligẽte intellectu simul versari phantasiam circa aliquod phantasma, & tunc dicetur ipse etiam intellectus circa phantasma versari, vel illud speculari, non per operationem propriam, sed phantasiæ, quæ per operationem, seu imperium eiusdem intellectus mouetur ad formandum phantasma.

225 Hęc tamen explicatio insufficiẽs est, quia antequam intellectus habeat speciẽ alicuius rei, & eam intelligat, operatur phantasia circa illam, vt medio phantasmate, quod est species expressa eius, producat intellectus agens in possibili speciem eiusdem rei, per quam intelligat, per talem ergo intellectionem primam rei non potest moueri ab intellectu, aut excitari phantasia ad operandum circa talem rem, nec ex imperio intellectus operari circa illam, simul cum intellectu: quare in tali intellectione non dicetur intellectus speculari phantasma, si speculari ea non sit aliud, quàm ex imperio intellectus simul moueri ad phantasiam sicut circa idem obiectum, quod intellectus intelligit. Et præterea experientia docet sæpe excitari intellectum à phantasia ad operandum circa obiectum cuius habet iam speciem, ergo euidẽs est non moueri ab eo ad operandum circa illud, sed ipsam sua operatione præuenire opera-

operationem intellectus: quare in ea non dicitur speculari phantasma; cum non moueatur phantasia ex eius imperio ad operãdum circa illud obiectum, circa quod intellectus ipse operatur: non enim potest per imperiũ eam mouere, nisi media cognitione eiusdem obiecti. Sensus igitur Aristotelicæ propositionis est.

226 Necessarium esse quòd operante intellectu circa aliquod obiectum simul operetur phantasia circa illud, vel alterum simile, vel aliquo modo ad illud pertinens, siue moueatur ab intellectu, siue à suo proprio obiecto, vel à quocunque alio: hoc enim non tetigit Aristoteles; sed solum docere voluit operationem phantasiæ necessario comitari operationem intellectus pro hoc statu, & per speculationem phantasmatis, vel conuersionem ad illud, nihil aliud significare voluisse. Et ita sentiunt omnes ferè recentiores interpretes.

Sed an eiusmodi speculatio phantasmatis, vel conuersio ad illud ita explicata semper, & in intellectione quacunque necessaria sit, vel in quibusdam tantum, non est apud omnes certum.

Sed prima opinio tenet intellectum pro hoc statu non habere in sua operatione necessariam connexionẽ cum operatione phãtasiæ, vel alterius sensus: sed sine illis intelligere posse, vel substantias separatas, vt affirmat Alber. Magn. 3. lib. de anima, tr. 2. c. 19. vel etiam quoties non vtitur speciebus medijs phantasmatibus ab intellectu agẽte acceptis, sed per suos proprios actus productis, vt asserit Venetus ad textum 39. huius lib. vel tandem dum versatur in altissima atque quieta contemplatione Dei, & Angelorum, vt Phil. 2. lib. de anima, ca. 14. & lib. 3. text. 30. Thienen. ad textum 39. atque etiam Toletus q. 21.

227 Probatur testimonijs Aristotelis, qui 3. lib. de anima text. 8. docet expressè, quod postquã intellectus noster acquisiuit species intelligibiles, non indiget alio motore ad intelligendum, sed potest cum voluerit per eas intelligere. Quod docuit etiam 8. libro Physic. text. 32.

Sed ratione probatur primo, quia nõ potest intellectus maiorem dependentiam habere ab operatione phantasiæ; quàm sensus internus ab operatione externi, quia isti sũt subordinati intra idem genus sensitiui, phãtasia verò etiam si subordinetur intellectui, non certè in eodem genere: sed in diuerso, vt patet.

228 Sed sensus internus receptis semel speciebus ab operatione externi potest eisdem vti nullo sensu externo operante, & ideo sine dependẽtia ab operatione eorum exercere propriam: ergo poterit etiam intellectus receptis speciebus per operationem phantasiæ, & intellectus agentis, eis intelligendo eadem obiecta vti, etiam non operãte iam phantasia, & proinde sine conuersione ad phantasmata.

229 Secundò quia intellectus ipse per intellectionem quam elicit media specie ab intellectu agente, & phantasmate recepta, producit aliam speciẽ impressam eiusdem obiecti in se, quam reseruat in memoria pro eodem obiecto iterum, & sæpe intelligẽdo, sed talis species non dependet ab iam intellectu agente: ergo neque à phantasmate, & consequenter neque vsus eius Minorem probo, quia non est producta ab eis, nisi tanquã à causa remota; constat verò effectum non dependere a causis remotis: ergo poterit intellectus vti illa specie intelligendo per eã, sine dependentia à phantasmate

230 Quod tandem probatur experientia; nam homines diuinorum contemplationi dediti experiuntur se diuina cõtemplari per intellectum, sine strepitu cuiuscunque sensationis, vel imaginationis, vt testatur D. Th. in opusc. de sept. itineribus æter. d. 4. art. 3. secutus Richard. de Sancto Victore in libr. de Beniamin c. 5. in 1. gradu contemplationis, & præsertim verũ hoc est, in raptu, in quo suspenduntur omnes, & anima totum suum conatum, ac virtutem soli intellectui, & voluntati applicat: ergo necesse est fateri, quod intellectus pro hoc statu aliquam possit habere operationem, sine actuali dependentia, vel speculatione phantasmatis, aut conuersionis ad illud, præsertim circa diuina, & spiritualia, quorum nullum datur phantasma speculandum.

Secunda assertio *affirmat necessariam omnino esse operationem phantasiæ circa obiectum, quod cognoscit intellectus, vel circa aliud simile, aut aliquomodo ad illud pertinens; ita vt sine illa nullam prorsus operationem naturaliter habere possit pro hoc statu, quantumlibet per eam spiritualia, ac diuina intelligat, aut contempletur.*

Hæc

231 Hæc est communis, & probabilior sententia, quam tenet D. Thom. lect. 13. huius lib. 1. par. q. 84. art. 7 & ibidem Caietan. dubio 5. & Bañez dub 3. 2. cont. gent c. 72 & 159. lib. 4. cap. 11. & ibidem Ferra. Scotus in 4. d. 45. q. 2. & in 1. d 3. q 3. Capreol. ibidem, d. 35. q. 5. Themistius lib. de memoria, & reminisc. ca. 7 & 8. & maior recentiorum pars. Sed eam efficaciter probare ex natura ipsarum potentiarum, aut (quod aiunt) a priori non solum difficilè est, sed fortè impossibile, eam verò à posteriori probat D. Thom. 1. par. q. 84 art. 7 hac ratione ab euidenti experientia deducta læsa phantasia humore aliquo vel etiam somno impedita, seu ligata læditur vsus rationis, & impeditur intellectus, non possit vllam operationem exercere, siue sit circa res corporeas, vel spirituales, ac diuinas, siue sit altissima earum contēplatio, vel quæuis alia; ergo dependet intellectus pro hoc statu in qualibet sua operatione ab operatione phantasiæ; quare sine illa nullam potest exercere operationem. Probatur consequentia, quia si non foret tam vniuersalis dependentia, posset læsa phantasia aliquam saltem operationem habere per species, quas habet reseruatas in memoria, sicut potest phātasia per tales species operari nullo sensu externo operante; & ideo efficaciter colligimus non habere tantam dependentiam ab operatione externorum sensuum.

232 Sed vnde procedat omnimoda hæc dependentia, non est facilè explicare. Scotus enim vbi supra putat non esse naturalem animæ informanti corpus, sed quasi in pœnam peccati originalis ei fuisse datum tam infimum, ac imperfectum modum intelligendi phantasmati alligatum. Quod hoc breui discursu probari videtur. Talis modus intelligendi non est naturalis animę ratione sui, nec ratione vnionis cum corpore: ergo ab extrinseco ei datum fuisse credendum est, & quidem in pœnam peccati, cum maximè pœnalis, & quasi ignominiæ plenus videatur.

233 Probatur antecedens, quia si foret animæ naturalis ratione sui, in quolibet statu ei conueniret, sed constat ei non conuenire in statu separationis à corpore; cum non habeat tunc apud se phantasmata ad quæ conuertatur: ergo non est ei naturalis ratione sui: sed nec ratione vnionis ad corpus, alioqui eum necessario haberet in quolibet statu vnionis ad corpus: sed constat in corpore glorificato nō necessariò intelligere cum dependentia ab operatione phantasiæ, sed sine illa posse: ergo talis modus intelligendi absque dubio est pœna animæ, potius quàm natura: Sed hic modus dicendi probabilitate caret, quia subordinatio potentiarum sensitiuarum respectu intellectus, & dependentia eiusdem intellectus ab operatione earum, naturalis est, sicut naturale est animæ esse formam corruptibilis corporis: quo medio sicut perficitur in suo esse ex eo, quod illud communicat corpori, ita perficitur medio corpore, ac sensibus eius in suo modo operandi, quem eidem corpori communicat, vnde cum peccatum nec modum essendi naturalem destruxerit, nec mutauerit, non potest esse verum, quod talis modus intelligendi per conuersionem ad phantasmata ex peccato originali prouenerit, tanquam pœna eius. Propterea D. Thom. 1. p. q. 94. art. 2. egregie docuit, quod primus homo in statu innocentiæ eundem modum naturalem intelligendi habuit per conuersionem ad phantasmata.

234 Quod considerans Scotus, vidensque insufficientem esse prædictam causam, aliam assignauit dicens, talem dependentiam in modo intelligendi prouenire ex naturali ordine potentiarum animæ pro hoc statu, quem ordinem confirmant experientiæ assignatæ. Et ita sentiunt cum Scoto quidam alij.

235 Quam causam veram esse arbitror, remotam tamen, & insufficientem, & quæ certo quodam modo principium petere videtur. Nam subordinationem naturalem inter potentias sensitiuas internas, & externas nouimus, sed tantam dependentiam, vt non possit interna vllam habere operationem, nisi actu operante externa, nemo posuit: cum euidenter constet phantasiam in somnis operari, quando euidens est etiam nullum operari sensum externum. Naturalis igitur subordinatio non est causa sufficiens, nec proxima, vt intellectus enim tanta depēdentia ab actuali operatione phantasiæ operetur. Et præterea rationem eiusdem dependentiæ quærimus, ob quam tanta sit, quare principium petere videtur, qui eam pro causa sufficiente assignat: proximior ergo ac sufficiens designari debet.

Quam

Quam ex D. Thom. loco proximè citato, atque etiam ex 3. p q 11, art. 2. colligendam esse arbitror, qu bus locis duos status distinguit animæ informantis corpus, naturalem quidem; & supernaturalem, naturalem vocat eum, quem habet anima à prima informatione corporis corruptibilis, quod respicit tanquam proprium, ac naturale receptiuum.

Supernaturalem verò, quem non habet ex propria natura, sed ex gratia, non qualibet, sed consummatæ beatitudinis, & hunc statum habebunt animæ beatorum in corporibus gloriosis, non in hac vita.

236 Hoc autem discriminis esse inter vtrumque statum, quod in naturali sic anima informat corpus, vt omnino ei sese accommodet, & quasi ei obligata, & quodammodo subiecta, ac dependens ab eo sit:

237 Nec enim habere potest operationes naturales sensium, nec motum exercere in co, nisi dependenter ab eius dispositione, non enim potest ipsum quando vult, & versus omnes differentias loci mouere, nec tanta velocitate, quanta vellet, nec etiam operationes sensium exercere, nec vigilare dum libet, sed impedimentis eius quasi premitur, atque compellitur ab operatione cessare, & hoc est ei subijci, & ab eo dependere in modo informandi, & operandi, & pari ratione dependet in modo intelligendi, ita vt non possit vllam operationem intellectus exercere, nisi operante phantasia circa idem obiectum, aut ei simile, vel ad ipsum aliquo modo pertinens, etiam si speciem eius apud se habeat, vt probauimus.

238 In statu verò supernaturalis beatitudinis ex gloria animæ prouenit informatio corporis cum pleno dominio eius, & in corpus ipsum redundat, vt plenè, atque perfectè subijciatur animæ in suis operationib. à quibus iam non necessario dependet anima sed potest operari in corpore, sine illa obligatione, & subiectione.

Ex quibus deducitur rationem dependentiæ intellectus in sua operatione à phātasia actu operante esse imperfectum modum informandi corpus corruptibile, cui sese accōmodat anima in modo operandi, & intelligendi, qui totam illam dependentiam ab operatione phantasiæ postulat. In statu verò beatitudinis informabit corpus sine tali subiectione, & accommodatione; immo cum pleno dominio.

239 Et propterea quamuis possit vti phantasmatibus in sua intel[illegible], liberum sibi erit, sine illis intellige[illegible], & [illegible] vlla prorsus dependentia ab [illegible] perabitur.

Et ex hoc patet solutio ad [illegible] pro modo dicendi Scoti: nam [illegible] dependentia à phantasmate conuenit animæ non ratione sui, nec ratione vnionis ad corpus, vt sic; sed ratione status, ac talis modi imperfecti informandi corpus, & ideo non est necessarium ei conuenire in quocunque statu.

240 Ad primum argumentum primæ opinionis neganda est maior, quod non possit intellectus maiorem habere dependentiam ab operatione phantasiæ, quàm sensus internus ab operatione exteriorum. Nam eadem experientia, quæ docet posse sensum internum operari per species iam receptas nullo sensu externo actu operante, docet ex opposito non posse intellectum operari, etiam per species iam receptas, sine actuali operatione phantasiæ, vt ostēdimus; eadem igitur experientia cognoscimus maiorem habere dependentiam.

Ad secundum concedimus intellectum sibi aliquando imprimere species, quas admittimus non dependere in esse, nec in fieri, & conseruari ab operatione phantasiæ, sed negamus quod non depēdeant quantum ad vsum; nam licet non sint immediatè productæ ab intellectu agente, & phantasmate, talis est modus operandi intellectus per illas, vt ab operatione phantasiæ dependeat, nō minus quàm dum operatur per eas, quas immediatè accipit: itaque dependentia non tam ex parte speciei desumitur, quā ex modo operandi intellectus pro hoc statu, siue per speciem proximè, vel remotè acceptā à phantasmatibus.

241 Ad vltimum de altissima contemplatione negamus, quod intellectus, dum in ea versatur, non dependeat ab operatione phātasiæ, sed ita se res habet tunc, vt quasi tota virtus finita animæ se diffundat per vnā potentiam, & nihil fermè ei relinquatur effundendum per alteram: vnde intensissimè operante intellectu, remississimè operatur phantasia, ita vt operatio eius nec impediat intellectum, neo sentiatur. Quod sic declaro. Operatio cuiuslibet potentiæ cognoscitiuæ requirit attentionem, quæ est quasi applicatio

tia eiusdem potentiæ ad percipiendum obiectum.

242 Et quo maior est attentio, eo est intensior operatio; virtus autem animæ attentionem præstantis finita est, & ideo quo plus attendit per vnã potentiam, minus potest attendere per alias, in altissima autem contéplatione totam ferè virtutem attẽdendi applicat anima per intellectum, & ideo nihil ferè virtutis relinquitur ad attẽdendum per phantasiam: remississima verò attentio remississimam producit operationem, & imperceptibilem, vt propterea viri illi doctissimi, & contemplationi dediti, dixerint nullam tunc dari operationem phantasiæ, quia imperceptibilis est. Quod verò obiectum cõtemplationis spirituale sit, nihil refert: cum non intelligatur per propriam speciem, sed per similitudinem rei sensibilis, cuius datur phantasma.

243 De raptu verò respondet benè Diu. Thom. 2.2.q.175. suspendi diuina virtute supernaturali actualẽ conuersionem ad phantasmata, sed hoc non tollere naturalem dependentiam, quàm apta est habere anima, & re vera habet ab operatione phantasiæ in omni sua intellectione naturali pro statu præsente.

QVAESTIO II.

An intelligere consistat in actione aliqua intellectus, vel in sola receptione speciei impressæ ab obiecto, aut in sola receptione actus intelligendi.

QVamuis de sola intellectione quæratur titulus quæstionis, de quocunque actu potentiæ cognoscitiuæ, vt de sensationibus externis, atque internis intelligitur quæstio, quia eadem est quantum ad hoc ratio de omnibus, idem est autem quærere an intelligere, vel sentire consistat in sola receptione speciei impressæ, aut actus intelligendi, ac si quæratur, an intellectus, & sensus sint potentiæ purè passiuæ, vel etiam actiuæ.

244 Prima igitur opinio tenet intellectum passiuè tantũ se habere in intellectione, quæ sententia duabus vijs defenditur aduersis: nam quidam id asserunt, quia putant intellectionem in sola receptione speciei intelligibilis consistere, quod sensisse videntur Gotfridus quodlib. 8. vt testatur Scot. in 1.d. 3.q.7. Ægid. q. 1. de cognitione Angelorum, Venetus 1. lib. de anima ad tex. 60. & in Sũma de anima lib. 2 tract. 4.c. 10. Niphus in libello de sensu agente contra Iand. Et pro eadem sententia citat Tolet. vtrumq; Caiet. lib. de anima c.5. & Capreol. in 4. dist. 14.q. 2. Ioannem de Ripa.

245 Sed authores isti distinguunt duplicem receptionẽ speciei, vel duplicem vnionem eius cum potentia: quasi materialem, quàm appellant mortuam, quæ quidem fit sine attentione, seu conatu potentiæ, qualis est receptio speciei in visu dormientis apertis oculis, aut in intellectu distracto circa alia obiecta, & in tali receptione, vel vnione aiunt non consistere sensationem, vel intellectionem, sed in ea quę fit cum potentia attendente, & quasi conatum adhibente, quã receptionem viuam, seu vitalem appellant, & hãc esse intellectionem, aut sensationem dicunt, quia eo ipso, quod potentia attendẽs speciẽ obiecti in se recipit secluso alio quocunque, vel nullo alio subsecuto intelligere censetur.

246 Alij verò passiuè tantum se habere intellectum ad intellectionem existimant; non quia in sola receptione speciei cõsistat, sed quia licèt sit actus aliquis, non tamen elicitus ab eodẽ intellectu possibili, sed à phantasmate, vel intellectu agente tanquam à causa eius effectiua, & receptus ab intellectu possibili, & ideo conueniunt cum authorib. citatis in eo, quòd intellectus possibilis purè passiuè se habeat ad intellectionem, & potẽtia purè passiua sit.

247 Ita Almayn. in 3.d 3.q.1. art. 2. Durand in 4.d 49.q.2 Ocham, in 1.q.2 & in 4. q.13. Gabr. in 1.d.1 q.2. Aliacens. ibidem. Et prior modus defendendi hanc sententiam videtur expressus ab Aristotele 3. lib. de anima, c.2. vbi vniuersaliter docet eũdem prorsus esse actum realem sensus, & obiecti circa ipsum, sicut idem actus mobilis sunt actio & passio, licet sint ratione diuersi, verba Arist. sunt. *Vnus quidẽ est actus sensibilis, & sensitiuis, esse autem alterum.*

248 Sed constat actum sensibilis in sensum esse impressionem speciei in eodem sen-

su

su receptæ: ergo idem est actu sensus, vel sensatio apud Aristot. & non alter consequens receptionem speciei, & ideo sensum esse potentiam purè passiuam, & consequenter intellectum: cum eadem sit ratio de vtroque quantum ad hoc. Et ratione probatur, quia tunc intellectus dicitur intelligere, quando factus est similis obiecto, eique intimè vnitus modo intentionali per intimam ac formalem similitudinem eius, sed totum hoc habet per solam receptionem vitalē speciei intelligibilis iam explicatam: ergo in sola eâ intellectio consistet.

Probatur minor, quia species intelligibilis est formalis similitudo obiecti, & intimè vnita intellectui per receptionem: ergo constituit eum formaliter similem eidem obiecto in esse intentionali repræsentans ei obiectum. Posterior modus defendendi eandem sententiam probatur, quia si intellectus recipiens in se intellectionem effectiuè eam eliceret, sequeretur coincidere materialem causam, & efficientem, hoc est, intellectum simul vtramque causalitatem exercere respectu eiusdem intellectionis, quod est impossibile.

249 Communis tamen, & vera sententia duo asserit. Primum *ad intellectionem, sensationem, & quamlibet cognitionem nostram præsuppositam esse speciem obiecti, & receptionem eius in potentia, per quam constituatur sufficiens principium operationis*. Postremum *in tali receptione speciei adhuc non consistere intellectionem, vel sensationem, sed omnino necessarium esse effectiuum concursum vitalem eiusdem potentia informata specie, siue per veram, & realem actionem, aut sine illa*. Ita Philop. 2. lib de anima textu 121. Alexan 1. libro de anima cap. 12. & cap. de intellectu practico, & speculatiuo. Commen. 1 libro de anima, comm. 149. Galen. 7. lib de placitis cap. 4. Gregor. Nyssen. libro de viribus animæ cap. 1. & 4. Nemes. lib. de natura hominis, cap. 4. D. Thom. 1. p. q. 27 art. 1. & ibidem Caietan. & Canatiensis, & Bannes, atque etiam Zumel 1 par. quæst. 37. art. 1. dub. 4. Capreol. in 4. d. 49. q. 4. Erra. 7. cont gent. ca. 53. & omnes recentiores nullo excepto.

Probatur primo ex tribus principijs Aristotelis per se manifestis, quæ habentur 2. libro de anima cap 2. Primum est duobus differre animata ab inanimatis. 1. per vitam quam eis tribuit anima tāquam vera forma. 2. per vitales operationes, quarū principium effectiuum intrinsecum est an[illegible] principiū est diuersos esse gradus vitæ, [illegible] diuersæ animæ tribuunt corpori, vt gradus vegetandi, & sentiendi, quemlibet autem gradum vitæ sequitur vitalis potentia, per quam vitalem quoq; operationem efficit anima, vt gradum vegetandi sequitur potentia nutritiua, per quam efficit nutritionem, & de cæteris. Vltimum principium est viuentia omnia se mouere, hoc est, principium effectiuum intrinsecum proprij motus, aut propriæ operationis vitalis iuxta proprium gradum vitæ habere intra se, vt vegetatiuam principium intrinsecum nutritionis, sensitiuam sensationis, & intellectiuam intellectionis.

251 Ex quibus sic est formandum argum. anima intellectiua tribuit homini gradum vitæ rationalis, & iuxta illum operationem vitalem intelligendi, sed viuens iuxta proprium gradum vitæ se mouet, hoc est principium habet effectiuum intrinsecum proprij motus, seu propriæ operationis vitalis: ergo intellectiuum, aut rationale habet in se principium effectiuum intrinsecum operationis vitalis intelligendi, sicut vegetatiuum habet principium effectiuum intrinsecum nutritionis, & hoc principium intelligendi est anima, & non materia, quæ nullius est actiuitatis: ergo anima rationalis in homine est principium effectiuum intelligendi per intellectum, quia est propria potentia vitalis consequens gradum vitæ rationalis; quare falsum est, quod sola passio, vel receptio speciei in intellectu sit intelligere: sed præter hanc requiritur planè aliqua efficientia, vel effectiuus concursus animæ, per intellectum.

Secundò probatur falsitas eiusdem sententiæ argum. ad hominem hoc modo, euidens est, & ab eadem sententia confessum, quod nō quælibet receptio speciei est intellectio, sed vitalis, hoc est cum attentione, aut conatu eiusdem intellectus, sed non est intelligibile, quod attentio, seu conatus potentiæ ad intelligendum non sit efficientia aliqua eiusdem intellectus, sicut non est intelligibile, quod intellectus conetur, vel attendat, quin efficiat, vel effectiuum concursum præstet, vt per se est manifestum: ergo manifestum quoque erit, quod non sola receptio speciei sit intellectio, sed vltra

tra illam requiratur efficientia eiusdem intellectus.

253 Testimonium Arist. egregiè explicatur à D. Thom. in Commentarijs eiusdem cuius sensum esse docet, eandem esse actionem sensibilis, & sensitiui circa potentiam identitate subiecti, circa quod fit, & in quo recipitur, quia idem est sensus, vel intellectus recipiens in se actionem obiecti sensibilis, vel intelligibilis, quæ est impressio speciei: atque etiam actionem propriam efficientet à se elicitam, quæ est sensatio, vel intellectio, sicut idem est subiectum, in quo recipiuntur actio, & passio, & in hoc tantum tenet similitudo actionis, & passionis, quia in hoc tantum sensú deseruiebat instituto eiusdem loci; In quo non intendebat Aristoteles similitudinem identitatis realis, quæ nihil referre poterat; quare nec probatur ex hoc testimonio eandem esse actionem realem impressionem speciei ab obiecto cum sensatione, vel intellectione, licet idem sint realiter actio, & passio, quæ reperiuntur in eadē mutatione, vel motu, sed solum, quod sunt idem identitate subiecti: cum qua euidens est stare posse non minus distinctionem realem, quam realem entitatē, vt consideranti patet.

254 Ad primum argumentum eiusdem modi distinguenda est maior, quod tunc dicitur intellectus intelligere, quando factus est similis obiecto: nam de similitudine expressa, atque perfecta, verum est, quam non habet per speciem impressam: sed imperfectam tantum, quia species impressa (vt superius vidimus) non est formalis similitudo obiecti, sed virtualis tantum: cum solum sit quasi semen eius, & (vt sic loquamur) similitudo efficiens, quia productiua cum potentia formalis, expressæ, atque perfectæ similitudinis eiusdem obiecti, quæ informans potentiam intellectio vocatur.

255 Ad argument. verò secundi modi respondeo primo, in pura materia, qualis est prima, non posse coincidere causam efficientem, & materialem, quia prima materia nullam potest actiuitatem habere, in materia verò non pura, quale est subiectū quodcumque recipiens accidentia, non repugnat concurrere; ita vt eadem sit efficiens causa accidentis per virtutem actiuam, quam habet, & materialis, in quantum recipit in se idem accidens. Et ita se res habet in quibuscumque operationibus vitalibus, atque immanentibus.

Secundo respondeo adhuc in eis non omnino coincidere hæc duo genera causarum: nam causa efficiens intellectionis, ac sensationis non est nuda potentia: sed informata specie. Materialis verò nuda ipsa potentia, quia ad recipiendum non indiget specie: sed immediatè per se eam recipit; potētia verò specie informata realiter distinguitur à se ipsa nuda, & ideo diuersæ sunt res, materia, & efficiens.

256 Ex dictis in quæstione hac colligitur intellectum, & quamlibet aliam potentiam cognoscitiuam comparari posse, vel cum obiecto motiuo eius, vel cum actu à se elicito, & si cum obiecto comparetur, est potentia passiua, si cum actu, est potentia actiua, atque etiam passiua diuersa ratione, quia & illum elicit tanquam effectiuum principium, & illum in se recipit tanquam passiuum, & propterea sub vtroque genere potentiarum videlicet actiuarum, & passiuarum collocatur diuersa ratione considerata.

QVAESTIO III.

An intellectio consistat formaliter in vera & reali actione intellectus, verum & realem terminum habente, vel saltem eam necessario præsupponat

SVpposito ex præcedenti quæstione, quod intellectio ita cōsistit in receptione speciei, vt præter illam requirat quid aliud efficientiæ eiusdem potentiæ, quærimus quidnā hoc sit, hoc est, an sit actio aliqua realis, & physica habens terminum, qui per eam producatur: quæstio autem non de sola intellectione: sed de quacumque alia cognitione sensitiua procedit.

257 Et prima opinio tenet intellectionem, vel sensationem præter receptionem speciei, quam præsupponit esse actionem realem immanentem, hoc est, in eodem intellectu, à quo elicitur manens, nullum tamen terminum per eam produci: sed per se

immediatè terminari ad obiectum, & ita quod in reali ipsa actione posita sit formalis ratio intellectionis. Ita Aureolus apud Capreol. in 1. d 2. pro qua etiam referunt nonnulli Scotum: sed immeritò, quia vt inferius patebit, oppositum omninò sentit.

Probatur testi nonio Arist 9. lib. Metaph. text. 16 & 1. Ethic. c. 1. quibus locis hoc discrimen ponit inter actiones immanentes, & transeuntes, quod per has aliquis terminus producitur, qui effectus sit agentis, vel calor per calcefactionem, per immanentes verò nihil præter ipsas, quod discrimen respiciens D. Thom. 1. lib. contra gentes, c. 90. definit actionem immanentem dicens eam esse, per quam nihil præter ipsam producitur: sed intellectio, & quæcunque cognitio est actio immanens, cum in eodem agente à quo elicitur, maneat, vt intellectio in intellectu, & sensatio in sensu; ergo ex mente Aristotelis, & D. Thom. nullum producit terminum: sed ad obiectum per se immediatè terminatur.

258 Probatur deinde ratione, quia in his actionibus solum posset desiderari terminus, vt per ipsum coniungeretur obiectum cum potentia, & ab vtroque tanquam ab vno principio eliceretur actio: sed pro tali coniunctione ponitur species intelligibilis; ergo non est necessaria alia species producta tanquam terminus. Probatur consequentia, quia terminare intellectionem non est agere cum potentia: sed sola denominatio extrinseca in obiecto, per quam dicitur actu intellectum: ergo non petit nouam aliam vnionem eiusdem obiecti cum potentia: sed extra intellectum existens potest eam terminare, sicut dici actu intellectum.

259 Secunda opinio distinguit actionem immanentem in intuitiuam, quæ versatur circa obiectum per se præsens, & proportionatum, quales sunt sensationes externæ; & in aliam, quæ versatur circa obiectum absens, vel improportionatum, quod solum fit præsens, & proportionatum per speciem intelligibilem, quales sunt multæ intellectiones: Et per illas negat produci terminum, vel speciem expressam, per has verò produci censet. Ita Caietan. 1. part q. 27. art. 1. Capreol. in d. 27. q. 2. Ferrar. 1. lib. contra gent. cap. 53. Canar. 1. par. q. 27. dispnt. 3. prope finem, & disp. 5. ad 3. & 1. par. q. 37. art. 1. dubio an beati videntes Deum form[illegible] ad 3 & videtur esse D. Thom. q. [illegible] 9 ad 2. vbi ait sensum ext[illegible] formare aliquam formam rei sensibilis, qu[illegible] operatio perficitur per solam immutationem ab obiecto externo. Et idem affe[illegible] 1 p. q. 88. art. 2 ad 3.

260 Probatur primo, quia vbi obiectum est per se immediatè præsens, & proportionatum, non indiget specie impressa, per quam vniatur potentiæ in ratione intelligibilis. sed per se immediatè ei vnitur, & sine specie: ergo etiam per se immediatè terminabit eandem intellectionem, quæ ideo nō indigebit termino, vel specie expressa à qua terminetur.

Probatur consequentia, quia sicut tale obiectum per se immediatè est præsens in ratione actus intelligibilis: ita etiam in ratione actus intellecti, qua ratione terminat intellectionem.

261 Secundo, quia si per quamlibet intellectionem produceretur species expressa, aut verbum mentis: ergo de ratione eius esset habere terminum productum: sed euidens est, quod in Deo sit intellectio perfectissima, ergo euidēs foret produci diuinum Verbum, quod tamen absurdum est, cum sola fide constet, & nulla possit naturali ratione probari.

262 Terria opinio quodammodo opposita ex his duabus, quia istæ ponunt in omnibus, vel pluribus cognitionibus actionem realem sine termino, & hæc ponit terminū sine actione: nam asserit verbum mentis in intellectione, & speciem expressam in sensatione esse qualitates, & formales, atque expressas similitudines obiectorum non productas per aliquam actionem: sed per se immediatè, hoc est, sine vlla actione emanare, seu fluere ac dependere à potentia informata specie intelligibili, quemadmodum de actione vera, & reali concedimus per se immediatè dependere ab agente, & non per aliam actionē, & sicut sic dependere essentiale est actioni: ita est essentiale verbo, vel speciei expressæ, & eiusmodi qualitatem informantē intellectum dicunt esse formaliter intellectionem, vnde non solum negant, quod intellectio sit formaliter vera, & realis actio intellectus, sed quod eā præsupponat, & solum esse actionem grammaticalē, quia per actionem denotantia significatur.

Et

263 Et hoc aiunt voluisse significare Aristotelem, dum dixit locis citatis pro prima sententia, actiones immanentes non habere terminum, quia non sunt veræ actiones: sed qualitates, quamuis per modum actionis significentur. Ita sentiunt recentiores nonnulli, qui pro hac sua sententia citant omnes illos authores, qui vniuersaliter docent actiones immanentes non esse veras actiones prædicamentales: sed qualitates, vt D. Thom. opusc. 48. c. 1. Caietan. 2. lib. de anima, c. 5. Ferrar. 2. lib. contra gent. c. 9. Soncin. 5. Metaph. q. 36. Iauel. 9. Metaphysic. q. 7. & ex Sanctis Patribus August. 9 lib. de Trinit. c. 7. Et pluribus alijs locis, vbi asserit cognitionem esse imaginem rei cognitæ, quam constat esse verbum, Damasc. 1. lib fidei, c. 18. & Anselm. in monolo. c. 32. qui eodem modo videntur loqui.

264 Sed ratione probant primo ex illo principio D. Thom 1. p. q. 105 art. 2. videlicet erroneum esse negare, Deum posse facere per se ipsum omnes determinatos effectus, qui fiunt per causam secundam quamcumque, ex quo inferunt, quod si verbum, vel species expressa sit ab intellectu per veram actionem, poterit Deus per se ipsum, sine concursu intellectus illud producere, & in lapide ponere, quod est falsum, quia operatio vitalis non potest fieri, nisi à principio intrinseco vitæ, si verò dicamus per se immediatè fluere ac depēdere, nihil tale sequi tur, vt consideranti patet.

Secundo, quia verbum mentis, aut species expressa ex propria natura, & essentia, & seclusa quocumque respectu accidentali ad superadditam actionem includit dependentiam à vita, seu principio vitali, sicut creatura à creatore: sed hæc dependet per se, & essentialiter, sine media actione; ergo & verbum, seu species expressa à principio vitali. Probatur consequentia. Primo quia actus vitalis per se, & non per aliud pendet à vita. Secundò quia ex propria ratione ita coniungitur cum principio vitali, vt prorsus sit ab eo inseparabilis, ergo habet se ad illud tanquam modus ad rem: sed modus dependet essentialiter à re, & ideo per se, & non per actionem; ergo verbum vel species expressa, qui est actus vitalis essentialiter dependet à principio vitali, qui est intellectus, & non media actione.

265 Et vrgeri potest argument, hoc modo; actio non requiritur, vt formalis cognitio, neque vt fieri cognitionis, neque vt dispositio ad cognitionem; ergo nullo modo, sed species expressa sine illa sufficit: & ideo sine illa procedit per se immediatè ab intellectu.

Probatur antecedens, quia potentia per cognitionem formaliter fit similis obiecto, vt Arist. sæpè docet: sed vera actio non potest constituere intellectum formaliter similem obiecto: ergo nec requiri tanquam formalis cognitio.

266 Minorem probo, quia per solam qualitatem inter accidentia fit aliquid propriè, & formaliter simile alteri: sed constat veram actionem non esse qualitatem, sed prædicamentum constituere valdè diuersum: ergo non potest efficere intellectum formaliter similem obiecto.

Quod verò non requiratur vera actio ad cognitionem tanquam fieri eius, probatur; quia actio debet ordinari ad verbum, vt fieri eius: sed cognitio fit per verbum; ergo actio nō potest esse fieri cognitionis. Et quod tandem non concurrat actio, vt dispositio ad cognitionem, clarius est, quia nunquam actio disponit ad terminum: sed in termino actionis fit cognitio: ergo actio non disponit ad cognitionem.

267 Vltima sententia *affirmat in qualibet cognitione, tam sensitiua, quàm intellectiua interuenire actionem veram, & realem, atque etiā terminum per eam productum, quod in intellectione vocatur verbum, & in sensatione species expressa.* Ita Scot. in 1. d. 2. q. vlt. d. 7. q. vnic. & d. 27. q. 2. Durand. ibid, d. 27. q. 7. num. 26. Gabr ead. d. Greg. in 2. d. 7. q 3. art. 1. Palud. ibid. q 3. Sotus in 4. d 49. q. 2. & 3. lib. Phys. q. 2. concl. 5. Bannez 1. p. q. 2. art. 2. concl. 5. & noster Molina 1. p. q. 27 art. 1. d. 8. & videtur mihi probabilior, & tenenda. Sed differunt opiniones istæ in explicando, in quonam intellectio, seu cognitio formaliter cō sistat: nam prima opinio in sua illa actione, vera quidem: sed non producēte terminum consistere docet, illamque formalem cognitionem esse, cum quia quantum ad intellectiones intuitiuas, videtur conuenire opinio secunda, cum nihil aliud ponat, in quo possit intellectio formaliter consistere, præter actionem veram, & realem non producentem terminum; sed Canariensis cum quibusdam alijs expositoribus D. Thom. asserit in

actione ipsa, vt producente verbum consiste re formaliter intellectionem. Caiet. verò, & plures alij quos inferius citabimus in solo termino, vel qualitate producta informante intellectum, & hoc idem sentit 3. & 4. opinio, vt statim ostendemus.

268 Nostra verò sententia duabus assertionibus explicatur. Prima assertio sit, in co gnitione quacunq; creata: siue sit intellectio hominis, vel Angeli, per quã seipsum intelligit, siue sit viatoris, aut beati clarè videntis Deum, atque etiam in quocunq; actu voluntatis, & appetitus, vel sensatio interior, aut exterior, datur vera, & realis actio de prædicamento actionis, atque etiam verbum, vel species expressa, aut alius terminus iuxta naturam eius pertinens ad prædicamentũ qualitatis, non quidem immediatè fluens, ac dependens ab intellectu, sed per realem actionem productus.

Probatur primo ex Sanctis Patrib. Aug. lib. illo 9. de Trinit. c. 7. vbi sic ait: *Conceptam rerum veracem notitiam, tãquam verbum apud nos habemus, & dicẽdo intus gignimus*: duo igitur in nostra intellectione ponit, nẽpè verbum, atq; internam generationem, & proinde veram actionem, quia generatio cuiusq; rei vera actio aut productio est. Et Anselm. in Monol. c 31. ex cogitatione asserit imaginem nasci, quod est verbum procedere per cogitationem, vt actio simul denotetur, & terminus.

270 Et tandem D. Thom. 1. p. q. 27. art. 1. ita loquitur. *Quicunque intelligit ex hoc ipso, quod intelligit, procedit aliquid intra ipsum, quod est conceptio rei intellecta ex vi intellectiua proueniens, & ex eius notitia procedens.* Duo planè distinguens. Videlicet conceptionẽ rei intellectę, quæ verbum est, vel species expressa, seu conceptus mentis, atq; etiã conceptionem, quæ vera est actio, per quam procedit.

271 Sed ratione probatur, & primo dari terminum, & non solam actionem, quia cognitio quæcunque, vt docet sæpe Arist. fit per assimilationem potentiæ cum obiecto: nam potentia ex se dissimilis est obiecto, fit autem ei similis per cognitionem; ergo cognitio est formalis similitudo eius, à qua potentia ipsa cognoscens fit ei similis, sed vera actio etiam immanens non est similitudo, quia sola qualitas facit propriè, & formaliter simile inter accidentia, non actio, quæ aliud prędicamentum diuersum constituit, ergo actio non est intellectio, sed nec species impressa, licet sit qualitas, q[illegible] non constituit potentiam actu [illegible] entem, sed solum cognitionis principium, [illegible] tur præter speciem impressam, & actio[illegible] ponere terminum, per quem po[illegible] ctu similis, actuq; cognoscens, & hic est verbum, vel species expressa. Secũdo. quia [illegible] (si vera est) duo habet intrinseca, nempè, quod sit dependentia alicuius ab agente, & fieri eius, quod per ipsam dependet, & propterea dicitur causalitas agẽtis; ergo impossibile est dari veram actionem etiam immanentem, quin detur aliquid per ipsam factum, vel productum, atq; dependens, quod vocamus terminum eius.

272 Et vrgeri potest argum. ex principijs Arist. docentis operationes vitales esse actiones immanentes 9. lib. Metaph. c 4. text 15 & esse veras actiones collocadas in prædicamento c. de actione in prędicamentis, quare necesse est habere aliquẽ terminum per eas productum: cum vera actio sit dependentia alicuius ab agente, & fieri eiusdem.

273 Quod verò in intellectione non detur species expressa, aut verbũ sine actione, probatur primo, quia non potest esse magis intima emanatio verbi aut speciei expressæ ab intellectu nostro, quam sit emanatio verbi aut speciei expressæ ab intellectu nostro, quam sit emanatio Verbi Diuini à Patre per intellectum: sed Verbum Diuinum procedit per emanationem ab eo distinctã, quæ est intellectio Patris, vel dictio, & non per se immediatè: ergo verbum nostrum non potest procedere ab intellectu nostro, nisi per emanationem, quæ sit vera productio, & consequenter vera actio, qua media, & non per se immediatè, aut essentialiter dependebit ab intellectu, quod adeo necessarium est, vt D. Thom. [illegible] par. q. 27. art. 1. & cęteri Scholastici suis locis, ex actionib. intellectus, & volũtatis nostrę explicauerint & probabiliter ostenderint dari in diuinis duas processiones veras, & reales intellectus & volũtatis, quæ sint productiones Verbi diuini, & Spiritus S. ergo ex cõi consensu eorũ est, quod in intellectione nostra vera, & realis actio interueniat, alioqui non esset vnde manu ducatur intellectus noster ad intelligẽdas diuinas processiones personarum, cum potius sit immediatè dependet verbum nostrum, & non per productionem, posset quis exi-

existimare ita etiam procedere Diuinum Verbum.

274 Secundò quia vel dependet per se immediatè verbum ab intellectu, sine actione media, quia est entitas modalis, vel quia est actus vitalis, vel quia est inseparabilis ab intellectu, ita vt sine dependentia, & concursu eius fieri omnino repugnet: sed nulla ex his causis potest habere fundamentum, ergo neque opinio ipsa, quæ tollit actionem. Probatur minor, quia verbum est species expressa, & ideo perfectissima qualitas; ergo non est modus, quia modus imperfectissima entitas esse debet. Et licet modus foret, non sequeretur per se immediatè dependere, quia præsentia est modus, & producitur per actionem mediam in motu locali inclusi. Nec esse actum vitalem tollit, quin per veram actionem producatur: cum constet actualē amorem esse actum vitalem voluntatis, & produci per actionem.

275 Et quod tandem non possit separari ab intellectu, nec produci sine concursu eius, non probat, quod sine productione media emanet ab eo, quia inseparabilitas non arguit immediatam, aut essentialem dependentiam in modo procedendi: cum constet modos plures inseparabiles esse, & tamen per actionem mediam dependere. Probatur tandem, quia euidens est intellectum nihil posse intelligere sine actuali attentione, sed actualis attentio, vel est actio intellectus, vel non est intelligibilis sine actione; ergo falsum est, quòd nulla interueniat in ea actio, sed sola qualitas, vel solus terminus sine actione.

276 Secunda assertio, *intellectio vel cognitio formaliter non consistit in vera, & reali actione, sed in qualitate, hoc est, in specie expressa, aut verbo actu informante intellectum.* Hanc inuenio expressam apud D. Thom 1. p. q. 34. art. 1. ad 3. hisce verbis. Intelligere importat solam beatitudinem intelligentis ad rem intellectam, in qua nulla ratio originis importatur, sed solum informatio quædam in intellectu nostro, prout intellectus noster fit in actu per formam rei intellectæ, quibus hoc discrimen ponit inter intelligere ex vna parte, & dicere ex altera, quod dicere importat originem alicuius, nempè verbi ab intelligente, hoc est, processionem eiusdem, verbi ab eo.

276 Et cum processio importet realem actionem, vel productionem, dictio importat eandem actionem, vel productionem, intelligere vero nullum ordinem originis, vel processionis dicit ad intelligentem, & ideo nullam prorsus actionem: sed solam informationem intellectus à verbo procedente, vel producto per dicere, per quam informationem manifestatur eidē intellectui informato obiectum expresse, atque perfectè repræsentatum per idem verbum, quod est cognosci ab eo; quare in eadem informatione consistit formalis ratio intellectionis apud D Thom. & non in vera actione.

278 Quod etiam docuit expressè Scotus in 1. dist. 27. q. 3. in solu. ad 3. argum. primæ quæstionis, hisce verbis: Actualis intellectio non est actio de genere actionis, sed est qualitas nata terminare talem actionem, quæ significatur per hoc, quod est dicere, vel in communi per hoc, quod est elicere, non igitur verbum est aliquid productum actione, quæ est intellectio, quia ipsa intellectio non est productiua alicuius, sed ipsa est producta actione, quę est de genere actionis Quod probo etiā ratione, quia tunc intellectus formaliter intelligit obiectum, quando fit ei expressè, atq; perfectè simile in esse intētionali, sed per informationē intellectus à verbo, vel specie expressa fit intellectus expressè, atq; perfectè similis obiecto in esse intētionali: ergo fit formaliter intelligens per talē verbi informationē; quare in tali informatione, & non in actione aliqua cōsistit ratio formalis intellectionis. Quod secūdo probo quia vera actio duo habet, & quod sit prior natura proprio termino per eam producto; & quod solum denominet subiectū, in quo recipitur passum, non simile, quia sola qualitas facit simile, & ex vtroque sequitur planè, non posse intellectionem formaliter consistere in actione reali interueniente in ea

279 Ex priori quidē, quia talis actio habet pro termino verbū, aut speciē expressam, ergo est prior illo, & consequēter prior assimilatione formali, & expressa intellectus cū obiecto, quā sola species expressa constituere potest; cū sit qualitas perfecta, & non actio, sed in formali, & expressa assimilatione cōsistit ratio formalis cognitionis: ergo repugnat, in actione cōsistere Quod etiā sequitur ex posteriori, quia si ab actione solum denominatur subiectum passum, nō potest denominari formaliter intelligens: cū intellectio

non in passione, sed imperfectissima assimilatione posita sit.

280 Iuxta mentem igitur Scoti, & Diu. Thom. quos sequuntur. Soncinus 9. lib. Metaphys. q. 20 & 21. Iauel. ibidem q. 7. Caiet. 1. par. q. 79 art 3. §. *Quo ad secundum*, & plures recentiores, dicimus in intellectione duas in teruenire actiones, sed vnam tantum veram, realem, & immanentem (quæ est productiua verbi) necessario præcedentem, & præsuppositam intellectioni, & ideo in qua non consistit formaliter intellectio: Alteram non veram, & realem actionem, sed veram, & realem qualitatem informantem intellectum, in qua consistit formaliter intellectio. Cæterum, quia per modum actionis, & verbo denotante actionem significatur, dum eam vocamus intellectionem, vel intelligere, actio grammaticalis vocatur, & terminus veræ actionis necessario prosuppositæ est, vt egregiè asseruit Scotus verbis nuper citatis.

281 Ad testimonia Aristotelis pro prima opinione adducta respondeo ex verbis eiusdem constare sensum: nam actionem transeuntem asserit esse eam, quæ habet effectum, vel terminum extra agentem, vel operantem; & ita transit ipsa cum tali effectu ad passum extra operantem existens, vt calefactio cum calore producto ab igne transit ad lignum, immanentem verò quæ nullum producit effectum, vel terminum extra operantem, & ideo, neq; ipsa ad passum extrinsecum transit, sed in eodem operante manet, vt visio in vidente. Ex hoc autem sensu non potest colligi, quod Arist. sentiat actionẽ immanentem nullum habere terminum, qui intra idemmet agens maneat cũ ipsa actione, sed solum, quod non habeat terminum extra illud productum.

282 Ad argumentũ verò respondeo actionem immanentem indigere termino, vt per ipsum tanquam per speciem expressam per fectè repræsentantem obiectum fiat potentia eidem obiecto perfectè similis in esse intentionali, sibique manifestetur obiectum, in qua similitudine, & manifestatione consistit formaliter cognitio, aut intellectio eiusdem obiecti Itaque necessarius est termi nus ad intelligendum, ita vt sine illo intellectus non cognoscat obiectum, quantumlibet informatus sit, specie intelligibili, nec sufficit obiectum ad terminandam actionem intellectus, quia si nõ producitur terminus, non cognoscetur à potentia idem obiectum, nec actionem eius terminabit, adhuc ratione extrinseca; nam in tantum hoc modo terminat, in quantum verbo dicitur, & per illud cognoscitur.

283 Ad primum argumentum secundæ opinionis concesso antecedenti, quod obiecta per se præsentia potentiæ, & per se ei proportionata non indigent specie intelligibili, neganda est consequentia, quod non indigeant specie expressa, quæ sit terminus actionis immanentis, aut quod possint eam per se immediatè terminare, quia cũ actio immanens prærequisita ad intellectionem, non sit intellectio, sed expressio verbi, per eam non intelligitur obiectum, nec proinde expressè repræsentatur intellectui, sed producitur species expressa per quam ei repræsentetur, in qua repræsentatione cõsistit formaliter intellectio.

Ad secundum respondeo, non esse omnino certum, quod in intellectione interueniat actio, per quam producatur terminus: quare nec ex nostra intellectione sumi potest euidens argumentum ad probandum, quod in diuinis procedat verbum. Præterea nec licet foret certum intellectum nostrum producere verbum, posset euidenter inferri, quod in diuinis producatur, quia cum essentiale sit Deo se, & omnia per se ipsum perfectissimè intelligere, & propter infinitam perfectionem diuini esse, ac diuini intellectus, nec indigere aliquo, vt sibi sint manifesta obiecta omnia; non potest colligi euidenter necessariam esse in eo processionem verbi.

284 Quod verò D. Thom. asseruit sensus externos non formare idolum, in quo repræsentetur obiectum, non intelligitur de specie expressa; nam hæc ad quamlibet cognitionem sensitiuam, sicut ad quamlibet intellectiuam omnino requiritur: sed de idolo alio, quod ex duabus speciebus expressis format imaginatio, vt ex speciebus montis, & auri formati idolum montis aurei. Quod non habent virtutem formandi externi sensus.

285 Primum argumentum secundæ opinionis excitat sequentem quæstionem, in qua soluendum erit.

Ad secundum argumentum negatur antecedens, quod species expressa ex propria natura,

natura, & essentia, & secluso quolibet respectu accidentali, ad superadditam actionem dependeat à principio vitali, sicut nec Verbum diuinum seclusa origine, aut processione, quæ sit vera, & realis productio potest emanare à Patre. Et ratio huius sumitur ex propria natura verbi, quod non est formabile, aut producibile, nisi per verã locutionem, aut prolationem; vnde multo minus in nobis poterit verbum sine locutione, aut prolatione media produci: quam constat esse veram, & realem actionem superadditam, atque accidentalem.

Quare negandum est, quod non minus per se immediatè dependeat actus vitalis à principio vitæ, quàm creatura à creatore, cuius discrimen non est minus manifestum, quia infinita virtus Dei, sicut potest ex nihilo creaturam producere, ita potest sine media actione accidentali, quia modum habet operandi longè perfectiorem, quem non attingit creatura, etiam in operatione vitali, quia sicut virtus operandi eius accidens est, ita non potest, nisi media actione, quæ sit accidens, operari.

286 Quod ex eo fit manifestum, nam immediatius emanant passiones à substantia, & intellectus ipse ab anima, quam actus vitalis ab eo, & nihilominus ipse, ac cæteræ passiones, non nisi media actione emanant concedentibus etiam patronis eiusdem sententiæ; potiori ergo iure censendum est emanare actum vitalem à principio vitali, qui est intellectus, & anima media actione vitali, quæ accidens sit, & per eam dependere, & non essentialiter.

287 Ad vltimum distinguenda est maior, quod actus vitalis dependeat essentialiter, & per se à principio vitali; nam si per essentialem dependentiam intelligatur ordo dependentiæ actualis ab intellectu, qui sit ei intrinsecus, & essentialis, verum est; si verò qui sit ei immediatus, hoc est, vt sine media actione eum habeat, falsum. Vnde male infertur, quod per se immediatè, & non media actione vitali dependeat, non enim sequitur accidentalem esse dependentia ex eo, quod sit media actione.

288 Non enim dependet verbum ab intellectu tanquam à principio vitali, & à dictione per quam producitur tanquam ab actione vitali, sicut cæteri effectus communi ratione dependent à suis causis, & termini actionum à suis actionibus per quas producuntur: quia dependentiæ istæ non essentiales, sed accidentales sunt: cum constet posse non dependere ab eis, si immediatè à Deo producantur, vt omnes possunt: & ideo relationes sunt eis accidentales pertinentes ad secundum genus prædicamenti ad aliquid, sed dependentia verbi tanquam actus vitalis à principio vitali, & actione vitali essentialis est, respectumq; includit essentialem ad idem principium eandemque actionem, nõ quidem pertinentem ad prædicamentum ad aliquid, alioqui accidentalis relatio foret, sed quem vocant secundum dici pertinentem ad idem prædicamẽtum qualitatis, vbi collocatur ipsum verbum, cuius essentiam complet, quemadmodum respectus ad obiectum expressè à se repræsentatum, est ei essentialis.

Quod verò additur verbum esse inseparabile à principio vitali, concedendum est: sed negandum, quod ex eo infertur, se habere tanquam modum eiusdem intelligentis, nõ est enim modus, nec modalis entitas, sed perfectissima qualitas, lõgeq; perfectior specie intelligibili: cum perfectiorẽ longè mondum repræsentandi habeat; constat verò speciem impressam non modum, sed rem completam esse; ergo multo minus modus vocari debet verbum.

289 Inseparabilitas verò ab intelligente non probat esse modum, quia licet sit de ratione modi inseparabilitas, non est tamen de ratione inseparabilitatis modus, quia etiam inter res potest dari inseparabilitas, nam Verbum Diuinum inseparabile est ab intellectu patris, & non est modus, sed res perfectissima.

290 Ad aliud tandem, quod dicitur actionem non requiri, vt formalem cognitionẽ, neque vt dispositionem ad illam, concedendum est, sed negandum, quod non requiratur tanquam fieri eiusdem cognitionis; nam cum cognitio consistat in eo, quod intellectui manifestetur obiectum, & hæc manifestatio nõ sit aliud, quàm informari à verbo, eo ipso, quod per dictionem producitur verbum: cum producitur in intellectu, eadem dictione producitur verbũ in intellectu, quod est produci verbum informans intellectum, & consequenter informationem ipsam eiusdem verbi, in qua consistit intellectio formaliter.

Sancti verò, quos pro se citat hæc sententia afferunt quidem intellectionem esse imaginem rei intellectæ (quod fatemur) non tamen negant, quod talis imago per veram actionem immanentem eidem intellectioni necessario præsuppositam (quæ vocatur dictio, aut prolatio verbi) producatur.

QVAESTIO IV.

An per potentiam absolutam possit intellectio produci à solo Deo sine vllo concursu affectiuo intellectus.

291 VT melius intelligatur quæstio, placet distinguere duplices operationes vitales: nam quædam sunt infimi ordinis omnibus viuentibus communes, vt generatio, nutritio, augmentatio, & motus localis progressiuus. Aliæ vero maioris perfectionis, quia cognitiones sunt, aut volitiones, seu appetitiones.

Et de prioribus certum est posse Deum terminos earũ producere, sine concursu potentiarum: nam potest alimẽtum sua virtute disponere, & conuertere in substantiã viuentis, per quam nutriatur, & augeatur viuens, sed si id fiat, non dicetur viuẽs, se nutrire, vel augere, sed Deus nutrire ipsum.

292 Vnde nec efficiet Deus operationes vitales sine concursu potentiarum vitalium, quia implicat cõtradictionem dari has operationes vitales, quin viuẽti conueniant sub ratione viuentis; implicat etiam conuenire viuenti sub ratione viuentis, quin per eas se moueat, quia viuens sub ratione viuẽtis mouet seipsum, & tandem implicat mouere seipsum, quin operatio, vel motus procedat ab eo tanquam à principio efficiẽte; nam quod solum recipit motum ab alio, non dicitur se ipsum mouere, sed moueri ab alio; hoc igitur discursu probatur non esse factibiles à Deo has operationes vitales, sine concursu potentiæ vitalis, quamuis termini earũ possint à Deo produci.

293 Quæstio igitur ad altiores operationes sensitiuæ, atque intellectiuæ partis reducitur, videlicet, an possit Deus sensationes, intellectiones, & appetitiones voluntatis & appetitus, sine concursu [illegible] rum facere. Habet autem [illegible] tatem apud eos, qui intellectionem [illegible] formaliter in actione vitali, cui [illegible] trinsecum, quod à principio vi[illegible] & ideo implicare contradictionem, quod fiat à solo principio extrinseco, nempe Deo. Sed difficilior longè est apud D. Thom. Scotum, & alios cum quibus tenemus intellectionem necessariò præsupponere veram, & realem actionem immanentem, per quam producatur qualitas in potentia, sed non consistere formaliter in eadem actione, sed in sola qualitate, aut specie expressa producta in potentia, & informante illam Nam si non consistit in tali actione, sed in sola qualitate informante potentiam, videtur posse fieri intellectionem à solo Deo per potentiam eius absolutam, per quam nulla apparet repugnantia, quin possit talem qualitatem, vel speciem expressam à se solo producere in intellectu, sine vllo concursu eius effectiuo, & talis qualitas informans potentiam erit vera, & formalis intellectio.

Sed prima opinio affirmat posse per absolutam potentiam intellectionem, vel sensationem fieri à solo Deo, sine concursu effectiuo intellectus, vel sensus: sed hæc diuersis modis, aut in diuerso sensu defenditur à diuersis.

295 Et in primis eam sequuntur, qui tenent operationem intellectus clarè videntium Deum fieri à solo, sine concursu effectiuo eiusdem intellectus, vt ita verum sit creaturã à solo Deo beari efficienter, & non à se. Ita Ocham, in 1. d. 1. q. 2. concl. 2. & in 2. q. 19. Gabr. in 1. d. 1. q. 2. art. 2. concl. 4. & eius supplem. in 4. d. 49. q. 2. art. 3. dubio 2. Paludan in 4. d. 49. q. 1. in confirm. 3. conclusion. & art. 3. in resp. ad 3. instantiam. Rich. in 4. dist. 49. art. 2. q. 10. 2. par. 1. dubio incidenti; quam sententiam probabilem reputant Maior in 3. dist. 14. q. 2. Et Petrus Aliacensis in 1. q. 2. art. 1. Vniuersaliter verò non implicare contradictionem, quod vera, & formalis intellectio, per quam intellectus intelligat à solo Deo, sine concursu intellectus fiat, tenent Scotus in 1. dist. 13. §. ad 3. quæstionem, Vega lib. 6. in Concil. Trident. cap. 8.

296 Alij deniq; fieri à solo Deo sentiunt qua-

qualitatem illam, in qua consistit formaliter intellectio, sed a solo Deo factam non habere rationem formalem intellectionis, aut cognitionis, sed solum esse qualitatem quandam materialem, & quasi mortuam, per quam nec intelliget homo, nec actu intelligens denominabitur. Ita Sotus in 4. d. 49. quæstione 2. articulo 4. Angelus in Moral. cap. 14. fol 49. Maior in 4. d. 12. quæstione 1. ad 5. argumentum, & d. 49. quæst. 9. in fine, Capreol. ibidem quæst. 4. art. 3. ad 4. ex dubijs quæ quarto loco adducta sunt. Et Ferrar. 3. contra gent. cap. 54. §. ad primum dicitur.

Probatur primo, quia euidens est, & ab omnibus receptum posse Deum supplere omne genus causæ efficientis. Et hoc negare erroneum vocat D. Thom. 1. p. quæst. 105. art. 2. his verbis. *Erroneum est dicere Deum non posse facere per se ipsum omnes determinatos effectus qui fiunt per quamcumque causam creatam.*

297 Sed intellectio est quædam qualitas producta in intellectu ab anima medio eodem intellectu, ergo poterit Deus eandem qualitatem producere, sine vllo concursu effectiuo eiusdem animæ, aut intellectus, & per eam sic productam intelliget, sine vllo concursu adhibito.

Secundò, quia ea quę distinguuntur ex natura rei, separari possunt inter se, ita vt detur vnum sine alio, sed valde probabile est talem qualitatem distingui ex natura rei ab actione reali, per quam producunt (quam vocamus dictionem, aut expressionem verbi) ergo valde probabile erit, quod possit sine tali actione produci, ab eaque hoc modo separari, quod est posse fieri a Deo sine dependentia ab intellectu: cum constet dictionem esse dependentiam eius ab eodem intellectu.

298 Secunda opinio quorundam recentiorum negat posse intellectionem, & alias omnes cognitiones, & volitiones produci a Deo in eisdem potentijs, sine concursu effectiuo earum; concedit tamen, quod extra subiectum possint produci, etiam secundum rationem formalem cognitionis, & appetitionis.

Probant primum, quia ex eo quod producantur a solo Deo in eisdem potentijs, sequitur aperta contradictio: nam si in eis producantur, cum ex propria natura, & effectu formali constituant subiectum intelligentem, & volentem, sequeretur per eas sic productas a Deo intellectum actu intelligere, & voluntatem amare, quia repugnat habere in se formalem intellectionem, & appetitionē, quin actus, & formaliter sint intelligētes, & appetentes: intelligere verò, & appetere potentia repugnat solum passiuè se habentem, quia actus isti conatum potentiæ necessariò requirunt, & ideo efficientiam aliquam. Ex eo vero, quod extra subiectum fiant a Deo, nulla talis contradictio sequitur: quare non est denegandum diuinæ omnipotentiæ, quod eos extra subiectum producere valeat.

299 Vltima sententia, *quam probabiliorem existimamus, negat talem qualitatem vllo modo posse produci a solo Deo per potentiam absolutam, hoc est, nec extra intellectum, nec in intellectu ipso, etiam sub ratione qualitatis: & ita non posse vllo modo produci intellectionem, seu sationem, aut appetitionem, sine actuali, atq; effectiuo concursu potentia vitalis.*

300 Hanc in primis existimo esse D. Tho. quia ex duobus testimonijs eius efficaciter colligitur: primum de intellectione: secundum de appetitione. Et habetur primum 1. p. q. 34 art. 1. hisce verbis. *Ipse autē conceptus cordis de ratione sua habet, quod ab alio procedat, scilicet a notitia concipientis.*

301 Ex quo argumento ita D. Thom. expressè tenet (vt superius vidimus) quod intellectio consistat in conceptu ipso cordis, hoc est, intellectus, quem informat, sed hunc conceptū asserit de ratione sua habere quod procedat a notitia concipientis, hoc est, ab actione eiusdem intellectus proferentis, ac producentis illud: ergo sentit implicare contradictionem, quod sine tali notitia, vel actione intellectus fiat.

Postremum testimonium de amore, vel dilectione habetur 2. 2. quæst. 23. art. 1. vbi docet actum charitatis non posse procedere a solo Spiritu sancto mouente voluntatem, ita vt voluntas passiue tantum, vt mota ab eo, se habeat, sed necessarium esse, vt procedat ab ea effectiuè simul concurrente, quia nisi hoc modo concurrat repugnat actum dilectionis eius esse voluntarium, quia voluntarium est, quod procedit a principio extrinseco cum cognitione, verba Diui Thomæ hæc sunt. *Hoc enim est contra rationem voluntarij cuius oportet principium in ipso esse, sicut supra dictum est, vnde sequ-*

quæretur, quod diligere non esset voluntarium, quod implicat contradictionem, cum amor de sui ratione importet, quod sit actus voluntarius.

302 Sed probari solet ratione primo, quia intrinsecum est intellectioni, & appetitioni, vt per eas tendant intellectus, & appetitus in obiectum, sed non tendit potentia in obiectum, sine aliquo concursu effectiuo: ergo repugnat intellectionem, & appetitionem fieri a solo Deo sine concursu effectiuo potentiarum.

Præterea de cognitione euidens est non posse vllo modo haberi sine attentione intellectus, sicut neminem videre etiam si habeat obiectum præsens, & oculum specie eius informatum, nisi attentionem præstiterit, sed constat attentionem esse conatum potentiæ & potentiam non conari, nec attendere, sine aliqua actione: ergo nec intellectio, aut visio, sine concursu actiuo potentiæ possunt vllo modo haberi, nec ideo a solo Deo fieri.

303 Sed vtraque hæc ratio inefficax est: prior quidem, de tendentia in obiectum, quia vel tendentia importat actionem realem potentiæ, per quam versatur circa obiectum, vel simplicem respectum potentiæ informatæ specie expressa obiecti ad ipsum.

Et si primum importare dicatur, infirma planè ostenditur ratio: cum valde probabilis sit sententia D.Thom. & Scoti, quam secuti sumus, videlicet intellectionem non consistere formaliter in actione: quare nec importabit talem tendentiam in obiectum hoc modo sumptam, & ideò ex tali tendentia non probatur, quod repugnet a solo Deo fieri, sine vlla actione: & proinde sine vllo concursu effectiuo potentiæ: & multo melius fieri poterit ab eo, si solum importet simplicem respectum potentiæ informatæ specie expressa obiecti: nam producta specie a solo Deo, dicetur per illam potentia tendere in obiectum, & ex consequenti intelligere, sine vllo concursu obiecti.

Posterior etiam ratio de attentione, non est minus infirma: nam si attentio dicat concursum actualem potentiæ, & ideo veram, & realem actionem, non potest includi in ratione formali intellectionis iuxta eandem sententiam, quam sequimur negantem omnino, quod vera actio realis pertineat ad rationem formalem intellectionis: quare intellectio formalis in sola informatione speciei expressæ consistens poterit a Deo fieri sine attentione potentiæ, & proinde sine concursu eius, quamuis eadem attentio concursum actiuum potentiæ importans in se actualem actionem, quæ est expressio verbi, sine qua nó repugnat formalem intellectionem fieri a solo Deo producente speciem expressam in potentia sine concursu effectiuo eius.

304 Si verò dicatur attentionem potentiæ non importare concursum actuum eius, ac realem actionem, sed solum actionem Grãmaticalem, hoc est, informationem speciei expressæ significatam per modum actionis, non probatur vlla repugnantia, quin possit a solo Deo fieri, sine concursu effectiuo potentiæ: cum non probetur repugnare, quin possit se solo producere speciem in potentia quæ eo ipso, quo per eam informatur, dicetur attendere absq; vllo concursu effectiuo. Quia per talem informationem actu ordinatur in obiectum, ad quod potius dicit ordinẽ attentio, quam ad principium effectiuum, vt docuit expressè D.Th.

Secundo probant ratione ducente ad impossibile hoc modo, si Deus possit producere qualitatem prædictam, sine concursu effectiuo intellectus, separatus ab anima intelligere posset, & effici beatus clarè videndo Deú, quod est absurdum.

305 Probatur consequentia, quia subiectú proximum, quod qualitas illa informat, & in cuius informatione consistit formaliter intellectio, est intellectus: sicut quantitas est subiectum proximum albedinis: sicut ergo quantitas separata formaliter est alba, & disgregat visum per albedinem in se inhærentem, ita intellectus separatus ab anima, in quo produceretur talis qualitas, in qua consistit formaliter intellectio, esset per illam formaliter intelligens, potens clarè videre Deum, & effici beatus.

Hæc tamen ratio in primis non probat apud Scot. & alios, qui cum teneant non distingui intellectum realiter ab anima, non concedunt posse ab ea separari: sed nec tenet apud omnes asserentes intellectionem formaliter consistere in vera, & reali actione vitali, quę cum intrinsecum ordinem importet ad principium intrinsecum vitę, quod est anima, non potest elici ab intellectu, nisi radicato in eadem anima.

Alia

Alia igitur via quærenda est, qua possit efficacius, & a priori probari, non posse produci talem qualitatem a Deo, sine concursu effectiuo intellectus, & proinde neq intellectionem.

306 Et talis via vniuersalis erit iuxta omnes opiniones tenentes sine specie expressa nullo modo posse dari intellectionem: nam illa, quæ intellectionem ponit in sola actione intellectus, sine termino, nihil ferè probabilitatis habet, & ideo nemo eam hac tempestate sequitur.

Hæc autem via non est alia, quam natura ipsiusmet speciei expressæ, de qua præsuppono esse, & vocari conceptum mentis, quem concipit intellectus de re, quam intelligit. Ita a tota Schola conceptus vocatur, quia sicut ex congressu maris, & fœminæ concipitur intra vterum fœtus, qui per natiuitatem in lucem editur: ita ex congressu obiecti, aut speciei eius cum intellectu concipit intellectus ipse intra se fœtum, qui est verbum, aut speciem expressam actu, & expresse repræsentantem obiectum, vnde, & verbum diuinum appellant Ecclesiæ, & Sancti Patres prolem atque conceptum paterni intellectus, quod verbum internum conceptum quasi in lucem editur per verbum vocale.

307 Secundò præsuppono, quod verbum mentis non solum est conceptus intellectus: sed etiam expressa imago obiecti repræsentati per speciem intelligibilem, cum sit similitudo expressa ad repræsentandum producta, ac instituta, (hæc est enim definitio imaginis ab Schola recepta,) & est imago intentionalis: de intrinseca verò ratione imaginis est respectus originis ad principium, de qua expressa est, non enim dicit imago solam similitudinem: sed vt de eo, quod repræsentat, expressa sit, quod est illud respicere respectu intrinseco rei expressæ a principio de se.

Quod hoc exemplo explicuit D. Aug. in lib. 83. quæstionum quæst. 73. *duo, inquit, oua similia sunt: sed neutrũ est imago alterius, quia non est de illo expressum*. Et propter hunc respectum originis, aut processionis, a principio intrinsecum imagini docet communis sententia Scholasticorum cum D. Thoma 1. par. q. 35. art. 1. ex Patribus, & Scriptura, nomen imaginis in diuinis personale esse soli verbo diuino conueniens, & non alijs personis, sicut & nomen verbum, quia ipsum solum est expressum a Patre de se ipso.

308 Vnde sequitur verbum mentis ex intrinseca sua ratione esse imaginẽ internam conceptam ab intellectu de obiecto repræsentato in specie intelligibili.

Ex quibus sic desumo argumentum. Verbum ex sua ratione intrinseca est conceptus mentis: sed de ratione intrinseca conceptus est, vt per virtutem vitalem concipientis aliquo modo formetur: ita vt repugnet a solo Deo formari, aut fieri: ergo intrinsecum est verbo, quod per virtutem vitalem intellectus, & animæ formetur, ac producatur, & a solo Deo formari, vel produci in intellectu repugnat.

309 Intrinsecum est etiam imagini, quod sit expressa de principio, quod repræsentat: ergo verbum non erit imago obiecti repræsentati potentiæ per speciem, nisi formatum sit, atque expressum per virtutem eius; ex ratione igitur imaginis efficaciter probatur, non posse verbum a solo Deo produci sine concursu intellectus specie informati.

Ex his sequitur 1. falsam esse secundam opinionem eorum, qui nobiscum tenentes intellectionem non consistere in vera, & reali actione: sed in qualitate producta per actionem, & informante intellectum, asserunt non posse produci talem qualitatem a Deo in intellectu, sine concursu effectiuo eius, bene tamen extra intellectum: nam cum intrinsecum sit tali qualitati esse imaginem, & imaginem procedere a principio, quod repræsentat effectiuè, non minus repugnat produci extra intellectum, sine concursu effectiuo eius, quam extra intellectum, imò magis spectata conditione subiecti: nam intellectus est proprium subiectum eius, & quæcumq; res alia ineptissima, vt in ea recipiatur.

311 Tandem sequitur non minus falsam esse opinionem tertiam Soti, & aliorum, quos quæstione præcedenti citauimus, asserentium posse Deum eandem qualitatem, etiam in intellectu ipso efficere, non quidem sub ratione formali intellectionis: sed quasi materiali qualitatis: quare per illam non cõstituetur intellectus actu intelligens: sed affectus quadam qualitate.

Quod sic probo esse falsum, eo supposito, quod Authores isti concedunt: nempe intellectionem formaliter non consistere in aliqua actione vera, & reali intellectus: sed solum

lum in qualitate illa informante intellectum per modum actionis ſignificata, ex quo denter ſequitur non poſſe informare intellectum ſub ratione qualitatis, quin eum informet ſub ratione intellectionis: nam rationem intellectionis habet, in quantum eſt expreſſa imago obiecti conſtituens intellectum eidem obiecto ſimilem perfectè repræſentando ei obiectum: ſed repugnat informare intellectum, quin repræſentet ei obiectum, cum hæc repræſentatio ſit ei intrinſeca: ergo neceſſe eſt, quod eum conſtituat formaliter intelligentem, & ideo quod intellectio fiat a ſolo Deo, ſine concurſu effectiuo intellectus.

312 Et ſecundo quia impoſſibile eſt formam informantem ſubiectum tribuere ei proprium effectum formalem ſub ratione generica, & non ſub ratione ſpecifica, non eſt enim poſſibile, quod albedo informans ſubiectum tribuat ei eſſe coloratum, quin etiam tribuat eſſe album: ergo repugnat plane qualitatem illam informare intellectum ſecundum rationem qualitatis, & non ſecundum rationem intellectionis, vt aſſerunt authores iſti.

313 Ad primum argumentum diſtinguenda eſt maior, quod Deus poſſit ſupplere omnem efficientiam ſecundarum cauſarum ad producendos quoſcumque effectus: nam ſi efficientia talis ſit, a qua eſſentialiter dependeant effectus, vel actiones, quibus medijs producuntur, falſum eſt, ſi verò non ſit talis, verum, & quis efficientia potentiæ vitalis talis eſt, ad quam intrinſecum ordinem importat qualitas illa vitalis, in qua conſiſtunt cognitiones, & appetitiones, non poteſt ſine concurſu eiuſdem potentiæ vllo módo produci.

Verba autem citata D.Th. non de his, ſed de cæteris omnibus accipienda ſunt, cũ conſtet ex ſupra dictis non poſſe ex mente eius ſuppleri concurſum potentiatum vitalium reſpectu ſuorum actuum.

314 Circa ſecundum argumentum diſputari ſolet; an verbum mentis, ſeu imago expreſſa, quæ eſt intellectio formalis, diſtinguatur ex natura rei, vel ſola ratione ab actione vera, & reali intellectus, per quam ſit (& quam vocant dictionem) ſed ſuppoſito, quod vera ſit actio, & mutatio realis intentionalis intellectus, non continet nouam, aut diſtinctam difficultatem, præter cõmunem a nobis diſputatam de cæteris mutationibus motibus, actionibus, & paſſionibus 3 lib phyſicorum: quare ſicut de cæteris ibidem oſtendimus, quod ex natura rei diſtinguantur a ſuis terminis, non tanquam aliæ res; ſed tanquam modi reales eorum, eodem modo dicimus de dictione, ſeu expreſſione verbi diſtingui ex natura rei ab intellectione, hoc eſt, a qualitate illa, ſeu verbo mentali, vel conceptu, tanquam modum eius.

315 Quod verò ex hoc infertur poſſe ab eo ſeparari, vel qualitatem ipſam ab actione reali, per quam ſit, negandum eſt. quia licet efficaciter ſequatur ex reali ſeparatione diſtinctio realis, vel ex natura rei; ſed ex hac diſtinctione non bene infertur ſeparabilitas quia contingere poteſt ex modo particulari eſſendi, quod aliquid habet intrinſecum ordinem actualem vnionis cum altero, a quo proinde ſeparari nulla ratione poſſit, & talem habet verbum, cui intrinſecum eſt vnitum eſſe cum ſuo principio vitali: cum ſit actus vitalis: quare licet ab eo realiter diſtinguatur, nequit ab eodem ſeparari, cuius exẽplum habemus in Verbo diuino diſtincto realiter a Patre æterno, & inſeparabili ab eo: imò in quibuſcumq; relatiuis, quæ licet diſtinguantur realiter, vt talia, nequit vnum vt tale ſine alio eſſe.

QVAESTIO V.

An in parte intellectiua ſit propria memoria, & tanquam alia potentia diſtinguatur ab intellectu.

316 TRia continet diſcutienda titulus quæſtionis.

Primum, an in parte intellectiua ſit ponenda memoria.

Secundum, an talis memoria ſit propria, ſicut in parte ſenſitiua, vel impropria tantum.

Tertium, an ſit potentia diſtincta realiter & ſpecie ab intellectu, vel idemmet intellectus ſit memoria. Quare tribus dubijs abſoluenda eſt quæſtio.

DV-

DVBIVM I.

An in parte intellectiua sit memoria.

Circa primum præsupposita definitione memoriæ ab omnibus recepta, quod sit locus, vel thesaurus in quo conseruantur species.

317 Prima sententia fuit Auicennæ 6. naturalium p.5.cap.6.negantis omninò in parte intellectiua memoriam, quia putat non conseruare hominem species intelligibiles, per quas semel intellexit, & ideo nec habere facultatem intellectiuam memorandi.

Sed quoniam euidenti experientia constat sæpe hominem recordari eiusdem obiecti, vt iam a se intellecti, hunc actum tribuit cuidam intelligentiæ mentem nostram irradianti per infusionem cuiusdam intellectualis luminis.

Cuius sententiam refutauit D.Tho. 2.lib. contra gentes, c.74.& eiusdem meminit Scotus in 1. d 3 q.6. Fundamentum Auicennæ fuisse refertur, quia si species intelligibiles conseruantur in intellectu, vt propterea dicatur memoria, sequitur semper esse in actu intelligendi quia potentia informata specie sufficiens principium intellectionis est. Consequens verò contradicit experientiæ.

Secundò, si omnes species obiectorum conseruantur in intellectu, vt per eas reminisci valeat, non potest assignari sufficiens aliqua ratio ob quam vnius potius obiecti, quam alterius recordetur, & cum non possit omnium simul recordari, sequitur nec posse vti vlla specie earum; quare inutiles prorsus erunt.

318 Et si dixeris primo a voluntate libera applicari intellectum ad vsum huius speciei potius, quam alterius, non soluis argumentum, quia sæpe fit recordatio sine libertate, nec potest a voluntate applicari intellectus sine cognitione præcedente, quia voluntas non potest sine illa operari: ergo redit eadem difficultas de operatione intellectus necessariò præcedente applicationem voluntatis. Et si dixeris secundo reccurrendum esse ad sensum, vel imaginationem, a qua excitatur intellectus ad memoriam huius obiecti potius, quam alterius.

Eadem extat difficultas de imaginatione a quanã excitetur causa, vt circa hoc potius singulare, quam circa alterum operetur, vt ita possit per talem operationem excitare ipsa intellectum ad vsum talis speciei potius, quam alterius.

319 Nostra sententia *asserit non in sola parte sensitiua: sed etiam in parte intellectiua dari memoriam*, contra Auicennam, cuius sententia omninò est improbabilis, & propterea error debet in Philosophia vocari potius, quam opinio. Ita expressè Aristoteles 3 lib. de anima, c.4.textu 6.hisce verbis. *Renè vtique qui dicunt animam esse locum formarum, nisi quod non tota: sed intellectiua.* Ita etiam Sancti Patres, & Scholastici Doctores. Et probatur euidenti experientia, quia sæpè recordamur nos intellexisse rem in vniuersali, nec possumus per memoriam sensitiuam, quia sensus non cognoscunt vniuersalia: ergo per intellectum: quare necesse est ponere memoriam in parte intellectiua. Nam quod hos actus intellectus, per quos rerum vniuersalium recordamur, attribuit Auicenna irradiationi ab intelligẽtia factæ per lumen infusum nostro intellectui ab ea, apertè falsum est, vt suo loco probatur a Theologis.

320 Sed ratione probatur, quia species intelligibiles, per quas intelligimus res præsentes (quas non negat Auicenna) sunt ex propria natura incorruptibiles, vel quæ ratò corrumpuntur, cum sint accidentia spiritualia, & contrario careant: ergo negari non potest, quin illæ per quas semel obiecta intelligimus, permaneant in intellectu post intellectionem, in eoque reseruentur; quare necesse est fateri, quod in parte intellectiua sit virtus eas conseruandi, quæ est primum, quod memoria importat: sed intellectus informatus eisdem speciebus est sufficiẽs principium iterum eas intelligendi, & iterata intellectio eiusdem rei iam non præsentis est actus recordationis, ac memoriæ: ergo necesse est ponere memoriã in parte intellectiua.

321 Vbi adnoto non bene Toletum negasse incorruptibilitatem specierum, quia non sunt (inquit) connaturalia accidentia animæ: sed ab extrinseco agente ei expressa: nam quod imprimantur ab extrinseco agente, non tollit esse animæ connaturalia: quia cum sit forma corporis, nata est per sensus corporis (quibus naturaliter imprimuntur species a sensibilibus

bus extrinsecis) species recipere: vnde sicut naturale est sensus perfici ab externis sensibilibus, naturale est etiam animæ perfici ab eisdem medijs sensibus.

322 Ad primum argumentum pro Auicenna concessa maiori, & minori neganda est consequentia, quod anima semper sit in actu intelligendi: nam licet intellectus informatus specie sit sufficiens principium intellectionis, pro conditione tamen necessaria sine qua non potest pro statu præsenti intelligere, requirit operationem phantasiæ, vt superius ostendimus, quæ etiam non semper est in actu sentiendi: imò sæpe ob defectum phantasię non possumus, etiam si velimus recordari rerum pręteritarum, quia multis modis impediri potest, vel turbari: cum, & in subiecto sit corporeo mutationibus subdito, quibus in sua operatione impeditur, & a sensibus externis saltem in primis sensationibus obiectorum dependeat.

323 Secundum argu. longè difficilius est, quia cum certò cognoscamus aliquando nos excitari ab vna specie, & non ab alia, & ideo vna potius quam alia nos vti, & actum memoriæ circa vnum obiectum potius, quàm circa aliud exercere, & causam talis excitationis ignoremus, videtur nobis casu id contingere, sed reuerà causam subesse existimandum est, conandumq; eam explicare.

324 Et in primis certum est non posse intellectum vti simul omnibus speciebus, quas habet in memoria, nec omnia simul obiecta iam a se intellecta intelligere, cum nec possit limitata virtus eius omnibus simul attendere.

Quo supposito primo dicimus, quod dum ex deliberatione procedit recordatio huius, vel illius rei potius, quam alterius, quia eius volumus recordari, causa talis recordationis præ alijs est libera applicatio phantasiæ a voluntate ad operandum circa tale obiectum: sæpe enim dependet phantasia quantum ad applicationem a voluntate, quamuis aliquando præueniat voluntatem, & in operationem prorumpat non expectata libera applicatione eius, quod quisque in se experitur.

325 Tunc ergo alia causa excogitanda est talis excitationis, quæ aliquando est purè extrinseca: nempe Angelus bonus, vel etiam malus: habent enim Angeli naturalem potestatem supra res corporeas in ordine ad motum localem, & cum phantasia sit potentia corporea, & species eius corporea accidentia, potest eas commouere, & per vnam potius, quã per alteram excitare phantasiam ad operandum, sed quia nec semper ab his causis excitatur, alia restat perquirenda.

326 Quam absque dubio esse existimo talem dispositionem corporis, vel organi interni sensus, aut humoris prædominantis: nam pro diuersa corporis dispositione, & humore prædominante, determinatur phantasia, aut memoria sensitiua ad vsum vnius speciei præ alia, quia res sensibilis repræsentata per eam habet connexionem cum hac temperie, & humore, vel dispositione modo prædominante, magis quam cum alia, a quacumq; verò ex his causis excitetur phantasia, sufficiens ratio est, ob quam intellectus excitetur etiam ad vsum talis speciei intelligibilis in memoria reseruatæ, & ad recordationem talis obiecti, potius quam alterius, propter naturalem subordinationem, ac sympathiam harum potentiarum, quæ in eadem anima radicantur.

DVBIVM II.

An in parte intellectiua sit propriè memoria.

327 Prima opinio negat propriè dari memoriam in parte intellectiua, sed quadam tantum ratione impropria: propria verò in sola parte sensitiua. Ita videtur sentire D.Thom. 2. lib. contra gent. cap. 74 hisce verbis. *Memoria in parte sensitiua ponitur, quia est alicuius, prout cadit sub determinato tempore, non est enim, nisi præteriti, & cum non abstrahatur a singularibus conditionibus, non pertinet ad partem intellectiuam, quæ est vniuersalium. Sed per hoc non excluditur, quin intellectus possibilis sit conseruatiuus intelligibilium quæ abstrahuntur ab omnibus conditionibus.* Idem sentit Ferrar. eodem capite, & sensisse videtur prius Alb. Mag. in summa de homine tract. de memoria. Atque etiam Scot. in 4. d. 45. q. 3. §. de secundo.

Probatur testimonio Aristotelis in lib. de mem. & reminis. c. 1, circa finem, vbi sic ait.

Ma-

Manifestum est quod primum sensitiui horum cognitio est, memoria autem ea, qua est intelligibilium, non sine phantasmate est: quare intellecti ui secundum accidens vtique erit, per se autem primi sensitiui. Probatur etiam ratione insinuata a D. Th. Memoria versatur circa prçteritum. Sed præteritum dicit determinatam differētiam temporis, in qua res cognita habet esse: & res quæ haber esse in determinata differentia temporis, est singularis: quia vniuersale abstrahit ab hic, & nunc. ergo memoria propriè loquēdo de solis singularibus esse potest: sed solus sensus versatur circa singularia, quæ ab intellectu nō per se, sed quasi per accidens, vel indirecte cognoscuntur, ergo in solis sensibus potest esse memoria, non in parte intellectiua.

328 Pro solutione huius dubij adnotare oportet, in quonam consistat propria ratio memoriæ, vt hinc possimus intelligere, an conueniat parti intellectiuç, aut sensitiuæ tā tum. Duas conditiones memoriæ assignat Arist. loco cit. Prior est, quod sit de obiecto, vt iam sensato, in quo distinguitur ab alijs sensibus, præsertim externis, qui solum versantur circa obiectum præsens, etiamsi iam semel, & iterum fuerit sensatum, vel nunquam. Posterior conditio est, quod versetur circa obiectum, vt præteritum, nam versatur circa illud, vt iam sensatum: quod conditionem intrinsecam præteriti importat: & ideo Arist. asseruit eodem loco, solis animalibus conuenire memoriam, quæ aliquo modo percipiunt tempus. His duabus conditionibus necessarium est addere tertiam, quam tetigit idem Arist. lib. 3. de anima c. 4 & sæpe alibi, videlicet quod potentia illa cui cōuenit propriè ratio memoriæ, debet esse cō seruatiua specierum, & quasi thesaurus earum, non enim poterit operari circa iam sensata, nisi species eorum apud se retineat, atq; conseruet.

329 Et de conditione hac euidens est, non solum memoriæ sensitiuæ propriè conuenire, sed longè perfectius intellectiuæ, quæ cū sit spiritualis, & incorruptibilis sicut anima, cuius potentia est, atq; etiam spirituales sint species eius, ex vtraq; parte longe aptior est ad cōseruationem earum, quam sensitiua ex propria natura corporea, & corruptibilis, & cuius species corporeæ etiam sunt.

330 Nec solum ex parte huius cōditionis perfectius conuenit intellectui ratio memoriæ, quam sensitiuæ, sed etiam ex parte aliarum: nam memoria sensitiua non cognoscit proprium actum: quare nec potest cognoscere obiectum vt iam a se sensatum, sed solum vt sensatum ab externis sensibus, vel etiā ab interno inferiori, & hoc modo intellexit Aristo. conuenire memoriæ sensitiuæ, quod versetur circa obiectum, vt prius sensatum: intellectus verò proprium actum potest per reflexionem cognoscere modo superius explicato, & ideo versari potest circa obiectū vt iam a se cognitum. Tertia etiam conditio cognoscendi tempus præteritum denotata ab Aristo. dum dicit memoriam versari circa rem, vt prius cognitam, certum est non formaliter, sed materialiter tantum conuenire posse memoriæ sensitiuæ, quia sensus etiā interni non possunt formalem rationem tēporis percipere, sicut nec rationem prioris, & posterioris, sed materialem tantum, videlicet motum iam transactum, quod tempus etiam transactum infert.

331 Quod certum est formaliter, vt tempus, atq; etiam vt præteritum cognoscere intellectum, & ideo ex parte etiam huius conditionis perfectior memoriæ ratio reperitur in intellectu, quam in parte sensitiua. Cæterum cum intellectus in omni sua operatione huius status dependeat a phantasia actu operante, & in actibus memoriæ, a sensitiua memoria, quodammodo dependenter a memoria sēsitiua reperitur in eo ratio memoriæ. Et propterea docuit Arist loco cit. primo reperiri in parte sensitiua memoriam, & intellectiua quodammodo per accidēs, hoc est, per aliud, nempe per sensum, aut sensitiuam memoriam, & dependenter ab illa in actibus memorandi, sicut in cæteris de obiecto præsenti, & futuro a phantasia.

332 Nostra igitur sententia est non in sola parte sensitiua reperiri propriè memoriam, sed omnibus pensatis proprius, atq; perfectius in parte intellectiua. Quam ex tribus conditionibus ad rationem memoriæ requisitis efficaciter probauimus, & ita sentiunt omnes recentiores. Testimonium verò Arist. expositum est iam, & D. Th. possumus in eodem fere sensu explicare, præsertim cū 3. p. q. 79. ar. 7. simpliciter, & absolute fateatur in parte intellectiua reperiri memoriam absq; vlla improprietatis significatione: vnde hàc esse vltimam eius sententiam censere possumus. Ratio vero alio loco ab eo facta in fauorem

uorem memoriæ ſenſitiuæ innititur opinioni eius de cognitione indirecta ſingularium ab intellectu, quam nos negamus.

DVBIVM III.

An memoria intellectiua ſit potentia diſtincta ab intellectu, vel eadem.

333 Reſtat vltimũ diſcutiendum, an memoria intellectiua ſit diſtincta potentia ab intellectu. Et prima opinio tenet eſſe diſtinctas potentias. Ita Ricar. 2. d 14. q. 2 circa 2. principale, cum alijs, quos ipſe citat. Probatur teſtimonio D. Aug. 10. lib. de Trin. c. 11. Vbi tria diſtinguit in mente, memoriã, intelligentiam, & voluntatem, & intelligentiam docet oriri ex memoria, nomine autem intelligentiæ potentiam intellectiuã ſignificat, ergo cenſet diſtingui realiter a memoria quia non poteſt idem a ſe ipſo emanare.

334 Probatur etiam ratione: primo, quia homo dicitur cõditus ad imaginem, & ſimilitudinem Sanctiſs. Triadis, quam ſimilitudinem in eo collocant, quod ſicut in vna eſſentia diuina ſunt tres perſonæ diſtinctæ, ita in anima tres potentiæ: ergo neceſſe eſt omnes has potentias diſtingui realiter, aut eſſentialiter, quia ſi duæ ex eis, videlicet intellectus, & memoria eadem potentia ſint, ceſſabit ſimilitudo. Secundo probatur ex communi ratione diſtinguendi potentias per actus, & obiecta: nam intellectus reſpicit obiectum ſecundum rationem abſolutæ entitatis, aut viritatis: memoria verò vt iam cognitum, ergo diuerſæ iſtæ rationes obiectiuæ diſtinguunt has potentias diſtinctione ſaltem ſpecifica.

Secunda opinio eſt D. Th. 1. p. q. 79. art. 7. aſſerentis eandem omninò potentiam, non ſolum realiter, ſed eſſentialiter eſſe intellectum, & memoriam.

335 Cuius ſententia communis eſt iam in Schola, & vera. Probatur primo, quia euidens eſt pro ſola conſeruatione ſpecierum non exigi potentiam diſtinctam ab ea, quæ per illas operatur, quia potentia naturalis reſpectu alicuius actus eliciendi tribuitur a natura, & non pro ſola receptione, cum conſtet euidenti experientia eandem potentiam operantem quaſi antecedenter recipere proprias ſpecies, per quas operatur: ergo pro ſola conſeruatione ſpecierum non poteſt poni memoria, ſed eo ipſo, quod ſpecies recipit, neceſſe eſt per eas operari, quia ad finem operandi ordinantur, & ideo ad finem operandi recipiuntur, ſed nec eſt poſſibile vnam potentiam recipere ſpecies, & aliam ab ea diſtinctam operari per illas, vt per ſe eſt manifeſtum: neceſſe eſt ergo memoriam recipientem, & retinentem ſpecies operari per illas, & eodem modo, ac intellectus: nempe apprehendẽdo, & iudicando, & reſpectu eiuſdem obiecti formalis: nempe entitatis, & veritatis: quia eſſe veritatem præteritam, non variat rationem formalem obiectiuam, niſi ratione accidentali, ſicut nec ratio præſentis, aut futuri: nam fuiſſe iam intellectum obiectum, non diſtinguit ipſum eſſentialiter in ratione obiecti, a ſe ipſo, vel ab alio primo intellecto, ergo omni ex parte intelligitur non poſſe diſtingui illam potentiam pro memoria intellectiua ab ipſo intellectu.

336 Secundo, quia euidens eſt intellectum poſſibilem recipere ſpecies, nam ideo poſſibilis appellatur, quia recipiendo ſpecies patitur ab obiecto, atque etiam recipiendo in ſe propriam operationem: repugnat etiam cognoſcere obiectum, niſi per ſpeciem in ſe receptam, ſed iſtæ ſpecies a ſe receptæ, per quas intelligit primò obiectum ſunt ſpirituales, & carent contrario: ergo non corrumpuntur, ſed conſeruantur: nec tranſeunt ad aliam potentiam, quia idem accidens nõ tranſit de vno ſubiecto ad aliud: ergo in eadem potentia intellectiua permanẽt, eadem eſt igitur, quæ recipit ſpecies, quæ operatur per illas, & quæ eas conſeruat, quod eſt eſſe ſimul intellectum, & memoriam: non ſunt ergo vllo modo memoria, & intellectus diſtinctæ potentiæ, ſed vna, & eadem.

337 Ad teſtimonium Auguſ. reſpondet D. Tho. loco cit. ad primum, quod per illa tria, nempe memoriam, intelligentiam, & voluntatem non intelligit tres potentias animæ ſed memoriam pro actuali conſeruatione, aut receptione ſpecierum, intelligentiam verò pro actu intelligendi, voluntatem pro actu voluntatis, qui eſt amor: vt ex alio loco eiuſdem D. Aug 14. lib. de Trinit. apertè colligitur.

Ad 1. arg. reſpondet D Th. 1. p. q 93 art. 7 & cum eo Du... in 1. l 3. p. 2. q. 3. rationem imaginis, quæ in anima noſtra reperitur cõ-

pa-

paratione Dei, aut Diuinæ Trinitatis, primò, & per se accipiendam esse secundum actus mentis nostræ, prout scilicet ex notitia quam habemus cogitando interius, verbum formamus, & ex hoc in amorem prorumpimus: & ita Pater æternus per actum notionalem suæ intellectionis generat filium, & pater simul ac filius per actum amoris, quo se diligunt, producunt Spiritum sanctum. Quasi secundario verò sumitur etiam ex parte potentiarum, in quantum ijdem actus virtute continentur in potentijs, vtcumq; distinctis, & non necessariò omnes realiter, vel essentialiter.

CAPVT VI.

TEXTVS ARIST.

Indiuisibilium igitur intellectio in his est, circa quæ non est falsum, &c.

Breuis expositio Textus.

1 INtentum huius capitis est distinguere duos actus intellectus, & explicare rationem eorum: diuiditur in duas partes: in prima diuidit actum intellectus in simplicem, & compositum; in secunda explicat vtrumque. Actus siue operatio intellectus, (inquit Aristot.) duplex est: simplex & composita: operatio simplex est ea, per quam res simplices apprehendimus, vt hominem: composita per quam eadem simplicia apprehensa coniungimus, vel separamus, vt si coniungamus hominem cum animali, efficientes hanc compositionem, homo est animal. Inter has autem duas operationes duplex esse discrimen ait.

Primum quod in simplici non est falsitas, nec etiam veritas: nam dum apprehendimus hominem, nihil falsum, aut verum dicimus: in composita verò iam est veritas, & falsitas, quia si vnum simplex cohæret alteri, vera est compositio: si verò non cohęret, falsa.

2 Secundum discrimen est, quia simplex præcedit cōpositam, & ad illam ordinatur. Falsa verò compositio duobus modis cōstitui potest: primo, si coniungamus, quæ non possunt coniungi, vel separemus, quæ cō iuncta sunt. Secundò si coniungamus, quæ coniuncta sunt, vel separemus, quæ sunt separata, sed non pro eo tempore quo coniuncta, vel separata sunt, vt si dicamus de eo quod nunc est album, fuisse, vel futurum esse album, vtraq; compositio potest esse falsa ratione temporis.

3 In 2. par. explicat membra diuisionis, & primo operationem simplicem, quam vocat cognitionem indiuisibilium, seu incōplexorum, asseritq; indiuisibilia, seu incomplexa triplicia esse. Primum est totum quodcumq; habens partes, sed intellectum per modum vnius, & ex hoc modo habet rationem indiuisibilis, etiam si sit complexum, vt si hominem album intelligamus per modum vnius extremi huius propositionis, homo albus ambulat. Hoc aūt totum tribus modis potest intelligi: primo, vt totum quoddā non diuidendo illud in partes: secundo, diuisum intelligendo in partes: tertio, simul omnes intelligendo. Et si primo modo intelligatur habet rationem indiuisibilis actus ipsum intelligendi, & intelligitur in tempore indiuisibili, hoc est, aut in instanti, aut sic in tempore, vt non intelligatur aliquid eius, in vna parte temporis, & aliquid in parte alia, sed in qualibet parte illius temporis totum, & in toto etiam tempore totum.

4 Secūdò modo potest intelligi totum, ita vt seorsum intelligantur partes, & hoc est non intelligi per modum vnius, aut indiuisibilis, sed per modum diuisi; vnde non intelligitur in tempore indiuisibili, sed diuiso potius, quia intellectioni cuiuslibet partis cor respondet diuersa pars temporis, aut instans diuersum, & ita successiuis intellectionibus intelligitur. Tertio tandem modo intelligi potest, ita vt intelligantur oēs eius partes, simul tamen cōponentes totum, & hoc etiam modo intelligitur in tempore secundum partes eius simul sumptas, & dicitur tempus indiuisibile, quia non sigillatim intelliguntur partes, sed simul, & ideo ac si vna, & eadem foret: quare nec tēpus diuiditur, sed per modum vnius, & ideo ac si esset indiuisibile.

5 Secundū indiuisibile est illud, quod hēt vnā specieˉ, licet ex multis, ac diuersis partib. sit compositum, vt domus, homo, ignis. Dicitur autem indiuisibile, quia modum vnius, & non plurium habet in ordine ad intellectum; quare licet habeat partes, quasi eas nō ha-

haberet, ab eodem intellectu accipitur. Vnde in tempore etiam indiuisibili intelligitur hoc est, in instanti per se, vel si in tempore per accidens, quia sic sumitur tempus, ac si non haberet partes, sicut ipsummet indiuisibile. Tertium indiuisibile est secundum modum, & rem, quia nec habet actu partes, nec potentia, vt punctum, & hoc indiuisibile vocat diuisionem, quia per illud continuantur, ac diuiduntur partes.

6 Tandem intellectionem compositam, vocat dictionem, hoc est affirmationem, vel negationem alicuius de aliquo. Et hanc operationem asserit semper esse veram, vel falsam: sed addit, quod quamuis omnis operatio composita sit vera, vel falsa, non tamen omnis intellectus, quasi dicat intellectum non semper esse verum, vel falsum: nisi quando cōponit, aut diuidit, hoc est, quando aliquid alicui attribuit, cui non conuenit, vel ab aliquo cui conuenit, remouet. Et hoc est, quod ait intellectum circa quidditatem rei nō falli, sed solum circa applicationem eius, sicut sensus non fallitur circa proprium sensibile, nisi ipsum applicando suo modo rei cui non conuenit, vel non inest.

CAPVT VII.

TEXTVS ARISTOTELIS.

Videtur autem sensibile ex sensitiuo, quod potentia est.

Breuis expositio textus.

7 INtendit Aristoteles praesenti diuidere intellectum in practicum, & speculatiuū non tanquam in diuersas potentias, sed tanquam diuersos actus eiusdem potētiae, vt doctrinam de intellectu illustriorem reddat. Diuiditur autem caput in duas partes: nam in prima repetit distinctionem intellectus in intellectum actu, & potētia, quam posuit c. 5 huius lib. explicans singula membra. In secunda distinguit actus intellectus speculatiui, & practici, & explicat singulos.

8 Duplex igitur discrimen ponit inter intellectum in actu, & intellectum in potētia. Primum est, quod intellectus in actu est idē cum re intellecta, non quidem in esse reali, sed in esse intentionali, & r[illegible] nam intellectus consti[illegible] lectionem, quam diximus [illegible] stere in qualitate cum actua[illegible]te, [illegible] te, quae est actualis, & expre[illegible] biecti, per quam dicitur haber[illegible] tum: imo esse idem met obiect[illegible] in secundum esse intentionale repraesentat[illegible], sicut in[illegible] nem Caesaris dicimus esse Caesarem [illegible] sentatum. Intellectus vero in pote[illegible] cum tali similitudine obiecti careat, non est obiectum ipsum, sed valde diuersum ab eo.

9 Postremum discrimen est quod intellectus in potentia prior est intellectu in actu, & ei praesupponitur, quod in eodem homine debet intelligi: nam vniuersaliter loquendo ait, in diuersis hominibus prior est intellectus in actu, & patet, quia intellectus diuinus, qui semper est in actu, praecedit omnem intellectum creatum ab eo deriuatum.

Hoc supposito diuidit in secunda parte intellectum in practicum, & specul[illegible], & quia sensus habet proportionem, & similitudinem cum intellectu, per sensum explicat vtrumq; membrum. Habet autem sensus tria: primum quod de potentia ad actum reducitur ab obiecto, non per propriam, ac physicam alterationem, sed intentionalem consistentem in receptione speciei impressae ei ab obiecto.

10 Secundum quod habet sensus est cognoscere sensibile per modum conuenientis, aut disconuenientis, & haec operatio est quasi compositio conuenientis cum sensibili, non quidem formalis, quia sensus non componunt, nec diuidunt formaliter, sed solum est quasi compositio virtualis: cum sit cognitio vnius in alio, & quasi attributio, & per hanc operationem mouet sensus appetitum, & hoc est tertium, quod habet simile compositioni intellectus, quem diximus esse secundam operationem eius, & ei assimilatur per hanc motionem. Applicat deinde ea quae habere docuit sensum, intellectui, praesertim practico, asserens, sic se habere phantasmata ad eum, sicut sensibilia ad sensum: quia sicut haec agunt in sensum, ita phantasmata in intellectum.

Praetereà sicut sensus versatur circa sensibile, vt conueniens, vel disconueniens, qua ratione mouet appetitum: ita intellectus practicus versatur circa obiectum intelli-

ligibile sub ratione conuenientis,& disconuenientis, sed modo perfectiori, nempe per compositionem veram,vel falsam.

11 Conueniunt quoque in alio, videlicet, quod sicut datur vnus sensus communis, in quem mouent omnes sensus externi per sua sensibilia qui sensus est quasi punctum centri in circulo,in quem terminãtur omnes lineæ ductæ a circumferentia: eadem similitudine intellectus est quasi communis quidam punctus,& quasi centrum,in quod tendunt omnes lineæ, hoc est, omnes sensus externi, & interni per sua sensibilia, & phantasmata omnia.

12 Quibus expositis docet iam a quibus phantasmatibus moueatur intellectus practicus. Et aliquando quidem moueri ait a phantasmate præsentis sensibilis; aliquando vero a phantasmate sensibilis absentis conseruato in phantasia, & ponit exemplum præsentis sensibilis, vt si aliquis videat hominem faciem igniram habentem, & sensu communi cognoscat versus se, statim per intellectum practicum iudicat esse sibi hostem(solebant enim olim pugnare homines facibus ardentibus,) & modo simili mouetur a sensibili absente.

Et ex his intelligi posse ait quonam modo distinguatur intellectus speculatiuus a practico: nam cum vterque versetur circa verum in communi: practicus verò circa tale verum limitatum, nempe circa verum conueniens, vel disconueniens, operabile, vel ordinatum ad operationem, quod statim explicat Aristoteles exemplo quodam Mathematicarum disciplinarum. Et tandem videtur dubitare,an intellectus dum est in corpore possit cognoscere substantias separatas à materia.So lutionem verò talis dubitationis in alium locum refert.

CAPVT VIII.

TEXTVS ARISTOTELIS.

Nunc autem quæ de anima dicta sunt, recapitulantes.

Breuis expositio textus.

13 Intentum Arist. in c.Isto est summatim colligere ea,quæ in duobus præcedentibus de anima,& intellectu docuit. Diuiditur in tres partes:in prima docet animam esse omnia,quodamq; exemplo confirmat: in secunda asserit intellectum in omni sua operatione dependere a phantasmate, & in tertia assignat discrimen inter operationẽ phantasię,& intellectus Docet igitur primum animã esse oĩa per sensus,& intellectũ, non quidem secundum esse reale: sed secundum esse intentionale,vt explicuimus c.præcedenti.

14 In secunda parte asserit intellectum in omni sua intellectione dependere a phantasmate. Quod sic explicat: res omnes, tam physicę,quam mathematicæ(nam metaphysica a materia abstrahentia per species horum percipiuntur) sunt extra sensum, & intellectum,nec possunt ad eos reduci,nisi per species, sensibiles quidem ad sensus, & his medijs per intelligibiles ad intellectum:sed ita se habet intellectus ad phantasmata, sicut sensus externus ad sensibilia : nã sicut iste mouetur a sensibilibus:ita intellectus a phantasmatibus : sed sensus externi nihil sentire possunt, nisi præsens: ergo nec intellectus potest aliquid intelligere, nisi fiat sibi præsens medio phantasmate, a quo simul cum intellectu agente producitur species: & hoc est, intellectum in omni sua operatione dependere a phantasmate.

15 Ponit tandem discrimen inter actum intellectus, & phantasiæ in eo, quod actus intellectus, qui est compositio, vel diuisio, verus est, aut falsus, quod non habet actus phantasiæ, quia veritas, aut falsitas in sola complexione, seu coniunctione intelligibilium reperitur, actus verò phantasiæ similis est intellectioni simplicium, in quibus non reperiuntur veritas,& falsitas.

CAPVT IX.

TEXTVS ARISTOTELIS.

Quoniam autem animalium anima secundum duas definita est potentias.

Breuis expositio textus.

16 INtendit Aristoteles cap. præsenti agere de potentia motiua secundum locum animalibus propria, & cuius actus est motus non quicumque, sed progressiuus, (quem incessum vocare solent) & primo quidem conatur ostendere, quid non sit, quod c. præsente præstat, cap. verò sequenti ostendit, quid sit. Diuiditur verò cap. in duas partes: nam in priori duas quæstiones proponit de potentia motiua: in posteriori verò probat non esse potentiam vegetatiuam, sensitiuam, nec intellectiuam: prior igitur quæstio de potẽtia motiua esse posse ait, an sit aliqua pars animæ, vel facultas, seu potentia, vel ipsa animæ substantia: posterior an dato, quod sit aliqua facultas animæ, sit aliqua ex illis tribus a se enumeratis in posteriori definitione animæ, vel alia ab eis distincta, & solutio prioris quæstionis constabit capite sequenti.

17 Ad posteriorem verò deueniendo probat sigillatim Arist. facultatem progrediendi non esse vegetatiuam, nec sensitiuam, nec intellectiuam. Et primo, quod non sit facultas vegetandi, quia motus progressiuus semper, & necessariò coniungitur cum imaginatione, & appetitu: cum per talem motum semper, & necessariò tendat animal ad prosequendum aliquod bonum, aut sibi conueniens, vel ad fugiendum malum, ac sibi disconueniens, appetitio autem vel fuga actus sunt appetitus ab imaginatione moti, sed facultas vegetandi, nec dependet ex imaginatione, nec ex appetitu: cum reperiatur in plantis cognitione, & appetitu carẽtibus, ergo facultas loco motiua non est eadẽ cum vegetatiua, & certè si eadem foret, (inquit Aristo.) plantæ quibus conueniret, haberent instrumenta omnia ad talem motum præstandum necessaria, quod cõstat esse falsum. Quod verò non sit eadem potentia cum sensitiua, probat; quia si eadem foret, omne animal haberet facultatem motiuam necessariò, & per eam moueretur: cum habeat necessariò aliquem sensum: sed plura sunt animalia saxis affixa, de quibus constat non moueri tali motu; ergo talis facultas non est sensus.

18 Et quod tandem non sit facultas intellectiua, probat; quia intellectus, aut est practicus, aut speculatiuus; sed non est aliquis horum: ergo nec est facultas intellectiua. Minorem sic probat, ad intellectum speculatiuum solum pertinet speculari naturas rerum nihil considerando de agendis, vel operandis: imo nec de prosequendis, vel fugiendis: sed motus progressiuus non conuenit, nisi prosequenti, vel fugienti aliquid: ergo intellectus speculatiuus non potest esse principium huius motus. Quod verò nec sit intellectus practicus facultas motiua ostendit, quia sæpe contingit intellectum practicum proponere, quid prosequendum sit, aut quid fugiendum, nec tamen sequitur motus progressiuus: sequeretur verò, si talis intellectus foret facultas motiua: ergo euidens est talem facultatem non esse, & modo simili probat non esse appetitum, quia experimur aliquando inclinare in talem motum, & tamen non sequi.

CAPVT X.

TEXTVS ARISTOTELIS.

Videntur autem duo hæc mouentia, aut appetitus, aut intellectus.

Breuis expositio textus.

19 OStenso quid non sit facultas motiua animalis, intendit c. præsenti ostendere, quidnã sit: & hoc est intentum capitis: quod in tres partes diuidi potest: nam in prima docet duo esse principia motus progressiui, nempe appetitum, & cognitionẽ, in 2. p. distinguit duplicem appetitum rationalem, & sensitiuũ. In tertia enumerat omnia, quæ concurrunt ad eundem motum.

Duo

Duo igitur aſſerit eſſe principia a quibus animalia mouentur, nempe appetitum, & intellectionem: nomine autem intellectionis non ſolum intelligit cognitionem intellectiuam: ſed etiam ſenſitiuam imaginationis: non tamen quamlibet: cognitionē intellectiuam: ſed practicam tantum, quæ appetitui deſeruit, & circa obiectum vt conueniens verſatur, nō ſpeculatiuā, quæ nihil de appetēdis cognoſcit, nec appetitū mouere poteſt. Intellectū verò ſpeculatiuum, & practicum, cognitioneſq; rerū ſine differre docet, quia ſpeculatiuus intelligit, vt ſpeculetur naturas rerum; practicus verò, vt operetur: ideò circa operabile verſatur.

20 Probat igitur duo hæc eſſe principia motus progreſſiui, nempe appetitum, & cognitionem, præſupponens, quod omnis appetitus eſt propter aliquid, hoc eſt, propter aliquem finem conſequendum, cuius gratia mouetur, & id quod appetitus intendit eſt principium, ſeu obiectum intellectus practici; quaſi dicat nempe eſſe id, quod primo cognoſcit intellectus practicus, & per cognitionem eius mouet appetitum, vt in eum tendat per affectum.

21 Quo ſuppoſito talem conſtituit rationem: appetitus nō mouet corpus motu progreſſiuo niſi propter aliquid: ſed iſtud aliquid non poteſt appetere, niſi cognitum, quia in incognitum nullo modo ferri poteſt, cum ſit potentia cœca: ergo ad motum neceſſariò requiritur intellectus, vel imaginatio, & practicus quidem: cum proponere debeat id, quod per motum intendit appetitus. Deinde intellectus practicus, ſeu imaginatio mouet, in quantum proponit appetibile: ergo non concurrit ad motum, ſine appetitu: quare vtrumque eſt principium motus animalis, nempe intellectus, ſeu imaginatio, & appetitus.

22 Sed quia duo hæc principia inordinata non ſunt: ſed vt vnum alteri ſubordinatum, concurrunt ad motum, neceſſarium eſſe ait, vt vnum concurrat propter alterum, & ita ad vnum reducantur tanquam ad præcipuum mouens, & huiuſmodi eſſe appetitum ad quē reducitur intellectus, vel imaginatio quod ſic probat, intellectus non mouet ſine appetitu, quia non mouet, niſi proponendo appetibile, ad quod mouetur appetitus: appetitus verò mouet ſine ratione, vt patet de hominibus, qui mouētur ad proſequendum bonum delectabile, quod non eſt bonum ſecundum rationem: ſed ſecūdum appetitum: ergo appetitus mouet dependenter ab appetitu, & ei ſubordinatus, quare primum mouens erit appetitus.

23 Quod probat ſecundo, quia intellectu exiſtente recto, imaginatione verò non recta, nihilominus appetitus, quaſi immobilis, aut inuariabilis perſeuerat in modo mouendi. quia ſemper mouetur a bono, vero quidem, aut apparente: ergo vniuerſalius mouens eſt, & propterea primum ad quod intellectus, & imaginatio reducuntur.

24 In ſecunda parte appetitum aſſerit non eſſe vnum: ſed duplicem: nam vnus eſt, inquit, qui mouetur ab appetibili apprehenſo per ſenſum, ſeu imaginationem: qui dicitur ſenſitiuus, alter verò, qui mouetur ab appetibili apprehenſo per rationem, ſeu intellectum practicum, & dicitur rationalis, & hic eſt voluntas. Et quod appetitus iſti ſint diſtincti, probat, quia ſimul mouentur motibus contrarijs, experimur namque rationem aliquid proponere tanquam bonum, & proſequendum quod voluntati placet, & appetitui ſenſitiuo diſplicet, & ex oppoſito imaginationem proponere bonum aliquod delectabile, quod appetitui placet: ſed voluntati diſplicet: ergo appetitus iſti ſenſitiuus, & rationalis diuerſi ſunt: ita tamen diuerſos eſſe docet, vt ſub communi genere appetitus conueniant, & ſpecie diſtinguantur.

25 Hanc autem diuerſitatem appetitus ex cognitione diuerſorum temporum prouenire docet, quia homo non ſolum præſentia: ſed futura cognoſcit, contingit verò aliquid bonum eſſe, & appetibile, vt præſens: ſed malum, ac fugiendum, vt futurum, & hinc prouenit, quod appetitus ſenſitiuus, qui ſequitur ſenſum præſentia ſolum reſpicientem, illud appetat, rationalis verò, qui ſequitur rationem, illud fugiat, vt appetitus febricitantis appetit vt bonam aquam, quia ſecundum præſentem delectationem mouet: ſed per rationem præuidentem damnum futurum, iudicatur mala, & ideò rationalis appetitus eam fugit.

26 In tertia tandem parte enumerat omnia, quæ concurrunt ad communem motum progreſſiuum animalium proprium, & dicit eſſe tria, nempe id quod mouet, id quod mouetur, & quo mouetur: videlicet inſtrumentum motus.

Præterea id quod mouet duplex esse, vnum quod mouet, & non mouetur, vt in motu cœli, intelligentia, aliud quod mouet, & mouetur, vt corpus cęleste ab ea motum. Ita ergo in motu animalium est mouens immobile, nempe appetibile, quod mouet appetitum, sed non mouetur, & mouens motum, videlicet appetitus, qui mouetur ab appetibili, non quidem motu materiali: sed quasi intentionali. Est etiam, quod mouetur, & non mouet: nempe corpus, & tandem est, quo mouet corpus, & hoc est pars quædã corporis, quæ est quasi instrumentum motus: quam triplicem conditionem habere docet: primam quod sit principium motus: secundum quod sit finis motus; tertiam quod sit immobilis.

CAPVT XI.

TEXTVS ARISTOTELIS.

Omnino igitur sicut dictum est, in quantum animal appetitiuum est, &c.

Breuis expositio textus.

27 POstquam Arist. ostendit principia motus progressiui esse appetitum, & cognitionem practici intellectus, vel phantasiæ, docere intendit c. præsenti, quonam modo hęc principia reperiantur in animalibus imperfectis, quibus tantum inest sensus tactus. Atq; etiam quonam modo reperiantur in perfectissimis animalibus, qualia sunt homines, & ita in duas partes diuiditur caput: nam in priori præstat illud, in posteriori hoc.

Proponit igitur primò dubium de imperfectissimis animalibus, an habeant imaginationem, & appetitum. Et respondet habere appetitum, & imaginationem, sed vtrumq; imperfectissimum, & de appetitu probat: quia si pungantur, sentiunt dolorem, & ideo se cõtrahunt, & aliquando se dilatant, quod est signum voluptatis, dolor autem, & voluptas ad appetitum pertinent: cum sint de conuenienti, ac disconuenienti. Talis verò appetitus imperfectus est, quia non versatur circa conueniens, & bonum determinatum, ac distinctum: sed quasi confusum. De imaginatione verò pręsupposito appetitu euidens est, quia appetitus nõ fertur [illegible] [illegible], sed in id, quod ei repręsentatur [illegible] conueniens, vel disconueniens: necesse est ergo habere cognitionem conuenientis, ac disconuenientis, quæ ad imaginationem pertinet. Sed imaginatio eorum imperfectissima est, propter duo; quia non percipitur distinctè hoc vel illud conueniens, aut disconueniens sed confusa tantum ratione, atq; etiam, quia a præsentibus dumtaxat mouentur, ex quo infert in omnibus animalibus ab homine esse aliqualem imaginationem, & appetitum: nam si in imperfectis reperitur, melius inuenietur in perfectis.

28 In posteriori parte docet, quonam modo hæc principia motus sint in homine, asseritq; esse perfectissimam imaginationem, hoc est, cognitionem deliberatiuam, quæ est actus proprius intellectus practici, deliberare vero inquit esse comparare multa sub vna communi mensura, & ex ea assumere illud, quod conueniencius est, prætermissis aliis, quod solis hominibus conuenit per syllogismum, & ratiocinationem. Vna autem illa mensura communis sub qua multa comparat, est communis ratio conuenientiæ mediorum in ordine ad finem, per quem mensuratur maior, aut minor conuenientia mediorum.

29 Hanc autem deliberationem soli homini conuenientem asserit Arist. non semper se habere eodem modo: sed aliquando appetitum sensitiuum vincere rationalem, & hunc illi subijci, aliquando vero rationalem vincere sensitiuum, quantumuis repugnantem, & secum trahere, quasi inuitum, sicut sphæra superior trahit secum, & quasi rapit inferiorem, & hoc ait esse naturæ consentaneum, quia ordine naturæ inferiora subijciuntur superioribus: rationalis verò appetitus superior est sensitiuo: ergo secundum naturæ ordinem ei debet subijci: quod verò sensitiuo subijciatur rationalis contra naturam est, & cum hoc contingat ferè semper ac homo peccat, merito dicitur peccatum esse contra naturam. Sed dum appetitus rationalis sensitiuum vincit (ait Arist.) fertur homo tribus lationibus, vel motibus. Primus est rationis, & voluntatis vincentis: secundus appetitus sensitiui: tertius est corporis rationi obedientis.

30 Sed si appetitus sensitiuus vincat, duobus

bus tantum fertur motibus, appetitus, & corporis ei obedientis: nam voluntas subijcitur appetitui, nec mouetur in contrarium, quia non potest cogi, aut inuita trahi, sicut potest appetitus, quando verò contingit appetitum non resistere, sed parere voluntati, modo similis duo tantum sunt motus. Afferit tandem Aristo. quod quoties peccat homo vincente appetitu voluntatem, errat practica ratio suo syllogismo, non ex parte maioris, quæ cum sit vniuersalis cōtinens bonitatem finis vniuersalis, non potest esse falsa: sed ex parte minoris, quam sub eadem maiori sumit, & consequenter ex parte conclusionis, quarum vtraq; singularis est, & falsa. Et hoc est, quod dici solet: Omnis peccans est ignorans, id est, in syllogismo præcedente electionem falsum concludit.

CAPVT XII.

TEXTVS ARIST.

Nutritiuam igitur animam necesse est habere omne quodcumque viuit, & animam habet, &c.

Breuis expositio Textus.

31 INtendit Arist. c. præsenti comparare facultates, seu potentias animæ inter sese, & in ordine ad diuersa genera viuentium, atq; ostendere, quęnam earum his vel illis viuentibus tanquam necessariæ insint, quæ verò solum tanquam vtiles. Diuiditur caput in duas partes, quia idem intētum duabus conclusionibus explicat.

32 Prior conclusio est, omne viuens quamdiu viuit, necessariò debet habere nutritiuā potentiam, sensitiuis verò non indiget, nec habere potest. Primum probat hac ratione, totum vitæ tempus diuiditur in augmētum, statum, & decrementum: sed nihil horum constare potest sine nutritione: ergo nec sine facultate nutritiua: quare sine hac nō potest naturaliter consistere.

Probat postremum, quia quæ solam vitam habent, vt plantæ, sensibus non egent: imò neque habere possunt, quia nimis prædominatur in eis terra, organa verò sensuum postulant temperamentum magis ad mediocritatem, & præsertim tactus; ergo repugnat habere sensum tactus, sine quo cæteri sensus esse non possunt: cum sit tactus fundamentum totius sensitiuæ virtutis.

33 Secunda conclusio, animalia omnia habere debent tactum, & gustum tanquam sensus sibi necessarios ad conseruandam vitam: cæteri verò sensus nulli conceduntur animali tanquam sibi necessarij, sed solum vt vtiles. Probat priorem partem hoc modo: animalia quæ potentiam loco motiuam habēt, non mouentur motu progressiuo, nisi vt quærant sibi conuenientia, & noxia fugiant, sed non possunt sibi conuenientia, aut noxia cognoscere sine sensu tactus, & gustus, vt per se patet: ergo duo isti sensus sibi necessarij sunt. Cætera verò animalia, quę potentia motiua carent, indigent quidem eisdem sensibus ob eundem finem cognoscēdi conuenientia, & noxia: non tamen per motum quærenda, quia coniunctum semper habēt alimentum & propterea non indigent motu locali, & ex consequenti, nec habent virtutem motiuam.

34 Et si aliquis dixerit hominem non indigere sensibus: cum possit per intellectum discernere sibi conuenientia, & noxia. Respondet non esse possibile, quod corpus aliquod intellectum habeat sine sensu, & sine facultate motiua secundum locum, quia tali corpori nec vniretur anima propter bonum proprium, nec propter bonum eiusdem animæ, quod repugnat. Sequelam verò probat, quia anima intellectiua vnitur corpori, vt per ministerium eius rerum cognitionem acquirat, quam sine sensibus comparare non potest, quare nec vniretur propter bonum eiusdem corporis. Posteriorem verò partem eiusdem assertionis de cęteris sensibus probat, non concedi animalibus tanquam necessarios, sed solum vt vtiles, quia gustus, & tactus sufficiunt ad conseruandam vitam.

CAPVT XIII.

TEXTVS ARISTOTELIS.

Quod autem impoſſibile ſit ſimplex eſſe animalibus corpus, &c.

Breuis expoſitio Textus.

35 HOc eſt vltimum caput huius libri, totiuſq; operis, in quo Ariſtoteles intendit probare quandam propoſitionem a ſe prolatam capite præcedenti. Diuiditur autem in duas partes. In prima vno quodam præſuppoſito probat prædictam propoſitionem. In ſecunda tria deducit corollaria ad eandem propoſitionem ſpectantia. Propoſitio ab Ariſtotele prolata c. præcedenti, fuit: corpus animalis ſimplex eſſe non poſſe, hoc eſt vno tantum elemento conſtans, vel qualitatibus, quibus vnum conſtat elementum, ſed mixtum potius ex quatuor qualitatibus elementorum attemperatis in certo gradu compoſitum. Quam vt probet, præſupponit omne ſenſitiuum neceſſariò habere ſenſum tactus, quod probauit in 2. l. hoc ſuppoſito probat intentum duplici ratione. Prior eſt, tactus non vtitur medio externo ſimplici ad percipiendas primas qualitates tangibiles: ergo organum eius non eſt corpus ſimplex. Euidens eſt conſequentia, quia quilibet ſenſus vtitur medio conſentaneo ſuæ naturæ, hoc eſt naturæ proprij organi, in quo tanquam in proprio ſubiecto reſidet. Antecedens verò probat, quia tactus non habet medium externum, vt etiam in 2. lib. c. de tactu probauit: ſed ad ſummum internum, vt carnem, de qua conſtat eſſe corpus mixtum.

36 Secunda ratio, quia tactus non eſt perceptiuus vnius tantum qualitatis, ſed [illegible] contrarietatum, vt frigoris & caloris, humiditatis, ac ſiccitatis: ergo eſt in potentia ad omnes, ſed non erit in potentia, niſi conſiſtat in temperie illarum: ergo omnibus attemperatis conſtare debet. Probatur minor, quia non poterit percipere exceſſus earum, niſi eiſdem attemperatis conſtet, ſed experientia conſtat exceſſus omnium percipere: ergo neceſſe eſt componi ex temperamento omnium, & non habere vnam tantum, vel alteram, ſicut habent elementa.

37 Ex dictis tria colligit. primum eſt destructo tactu neceſſario deſtrui animal, quia cum tactus ſit ſenſus alimenti, non conſeruatur animal, nec viuit ſine illo. Secundo colligit excellentia ſenſibilia corrumpentia tactum conſequenter corrumpere animal, quia ſine tactu non conſeruatur animal: cum ſit ſenſus alimenti, cum tamen excellentia aliorum ſenſibilium, etiã ſi ſenſus proprios corrumpant: non tamen ipſum animal, niſi fortè per accidẽs ratione alicuius adiuncti. Colligit 3. ſolum tactum eſſe ſimpliciter neceſſarium ad vitam animalis, reliquos verò non ſimpliciter. Sed de ſolo guſtu adnoto, dupliciter conſiderari poſſe. Primò ſecundum ſe, & hoc modo non eſt ſimpliciter neceſſarius ſed ſolum ad percipiendam voluptatem, qua alliciatur animal ad aſſumendum alimentum, & alia opera vitæ, in qua delectatio capitur.

38 Alio modo conſideratur in quantum in eodẽ ſenſorio adiungitur naturaliter tactui, eumq; comitatur, & hoc modo cenſetur neceſſarius, nõ tamen ratione ſui, ſed eiuſdem tactus, & hac diſtinctione explicantur diuerſa loca Ariſto. in quibus videtur ſibi contrarius, quia nunc aſſerit guſtum non eſſe neceſſarium: poſtmodum verò neceſſarium eſſe iuxta prædictas conſiderationes eius diuerſas.

TRA-

TRACTATVS DE Voluntate, & potentia motiua.

QVÆSTIO I.

An voluntas sit potentia distincta realiter ab intellectu, & appetitu sensitiuo.

39 TAnquam certum nobis est præsupponendum tripli-cem dari in rebus appe-titum; naturalem, sensiti-uum, atq; intellectiuum: naturalis appetitus ideo talis vocatur, quia non sequitur cognitionem aliquam, sed immediatè naturam, nec est aliud quàm inclinatio, aut propensio rei naturalis actiua, vel passiua in id, quod conueniens est propriæ naturæ, vt inclinatio lapidis in centrum appetitus naturalis eius vocatur. Præter hunc appetitum duos alios posuit Aristot. cap. 10. huius lib. & 1. lib. Magn. Moral. cap. 17. & cum eo tota Schola, qui non sequuntur proximè naturam, sed cognitionem, sensitiuam quidem, aut intellectiuam, seu rationalem. Et qui sensitiuam sequitur, vocatur appetitus sensitiuus: rationalis verò, aut voluntas qui sequitur intellectiuam.

40 Secundo certum est hos duos appetitus specie, ac realiter distingui inter sese; & distinctionem quidem specificam ex proprijs eorum obiectis probandam esse, sicut probatur distinctio aliarum potentiarum, hoc modo. Appetitus rationalis, (qui est voluntas) & appetitus sensitiuus habent diuersa obiecta: ergo distinguuntur specie. Antecedens probo: quia obiectum appetitus cuiusque est bonum: sed voluntas fertur in bonum longè diuersum ab appetitu sensitiuo: ergo distinguitur ab eo specie. Respicit enim voluntas bonum vt cognitum per rationem, vel intellectum; & ideo vniuersalissimam rationem boni comprehendentem, non solum bonum singulare, sed etiam bonũ vniuersale, nec solum bonũ corporeum, ac materiale, sed bonum spirituale, ac immateriale, vsque ad Deum ipsum, quem per amorem diligit. Appetitus autem sensitiuus solũ in bonum sensibile fertur, & singulare quidem, non vniuersale; sicut sensitiua cognitio, quam sequitur, ad sola singularia sensibilia se extendit.

41 Quod verò sint potentiæ distinctæ, etiam realiter, probatur; quia appetitus rationalis consequitur naturam animæ rationalis, & in eius substantia radicatur; quare spiritualis est, sicut anima ipsa, quia repugnat corporeum accidens proximè inesse subiecto spirituali, & ideo non est potentia organica. Sed appetitus sensitiuus consequitur cognitionem sensibilem, & corpoream: ergo potentia corporea est ex consequenti organica in corde, tanquam in proprio organo residens iuxta communem sententiam: ergo distinguuntur realiter, cum idem accidẽs rea-

reale non possit in duobus subiectis realiter distinctis inesse, nec eadem entitas realis possit esse spiritualis,& corporea. Et vtrãque distinctionem specificam, & realem docet Arist. c. 10. huius lib. probans habere actus contrarios.

42 Præter distinctionem specificam, & realem, quæ sunt quasi communes differentiæ; habent alias particulares isti duo appetitus rationalis, & sẽsitiuus; prima est, quod actus voluntatis sunt per se,& simpliciter liberi, ita vt proposito ei obiecto ab intellectu, possit velle, & nolle illud, vel saltem actum suspendere, ita vt nec volitionem eliciar. Appetitus verò solum habet in suis actibus libertatem quandam nimis imperfectã, hoc est, participatam à voluntate, quam proinde habet in solo homine, non in brutis. Nã sic mouetur à voluntate, vt resistere possit, sed non ita quin possit voluntas illũ compellere, vt circa bonum sensibile moueatur propriumque exerceat actum appetitionis, quod satis est, vt motus appetitus imputetur voluntati ad culpam, vel meritum, si eum non reprimat; cùm possit,& teneatur.

43 Vnde fit diuerso modo moueri à voluntate appetitum, ac mouentur membra corporis, vt pes,& manus; nam hæc mouentur sine vlla resistentia, & ideo ad libitum voluntatis;& propterea dicuntur moueri ab ea imperio despotico,& quasi seruili. Appetitus verò quia non pro libito mouetur, sed aliquando cum resistẽtia in contrarium, moueri dicitur imperio ciuili, hoc est, quasi ciuis mouetur à gubernatore; nam licet exequatur eius imperium, resistere tamẽ potest, & cum resist. ntia mouet i.

Secundò differunt, quia voluntas reflectitur supra actus proprios, eosque actu reflexo potest diligere; appetitus verò quia materialis est,& organica potentia non est capax talis reflexionis. Differunt tertio, quod voluntas mouet appetitum, & iste subditur voluntati iuxta illud Genes. *Subter te erit appetitus tuus,& tu dominaberis illius*: non tamen subditur semper sine resistentia in contrarium; quam explicuit D. Paulus ad Roman. 7. illis verbis: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*; & sicut appetitum, sic suo modo mouet voluntas cæteras potentias, quæ aptæ sunt subiici voluntati, vt internos sensus,& aliqua ex parte externos, in quantum potest saltem organa eorum impedite; & ideo se habet voluntas in homine, quasi Rex in suo Regno; idque habet quia vniuersalis est appetitus, qui fertur circa vniuersale bonum, sub quo comprehenduntur omnia obiecta particularium potentiarum tanquam bona particularia.

44 Quamuis aliæ sint potentiæ, vt nutritiua, quæ nullo modo subijcitur voluntati, nec enim in potestate volũtatis est efficere, vt nutritiua cesset à disponendo,& conuertendo alimentum.

45 Ex his omnibus sequitur, quod sicut appetitus sensitiuus est distincta potentia à voluntate realiter,& essentialiter, ita ab intellectu: cum sit iste spiritualis, & appetitus corporeus. Quæstio igitur solum esse potest de voluntate, an sit potentia distincta realiter,& essentialiter ab intellectu; quia vtraq; est spiritualis, & vtraque oritur ex eodẽ gradu rationalitatis. Et immediatè est in anima tanquam in subiecto.

Ideo prima opinio tenet esse eãdem omnino potentiam habentem diuersa munera, intelligendi scilicet,& volendi, quorum ratione diuersa sortitur nomina intellectus,& voluntatis. Ita Durand. in 3 dist. 3. q. 4. quam sententiam videtur sequi Aureolus apud Capreolum, in 1. dist. 3 q. 3. Probatur testimonio Aristotelis 6 lib Ethic c. 2. ad finem, vbi electionem quæ vnus actus volũtatis est, his verbis definit, *Appetitus intellectus, vel intellectiuus appetitus electio est*: censet igitur hunc actum procedere ab intellectu, & voluntate tanquam ab vna eademque virtute.

46 Probatur consequentia, quia vnus actus non potest procedere à duabus potentijs, sed solum ab vna.

Probatur deinde ratione ex duplici conditione harum potentiarum: prior est, quod versantur circa eandem rem; nam bonum, quod est obiectum appetitus, non est res distincta ab ente, circa quod versatur intellectus, sed potentiæ, quæ versantur circa eandem rem, non possunt re distingui, alioqui maior esset distinctio potentiarum, quàm obiectorum: ergo non sunt potentiæ re distinctæ voluntas, & intellectus. Posterior conditio est, quod actus earum non possunt separari, nec enim potest voluntas vllo modo appetere, nisi bonum cognitum, si verò distinguerentur realiter, ac essentialiter, possent actus earum separari saltem per potentiam Dei absolutam, & ita posset vo-

luntas

luntas in incognitum ferri, quod repugnat.

47 Secunda opinio *affirmat realiter, & essentialiter distingui has duas potentias animæ.* Et hæc est communis, & vera; quam tenet in primis D.Thom. 1.2. q. de Veritate, articuli 10. Ferrar. 4 lib. contra gentes c. 19. Capreol. in 1. dist. 3. q. 3 art. 2. Argent. ibidem, & plures alij. Probari autem solet rationib. non admodum vrgentibus, quas consulto prætermitto.

Et probandum esse efficaciter censeo ex diuerso modo operandi harum potentiarũ, qui absque dubio distinguit necessario potentias, cum euidens sit pro quolibet modo operandi diuerso ab alio suam potentiam tribuisse naturam distinctam ab alia diuerso modo operante; ideo enim potentias cognoscitiuas à naturalibus, sine cognitione operãtibus natura distinxit, quia diuersi sunt modi operandi per cognitionem, & sine illa. Atque etiam potentias cognoscentes ex diuerso modo, quo immutantur ab obiectis, & circa illa feruntur, potius quam ex obiectis ipsis materialibus diuersis; ex quo sic arguo; Potentiæ distinguuntur realiter per diuersos modos operandi, quos habent ex propria natura, sed intellectus, & voluntas habent diuersos modos operandi: ergo sunt diuersæ potentiæ realiter, & essentialiter.

48 Probatur minor; primo quia modus operandi intellectus est attrahendo obiectũ ad se, illudque sibi coniungendo per se, vel per suam similitudinem modus autem operandi voluntatis est tendendo in obiectum, seque ei coniungendo; constat autem hos esse modos non solum diuersos, sed oppositos, atque incompossibiles: ergo repugnat conuenire eidem potentiæ.

Probatur secundo, quia actus voluntatis circa particularia bona in quantum honesta, est formaliter liber; nam positis omnibus requisitis ad agendum potest eum suspendere voluntas, sed actus intellectus etiam circa veritates particulares non est formaliter liber, sed ad summum radicaliter, in quantum potest proponere voluntati diuersa obiecta: ergo repugnat hos duos modos operandi conuenire eidem potentiæ: cum manifestum incompossibilitatem habeant.

49 Pro solutione argum. oppositæ partis adnotare oportet, quod licet duæ istæ potentiæ sint realiter, & essentialiter distinctæ, sic tamen subordinatæ per intrinsecam connexionem, vt nec voluntas possit ferri in bonum, nisi cognitum per intellectum, sibique ab eo repræsentatum; quod adeò verum esse ac necessarium puto, vt non solum implicet contradictionem ferri in incognitum, quod efficaciter probaui 2 lib. Physic. agens de causalitate finis, sed etiam quod proponatur ei obiectum immediatè à Deo, & non media cognitione proprij intellectus, sine qua non potest vllo modo in ipsum tendere, & propterea definiens Aristot. electionem, quam constat esse actum voluntatis, asseruit esse *appetitum perconsiliati*, consilium verò esse actum intellectus practici euidens est; ergo tanquam certum præsupponit Aristoteles, actum voluntatis intrinsecum habere ordinem ad actum intellectus, siue ad cognitionem eius, & sine illa non potest esse motiuum voluntatis, neque ab ea appeti.

50 Ex quo facilè deducitur explicatio testimonij Aristotel. nam electionem esse appetitum intellectus, vel intellectiuum appetitum, non probat, quod intelligere, & velle sint actus eiusdem potentiæ, sed sic esse subordinatos, & ideo intrinsecam habere connexionem, quamuis diuersarum sint potentiarum, vt actus voluntatis intrinsecum ordinem importet ad actum intellectus tanquã ad conditionem intrinsecam sui obiecti, & actus intellectus intrinsecum ordinem ad actum voluntatis, in quantum præstat obiecto eius conditionem omnino necessariam, vt sit appetibile.

51 Ad argum. respondeo neutram illarum conditionum sufficere, vt eadem sint potentia realis, aut secundum speciem, intellectus, & voluntas, non quidem priorem de identitate reali obiectorum, quia nec identitas realis potentiarum sumitur ex identitate reali obiecti, cum constet sensum, & intellectum versari circa eandem rem, nam omne obiectum sensibile est etiam intelligibile.

Sed nec posteriorem de inseparabilitate actuum, ad quam sufficit intrinseca earum connexio iam explicata, quam constat saluari posse cum distinctione potentiarum. Vnde quamuis separabilitas efficaciter probet distinctionem realem; inseparabilitas verò non probat efficaciter identitatem: cum possit ex extrinseca connexione rerum di-

distinctarum prouenire, vt de relatiuis est manifestum.

QVAESTIO II.

An potentia motiua vitalis consistat in actu appetitus, vel intellectus practici, vel in executiua virtute in aliqua parte corporis residente.

52 VT ad difficultatem quæst. perueniamus adnotare oportet, I. ex D. Tho. opusc. 35. de motu cordis, duplicem esse potentiam loco motiuam in viuentibus, vna est purè naturalis, & vitalis altera: illa non dependet à cognitione, vel appetitione, sed ex solo impetu naturæ operatur, & talis est potentia motiua, qua mouetur cor motu dilatationis, & constrictionis.

53 Atque etiam illa, qua mouentur imperfectissima animalia saxis affixa propria membra dilatando, & contrahendo, & hæc potentia motiua quamuis vitalis sit, non est tamen propria animalis de qua agimus, sed aliquo modo reperitur in plantis. Alia est potentia motiua secundum locum animalibus propria, quæ non mouet, nisi præcedente cognitione, & appetitu; & actus proprius huius potentiæ est motus progressiuus. De hac ergo quærimus, an sit cognitio ipsa sensitiua præcedens, vel actus appetitus, vel quædam alia in aliqua parte corporis residens.

Secundo præsupponendum est ad motum progressiuum tria concurrere, videlicet cognitionem intellectus practici, vel phantasiæ; actum appetitus, quem vocamus appetitionem, & tandem virtutem immediatè mouentem membra. Et cognitio quidem concurrit vt dirigens, appetitus per suum actum vt imperans motum. Ita expressè Aristot. in hoc 3. lib. text 6. & cap. 10. text. 48. & 52. & Diu. Thom. in commentarijs eorundem locorum, atque etiam in eodem opusc. citato.

54 Et ratio eius est manifesta, quia animalia mouentur motu isto ad quærenda sibi conuenientia, vel fugienda sibi noxia. ergo ex appetitu, quo ea appetunt, vel fugiunt, sed appetitus non operatur, nisi præuia cognitione, per quam proponitur ei obiectum conueniens: ergo vtraque hæc potentia per proprium actum concurrit ad talem motum; intellectus quidem aut phantasia per modum dirigentis, quia appetitus à cognitione ducitur, appetitus verò per modum imperantis.

Quod verò virtus executiua in parte corporis residens concurrat ad eundem motum apertè insinuauit Aristoteles in hoc 3 libro cap 10 text. 55. his verbis: *Quod verò sicut instrumento mouent appetitus, id iam corpori tribuendum est*: & docuit D. Thom. in opuscul. de motu cordis. 2. libro contra gentes, cap. 81 ad finem, & 1 part. quæst. 75. artic. 3. ad 3. Et probat euidens ratio, quia cognitione, & appetitione præsuppositis restat difficultas ex parte membrorum, quæ cum grauia sint, & per grauitatem non inclinentur in talem motum, sed potius impediantur, & difficiliora reddantur in ordine ad illum, indigent virtute motiua intrinseca, per quam talis difficultas vincatur, & ita moueantur.

55 Præsupposito ergo, quod tria hæc concurrant ad motum, petit titulus quæstionis, quidnam eorum sit potentia motiua vitalis animalium propria, de qua loquimur, & cuius mentionem fecit Aristoteles in posteriori definitione animæ dicens: Animam esse principium, quo viuimus, sentimus, mouemur, & intelligimus. Nam eam explicantes de anima tanquam de principio radicali intelligi posse ostendimus, atque etiam de potentia formaliter.

56 Et prima opinio asserit, appetitum directum ab intellectu practico, vel imaginatione esse potentiam motiuam, quia solus ille mouet corpus, potentiam vero executiuam solum se habere passiuè recipiendo motum. Ita videtur sentire Caietan 3. libro de anima, cap. 6. & sentit planè Ferrar. 2. contra gentes, cap. 81. & videtur expressa sententia Aristotelis cap. 10. huius lib. text. 50. vbi sic ait: *Imaginatio quoque cum moueat, non mouet sine appetitu, vnum quid igitur mouens ipsum appetitum*: & textu 54. appetitum ait esse præcipuum mouens, potentiam verò executiuam instrumentum, quo mouet. Et Diuus Thomas duobus locis proximè citatis, non solum asserit appetitum mouere,

sed potentiam executiuam passiuè tantum se habere disponendo membra corporis, aptaque efficiendo, vt moueantur ab appetitu, & concludit asserendo, quod actus eiusdem potentiæ non est mouere, sed moueri. Et ratione probatur, quia ita mouet anima corpus, sicut intelligentia cœlum, sed intelligentia mouet cœlum per intellectum practicum, & appetitum absque aliqua alia potentia motiua in corpore cœlesti residente, & ita potentia motiua eius est appetitus, seu voluntas directa ab intellectu: ergo anima mouet corpus per appetitum, aut voluntatem tanquam per potentiam motiuam passiuè tantum se habente corpore.

57 Secunda opinio asserit appetitum, & executiuam potentiam mouere tanquam duas causas subordinatas, ita vt appetitus sit quasi causa vniuersalis, executiua verò, vt particularis: quare ex virtute motiua vtriusque videtur quasi vna, & eadem potentia motiua integrari. Ita videntur sentire Conimbr. 3. libro de anima, cap. 13. quæst. 5 art. 2. & 3.

Alij denique appetitum, & executiuam potentiam censent se habere vt duo mouentia partialia, & ideo potentiam motiuam quasi partialiter componere. Quod videtur probari posse, quia motus pendet ab vtroque simul concurriente tanquam à principio effectiuo: ergo vniuntur per modum vnius agentis, sicut agentia naturalia, quæ eo ipso, quod concurrunt ad eundem numero effectum, vniuntur per modum agentis, cuius quodlibet censetur quasi pars.

58 Vt nostram sententiam proferamus, adnotare oportet potentias dependentes à voluntate, & appetitu sensitiuo esse in duplici differentia; nam quædam sunt sic ex determinatione ad vnum operantes, vt per se, & directè non subijciantur voluntati, vel appetitui, sed quasi indirectè, & per accidens ratione alicuius extrinseci, quo indigent ad operandum, & istæ dicuntur solum ei subdi quantum ad applicationem, & non quantum ad operationem ipsam, vel actum, & huiusmodi sunt virtus nutritiua, & generatiua, atque etiam sensus externi: nam quamuis à voluntate non dependeat, quod applicato obiecto, aut alimento operentur, sed vtriusque applicatio sæpe prouenit à voluntate.

59 Aliæ sunt potentiæ, quæ non solum subduntur voluntati quantum ad applicationem, sed etiam quantum ad proprias operationes, vt intellectus, sensus interni magna ex parte, & appetitus ipse sensitiuus: hoc est autem discrimen inter modum applicationis harum, & illarum, quod applicatio illarum distincta operatio est à propria earum, sed istæ non applicantur per distinctum actum à propria operatione, sed non est aliud applicari à voluntate, quàm operante voluntate ipsas quoque statim operari.

Constat vtrunq; proprio exemplo; nam obiectum visus applicatur ei à voluntate, vel visus ipse applicatur obiecto per motum localem sensationi præuium: sed intellectus, vel interni sensus non applicãtur per operationem præuiam, aut distinctam, sed per eandem, quia non est in eis aliud applicari à voluntate, quàm eo ipso, quod hæc operatur illa operari.

60 Et ratio huius discriminis est manifesta; quia obiecta sensuum externorum extra organa eorum vagantur: ergo non possunt applicari ad ea percipiẽda, nisi per aliquam actionem eorundem obiectorum præsentia eis fiant, vt producta specie intra eadem organa: post hanc verò actionem quasi applicatiuam sequitur sensatio. Intellectus verò, atque interni sensus species obiectorum præsentes habent in memoria; quare non indigent præuia actione, per quam applicentur, nec est intelligibilis talis actio voluntatis, vel appetitus in eisdem recepta, per quam moueantur, aut excitentur, vel applicentur ad opus.

61 His præsuppositis tria asserit nostra sententia. Primum est, *appetitum non mouere sensus, nec voluntatem, intellectum, appetitum, & corpus per Physicum concursum, vel actionem circa ipsum.* Ita sentiunt omnes ferè recentiores. Et probatur ratione, quia vel hæc actio est præuia ad propriam harum potentiarum, vel est concursus simultaneus cum eis, eo ferè modo, quo causa prima concurrit cum secundis; sed neutrum esse potest, ergo per nullam talem actionem potest eas mouere. Minor quantum ad actionem præuiam efficaciter probata est. Quod verò non sit concursus simultaneus cum eisdem potentijs, qui sit eadem eorum actio vt prouenniens à volũtate, sic probo: quælibet harum po-

A.

potentiarum est causa sufficiens, atque completa sui actus, vt potentia motiua motus corporis, intellectus, & sensus simul cum specie sunt completa, atque sufficiens causa intellectionis, & sensationis; ergo non indigent concursu physico alterius causæ, præter primam. Probatur consequentia ex quibuscunque causis particularibus, ac sufficientibus, quæ non admittunt consortium aliarum causarum particularium.

62 Secundum quod asserit nostra sententia est, *voluntatem, & appetitum mouere cæteras potentias per quandam efficientiam quasi moralem*, hoc est, per naturalem sympathiã, & cõsensionem, ac subordinationem, quam habent ex eo, quod radicantur in eadem anima, ex qua prouenit, vt operante voluntate operentur aliæ, & proponente intellectu obiectum voluntati, aut imaginatione appetitui, dicatur mouere illum, & operante intellectu circa aliquod obiectum operetur etiam phantasia circa illud, vel aliquid eius, aut circa alterum ei simile: in quibus causis manifestum est vnam potentiam nullum concursum physicum præstare alteri, quam mouere dicitur, vel aliquid reale ei imprimere. Et modus iste aliquãdo vocatur imperium, quod dicitur habere voluntas circa alias potentias; aliquando vocatur applicatio ad opus, vel vnam mouere aliam, vel alias dicimus, quantum ad applicationem, vel exercitium, aut quantum ad specificationem actus.

63 Asserit tertio nostra sententia, intellectum, aut imaginationem, non concurrere ad motum progressiuum concursu naturali, sed morali dirigendo voluntatem, vel appetitum, & voluntatem, & appetitum per modum imperantis iam explicatum, & ideo nihil horum esse potentiam motiuam Physicam, & vitalem, præter potentiam executiuã in parte corporis residentem, vt in musculis, aut alijs similibus partibus.

Probatur hoc, quia potentia executiua est causa sufficiens Physica motus progressiui, non indigens alia concausa Physica, sicut quælibet alia virtus motiua inferior: ergo sola ipsa est potentia vitalis loco motiua, quamuis morali modo moueatur à voluntate, vel appetitu, sicut cœteræ potentiæ cognoscitiuæ vitales.

Ex quo infero planè falsum esse, & Aristoteli contrarium asserere, quod potentia executiua passiuè tantum se habeat ad motum progressiuum, & non tanquam principium eius effectiuum intrinsecum, & vitale. Probatur ex 3. lib. de anima, cap. 10. text. 54. vbi sic ait: *Quod autem mouetur, est animal, quo verò mouet instrumento, appetitus, iam hoc corporeum est, vnde in communibus animæ, & corporis considerandum est de ipsis*, docens planè potentiam executiuam esse instrumentum, quo medio appetitus mouet corpus. Instrumentum vero motus constat non se habere passiuè ad motum: sed actiue.

64 Testimonia verò Arist. pro prima opinione de potentia motiua morali modo, hoc est, per imperium, vel applicationem intelligenda sunt, in quo ordine benè potest appellari potentia executiua instrumentum appetitus, quo in eodem sensu vtitur ad mouendum corpus.

Eundem etiam sensum tenuit D. Thom. dum asseruit appetitum mouere eandem potentiam executiuam, quam potius moueri docuit, quam mouere: quia nullam aliam potentiam mouet eo modo, quo ipsa mouetur ab appetitu, Physicè tamen mouet corpus tanquam potentia vitalis præsupposita directione intellectus, aut imaginationis, & imperio, seu applicatione voluntatis, aut appetitus, quibus in hoc ordine mouendi subditur, sicut sensus interni, & intellectus eidem voluntati, & appetitui subduntur; quare nec Arist. nec D. Thom. senserunt potentiam motiuam esse appetitum, aut voluntatem, vt ex verbis eorum facilè potest intelligi.

65 Ad argumentum verò neganda est maior, quod ita anima moueat corpus motu progressiuo, sicut intelligentia mouet cœlum: nam intelligentia mouet tãquam principium assistens, non informans; & ideo tanquam principium omninò extrinsecum, & non vitale, quamuis moueat per intellectum practicum, & appetitum, vnde nec mouet motu vitali: sed omnino inferiori, respectu cuius nullum principium effectiuum intrinsecum habet cœlum, sed purè passiuè se habet tanquam recipiens motum ab intelligentia.

66 Anima verò mouet corpus motu progressiuo, tanquam vera forma eius, veraque anima, & ideo tanquam verum principium intrinsecum vitæ, mouetque motu vitali, & ideo media potentia physica vitali loco

mo-

motiua: sicut sentit medijs potentijs vitalibus sensitiuis; quare factum est, quod præter appetitum non sit ponenda in corpore alia potentia loco motiua: nam appetitus, aut voluntas nō mouet corpus per concursum Physicum, nec tanquam potentia physica. Vnde nec est potentia physica vitalis; & ideo necesse est præter ipsum, ponere physicam, ac vitalem potentiam mouentem physicè corpus; & hæc est potentia vitalis loco motiua, quam non negamus moueri per imperium, & applicationem ab eodem appetitu, aut voluntate, sicut sensus, intellectum, ac cæteras potentias vitales.

67 Ad argumentum secundæ opinionis distinguendum est antecedens, quod motus progressiuus dependeat à potentia motiua, & appetitu tanquam à duobus principijs effectiuis: nam si de principijs effectiuis physicis intelligatur, falsum est, quia neque appetitus, nec intellectus sunt principia physica talis motus, sed quodammodo moralia (vt expositum est:) ex principio verò morali, & physico (cum sint diuersi generis, & ordinis) non sit vnum totale, sed quodlibet in suo ordine concurrit ad motum tanquam completum, & integrum, vt ex dictis est manifestum.

Et hæc sufficiant pro his commentarijs Aristotelicis ad laudem, & gloriam Triadis sanctissimæ, Beatissimæ Deiparæ, Angelicique Doctoris Diui Thomæ, cuius doctrinam tanquam humilis discipulus sequutus, ac tutatus sum, ex qua emanare profiteor, quidquid laude dignum in eis repertum fuerit, atque etiam quidquid fructus pro communi bono literariæ Reipublicæ attulerint.

∴

F I N I S.



TRA-



TRACTATVS DE Anima separata.



IN huius nostri operis Prooemio admonuimus, quod licet consideratio animæ rationalis separatæ à corpore, & omnium quæ ex ratione illius status ei conuenire possunt, per se pertineat ad considerationem primæ Philosophiæ, potius quàm ad naturalem; nihilominus vt completa sit doctrina Philosophica, & ne Philosophus ad perfectam eius a[s]secutionem explicationem illius vniuersalissimæ scientiæ omnino expectare compellatur, aliqua de eodem statu separationis ad calcem eiusdem nostri operis (quanquam breuissimè) tradenda forent, quæ ad quatuor referre placuit. Videlicet ad eius originem, & simplicitatem, ad eius immortalitatem, ad rationem illius status separationis, & ad modum intelligendi, quem in eo statu habitura est. Nam cætera de modo existendi in loco, de motu eius locali, dependent planè ex materia de Angelis; & ideo Theologis relinquenda sunt, prima igitur quæstio erit.

QVAESTIO I.

An anima rationalis educatur de potentia materiæ, vel ex nihilo producatur.

1 PRimus error circa originem animæ fuit eorum, qui existimarunt, partem quandam esse diuinæ substãtiæ ab ea quasi decisam; eo ferè modo, quo semen pars quædam est substantiæ viuentis ab eo decisa.

Primus inuentor huius erroris fuit Carpocrates quidam, vt testatur Irenæus lib. 1. aduersus hæreses, c.24. & eum postea sequuti sunt hæretici (quos Gnosticos vocant) atque etiam Manichæi, & Priscillianistæ, vt docet August. lib. 1. de hæresibus, c.24. & lib. de origine animæ, eiusdem meminit D.Th. lib. 2. contra gentes, c.81. & 1. p. q. 90. ar. 1 & D Bonau in 2. d.17 art.1.q.1. Damnatur autem à Leone I. Epist. 91. atque etiam in Concil. Brachar. 1. c.5 & nos superius rationibus eum refutauimus agentes de substantia animæ. Sed quantum ad modum productionis, quo ponit productam esse animam, euidentem continet falsitatem, quia diuina substantia indiuisibilis est, & partibus caret; ergo repugnat aliquid ab ea extrahi per decisioné,

& cum

& cum sit infinitè perfecta repugnat esse formam, quia ratio formæ incompleta est, & ideo nimis imperfecta.

2 Benè igitur sapiens ille Trismegistus in Asclepio hunc errorem videtur refutasse his verbis: *Mens siue anima non est abscissa ex Dei substantia, sed quasi explicata sicut solis lumen.* Secundus error fuit aliorum, qui tenuerunt animas non fieri à Deo immediatè ex nihilo, sed secundis causis, nempè ab Angelis, vel ab alijs hominibus per seminalē propagationem, aut generationem, sicut fiunt cęteræ animæ sensitiuæ, ac vegetatiuæ ab agēte eiusdem speciei: quem tribuit Aug. lib. de hæresib. c. 84. Tertulliano, affirmans tamen propter hanc positionem non fuisse proclamatum hæreticum.

3 Et ex 5. lib. historiæ Tripartitæ, ca. 44. atque etiam ex. Thom. contra gent. c 86. constat in eodem fuisse errore Apollinarem Alexandrinum, ac tandem in lib. de Ecclesiasticis dogmatibus, c. 13. & 14. tribuitur Luciferianis; & Augustin. ipse agens de modo, quo producantur animæ rationales à Deo. 10. lib. de Genesi ad literam, c. 4. asserit certum quidem esse non produci ex aliquo corpore, sed an producantur ex aliqua substantia spirituali; ita vt Deus aliquam animam ex nihilo fecerit, & ex illa cœteras, vel ex nihilo omnes faciat, non solum sub dubio relinquere videtur, sed magis in eam partem inclinare: quod non omne ex nihilo fiat, vt hæc eius verba ostendunt. Quapropter, si neque de corpore, neque de anima irrationali, neque de seipso Deus animam hominis fecit, restat, vt aut de nihilo eā faciat, aut de aliqua spirituali, tamē rationali creatura. Sed de nihilo fieri aliquid consummantibus operibus, quibus creauit omnia simul, violentum est velle monstrare, & vtrū perspicuis documentis obtineri possit ignoro, &c.

4 Veritas huius rei est, quod anima rationalis, nec sit educta de potentia materię corporeæ, nec de potentia, vel substantia, formave spirituali, nec de aliqua creatura, nec producta ab aliquo agēte, sed à solo Deo ex nihilo. quod est esse propriè creatam, & oppositum huius veritatis non caret temeritate hoc tempore. Præsupponit hæc veritas quod solus Deus potest propria virtute producere aliquid ex nihilo, vt docet, & probat D. Tho. 1, p. q. 44. art. 5. & cum eo tota Schola, & hoc supposito eam tenet cōmunis consensus Scholasticorum, & SS Patrū, præsertim D. Hier. super c. 12. Zach. in principio ad illa verba, fingens spiritum hominis in eo, vbi sic ait: *Dominus igitur, qui cœlum extendit vt pellem, & terram alta mole solidauit, & spiritum hominis finxit, in eo idē animarum creator est omnium, vt ex duobus substantijs anima, & corporis vnum animal compingeret, &c.* Et D. Aug. quamuis alijs locis dubitare videatur, sed in lib. de spiritu, & anima c. 44. expresse id docet his verbis: *Anima nec elementum est, nec ex elementis, sed de nihilo est facta, & soli creatori suo cognita, &c.* D. Thom. 1. cont. gēt. c. 87. & 1. p. q. 118. art. 2. D. Bonau. in 2. d. 8. q. vlt. & cæteri Scholast. ibid. Et ex verbis Scripturæ sacræ colligunt, præsertim ex 2. c. Geneseos vbi dicitur: *Formauit igitur Dominus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ.* Per vitæ spiraculum rationalem animam intelligentes, & inspirationis nomine creationem eiusdem animæ, & infusionē in corpus. Ex illo etiam Eccl. 12 vbi de morte hominis sic dicitur. *Reuertatur puluis in terram suam vnde erat.* Hoc est corpus: *& spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum,* Nempè animam per creationem, &c. Eandē quoq; veritatem assecuti sunt plures philos. quos citat Eugub. lib. 9. de perenni Philo. c. 5 qui quamuis creationem ex nihilo non cognouerint, benè tamen animam non esse factam ex re aliqua, nec eductam de potentia materiæ, sed à solo agente primo productā: quo autem modo, vel per quam actionē, nescierunt. Refert autem idem Eugubinus c. 8. oraculum quoddam Chaldaicum, quod sic habet. *Accelerare opus est te ad lucem, vnde tibi animus est missus multa indutus mente.* Quod oraculum explicans Psellus antiquior, magnusque philosophus, ita loquutus est. Postquam nō ex seminibus accepit substantiam anima, neque corporis subsistit temperamentis, sed à Deo supernè habuit esse, ad illū conuertatur oportet.

7 Et Aristot. 2. lib. de Generat. animal. c. 3. circa mediū hoc idem expresse sentit; nā cum docuisset cæteras animas vegetatiuā, & sensitiuam in semine cōtineri, hoc est, in potentia materiæ, ex qua educuntur ab agente naturali, de anima rationali expresse id negat his verbis *Restat igitur vt mens sola extrinsecus accedat, eaq; sola diuina sit, nihil enim cū eius actione communicat actio corporalis.*

8 Ex quibus hæc ratio satis efficax deducitur ad id probandum. Educi de potentia materiæ, vel alicuius alterius est dependere in esse, & fieri ab eo, vt ex 1. lib. phys. habetur: sed anima rationalis non dependet in esse, & fieri à materia, aut corpore, vel alio subiecto: ergo non educitur ex potētia eius. Minorem probo, quia operari sequitur esse, & modus operandi modum essendi, sed anima in sua operatione propria, quæ est intelligere, non depēdet à subiecto, vel materia, sicut nec potentia, à qua procedit, nempè intellectus, de quo probatum est supra non esse potentiam organicam, & ideo non dependere ab organo, quod est proprium subiectum organicæ potentiæ, nec ipsum, nec propriam eius operationem; & probabitur etiam inferius: ergo esse eiusdem animę modusque essendi non dependet à subiecto, nec proinde dependet in fieri, quia fieri ordinatur ad esse: ergo non educitur de potentia materiæ, vel alterius subiecti.

9 Secundò probatur præsupposita fide, quod anima rationalis permanet post mortem separata à materia, vel corpore; nam ex hoc sequitur euidenter non dependere ab ea in esse, & proinde nec in fieri. Probatur consequentia, quia à quo potest esse naturaliter separatum aliquid, non dependet in suo esse, quod sine illo retinet. Ex eo autem quod anima rationalis non educatur de potentia alicuius, euidenter sequitur ex nihilo fieri, quod est propriè creari; nam creatio non est aliud, quàm productio rei ex nihilo: Probatur consequentia, quia fieri ex nihilo non est aliud, quàm fieri non ex aliquo præsupposito subiecto, sed eo ipso, quod non educitur de aliquo tanquam de subiecto, fit non ex præsupposito subiecto: ergo fit ex nihilo, & propriè creatur.

APPENDIX.

DVBIVM.

10 Præsupposito, quod anima rationalis creata sit à Deo ex nihilo, dubium est quo tempore, vel instanti creetur, videlicet, an prius tempore, quam corpori infundatur, illudque formet, vel non nisi in puncto, vel instanti, in quo verum est materiam esse completè dispositam pro introductione eius.

Et videtur non creari animas in eo instanti, sed prius tempore, hoc est, in principio, quo creatus est mundus creatas fuisse omnes, successu autem temporis corporibus infundi, dum completa est dispositio materiæ. Nam postquam Deus omnia creauit, quæ ad hunc mundum pertinent per sex dierum spatium, dicitur requieuisse ab omni opere, quod patrarat c. 2. Genesis: ergo nihil postea creauit, neq; aliquid nunc creat. Probatur consequentia, quia si aliquid de nouo crearet modo, non requiesceret ab opere, sed operaretur adhuc, quod contradicit Scripturæ verbis.

11 Nihilominus tenendum est, animas rationales non creari à Deo prius tempore, quàm infundātur corporibus, sed in eodem puncto, quo materia sufficienter disposita est creari simul, atq; infundi, & vniri corpori, & contrarium videtur sine erroris saltem periculo non posse defendi, propter verba Leonis primi Epist. 93 ad Episcopum Asturicensem c. 10. quæ sic habēt. *Catholica Fides constanter, atque veraciter prædicat, quod animæ hominum priusquam inspirentur corporibus non fuere, &c.* quæ vniuersaliter videntur intelligenda, hoc est non de solis animabus aliorū hominum, sed etiam de animabus primorum parentum, sic enim id intelligit D. Hieron in Epistola ad Pammachium, & in Epistol ad Cyprian. Damasc. 2. lib fidei cap. 12. Greg Nyss. in lib. de homine, c 29 & D. Th. 2. contra gent. cap. 83 & 1 par. q. 90. art. 4 & q. 118. art. 3. D. Bonau in 2. dist. 9. ar. 1. quæst. 3. & Scholastici ibidem, quamuis de anima Adæ solum vt probabilius id videatur tenere D. Augustin. 12. libro de Ciuitate Dei c. 23.

cap 13. Tunc autem creari animam cum pri mum completa est dispositio materiæ, in qua recipienda est, & non prius tempore, consonum esse naturæ animæ rationalis probauit Aristoteles ex differentia inter causas efficientes, & formales, quod illę possunt prius tempore existere, quam operentur, non verò formales, sed simul ac fiunt, informant, sed constat animam rationalem esse veram formam: ergo non prius fit, quam materia sit complete disposita, sed simul.

12 Verba Aristotelis sunt. *Causæ itaque mouentes tanquam antea ortæ existunt, quæ verò vt ratio simul sunt, cum enim sanus fit homo, tunc etiam sanitas est, & forma aneæ sphæra, simul atque ænea sphæra. Si autem aliquid posterius permanet, considerandum est, in quibusdam enim nihil prohibet, veluti si anima tale sit non omnes, sed intellectus, omne namque fortassis impossibile.*

Quibus non solum probat intentum, sed quandam obiectionem insinuat, quæ contra se fieri potest hoc modo. Anima rationalis potest naturaliter permanere sine corpore: ergo potest etiam ante illud esse. Probatur consequentia, quia si potest sine illo esse a parte post, ideo est, quia esse eius non dependet a corpore, sed hoc idem a fortiori probat posse esse ante illud. Solutionem huius argumenti insinuauit D.Thom.1.par.q.118. art. 3. ad 3. quæ hoc modo perficienda est: anima rationalis duo habet ex propria natura, & quod sit forma existere potens separata a corpore, & quod sit forma corporis corruptibilis, & ex vtroque: sed præsertim ex vltimo prouenit illi sic informare corpus, vt naturaliter futura sit aliquando sine illo: consonum est igitur naturæ eius esse sine corpore post primam informationem, non tamen quod sit sine corpore ante illam, sed contrarium potiùs naturę formalis causæ est esse prius tempore, quam formalem effectum tribuat materiæ, aut subiecto, vt asseruit Aristoteles:

13 Quod secundo probari potest ex ipsa natura formalis causæ, ex qua motus fuit Arist. ad id asserendum, quia forma habet esse incompletum, & partiale ordinatum ad cōstituendum compositum cum alia parte se illi communicando, vnde sequitur, vel nō posse naturaliter esse ante compositum, si sit corruptibilis, vel saltē non esse suæ naturæ consonum, vt ante illud sit, quia toto illo tempore, quo illud antecederet, priuaretur suo fine ac perfectione naturali, quia non se communicaret corpori, neque constitueret compositum: quam perfectionem non potest habere semper; quin potius naturaliter futura est sine illa, quia forma corporis corruptibilis est & aliquando naturaliter, & necessario corrumpendi. Quare consonum est naturæ eius permanere sine corpore post primam informationē: dissonum verò ante illam, & proinde non potest naturaliter creari ante infusionem in corpore, quamuis possit esse sine corpore post primam informationem.

14 Ad argum. verò in contrarium ex Genesi. Respondetur cessasse Deum post sextum diem, vel requieuisse a nouis rerum generibus, & speciebus condendis, quæ nullo modo præextiterunt in primis operibus a se factis, sed omninò ab eis diuersis. Ex quibus certum est nihil nouum fecisse post primam creationem rerum, non tamen cessasse ab eisdem rebus nunc condendis, & in suis speciebus multiplicandis; quod in corporibus quotidie de nouo genitis est manifestū, pro quorum generatione postulat natura eorum vt producantur nouæ animæ, quibus ex intrinseca ratione formæ naturale est in eo puncto, in quo completa est dispositio corporis, creari simul atque infundi eisdem corporibus, & non prius tempore, vt probauimus. Itaque non potest intelligi Deum omninò requieuisse ab opere: cum Christus dixerit Io.5. Pater meus vsq; modo operatur, & ego operor: operatur verò, & operabitur ad conseruandas species in principio a se productas per nouam atq; continuam productionem indiuiduorum, quę secundum exigentiam naturæ postulant nouam creationem animarum. Noua igitur creatio animarum non contradicit sensui prioris testimonij, & cōsentanea est verbis posterioris. Hęc est solutio D.Th.1.p.q.118.art 3. ad 1. prius quidem tradita a D.Hier. vt testatur August. epist. 27. ad eundem Hier. vbi eam ipse sequitur, & meritò quidem: cum per vnum Scripturæ locum explicet alium iuxta optimum interpretandi modum, quo vtuntur passim Sancti Patres.

QVAESTIO II.

Vtrum anima rationalis sit simplex forma purè spiritualis.

Prior pars quaestionis.

15 DVo postulat titulus praesentis quaestionis. Primum, an anima rationalis sit simplex, vel aliquo modo composita: postremum, an sit purè spiritualis; ideo in duplicem partem placet quaestionem diuidere.

16 Circa primam verò de simplicitate animae rationalis, videtur necessario ei tribuenda aliqua compositio realis ex materia, & forma; siue corporeis, siue spiritualib. Quod probo ex Aristotel. 8. lib. Metaph. ca. 8. textu 16. afferente, quod ea, quae materia carent, non habent causam sui esse, sed euidens est animam rationalem habere causam sui esse: cum sit creata à Deo ex nihilo: ergo necessario concedendum est habere materiam. Et cum ipsamet anima ex propria ratione formae sit actus, habebit potentiam, & actum in ea receptum, ex quibus sit realiter composita, & ideo non erit simplex forma. Probatur etiam ratione, quia si anima rationalis non habet materiam, seu potentiam, ex qua simul, & actu componatur, erit purus actus, & simplicissimus, sicut Deus, quod patet esse falsum. Probatur antecedens, quia Deum esse purum actum, & entitatem simplicissimam non est aliud, quam carere omni materia, aut potentia reali receptiua, atque etiam omni compositione reali.

17 Vera sententia, & à nobis tenēda est, quod neque anima rationalis, nec alia quaecunque forma substantialis, potest esse composita ex materia, & forma, siue ex potentia receptiua reali, & actu reali, seu forma in ea recepta. Ita tenent de anima rationali Diu. August. 7. lib. de Genes. ad literam, cap. 7. & D. Thom. 1. p. q. 75. art. 5 de quacunque anima, & est communis in Schola, ita vt nemo sit, qui talem compositionem tribuat animae. Probatur primo ratione D. Thom. nam vel anima, aut quaecumque form[illegible] informat secundum se totam, vel [illegible] aliquam sui partem; si secundum se totam; ergo secundum se totam est actus; quare n[illegible] habebit potentiae receptiuae, ex qua co[illegible]natur: si verò solum informat secundum aliquam sui partem, & non secūdum alteram, ergo solum erit actus, & forma secundum illam partem, & secundum aliam erit potentia receptiua eiusdem formae; & ita fiet vnum per se completum ex vtraque parte, quia ex potentia per se, & actu per se completum quid resultat, & hoc erit primum animatum, & non aliud, quod cum materia corporea constituit animal, & vtrumque destruit rationem formae, & animae, quae ex propria natura est eius incompletum, & non animatum, sed constitutiuum corporis animati.

18 Secundò, quia si talis compositio formae admittatur, vnum è duobus sequitur euidenter; nempè, aut dari processum in infinitum in compositionibus Physicis ex materia, & forma, aut deueniendum tandem esse ad aliquam formam carentem tali compositione.

19 Probatur consequentia, quia si animae, aut forma componitur ex materia, & forma corporea, aut spirituali, vel forma huius cōpositionis est omnino simplex, vel adhuc composita, si composita est; ergo ex altera materia, & forma, & de hac procedit eadem quaestio, & ita in infinitum: si verò dicatur non esse compositam, sed simplicem; ergo datur iam forma omnino simplex absque tali compositione, quae si semel admittitur, sine fundamento negatur cuicunq; formae, vel animae, praesertim rationali, cum sit perfectissima.

20 Vt autem ad primum arg. deductum ex testimonio Arist. respondeamus, adnotare oportet discrimen inter res materiales ex vna parte, & immateriales ex altera, quantū ad modum dependendi à suis causis in esse, & fieri, quod materiales dependent in suo esse à causa formali; nempè à forma, à qua recipiunt esse, & à materiali recipiente in se formam; in fieri verò dependent ab efficiente sua actione transmutante materiā de potentia ad actum, educenteque formam de potentia eius, vel saltem vniente eidem materię; immaterialia verò non dependent in suo esse, neque in suo fieri vllo modo à causa

causa formali: nec ab efficiente sic transmutante materiam: immo neque ab aliqua causa particulari, sed à sola prima, & per actionem longè diuersam, quam per modum simplicis emanationis à primo agente intelligimus, & quasi simplicem participationem, atque immediatam totius esse vocamus, & cum non præsupponat materiam, vel subiectum, creatio dicitur, hoc est, quasi immediata productio totius entitatis ex nihilo, quam nec Aristoteles, nec cæteri philosophi eo antiquiores in particulari videntur cognouisse, sed confusa tantum ratione distinxit Aristoteles modum procedendi rerum immaterialium à materialibus, euidenter cognoscens illas non habere vllam causam formalem sui esse, nec efficientem particularem, à qua per transmutationem materię, & eductionem formæ fiant, sicut materiales habent, sed solum fieri per immediatam participationem sui esse à primo agente, & iste est germanus sensus illius loci, vt docet D.Thom. 1. par. q. 75. art. 5. ad 3. ex quo nihil probatur aduersus simplicitatem animæ rationalis.

22 Ad argumentum concesso quidem antecedente, quod anima rationalis careat cōpositione reali essentiali ex forma, vel actu reali, & ex materia corporea, vel spirituali, neganda est consequentia, quod sit purus actus, quia esse purum actum excludit omnē potentiam realem, & ideo omnem compositionem, non solum essentialem, sed substantialem, & vtramque habet anima, essentialem quidem potentiam, in quantum essentia eius non est eius esse, & ideo non est in se completa, sed habet esse participatum à primo agente, sibique proportionatum, per quod completur: compositionem verò substantialem, quia eadem essentia, vel natura tanquam potentia realis respectu eiusdem esse, quod se habet ad illam tanquam realis actus substantialiter eam terminans, atque complés, efficit cum eo compositionem realem substantialem ei similem, quæ in Angelis reperitur, quamuis non physicam ex materia, & forma: ex tali verò compositione vnum quid subsistantiale subsistens (licet incompletum cum sit forma) resultat.

23 Quæ cum ita sint, constat animam non esse purum actum, licet compositione physica ex materia, & forma careat, sed est simplex essentia incompleta, ac partialis: potentiam nihilominus essentialem habens, quia intra propriam essentiam eam includit, atque etiam compositionem substantialem cum proprio esse.

Prior pars quæstionis.

24 Sed restat adhuc inquirendum in posteriori parte quæstionis, an anima sit pure spiritualis, ita vt in sua entitate nihil corporis admixtum habeat.

Quod vt melius intelligatur, duplex corpus excogitare debemus, physicum, aut materiale, quod est materia ipsa, vel ex materia compositum aptumque extendi per quantitatem; aliud vero quod nihil horum habet, sed subtilius est, & quasi ordinis superioris; & ideo non efficiens rem materialem.

Et secundum priorem acceptionem accepto corpore videtur renuisse Plato, quod anima sit corpus, vt retulit, & refutauit Aristoteles in primo libro; quam positionem tribuit August. Luciferianis hæreticis in libro de hæresibus non longè à fine, dubitans, an sit inter errores contra Fidem enumeranda, & affirmans etiam ibidem eam tenuisse Tertullianum, nec tamen propterea vocatum fuisse hæreticum, sed quia ad Cataphryges hæreticos transiens secundas nuptias cum eis detestatus est. Et eandem tribuit Origeni D.Hier. in epistola ad Pammachium, & tandem in lib. 5. historiæ Tripartitæ cap. 44. refertur pro ea Apollinaris quidam Alexandrinus.

25 Corporeo verò iuxta posteriorem acceptionem desumpto plures ex Sanctis Patribus videntur sensisse animam rationalem esse corpoream: illi inquam omnes, qui de Angelis tenuerunt subtilia quædam habere corpora ex propria natura, vt refertur 1. p. q. 50 art 5. à recentioribus, quod etiam tenuit Ioannes Thessalonicensis episcopus his verbis relatis in Concilio Nicæno 2. actione 5. in principio. *De Angelis, & Archangelis, & eorum potestatibus, quibus, & nostras animas adiungo, ipsa Catholica Ecclesia sic sentit, esse quidem intelligibiles, sed non omnino corporis expertes, & inuisibiles, verum tenui corpore preditos*, & inferius: *nemo, vel Angelos, vel Dæmones, vel animas dixerit incorporeas.*

Ex quibus colligit pium esse vsum imaginum, quibus repræsentantur, & in quibus adorantur; & ideo sententiam eius videtur approbare Concilium.

26 Et in lib. de Ecclesiasticis dogmatibus (quem referunt inter opera D. August. tomo 3. cap. 11.) vniuersaliter statuitur solum Deum omnino incorporeum esse, & omnẽ creaturam, etiam Angelicam corpoream his verbis: Nihil incorporeum, & inuisibile natura credendum est, nisi solum Deum, idest, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum. Creatura omnis corporea est, Angeli, & omnes cœlestes virtutes corporeæ, licet non carne subsistant, &c. Et licet id non asserant expressè D. Hieron. & D. August. dubitare videntur, Hieron. quidem super 10. cap. Matthæi ad illa verba. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere*, vbi sic ait: *Si qui corpus occidunt, animam non possunt occidere, ergo anima inuisibilis, & incorporalis est, secundum crassiorem dico nostri corporis substantiam.* August. verò in epist. 18. ad Hieron. non longè à principio hæc verba scribit: *Quapropter, si anima corpus esse dicenda est, non est certè corpus, quale terrenum est, nec quale humidum, aut aereum aut æthereum, &c.*

27 Veritas huius rei est, quod anima sit simplex quidam, atque purus spiritus nihil corporis quantumlibet subtilis habens. Ita sentit vniuersa Schola Philosophica, atque Theologica; & quamuis aliqui ex Sanctis Patribus obscurè aliquãdo de hac re loquantur, & aliqui videantur aliquando dubij, si tamen diuersa eorum opera legantur, & verba expendantur, absque dubio inuenietur tenuisse ferè omnes animam rationalem esse prorsus incorpoream, ita vt neque aliquid subtilis corporis permixtum habeat, quidquid de Angelis nonnulli dixerint; nã eam vocant incorpoream, atque spiritualem substantiam, sine vllo additamento corporis.

28 Ita D. Dionys. c. 4. de diuinis nominibus Ambros. in lib. de Noè, & arca. August. 6 lib. de Trinit. c. 6. & in lib. retract. cap. 56. Gregorius 4. lib. dial c. 6. & lib. 5. moral. cap. 26. Nazian. in apologe. ca. 1. Damasc. t. libro fidei c. 12. Nyssen. in lib. de Opificio hominis cap. 4. & 15. & lib. 2. philosophiæ, vbi testatur ita sensisse Platonem. Ita etiam sentiunt Scholastici cum D. Thom. 1. p. q. 65. ar. 3. Omnesque interpretes Arist. 2. lib. de anima ca 2. & 3 Et potest colligi ex diuersis locis Scripturæ, in quibus anima rationalis vocatur spiritus, Ecclesiastici vlt. vbi de morte hominis sic dicitur: *Quousque reuertatur puluis in terram suam, vnde erat, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Ad Rom. 8. *Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro quia sumus Filij Dei.* Et Lucæ 22. *in manus tuas cõmendo spiritum meum.* Est autem certum in his locis, non sumi spiritum pro aere, aut vẽto, quia nunquam pro vento accipitur, nisi vbi ex contextu literæ significetur, aut ex antecedentibus, & consequentibus intelligatur vt Ioannis 3. *Spiritus vbi vult spirat, & vocẽ eius audis, sed nescis vnde veniat, aut quo vadat.* Sumitur ergo pro re incorporea, quare efficaciter satis probatur ex his locis quod anima sit incorporea, quemadmodum ex illo Ioannis 4. *Spiritus est Deus: & eos, qui adorant eum, in spiritu, & veritate oportet adorare.*

30 Efficaciter probant S. Patres Deum esse omnino incorporeum, vt testatur D. Th. 1. p. q. 3. art. 1. Quod vsque adeo verum est, vt nonnulli putauerint tanquam veritatem fidei definitum esse quod anima rationalis sit spiritualis, & omnino incorporea in Cõcilio Later. c. de summa Trinit. & fide Catholica his verbis. *Deus ab initio vtramq; de nihilo condidit creaturam, corporalem, & spiritualem, Angelicam scilicet, & mundanam, ac inde humanam quasi communem ex spiritu, & corpore constitutam:* Mihi vero non videtur definitionem hanc ad id se extẽdere, sed solum ad veritatem illam, quam aduersus errorem Manichæorum de duobus principijs bono, & malo intendebat Cõcilium: de cæteris verò nihil nouum definitur, sed quasi pro doctrina communi recitantur. Nihilominus licet de fide non sit hæc nostra veritas, existimo non solum absque temeritate, sed absq; erroris periculo negari non posse.

31 Probatur autem ratione philosophica à posteriori ex operationibus animæ rationalis proprijs hoc modo (nam à priori non potest ostendi.) Si anima rationalis secundum propriam entitatem aliquo modo corporea est, cum sit forma corporis, sequitur omnes eius potentias corporeas esse, cõmunesque corpori, & consequenter organicas, & actus earũ per organa corporea exerceri, quod euidenti experientia contrarium est: cum nullum detur in corpore organum potentiæ intellectiuæ ab ea informatũ, nul-

lave

laue pars, cuius sit forma specialis, vt cōstat dari in cæteris potentijs organicis.

32 Sensum autem, quem Sancti Patres citati pro opposita sententia tenuerunt, intelligemus, si verba D. Aug. quæ in eadem epis. 18. ad D. Hier. nō longè à principio scripsit, inspiciamus, quæ ita habent. Incorpoream quoque esse animam, & si difficile tardioribus persuaderi potest, mihi tamē fateor esse persuasum, sed ne verbi controuersiam, vel superfluè faciā, vel merito patiar, quoniam cum de re constat, nō est opus certare de nomine, si corpus est omnis substātia, vel essentia, vel si quid aptius nuncupatur id, quod aliquo modo est in se ipso corpus est anima. Item si eam solum incorpoream placet appellare naturam, quæ summè incommutabilis, & vbique tota est, corpus est anima, quoniam tale aliquid ipsa non est. Porrò si corpus nō est, nisi quod per loci spatium aliqua longitudine, latitudine, altitudine ita sistitur, vel mouetur, vt maiorem locum occupet, & breuiore breuiorem, minusque sit in spatio, quàm in toto, non est corpus anima, per totum quippe corpus, quod animat, non locali diffusione, sed quadam vitali intensione porrigitur: nam per omnes eius particulas tota simul adest, nec in minoribus minor, & in maioribus maior, sed alicubi intensius, alicubi remissius, & in omnibus tota, & in singulis tota est.

33 Quibus triplicem acceptionem corporis distinguit D. Aug. primam vniuersalissimam, & ideo valdè impropriā pro qualibet natura, vel essentia reali habente esse in se, hoc est, per se, & in se subsistente, vt distinguatur ab accidentibus, in qua acceptione, non solum cœlos, & elementa, nec solū Angelos, & animam rationalem, sed Deum ipsum corporeum nonnulli vocarunt.

34 Secūdam verò minus vniuersalem, & ideo minus impropriam pro natura quacunque finita, & limitata, nō solum certo genere, & differentia, sed certo quodam loco, extra quem non reperitur, in qua acceptione quamlibet naturam extra Deum corpoream appellarunt, & propterea, non solum cœlestia, atq; inferiora corpora, sed Angelos, & animam rationalem. Et in hoc sensu intelliguntur verba illa citata ex libro de Ecclesiasticis dogmatibus, quibus vniuersaliter dicitur, nihil omnino esse in corporeum præter Deum, & si quæ sunt similes loquutiones apud S. Patres. Et huic acceptioni valde similis est quædam alia comparatiua, quam tradit D. Greg. lib 3. moral. c. 2. vbi loquens de Angelis ait, *Ipsi illorum spiritus comparatione quidem nostrorum corporū spiritus sunt, sed comparatione summi, & incircunscripti, spiritus sunt corpus.*

35 Qua etiam acceptione vtūtur alij Sancti, & Angelos & animam nostrā corporeos vocantes, quia licet corpore careant & spiritus sint, sed quia longè absunt a summa illa puritate, & immaterialitate diuini esse; comparatione illius nō spiritus, sed corpora merito vocantur, nec immateriales substantiæ, sed materiales.

36 Vltima acceptione corporis, inquit Aug. sumi corpus pro substantia capaci extēsione quantitatiua, & ideo habente partes maiores, & minores, non solum secundum entitatem; sed quia maior, vel minor pars loci eis debetur ratione quantitatis, cuius capaces sunt, & hanc solam acceptionem corporis propriam ipse arbitratur, iuxta quam incorpoream vocat animam nostram. Et ita senserunt omnes sancti, qui propriè locuti sunt de corpore, cæteri verò ferè omnes, qui aliquo modo corpoream esse insinuant, vel asserunt, secundum priores acceptiones improprias eiusdem corporis loquuntur, vel certè acceptione illa comparatiua (à D. Gregor. exposita) vtūtur, & ideo à veritate non recedunt secundum propriam intellecta à cœteris Sanctis, vel etiā ab ipsismet diuersis in locis suæ doctrinæ

37 Sententia autem illa Ioannis Episcopi Tessalonicensis solum fuit approbata à Concilio quantum ad intentum præcipuum eius de conseruando imaginum vsu, de quo solo tunc agebatur, rationem verò quam attulit de corporeitate Angelorum, & animæ, neque approbauit, nec refutauit Concilium, quia ad rem non pertinebat; quare ex verbis eius nullum potest deduci argumentū aduersus veritatem confirmatam, sed potius vt omnino falsa, & in fide periculosa reijcienda est illa sententia.

QVAESTIO III.

De immortalitate animę secundum Philosophos.

Quidnam antiquiores Philosophi & præsertim Aristoteles, senserint de immortalitate animæ rationalis.

38 Immortalitas dupliciter sumi potest. primo, pro eo quod adeo necessarium esse habet, vt contradictionem implicet illud amittere, vel esse desinere; & in hac acceptione nulla creatura quantumlibet spiritualis, aut independens à corpore potest esse immortalis, sed solus Deus, cuius esse à nullo prorsus dependet; qua acceptione vsus est D. Paulus primæ ad Timoth. 6. vbi de Deo loquens asseruit. *Qui solus habet immortalitatem.*

39 Posterior significatio immortalitatis est pro eo, cuius esse nullum habet desinendi principium, & ideo natura eius postulat, vt postquam illud accepit, perpetuo retineat, in eoque conseruetur, & proinde licet à Deo dependeat, à quo emanauit, non tamē potest secundum potentiam ordinariam illud destruere, & in hoc sensu Angeli sunt immortales, quia nullum intra se habent desinendi principium, & ideo debita est eis perpetuitas. In quo etiam sensu quærimus, an animæ rationali debeatur perpetuitas, & sua sit natura immortalis, & quidnam de hac re senserint antiquiores Philosophi. Nam valdè inter eos controuersum hoc fuit, & dignum absque dubio est, in cuius discussione ingenia exerceantur.

40 Et negatiuam partem tenuerunt in primis Epicurei omnes, quos Plinius secutus 7. libro historiæ naturalis, cap. 55. & plures alij, putantes animam cum corpore interire. Galenus verò Medicorum peritissimus dubius fuisse videtur, quia diuersis suæ doctrinæ locis diuerso modo loquitur, in libro namque qui inscribitur: *Quod animi mores corporis temperamentum sequantur*, Platonem reprehendit, quod immortalitatem animæ concesserit.

Sed in libro de tremore, & rigore asserit non decipi eos, qui eam immortalē ponunt. Et quod Aristo. immortalem esse negauerit sentiunt multi, vt Iustinus Philosophus. & Martyr in sua parænesi, Theodosius quoque in libro de natura hominis, Greg. Nyssen in lib. de anima. Gregor. Nazianz. in disputatione contra Eunomium. Plutarc in lib de placitis Philos. ca. 1. Pompon. in suo lib de immortalitate animæ, Simon Portius in libello de mente humana.

41 Quod probant primo ex 8. lib. Phys. & ex lib. 3.; nam in priori loco posuit mundum fuisse æternum, ex quo euidenter colligitur, (si im mortalis est anima) quod dentur actu infinitæ, quia in infinito tempore infinito fuissent geniti homines, qui licet passim intereant, permanebūt nihilominus omnes animæ, eruntque actu infinitæ, sicut infiniti forent homines, si nullus perijsset; sed in loco posteriori asseruit, & probauit nō posse dari infinitum actu in rebus: ergo vel sibi apertè contrarius erit, vel sentire non potuit quod immortalis esset anima nisi fortè Pythagoricum errorem admisisset de transmigratione earundē animarum in diuersa corpora, suæ doctrinæ apertè contrarium.

42 Secundo, quia si animam putasset immortalem, necessario sentiret, non fuisse edu ctam de potentia materiæ, quia quidquid de potentia materiæ educitur, corrumpi tandem necessarium est, sed quod non educitur de potentia materiæ, per locum ab intrinseco debet fieri ex nihilo, & ideo per creationem; ergo cognouisset creationem, quod patet esse impossibile; cum pro certo ipse tenuerit cum omni ferè Philosophorū turba ex nihilo nihil fieri.

Tertium testimonium habetur 1. lib. Metaph. c. 7. text. 39. vbi describit sempiternam fœlicitatem, docens hominibus non nisi per breue tempus huius vitæ conuenire. Vnde Solonem reprehendit primo libro Ethic. capite decimo, quod veram hominis fœlicitatem post mortem superesse dixerit: hæc vero stare non possunt cum immortalitate animæ: ergo non putauit esse immortalem.

43 Vltimum tandem habetur 1. lib. de anima, c. 1. tex. 10. vbi de intellectu loquens conditionalem hanc protulit, si autem est, & hoc

hoc imaginatio quædam, vel non sine imaginatione, non contingit hoc sine corpore esse: sed 3. lib. de anima docuit expresse intellectum non esse sine imaginatione, vel quod idem est, sine conuersione ad phantasmata non intelligere: ergo censuit intellectum non posse sine corpore esse, nec operari, & proinde post corpus non permanere, & consequenter neque animam, cuius potentia propria est inseparabilis ab eo.

Secunda opinio expensis diuersis testimonijs in vtramque partem, dubium de hac re finsse affirmat. Ita Scot. in 4. dist. 43. q. 2. art. 2. Heruæus in 1. dist. 1. q. 1. & quodlib. 1. q. 11. & Nimphus in opusc. de immortalitate animæ, c. 1.

44 Nihilominus longè plures Philosophi & maioris momenti expressè renuerunt immortalitatem animæ rationalis, Pherecides, vt refert Tullius 1. Tusc. q. Pythag. Trismegistus, Diogenes, Thucyd. Thales, Milesius, Zoroaster, Anaxagoras, Aratus, Plotinus, Porphyr. Proclus, Numercus, Theophil. Tullius. Quos referunt Nicolaus Fabentinus lib. 1. de immortalitate animarum ad Clemen. VIII. cap. 11. & Eugub. lib. 9. de perenni Phil. & egregiè Plato hanc partem tutatus est in Timæo, Philebo, & Menone, atque etiam in lib. de Repub. Verum est quosdam ex his Philosophis, præsertim Stoicos, putasse non semper durare animam, sed corpore solutam longo post tempore debilitari, & tandem perire: sapientum verò animas vsque ad mundi finem perseuerare: Alij verò paruo tempore durare censuerunt.

45 Sed maior, & melior pars eorum absolutam immortalitatem concessit, & perpetuam durationem. Et de Aristot. quoque plures prioribus asseueranter docuerunt immortalem fecisse animam, Olympiodorus, Ammoni. Philop. Simpl. Auicenna, quos refert Mirand. lib. 4. de examine vanitatis, cap. 9. D. Thom. 2. contra gentes, cap. 79. & ibidem Ferrar. 8. lib. Physico. lection. 12. & 12. metaph. lect. 3. & sæpe alibi. Albertus Magnus tract. 2. dist. 18. quæst. 3. Eugub. lib. 9. de perenni Philop. c. 18. & sequentibus. Et est iam communis sententia recentiorum, quam vt longe probabiliorem semper secutus sum, quia illustrioribus longè testimonijs eius, & multo maiorem fidem facientibus probatur, & potissimum habetur 2. lib. de gener. anim. c. 3. vbi postquam probauit de cæteris animabus in virtute seminis contineri, & ab ea in actum deduci ab agente naturali de anima rationali expressè id negat, ac simul asserit deforis aduenire.

46 Ex quo efficaciter sequitur ex mente eius esse immortalem, quia forma quæ non continetur in potentia materiæ, neq; ab ea deducitur ab agente naturali, non potest, nisi a Deo creata ex nihilo in materiam infundi: verba Aristot. hæc sunt. *Restat igitur vt mens sola extrinsecus accedat, eaq; sola diuina sit, nil enim cum eius actione communicat actio corporalis*. Et similia verba protulit 1. lib. de anima, cap. 4. text 65. & 66. vocans intellectum nostrum diuinum, & passionis expertem. Et lib. 2. cap. 1. textu 11. nihil obstare ait, quo minus aliquæ partes animæ separabiles sint per eas significans intellectiuam, quia nullius corporis sunt actus. Et lib. 2. tex tu 21. intellectum qui speculatur, asserit esse aliud quoddam genus animæ a sentiente, & vegetante distinctum, tanquam perpetuum a corruptibili, separarique posse, lib. etiam 12. Metaphys. cap. 3. tex. 17. docet dissoluto corpore posse permanere formam eius, quod de sola anima rationali constat verum esse posse.

47 Ad testimonia verò in contrarium opposita respondendum est, & ad primum ex 3. & 8. lib. Physicorum concedimus Aristotelem docuisse, quod mundus fuerit ab æterno, ex quo negari non potest, quod euidenter sequatur dari infinitum numerum animarum: sed in 3. lib. physicorum solum asseruit, & probauit non esse possibile actu infinitum in corporibus: ita vt nec factibile sit corpus actu infinitum, nec numerus infinitus corporum: de numero verò rerum spiritualium, an possit esse actu infinitus, vel non, nihil prorsus differuit: vnde nihil contradictionis ex his locis deduci potest, etiam si animam rationalem immortalem esse senserit.

48 Ad secundum concedimus sensisse Aristotelem, quod anima rationalis non educatur de potentia materiæ, sed quod a sola prima causa fiat, quo autem modo, nempe ex aliquo, aut ex nihilo non explicuit, potuit verò certus esse, quod non fieret per eductionem de potentia materiæ, modum vero particularem, quo producta fuerit nondum exploratum habuisse.

Aliud

Aliud autem, quod additur ex 2. lib. de gener. animal. necessariò debet intelligi de potentia materiæ, in qua, non ex qua, hoc est, de potentia materiæ receptiua, non eductiua, aut nō ex qua educatur, si enim de potentia ex qua intelligatur, dabitur aperta contradictio in verbis eiusdem paginæ: cum statim de anima rationali doceat deforis aduenire, hoc est, non de potentia materiæ educi, aut produci, sed a solo Deo.

49 Alia de fœlicitate opposita intelligenda sunt de fœlicitate huius vitæ, vt ex antecedentibus, & consequentibus deduci potest. Quod vero asseruit 3. lib. de anima, c. 5. text. 20. intellectum possibilem corrumpi, omnes ferè interpretes exponunt de imaginatione, quam eo loci per intellectum significauit, vt contextus, & verba planè ostendunt, & vtitur eodem modo loquēdi sæpe in eodem 3. lib. de anima.

Postremum verò testimonium egregiè exposuit Caiet. iuxta contextum literæ, asserens sensum illius conditionalis non esse, quod si intelligere est imaginatio, vel non sine imaginatione, non sit separabile a corpore, aut immortale: sed non erit sine corpore, quasi dicat, non erit in sola anima tanquam in subiecto, & ideo neque erit propria operatio eius: sed erit totius coniuncti, sicut imaginatio totius coniuncti operatio est.

50 Quod verò dicit, aut non sine imaginatione, intelligit absque dubio eo modo, quo imaginatio non est sine sensu externo accipiendo species sensibiles, aut materiales ab illo: ita si intelligere non sit sine imaginatione, a qua species materiales, ac sensibiles accipiat, non erit operatio propriæ animæ, recepta in ea, tanquam in subiecto: sed totius coniuncti, sicut eadem imaginatio.

QVAESTIO IV.

Quid sentiendum sit de immortalitate animæ secundum principia luminis naturalis.

51 Sadducæi magnæ auctoritatis viri apud Iudæos, vt refertur in Euang. Matt. 22. & Act. 23. tenuerunt animam rationalem mortalem esse, & cum corpore interire. Quem errorem suscitauerunt postea hæretici quidam, quos retulit Castro 2. lib. aduersus hæreses, verbo Anima, hæres. 1. circa annum 245. Nec multum dissimilis fuit error alter in partibus Arabiæ exortus circa annum 24 cuius meminit D. August. in lib. de hæres. n. 85. & quem Euseb. retulit lib. 6. hist. Eccl. c. 27. eorum, qui dixerunt interire quidem animam cum corpore: sed in communi resurrectione reuiuiscere.

52 Secunda sententia immortalem quidem in eo sensu vocari posse animam asserit quod in perpetuum duratura sit ex Dei voluntate gratuita eam semper conseruante, non quod ex natura sua immortalitatem habeat; quo pacto primi homines (si in statu originalis iustitiæ permanerent) ex dono, aut gratia Dei immortales forent: sed ex propria natura corruptibiles. A qua sententia non longe recesserunt alij (inter quos refertur Pomponatius) asserentes secundum fidem nostram immortalem esse animam, non secundum principia naturalis Philosophiæ: sed ex hoc cap. mortalem potius probari.

Alij deniq; temperatius loquentes dixerunt, saltem non posse conuinci, aut demonstrari immortalitatem animæ ex principijs luminis naturalis, sed probabilibus dumtaxat rationibus probari Ita Sco. in 4. d. 43. q. 2. Caiet. in c. 9. Epist. ad Rom. & c. 4. Eccles. vbi etiam Vatablus n. 2.

53 Nostra sententia duabus assertionibus explicatur. Prior est, *animam rationalem sua natura esse immortalem, ita vt perpetua conseruatio eius in esse, quod accipit per creationem non sit ex gratia Dei, sed ex propria natura ei debeatur, sicut debetur Angelis.* Probatur primo ex eo, quod docuimus superius, nempe animam non educi de potentia materiæ, sed a Deo immediatè produci ex nihilo per creationem, ex quo efficaciter sequitur naturæ eius deberi perpetuam durationem, & conseruationem. Ita vt nec possit ab aliquo agente naturali corrumpi, vel destrui postquam creata est, sed a solo Deo per annihilationem, & quidem solum per potentiam absolutam, non ordinariam, quæ naturas rerum, & ordinem, quem ex eis postulant, respicit. Quod non tollit, quin sit ex propria natura immortalis.

Secundò probatur ex illo verbo Christi Matt. 10. *Nolite timere eos qui occidunt corpus, ani-*

animam autem non possunt occidere. Ex quo ita arguo, Nulla datur virtus, aut potestas in hominibus ad corrumpendam animam, nec per corporis diuisionem, nec occisionem; nec per applicationem alicuius agentis naturalis, vel alio quouis modo: ergo ex propria natura incorruptibilis est. Probatur consequentia, quia si naturaliter foret corruptibilis, posset aliquo ex prædictis modis corrumpi.

Quod etiam vrgeo ex definitione Concilij Lateranen. 3. sub Leone X. sess. 8. vbi duo decernuntur de anima rationali eisdem verbis. Nempe per se, atque essentialiter esse veram corporis formam, & immortalem: ergo decreuit Concilium vtrumq; habere ex propria natura.

54 Quod tandem confirmat communis consensus Sanctorum Patrum, imò, & fidelium omnium, qui perpetuam durationem, & proinde immortalitatem debitam esse naturæ eius intelligunt. Vnde colligo, non solum temerarium, sed periculosum esse in Fide asserere, quod anima rationalis sua natura mortalis sit, & ex sola gratia, aut voluntate Dei immortalis, vel duratura in perpetuum.

55 Secunda assertio, *non solum conuenit animæ rationali immortalitas ex propria natura, sed euidenti ratione probatur esse immortalem.* Hanc etiam tenent recentiores quidam esse ita certam, sicut præcedentem: ita vt negare, quod immortalitas demonstretur de anima temerarium, & in fide periculosum esse velint.

Quod probant, quia si certum est, quod ex propria natura conuenit ei esse immortalem, eodem modo erit certum, quod ex principijs physicis possit euidenter demonstrari, aut quod plus est esse ex terminis euidenter notum.

56 Nihilominus non puto esse ita certum, quod euidenti demonstratione probetur, nec sententiam Scoti, & Caiet. & aliorum aliqua censura dignam existimo: sed solum esse minus probabilem, quia ferè omnes alij euidenter demonstrari censent, & id nobis videtur longe probabilius. Nam probabilius est vnum, vel alterum argumentum ex his quæ afferuntur ad probandam immortalitatem eius esse demonstrationem. Illud autem ostendo, quia certissimum esse potest in communi, quod aliquid conueniat alicui ex propria natura, cuius demonstratio inuenta adhuc non sit a nobis, quia principia particularia per quæ demonstrandum est de eo, non sunt nobis euidentia: ergo licet videatur Ecclesiam definisse, quod immortalis conueniat animæ ex propria natura, non est certum, nec necessarium, quod a nobis cognoscatur per euidentem demonstrationem nec eo ipso definire censendum est, quod aliquod argument. ex his quæ adducuntur ad eam probandam vera sit demonstratio. Maiorem probo exemplo Aristotelis in prædicamento. Qualitatis in quadratura circuli, quam docet expressè demonstrabilem esse, nondum tamen esse adinuentam demonstrationem, per quam probetur.

57 Ad probandam verò immortalitatem animæ innumera afferri solent argumen. ex quibus duo, vel tria seligemus, quæ nobis videntur demonstrationes naturales, vel morales saltem a posteriori. Et prima sit quam tetigit Aristot. diuersis locis superius citatis ex operatione intellectus sic formanda: Modus operandi rei sequitur modum essendi eius: ergo id quod habet operationem independentem omninò ab aliquo, habebit etiã esse independens omninò ab eo: poteritque proinde sine illo esse, aut ab eo separari, sicut potest sine illo operari: sed anima rationalis habet operationem intelligendi independentem omninò a corpore, ergo habebit esse independens ab eodem corpore, & poterit separata ab eo consistere, quod est esse immortalem, & perpetuam ex propria natura.

Probatur minor, quia euidens est intellectum non esse potẽtiam organicam, nec intellectionem exerceri per organum corporeum, sicut visum censemus potentiam esse organicam, & visionem exerceri per oculos.

58 Nam si intellectus foret potentia organica, in aliqua parte corporis resideret, per quam exerceretur operatio eius, sicut residet visus, & omnes alij sensus, sed euidenter constat nullam talem dari partem in corpore, in qua resideat intellectus, & per quam operetur, potius quam per alias: ergo non est in aliqua tanquam in organo, nec operatur per aliquam, sed in anima ipsa, tanquam in proximo subiecto, in quo recipitur eius operatio: ergo euidens est non dependere a corpore, vel parte eius in operatione intel-

telligendi, sed hanc esse propriam operationem animæ, & non coniuncti, vel nõ communem corpori sicut est visio

59 Sed dices hac ratione solum probari, quod anima habeat operationem nõ dependentem a corpore tanquam ab organo, per quod exerceatur, non tamen omninò independentem a corpore, quia etiam si per organa corporis non exerceatur, dependet tamen a sensibus tanquam a ministrantibus ei species obiectorum, sine quibus constat intelligere non posse: ergo nec verum erit, quod possit operari sine corpore, aut quod non dependeat ab eo in sua operatione, & consequenter nec in suo esse: quare nec probabitur hac ratione, quod extincto corpore permaneat, vel immortalis sit.

60 Nihilominus probata independentia a corpore tanquam ab organo, vt prædicta ratio euidenter probat, eo ipso probatum censetur euidenter, quod nec dependeat necessariò ab eo, aut à sensibus eius, tanquam à ministrantibus speciem, & obiectum. Nam licet secundum naturæ ordinem non possit recipere species, nisi ab intellectu agente medijs sensibus: euidens cum primis est posse ei species tribuere Deum immediatè: cum sit euidens posse Deum per se eas producere, nõ solum in intellectu, sed in eisdem sensibus.

61 Deinde euidens est posse Deum suspendere operationes omnium sensuum, & consequenter intellectus agentis, & tribuere intellectui possibili concursum ad intelligendum per se speciem, aut ab eisdem sensibus acceptam, & in memoria reseruatam, aut a Deo solo impressam.

Illud enim experimur fieri in raptu in quo anima quasi vires suas in vnum colligit easque applicat ad solam operationem intellectus, & voluntatis, nihil earum applicans ad operandum per sensus, & ideo tunc operatur intellectus absq; vlla dependentia actuali a sensibus.

62 Quod profectò sufficit, vt euidens esse sentiamus dependentiam a sensibus, aut corpore in intelligendo non esse intrinsecam animæ, vel intellectui eius, quamuis sit naturalis, & ideo non repugnare, quin sine tali dependentia operetur, & cum euidens etiam sit non repugnare, quod alia via recipiat speciem, & non per sensus, ex vtroq; colligitur euidens esse, quod possit adhuc non dependere ab eis tanquam a ministrante speciem, vel obiectum.

63 Ex quo infero hanc rationem desumptam ex independentia animæ a corpore in intelligendo, non necessariò præsupponere vt euidens sit, quod anima dum est in corpore, naturaliter habeat aliquam intellectionem omninò independentem a corpore, vel sensibus, vt putauit noster Valentia 1. parte, disput. 6. quæst. 2. puncto 3. addens non esse euidentem: imò nec efficacem ad probandum immortalitatem animæ, nisi id præsupponat.

Quod falsum puto, quia talem habere operationem, dum est in corpore, non solum non est constans apud omnes, sed ab omnibus interpretibus Aristotelis, tam recentioribus, quam antiquis (paucis admodum exceptis) negatur: nec principijs Aristotelis consentaneum est, vt superius ostendimus. ergo eo ipso, quod prædicta ratio id præsupponeret, demonstratio esse non posset: imo nec efficax argumentum ad probandum immortalitatem animæ rationalis.

64 Secunda ratio ad eam probandam sumitur ex intellectu ipso hoc modo. Intellectus est potentia purè spiritualis: ergo anima rationalis a qua emanat, pure etiam spiritualis est, sed entitas purè spiritualis non dependet a corpore, ergo anima rationalis habet esse spirituale independens omninò a corpore: quare sine corpore esse potest, & consequenter eo corrupto per mortem non corrumpetur.

Antecedens primi enthymematis probatur, quia si intellectus esset potentia corporea, esset etiam organica, sed euidenti inductione constat omnem potentiam organicam esse limitatam ad obiectum sensibile, aut corporeum: ita vt nihil spirituale possit percipere, quia potentia debet habere obiectum sibi proportionatum, atque eiusdem ordinis, vltra quod non possit se extendere.

Et non minus euidens est, quod intellectus percipiat spiritualia, imò quod sit vniuersalis potentia habens pro obiecto vniuersalissimam rationem entis comprehendentem corpoream, atque spiritualem: ergo non potest esse potentia corporea, sed spiritualia.

65 Tertia ratio moralis est, & sumitur ex diuina prouidentia; nam euidens est in lumine

mine naturali, sicut Deum fecisse hunc mundum, ita illum regere sua prouidentia infinita: sed euidens est etiam ad prouidentiam summi rectoris pertinere malos punire, & præmio afficere bonos: ergo euidens est hoc pertinere ad diuinam prouidentiam. Nec minus est euidens, quod non fiat in vita præsenti, in qua potius videmus bonos, & studiosos multa pati, & à malis innumeris affici iniurijs; hos verò prospetam vitam delicijsq; affluentem degere: ergo vel necesse est fateri, quod diuina prouidentia in multis deficiat: imò quod Deus ipse planè iniustus sit, non tribuens vnicuiq; præmium iuxta propria merita, quod lumini naturali contrarium est, vel aliam vitam concedere post mortem corporum, in qua permanentes animæ iustorum condigna meritorum præmia recipiant: iniquorum vero debitas suis sceleribus pœnas luant, & ex consequenti immortales esse omnes.

66 Et ratio hæc tanti ponderis fuit apud Sanctos Patres, præsertim apud D. Chrysost. homil. 4. de prouidentia vt asseruerit meridiana luce euidentiorem esse ad conuincendam immortalitatem animæ rationalis; & D. Clemens Petri Apostoli discipulus 3. lib. Recognitionum testatur se eam sub forma huius breuissimi enthymematis ex ore eius accepisse *Si Deus iustus est, ergo anima rationalis immortalis est.*

QVAESTIO V.

Quidnam sentiendum sit de immortalitate animæ rationalis, secundum Fidem Catholicam.

67 PRæter philosophos illos superius citatos qui animam rationalem mortalem esse, & cum corpore interire senserunt, non defuerunt hæretici immortalitatem eius negantes; quos refert D. August. lib. de hæresibus 83. D. Isidor. lib. 8 etymol. c. 5. Castro lib. 2. aduersus hæreses, verbo anima, hæres. 7. quorum mentio quoque fit 24. q. 3. c. Quidam. Quibus fauere in primis videntur Scripturæ testimonia, quæ sequuntur, & si quæ sunt eiusdem tenoris alia. Primum habetur Ecclesiastici 3. hisce verbis: *Dixi in corde meo de filijs hominum, vt probaret eos Deus, & ostenderet similes esse bestijs: idcirco vnus interitus est hominis, & iumentorũ, & æqua vtriusque conditio: sicut moritur homo, sic & illa moriuntur: similiter spirant omnia, & nihil habet homo iumento amplius.* Et Sapientiæ 2. *Ex nihilo nati sumus, & post hoc erimus tanquam non fuerimus.* Et Iob. 14. *Omnis spes hominis præciditur resurgendi.* Facit secundo, quod de Angelis videntur sentire plures ex Sanctis Patribus natura quidem mortales, atq; corruptibiles esse, sola autem gratia, ac voluntate Dei duraturos in perpetuum. Ita enim loquuntur Hieron. lib. 2. contra Pelag. Bern. lib. 5 de consid & Damascen. 2. lib. Orthodoxæ fidei, cap 3. quod etiam scribitur in Epistol. Sophronij recitata in 6. Synodo actione 11. & recepta ab eadem Synodo actione 13. ex quibus tale argument. desumitur, perfectiores longe sunt Angeli anima rationali sed illi sunt natura mortales, atq; corruptibiles ex mente horum Patrum: ergo multo magis erit corruptibilis, atque mortalis anima. Probatur consequentia, quia incorruptibilitas, atq; immortalitas ad perfectionem spectat.

69 Nihilominus *certissima fide tenendum est animam rationalem immortalem esse, & tanquã fidei proximum id habere non ex gratia, aut sola Dei voluntate, sed ex natura.* Quam probare possemus innumeris penè testimonijs Sacræ paginæ, ex quibus pauca hæc, vt expressiora sufficiant, Ecclesiastes 12. *Ibit homo in domum æternitatis suæ.* Et post pauca. *Reuertatur puluis in terram suam, vnde erat, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*, & in libro Sapientiæ à cap 2. vsque ad 5. clarissimè dicitur animas cum corporibus non interire, siue piorum, vel impiorum hominum sint. 2. etiam Machabæorum libro capit. 12. in sacrificium mittuntur pecuniæ Hierosolymam pro animabus defunctorum a pœnis exoluendis.

70 Idem probant ea, quæ de diuite illo dicuntur, qui horrea amplificanda decernebat Lucæ 15. cui dictum est: *Stulte hac nocte repetent a te animam tuam, &c.* Atq; etiam quæ latroni in cruce pendenti statimque morituro promisit Christus dicens, *Hodie mecum eris in Paradiso.* Et tandem quod Matthæi 10. protulit. *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed* eum

eum timete, qui potest animam, & corpus in gehennam perdere, ex quibus, ac præsertim ex hoc vltimo statuit Ecclesia in Conc. Later. 3. sub Leone X. sess. 8. immortalitatem animæ firma fide tenendam esse, & omnes qui eam negarunt tanquam hæreticos damnandos hisce verbis: *Damnamus, & reprobamus omnes asserentes animam intellectiuam mortalem esse, & hoc in dubium vertentes: cum illa nō solum verè, per se, & essentialiter humani corporis forma exstat: verum & immortalis, quod manifestè constat ex Euangelio.*

71 Quibus etiam id ex natura sua haberè expresſè ferè decernit, quia continuis verbis vtrumque docet sua natura habere: nempe quod sit forma corporis, & quod sit immortalis, quamuis a quibusdam sic exponatur, vt primum tantum ex natura habere decernant: immortalitatem verò absolutè, & sine hoc addito: sed minus bona expositio est, vt verba ipsa consideranti facile constabit.

Propterea diximus immortalitatem animæ ad diuinam fidem pertinere: quod verò eam habeat ex propria natura, fidei proximum esse, & consequenter id negare periculosum in fide.

Eandem veritatem decernit Ecclesia in Concilio Vienensi, & refertur in Clement. 2. de summa Trinitat. & Fide Catholic. §. porro.

72 Quam efficaciter confirmat communis consensus Sanctorum Patrum. Ex quibus nullus vnquam de immortalitate animæ dubitauit, quamuis de eius origine, aut productionis modo diuersa ratione sint locuti, vt de D. August. superius adnotauimus, qui tamen immortalitatem eius omnibus esse notissimam his verbis docuit Epistol. 3. ad Volusianum: *Quis nunc est extremus idiota, vel quæ muliercula, quæ immortalitatem animæ non credat, vitamque post mortem futuram?*

73 Primum verò testimonium in contrarium adductum, ex persona impij prolatum esse docent omnes ferè eius interpretes, præsertim D. Greg. 4. Dialog. cap. 4. & D. Th. 2. p. q. 75. art. 6. ad 1.

Et pariter verba secundi testimonij, vt insinuat facer ipse textus in eiusdem cap. initio illis verbis. *dixerunt impij cogitantes apud se non rectè, &c.* quod ibidem adnotauit D. Thom. addens posse etiam hæc testimonia intelligi de homine quātum ad corpus pertinet, quod sequentibus verbis significatur: *De terra facta sunt, & in terram pariter vertuntur, &c.*

Testimonium verò ex lib. Iob. naturali modo, & ordine intelligi debet, aut per naturales vires eiusdem hominis naturaliumve caussarum, hoc enim modo impossibilis reputatur resurrectio hominis, & consequenter omnis spes hoc modo resurgendi sublata. In hoc sensu intelligi debere assero, quia resurrectionem hominis futuram per diuinam virtutem clarissimis verbis confitetur cap. 19.

74 Ad aliud vero de Angelis respondeo perfectiores quidem esse animabus, & sua natura incorruptibiles, atque immortales: eorum verò immortalitatem, nec adeò clarè constare in sacra pagina, nec esse hucusque ab Ecclesia definitam, sicut constat esse definitam de anima.

Et propterea ad fidem non pertinet, sicut pertinet immortalitas animæ. Cuius ea est ratio, quia omninò necessarium fuit, vt nobis certò constaret immortalitas animæ nostræ ad vitam nostram moresque componendos: & propterea quia huic veritati innituntur plura nostræ fidei mysteria, ea præsertim quæ ad Christi humanitatem pertinent.

75 Quod verò Angeli sint immortales, atque incorruptibiles, vel non minus est nobis necessarium, minusq; proinde refert id certò cognoscere: quare nec fuit necessarium id expresſè reuelari in Scriptura.

Quod verò sententiam illam Sophronij non receperit Concilium quantum ad modum corruptibilitatis Angelorum, quia nihil ad intentum eius imaginum venerandarum referebat, superius ostendimus: quare nec probari ex ea potest aliquid statuisse Concilium de Angelorum immortalitate, aut incorruptibilitate, nec aliquid etiam potest deduci aduersus immortalitatem animæ rationalis a nobis probatam.

QVÆ-

QVAESTIO VI.

An status separationis a corpore sit naturalis animæ rationali.

76 Præsup posita immortalitate animæ rationalis a nobis probata, necesse est duplicem statum ei concedere: primum quidem in corpore ipsum informando: postremum a corpore separatæ per mortem. Quærimus ergo, an status iste separationis a corpore sit ei naturalis, vel contra eius naturam & ideo violentus, sicut status lapidis in aere vel saltem sit præter eius naturam, vt motus circularis ignis, quo mouetur ad motum primi cœli.

Quod vt melius intelligatur adnotare oportet tribus modis accipi naturale.

Primò vniuersalissima ratione, prout supernaturali opponitur.

Secundò accipitur pro omni eo, quod non est contra naturam, vel naturalem inclinationem rei, & conuenit illi ratione alicuius causæ naturalis, vt motus circularis ignis dicitur etiam in hac acceptione naturalis. Et tandem naturale significat illud tātum, quod violento opponitur, quo pacto significat ea omnia, quæ sunt secundum inclinationem, vel appetitū alicuius, vt motus lapidis deorsum, & aeris sursum. Quærimus ergo, an animam esse separatam a corpore, & sine illo consistere, sit aliquo ex his modis naturale.

77 Et prima opinio tenet nullo modo esse naturalem animæ hunc statum, sed omninò contra naturam, & proinde violentum. Ita Ferrar. 1. lib. contra gent. cap. 83. circa 4. rationem, & cap etiam 94.

Probatur testimonio D. Thom. & ratione: nam D. Thom. 4. contra gent. cap 89. ratione 3. & 1. par. quæst. 118. art. 3. in corpore, expressis verbis asserit contra naturam animæ esse, quod sit separata a corpore: censet ergo talem statum esse ei violentum. Quod sic probo 1. violentum est illud, quod est contra naturalem inclinationem, & appetitum rei: sed animam esse separatam a corpore est contra naturalem inclinationem, & appetitum, quem habet informandi corpus, & componendi cum eo totum: ergo status separationis a corpore est ei violentus.

Secundò contra naturam rei est priuari perfectione sibi naturaliter debita, sed per separationem a corpore priuatur anima perfectionibus sibi debitis: nempe communicare se corpori, & in eo esse principium vegetandi, sentiendi, & intelligendi, quæ maximam perfectionem eius important, & quibus carere in statu separationis manifestum est: ergo status ille violentus erit ei.

78 Secunda opinio negat statum separationis esse naturalem: negat etiam esse violentum, & asserit esse præter naturam animę eo modo, quo motus circularis ignis, quo mouetur raptus ab orbe Lunę, nec naturalis, nec violentus censetur, sed præter naturam vocatur: quia nec habet inclinationem ad talem motum, nec repugnantiam naturalem. Ita sentiunt Henr. quodli. 7. q. 13. Caiet. 1. p. q. 89. ar & Conimb. ad finem 3. lib de anim. tract. de anima separata, d. 2. q. 2. art. 2. & ex recentioribus non pauci.

79 Et quidem quod non sit naturalis animæ status separationis, efficaciter satis probatum est argumentis primæ opinionis, quibus hoc addunt. Naturale esse alicui id quod natura eius appetit, vel in quod inclinatur, vt est naturalis terræ motus deorsum, & est naturalis materiæ coniungi formæ, vel eam recipere: sed anima rationalis nec appetit esse separatam a corpore, nec in talem separationem inclinatur: ergo non est ei naturalis.

Minorem probant, quia separari a corpore est malum ipsius corporis: imò & compositi, cum illud amittat per separationem esse vitale, & humanum, quod recipiebat ab anima, & compositum desinat esse: ergo nec potest anima appetere separationem a corpore, aut in eam inclinari, nec potest esse consentanea naturæ eius.

80 Quod verò status separationis non sit violentus animæ probant duplici argum. 1. quia si status iste violentus esset animę, sequeretur naturale ei fore post separationem iterum vniri corpori: quemadmodum, quia lapidi violentum est detineri in loco superiori, naturale est ei sic detēto moueri deorsum sed animam separatam iterum vniri corpori est corpus ipsum mortuum, & hominem iam per mortem extinctum resurgere: ergo resurrectio mortui hominis esset naturalis,

quod

quod est plusquam falsum: pluraq; absurda continens.

Secundò de ratione violenti est, quod fit a principio extrinseco agente contrario: cū constet mortem contingere sine dolore aliquo, & sine contrario per solam consumptionem humidi; & ita naturalis omninò iudicetur: ergo separatio animę a corpore non est violenta, & ex consequenti, nec erit violentum, quod separata a corpore sit, ac permaneat: Relinquitur ergo statum separationis esse præter naturam animæ, hoc est nec naturæ eius consentaneum, nec contra principia, vel inclinationem eius, sed aliunde prouenniens quasi per accidens, videlicet ex corruptibilitate corporis: nam si anima informaret corpus incorruptibile; sicut forma cœli, non foret separabilis a corpore, sed constitueret hominem incorruptibilem sua natura, atque perpetuum.

81 Nostra sententia vtriq; contraria est, & duabus assertionibus explicatur. Prior est, *status separationis* a corpore, nec violentus est, nec præter naturam, sed simpliciter naturalis animæ rationali. Et quod violentus non sit efficaciter probatum est rationibus secundæ opinionis contra primam: Ad probandum verò, quod non sit præter naturam animæ, sed simpliciter ei naturalis contra secundam.

82 Præsuppono tria principia certissima. Primum, quod anima sit ex propria natura immortalis, & perpetua. Secundum quod sit vera forma corporis humani ex propria natura corruptibilis. Tertium, quod ex propria natura informet corpus modo amissibili, seu dissolubili, sicut cæteræ formæ inferiores, & non modo inamissibili, sicut formæ cęlorum, Vnde prouenit, quod modo, & nodo dissolubili vniatur corpori, & ideo cum eo constituat compositum sua natura corruptibile: formæ verò cęlorum vniuntur materię modo, & nodo sua natura indissolubili, & ex tali vnione resultat compositum sua natura incorruptibile.

83 Ex his tribus principijs tria desumo argum. satis efficacia ad probandam priorem assertionem, quod status separationis simpliciter sit naturalis animæ, & ex primo ita arguo: Anima rationalis sua natura est immortalis, & perpetua: ergo naturaliter est ei debita perpetua conseruatio in proprio esse, sed non potest naturaliter conseruari proprium eius esse in corpore: ergo debita est naturaliter conseruatio corrupto corpore: sed conseruari corrupto corpore est conseruari separata ab eo: ergo naturaliter debita est ei a corpore separatæ conseruatio in proprio esse: quod est statum separationis a corpore esse ei naturalem. Secunda ratio ex secundo principio sic formanda est: Anima rationalis sua natura est forma corporis corruptibilis, & aliquando corrumpendi: ergo vnitur ei per modum vnionis naturaliter dissolubilem, & aliquando naturaliter dissoluendum.

84 Probatur consequentia: quia corruptio corporis, quamuis non sit per se primò intenta, natura est tamen intenta per se secundo (vt 1. lib. de gener. ostendimus) & ideò est simpliciter naturalis: ergo naturale est, quod corpus separetur ab anima, & ex consequenti naturale est, quod anima permaneat sine corpore. Quod est naturalem ei esse statum separationis a corpore. Tertia ratio sumitur ex tertio principio hoc modo; Anima rationalis nata est informare corpus amissibiliter sicut cæteræ formæ sublunares: ergo naturaliter potest eam amittere corpus, & consequenter naturaliter ipsa potest sine corpore permanere præsupposita immortalitate, & incorruptibilitate eius, etiam sibi naturali.

85 Assertio posterior, *status separationis non est naturalis animę rationali ex inclinatione & appetitu sicut status informationis: sed naturali consecutione ex inclinatione, & appetitu ad informandum corpus consequitur; quare nec est naturalis ei modo ita perfecto, ac status informationis, sed ita vt status informationis sit quasi per se primò ei naturalis, status verò separationis quasi per se secundò, & ex consequenti.* Quam prius sic declarare oportet. Cum essentia animæ rationalis sit esse formam humani corporis, & aptam componere cum eo hominem, per se primò inclinatur ad informandum, & componendum, ac propterea statum informationis postulat per se primò ei naturalem, sed quia eadem informatio non est cuiuscumque corporis, sed per se corruptibilis, & naturaliter corrumpendi, sequitur quod possit naturaliter amittere statum informandi, & sine illo esse, naturali eius immortalitate, & perpetuitate præsupposita, & ideo statum separationis a corpore esse ei naturalem, licet non per se primo, & ex inclinatione: sed per se secundo, atque ex naturali

rali consecutione, & ideo simpliciter natura lem, nisi forte velis quasi per se secundo, & ex consequenti in eum inclinari, eumq; appetere, quod non videtur sine fundamento dici posse.

86 Sic igitur explicatam assertionem probo hac ratione. Anima rationalis sua natura immortalis est, & perpetua: ergo debetur ei naturaliter perpetua conseruatio in proprio esse: sed conseruatio perpetua includit vtrumque statum: ergo vterque est ei naturalis.

Minorem sic probo, anima rationalis non potest naturaliter habere conseruationem perpetuam in corpore, cum modo amissibili illud informet, & modo vnionis naturalis dissolubili, & aliquando dissoluendo ei vniatur: ergo naturale est ei, quod possit etiam conseruari sine corpore, alioqui non erit ei naturalis conseruatio perpetua, quam proinde necesse est vtrumque statum naturaliter comprehendere, & vtrumque esse ei naturalem suo mod o, & ordine explicato.

87 Secundò, anima rationalis habet esse sua natura perpetuum, & independens a corpore, etiam in sua operatione propria: ergo ex natura talis esse est, quod dissoluto corpore in eo permaneat, quod est statum sine corpore, vel separationis ab eo esse ei naturalem.

Vtramque assertionem nostræ sententiæ tenuerunt Auicenna, vt citat Caiet. 1. par. quæst. 89. art. 1. Seneca epistola 102. ad Lucillum, & ex recentioribus plures, & absque dubio D. Thom. 12. q. 5. art 1. ad 2. vbi docet expresse, quod sicut anima in statu præsentis vitæ habet modum intelligendi per conuersionem ad phantasmata: ita post huius vitæ statum habet alium modum intelligendi sibi connaturalem. Ex quo ita arguo, modus operandi sequitur modum essendi: sed anima separata habet modum operandi sibi connaturalem: ergo habet etiam ex mente D. Th. per locum ab intrinseco modum essendi sibi connaturalem, quod est statum illum separationis esse ei connaturalem.

88 Pro solutione argument. duo sunt adnotanda.

Primum est, dupliciter aliquid esse naturale alicui, videlicet ex naturali perfectione & ex naturali imp. rfection : vt ex naturali perfectione conuenit homini esse perfectissimam speciem sui generis: ex imperfectione vero, quod sit corruptibilis, & illud naturale est ei ex parte formæ, a qua habet speciem animalis perfectissimam, hoc vero est ei naturale ex parte corporis, aut materiæ naturaliter respicientis non solam animam, sed quamlibet aliam sublunarem formam, quam etiam naturaliter appetit, & ex tali appetitu naturali prouenit, vt & naturaliter possit eas habere, & ex consequenti naturaliter appetat dispositiones eis conuenientes, & cum dispositiones vnius naturaliter sint incompossibiles cum dispositionibus alterius, fit vt expelli ab eis possint, & consequenter possit naturaliter expelli forma, vel anima, & naturaliter aliquando expellatur, sicut aliquando naturaliter expelluntur dispositiones, quia sine illis non potest naturaliter conseruari in materia, vel corpore, & tandem cū per expulsionem formæ substantialis corrumpatur subiectum, sequitur naturaliter corruptio subiecti, & eadem corruptio est naturalis.

89 Ex hoc infero secundum, quod adnotari debet, videlicet corruptionē hominis, aut cuiusuis alterius compositi naturalis factam a causis naturalibus esse naturalem ex naturali imperfectione eius. Quod asserui, & probaui 1. lib. de gener. vbi docui, quod licet corruptio non sit naturalis ex primaria intentione naturæ, quæ nō intendit per se primò corruptionem rei, sed potius generationem, aut conser[illegible]tionem eius; sed quia non potest vnum generare, & aliquando nec illud conseruare, sine corruptione alterius, per se secundo, & quasi ex naturali consecutione intendit illud corrumpere.

90 Et hinc est, quod sicut generatio est naturalis ex primaria intentione naturæ: ita corruptio sit naturalis ex secundaria intentione, & vtraq; sit per se naturalis in suo gradu. Quare miror profectò Patres Conimbricenses egregiè versatos in doctrina Aristot. asserere, quod corruptio, vel mors eueniens per causas naturales violenta sit, & non naturalis, & hinc deducentes violentum esse, & non naturale, quod anima rationalis permaneat in suo esse, sine corpore: cuius cōtrarium probatum est a nobis efficaciter ex eo, quod corruptio, & mors naturales sint.

91 Et ecce sensum, quem tenuit D. Thom. asserens statum separationis animæ a corpore contra naturam eius esse, aut etiam præter naturam, voluit enim nihil aliud, quam

quam quod non sit ex inclinatione,& appetitu eius ad informandum corpus ordinatus, quod est non esse naturalem per se primo, aut directè, seu ex primaria intentione naturæ, sed ex secundaria, & quasi consequente,& in directe, ac per se secundò: nihilominus simpliciter naturalem. Quamuis possit vocari violentus, aut contra intentionem naturæ respectu intentionis primariæ, quo etiam modo loquendi vti solemus.

92 Ad primum verò argum. prioris sententiæ concessa maiori,neganda est minor, quod status separationis sit cõtra naturalem inclinationem animæ, & appetitum informandi corpus.

Nam licet primo aspectu videantur contraria informare corpus, & separari ab eo: si tamen modum informandi in tali inclinatione, & appetitu inclusum consideremus, inueniemus contraria non esse, quin potius ex eadem inclinatione, & appetitu tali modo informandi deduci per naturalem consecutionem naturaliter absolui posse animam ab informando corpore, & aliquando fore naturaliter absoluendam: ita vt sine illo permaneat in proprio esse: quare eadem ratio, quæ probat naturalem esse animæ statum informandi corpus ex inclinatione, & appetitu, quod est esse naturalem per se primò, consequenter probat statum separationis esse etiam naturalem per se secundò.

93 Ad secundum concessa maiori, quod violentum sit priuari perfectionibus sibi debitis,neganda est minor,quod anima in statu separationis priuata sit aliqua perfectione sibi debita, quia licet non informet corpus, nec sit actuale principium potentiarum, & operationum, non sunt ei amplius hæc naturaliter debita, postquam ea amisit, quia informatio corporis non debetur naturaliter animæ,nisi præsupposita in eo vltima dispositione naturali, non enim habet anima inclinationem, vel appetitum informandi corpus,nisi cum ordine ad dispositiones cõuenientes introductioni, & conseruationi eius in eodem corpore: sed anima semel a corpore separata,nec possunt naturaliter induci in eo conuenientes dispositiones, nec est agens in natura, quod possit attingere vnionem eius cum corpore: ergo in tali statu permanens non debetur ei naturaliter informatio, & consequenter nec debentur cætera quæ non potest habere in eo,nisi informatione supposita: quare nec censetur priuari,quia priuatio non est,nisi rei debitæ & consequenter,nec violenter in eodem statu permanere.

94 Ad primum argumentum secundæ opinionis concesso antecedenti, quod separatio animæ a corpore cedat in malum compositi, distinguendum est consequens, quod non sit ex intentione naturæ, quia licet natura non intendat per se primò malum compositi præcedentis, hoc est, non esse eius, intendit tamen per se secundo, in quantum naturaliter sequitur ex noua generatione alterius pro se primo intenta: quare separatio animæ a corpore secundariò intenta a natura, quasi per se secundo est naturalis, & hoc modo dicimus esse naturalem statum separationis animæ, quamuis cedat separatio ipsa in malum compositi.

95 Ad secundum negandum est antecedens, quod ex separatione nihil boni prouemat animæ, prouenit namque illi habere modum essendi, & operandi substantijs completis spiritualibus similem, sibique connaturalem, quia intra ambitum naturalem perfectissimæ atque immortalis formæ (qualis est anima) vterque status informationis, & separationis comprehenditur. Quod verò additur separationem animæ, vel mortem hominis esse violentam,& non naturalem, negandum est, quia licet proueniat ex imperfectione materiæ,naturali tamen, & per naturales causas, ideo naturalis simpliciter vocatur, quod ex communi modo loquendi sit manifestum: nam dum quispiam moritur, dicimus naturæ debitum soluisse.



QVÆ-

QVAESTIO VII.

An anima separata habeat appetitum naturalem informandi corpus.

96 Scotus in 4. dist. 43. q. 3. art. 3: Ferrar. 2. contra gent. cap. 60. Bannez 1. p. q. 76. art. 1. dub. 5. denegant animæ separatæ appetitum naturalem informandi corpus probantque, quia si anima separata haberet naturalem appetitum ad informandum iterum corpus, debita esset ei reunio, quia appetitus naturalis non versatur, nisi circa rem naturaliter debitam appetenti: sed reunio non est ei naturaliter debita: ergo non habere appetitum ad illam. Probatur minor, quia quidquid est debitum naturaliter alicui, potest ab eo naturaliter haberi, hoc est, per media naturalia: sed constat nullum esse naturale medium, per quod iterum possit anima separata vniri corpori: ergo non habet appetitum ad talem reunionem.

Secundo potest vrgentius probari hoc modo: Appetitus naturalis respectu cuiuscumque termini, vel actus naturaliter expleri potest, alioqui erit frustrà, sicut potentiam naturalem dicimus frustrà poni, quæ non potest naturaliter reduci ad actum, quod ratio ipsa naturalis appetitus, aut potentiæ postulat: nam certum est, quod omnis potentia passiua naturalis postulat actiuam naturalem, a qua reducatur in actum: & ideo naturaliter reduci potest: ergo aptitudo ad informandum, quam nomine appetitus intelligunt, si naturalis est, intrinsecum dicit ordinem ad agens naturale, per cuius virtutem actiuam naturalem expleatur: sed non datur in tota natura agens, cuius virtute actiua possit anima separata iterum vniri corpori, ipsumque informare: ergo nec in anima ipsa potest poni talis appetitus naturalis ad informandum corpus, alioqui frustrà omninò erit, cum non possit per totam vim naturæ expleri.

97 Pro altera verò parte, quod illud habeat, extant D. August. 12. lib. de Genesi ad literam cap. 33. & D. Thom. 1. par. quæst. 75. art. 1. ad 6. expressè asserentes *permanere in anima separata appetitum naturalem, vt vniatur corpori*. Et videtur mihi probabilius, & tenendum.

Quod vt ostendamus explicare oportet, quidnam sit in anima appetitus iste informandi corpus, & quonam modo distinguatur ab ea. Quod intelligetur considerata anima in primo illo instanti, quo creatur a Deo, in quo non inuenimus in ea præter incompletam, aut partialem entitatem eius, nisi formalem capacitatem, seu aptitudinem informandi corpus, non quidem re distinctam ab eadem eius entitate, quia euidens est non esse formaliter capacem, seu aptam informandi corpus, per aliquod accidens superadditum entitati propriæ, sed per eandem ipsam entitatem propriam, quia actus informandi non est actio aliqua ad quam eliciendam, aut exercendam indigeat forma aliquo accidente superaddito, sicut indiget, vt sit principium actiuum aliorum actuũ: sed est formam præbere seipsam, propriamq; entitatem materiæ, quam ei præbendo dicitur actuare, & informare, nec se præbere actu materiæ est agere in ipsam, quamuis non possit forma se præbere ei, nisi media actione agentis.

98 Ex quo plane intelligitur, quod sicut anima non informat actu corpus per accidens aliquod: sed per propriam entitatem: ita non sit formaliter capax, aut apta informandi per aliquod accidens sibi superadditum: sed per propriam entitatem, vel substantiam; quare capacitas seu aptitudo informandi non est aliquid distinctum ex natura rei ab eius entitate, vel substantia: sed sola ratione, & cum nihil aliud reperiatur in forma præter eius entitatem, in quo possit appetitus informandi consistere, nisi capacitas hæc, seu formalis aptitudo, hæc absque dubio, & non aliud est appetitus ipse. Quod ex similitudine materiæ explicari amplius potest, in qua non est aliud appetitus naturalis recipiendi distinctum ex natura rei ab entitate ipsius materiæ: sed sola ratione.

99 Ex quibus duo argumenta satis efficacia desumo ad probandum appetitum informandi permanere in anima separata. Primum tale est: Appetitus informandi non distinguitur ex natura rei ab ipsa forma: ergo nõ est separabilis ab ea: repugnat ergo per-

manere animam in statu separationis, quia habeat talem appetitum.

100 Secundum, Appetitus informandi in anima non est aliud, quam formalis aptitudo, aut capacitas informandi, sicut in materia non est aliud appetitus ad formam, quam capacitas, seu aptitudo recipiendi eam in se: sed anima in statu separationis non est minus ex se apta informandi corpus, quam erat in instanti suæ creationis: ergo nec minus appetit appetitu naturali informare, quam appetebat prius, sicut materia amissa vna forma non minus eam appetit, quam prius.

101 Ad argumentum verò eiusdem sententiæ distinguenda est maior, quod si anima separata habet appetitum, debita sit ei informatio. Nam duplex excogitare possumus debitum: vnum quasi commune, & remotum, & ideo valde improprium, quo pacto dicimus materiæ secundum se consideratæ debitam esse informationem, vel receptionem formæ, quia potentiæ naturali aliquo modo debetur naturalis actus. Aliud est debitum determinatum, atq; distinctum, & ideo proprium, & proximum, & hoc est tale simpliciter. Concedenda est igitur maior de debito priori, quod non est aliud, ac dicere animæ secundum se consideratæ debitam esse informationem, & vnionem cum corpore, sicut cuilibet alteri formæ, quia informatiuo debetur informatio secundum hanc rationem communem, & quasi remotam. De debito verò posteriori neganda, quia quousque dispositum sit sufficienter corpus, non debetur determinata, & propria informatio animæ, nisi remota quadam ratione, & tale debitum sufficiens non est, vt dicatur propriè ac proximè priuata forma proprio actu informandi, & consequenter nec sufficiens, vt naturaliter possit eam consequi, quia requiruntur dispositiones in corpore, quas nullum agens naturale potest inducere, & ideo nec anima naturaliter reuniri corpori.

102 Ad secundum argumentum respondeo appetitum animæ ad informandum corpus secundum se consideratum ordinem naturalem habere ad agens naturale per cuius virtutem, & actionem expleri possit, & talem habuit ordinem in primo instanti creationis animæ in quo naturaliter expletum est per primam informationem, & vnionem eius cum corpore, quam sua actione attigit naturale agens generantis hominem, satis est autem semel habuisse talem ordinem, & per talem actionem naturalem semel fuisse expletum, & non requiritur in quacumque alia dispositione iterum expleri debere, vel respicere naturale agens. Quod exemplo materiæ primæ appetentis eandem animam, vel formam semel amissam, licet non possit naturaliter eam iterum habere, facile intelligi potest. Et hæc de appetitu naturali animæ separatæ ad reunionem.

103 Sed quid dicendum de appetitu elicito per quem nihil aliud intelligimus, quam actum voluntatis, quo anima appetit, aut desiderat aliquid, & eum vocamus appetitum elicitum, quia est actus elicitus a voluntate) an talem appetitum elicitum informandi corpus habeat anima separata, vel non? Respondeo appetitum elicitum efficacem reunionis ex naturali cognitione non habere, quia cognoscit non esse naturaliter possibilem, impossibile verò, vt tale non potest sic appetere voluntas. Appetitu verò supernaturali efficaci ex visione beatifica proueniens appetunt absque dubio beatorum animæ reunionem ad corpus, & appetitu intensissimo, vt apertè significatur Apocal. 6. cap.

QVAESTIO VIII.

Quanam potentiæ, qui habitus, quæ species, & quinam modi cognoscendi sint in anima separata.

104 VT certa separemus a dubijs: Dicendum est primò, *nullam potentiam organicam, aut corpoream permanere in anima rationali separata a corpore.* Ita sentiunt omnes. Et ratio eius manifesta est, quia omnes istæ potentiæ sunt communes animæ, & corpori hoc est, sunt in coniuncto ex anima, & corpore, aut aliqua eius parte composito, tanquam in proprio subiecto, vel organo: ergo dissoluta vnione animæ, & corporis desinit esse coniunctum illud, & ex consequenti potentia, quæ ei vt subiecto inhærebat, in anima separata.

Se-

105 Secundo certum est *permanere in anima separata omnes potentias spirituales, vt sunt intellectus agens, & possibilis, atque etiam potentiam motiuam animæ, per quam separata potest se mouere*. Et huius ratio est, quia omnes istæ potentiæ sunt in anima, tanquam in subiecto proximo, & adæquato, & nulla earum est organica, vel corporea, nec proinde respicit coniunctum ex anima, & corpore totale, vel partiale: ergo a sola anima dependent, cuius accidentia sunt, non a corpore, nec à coniuncto: quare licet dissoluatur vnio animæ cum corpore, & coniunctum pereat, non possunt ipsæ perire: sed necesse est in anima separata permanente permanere.

106 Et si dicatur intellectum agentem non posse permanere, quia cessat omninò operatio eius abstrahendi species a phantasmatibus. Respondent quidam intellectum agentem præter officium abstrahendi species habere aliud illustrandi intellectum possibilem suo lumine spirituali, quo disponitur, vt possit recipere species, atque eis vti, & cum vtatur speciebus acceptis ab intellectu agente, etiam in anima separata, adhuc ad talem vsum indiget noua illustratione, pro qua efficienda permanere potest intellectus agens. Sic videtur loqui Ægid. quodlib. 2. q. 22. & 24. Caiet 3. p. q. 13. art. 4. Ferrar. 3. lib contra gent. cap. 4. Banne. 1. p. q. 79. art. 3. Abulens. in c. 21 Matthæi q. 579. ad 9.

107 Sed hæc sententia videtur nobis falsa propter duo: Primum quæ illustratio hæc intellectus possibilis ab agente alia debet esse actio eius a productione speciei: cum eam habeat in anima separata, non producendo speciem: ergo habet alium terminum realiter distinctum a specie, qui sit spirituale lumen productum ab eodem intellectu agente in possibilem.

108 Quid autem hoc lumen sit, non est intelligibile, cum non sit species, nec habitus, nec potentia, nec alia qualitas. Postremum, quia nec sensus externi, neque interni indigent illustratione aliqua, nec dispositione ad recipiendas species ab obiecto, vel ab alio sensu, & multo minus ad vsum earum postquam eas receperunt, sed per se ipsos sunt sufficienter dispositi ad earum receptionem, & per receptionem ad vsum; sed intellectus est longe perfectior potentia: ergo nõ illustratione aliqua ad recipiendas species, & multo minus ad vsum earum, & ideo sine fundamento ponitur talis illustratio: quare propter eam non potest permanere intellectus agens in anima separata. Respondeo igitur intellectum agentem necessariò ponendum esse in anima ab eius creatione, & vnione cum corpore ad abstrahendum species à phantasmatibus, sine quibus non posset naturaliter intelligere in corpore: qua necessitate supposita iam pertinet ad integritatem accidentalem animæ, atque etiam ad ornatum eius, & hoc sufficit, vt permaneat in anima separata, quamuis aliud officium, vel actum in ea non habeat. Quod possumus probare exemplo earum virtutum, quæ ponuntur in appetitu sensitiuo, vt temperantiæ & castitatis: imò, & virtutis pœnitentiæ: quas permanere in beatis concedimus post resurrectionem corporum ad animæ, & corporis ornatum, licet actibus quos habuerunt in via (deficiente materia) careant.

109 Tertio dicimus *permanere in anima separata omnes species intelligibiles, omnes habitus scientiarum, & virtutum, quas habuit in statu corporis, atque etiam vsus specierum omnium*. Ita D. Thom. 1. p. q. 89. art. 5. & 6. & 12. quæst. 53. art. 1. & 2. & omnes eius interpretes. Et ratione probatur, quia species omnes acquisitæ in corpore permanent in memoria intellectiua animæ: quæ cum sit intellectus ipse, necesse est eas quoque permanere in anima separata, & consequenter species, & habitus in ea existentes, quia nec habent contrarios habitus, nec actus in statu separationis, a quibus corrumpi possint, nec per obliuionem, aut cessationem ab actibus, & licet habuerint dependentiam a phantasmatibus in prima acquisitione: non tamen dependent necessario ab eis in conseruari, neque in vsu, quia dependentia quam habet in viu anima, dum est in corpore, non est essentialis, sed necessaria tantum propter naturalem sympathiam ac subordinationem potentiarum sensitiuarum cũ intellectu in corpore existente: nam tunc radicantur omnes in eadem anima, & ideo necesse est operante superiori operari etiam suo modo inferiores circa idem obiectum.

110 Sed cum alium modum intelligendi habere debeat a corpore separata, sicut habet alium modum essendi, non habebunt species, & habitus dependentiam a phan-

a phantasmatibus quantum ad vsum. Sed eis vti poterit secundum conuenientiam illius status.

111 Videntur tamen obstare huic resolutioni duo testimonia Sacræ paginæ: Primum ex Paulo 1. ad Cor. 13. vbi ait, *scientiã destrui post mortem*, cui responderi potest. 1. loqui Paulum de scientia, aut rerum cognitione obscura, vt ostendit contextus literæ. Quam destrui concedimus. Vel secundo loqui de dono scientiæ comitante fidem, & de quauis alia obscura cognitione, quæ ratione obscuritatis desinet, & hanc expositionem sequitur D.Th. in eiusdem loci commentarijs, desumptam forte ex D.Hier. in Prologo Bibliorum ad Paulinam c.7. ad finem.

112 Alterum testimonium habetur Eccles. 9. vbi dicitur. *Mortui nihil nouerunt amplius*, & infrà, *nec opus, nec ratio, nec sapientia apud inferos*. Cui respondet D.Hieron. ibidem, Sapientem loqui per prosopopeiam in persona impij suadentis alijs, vt voluptatibus se dedant. Et ideo statim subdere. *Vade, & come de in lætitia panem tuum*. Vnde nõ tollit, quin prædicta permaneant in anima separata. Secundo exponit eadem verba Nicol. Lyra. de damnatis, qui nihil eorum quæ illis possent ac deberent prodesse, cognouerunt, nec est illis ratio, vt propriam salutem veramq; sapientiam conquirant, Vnde cum subditur: *Vade, & comede*, non significatur, trade te voluptatibus, sed comede cum lætitia, hoc est, cum testimonio bonæ conscientiæ: quare statim additur: *Quia Deo placent opera tua*.

113 Sed quantum ad modum cognoscendi dubium est: an solas habeat species, quas acquisiuit in corpore, & per eas tantum cognoscat, vel nouas alias accipiat per infusionem a Deo eidem statui separationis congruentes, & ita per vtrasq; operetur.

114 Et prima opinio asserit naturaliter loquendo solum habere in statu separationis illas species, quas acquisiuit in corpore, & per has tantum cognoscere. Probat, quia anima essentialiter est forma corporis: ergo solum est capax speciebus per ministerium corporis recipiendis, quas constat nõ posse tunc accipere, cum corpore, & sensibus careat, ergo non potest habere alias, præter eas quàs acquisiuit in corpore, quia per infusionem a Deo accipere species solum pertinet ad completas substantias spirituales, nẽpe Angelos.

Hæc tamen sententia falsa probatur: quia intellectus in quocumq; statu animæ ordinatur per se ad cognitionem rerum, ergo in quocumq; statu debet habere aliquam cognitionem congruentem eidem statui. Si vero non dantur illi species, contingere poterit nullam prorsus habere cognitionem, per totam æternitatem quantum est ex parte naturæ, quod patet esse absurdum. Minorem probo in pueris decedentibus sine speciebus acquisitis, & in peccato originali, qui nullam poterunt cognitionem habere. Quare necesse attribuere animæ separatæ species alias præter eas, quas acquisiuit in corpore.

115 Sed quonam modo eas comparet, non est certum. Nam Scot. in 4. d. 45. q. 2. & Gab. in canonem lect. 32. asserunt in eo statu eas acquirere de nouo per opus intellectus agentis, non minus, quam dum erat in corpore. Hæc tamen sententia plane falsa est; quod sic probo. Intellectus agens, vt in 3. lib. ostendimus ex se indeterminatus est, & quasi indifferens ad producendam quamlibet speciẽ cuiuscunq; obiecti: quare nullam potest producere, nisi determinetur ab obiecto: sed nõ potest determinari ab obiecto in statu separationis, cum in eo nullum habeat phantasma: imò nec phantasiam, nec possit ab obiecto, nisi per sensum apprehenso determinari, vt ex superioribus constat: ergo nec potest naturaliter illam speciem producere.

116 Dicendum igitur est *animam separatam nouas species habere, præter eas, quas acquisiuit in corpore, eas tamen non acquirere per opus intellectus agentis, nec vllo alio modo eas a rebus accipere, sed per infusionem a Deo, & ita per has intelligere, atq; etiam per eas, quas secum in memoria detulit*. Ita D.Th. 1. p. q. 89. art. 1. ad 1. & cum eo omnes eius interpretes.

117 Et probatur ratione satis congruenti, quia modus operandi sequitur modum essendi, sed anima rationalis in statu separationis habet alium modum essendi: cum non informet corpus, sed separata sit ab eo, nec etiam habeat officium formæ, sed omninò subsistat per se ad modum, & similitudinem Angelorum, ergo debet habere modum operandi similem, & ex consequenti principia tali modo operandi congrua, quæ sunt species, quas debebit eodem modo accipere, nõ igitur a rebus, sicut nec accipiunt eas a rebus Angeli, sed a Deo per infusionem.

118 Et si quæsieris, vtronam ex his modis perfectiùs intelligat anima separata, perspe

ciès in corpore acquisitas, vel a Deo infusas? Respondet D.Th. in eodem articulo proximè citato, clarius, atq; distinctius, & ideò perfectius intelligere per species in corpore acquisitas, quam per infusas. Cuius ea est ratio, quia licet modus intelligendi per species infusas sit ex se perfectior modo intelligendi per acquisitas in corpore, & species ipsæ infusæ sint ex se perfectiores acquisitis, sed est animæ improportionatus, quæ cum sit forma, etiam dum est separata, magis est ei proportionatum perfici per corpus: quare clarius, atq; distinctius intelligit per species a sensibus corporis acceptas, quam per infusas, quæ propter improportionem magis cõfusè, & obscurè repræsentant animæ obiecta, & ideo vnitur receptioni, vt perfectiorem assequatur modum intelligendi.

119 Alij verò clarius, atq; distinctius putant intelligere animam in statu separationis per species infusas, quam per acquisitas: quia perfectiores sunt species, & ad vsum earum caret anima impedimentis corporis.

Ego verò incertam omninò esse rem hãc existimo, quia licet in communi cognoscamus vtrumque modum intelligendi, in particulari verò prorsus ignoramus naturam, & modum repræsentandarum specierum animæ separatę infusarum, & improportionem earum cum anima, & fortè sententia D.Th. posset intelligi de rebus, quas clarè ac distinctè, & intuitiuè intelligimus in corpore, non de alijs, de quibus sententia opposita explicari posset.

FINIS.



INDEX RERVM NOTABILIVM,

Quæ in his Commentarijs ſuper tres libros Ariſtotelis de Anima continentur.

Litera L, Librum. C, Caput. Q, Quæſtionem. T, Tractatum. P, Paginam. N, numerum denotat.

A

Anima.

ANima poteſt eſſe obiectum ſcientiæ, quęſt. 1. pag. 2 n. 1. & 2.
Anima vegetatiua, & ſenſitiua pertinent ad obiectum philoſophiæ, q. 1. p. 4 n. 3.
Rationalis ſecundum hos gradus, ibidem, num. 4.
Anima rationalis, vt rationalis eſt corporea vt quo, p. 7. n. 12.
Duplicem habet ſtatum, ibid. n. 13.
Anima rationalis, vt eſt principium intelligendi in corpore per ſe pertinet ad conſiderationem naturalis philoſophiæ, ibid. num. 14.
Anima rationalis, vt eſt in corpore, nullam habet operationem omnino independentem a phantaſmate, p. 8. n. 16.
Anima rationalis ſeparata ſimpliciter pertinet ad naturalem philoſophiam, ibi. n. 17.
Secundum illa vero, quæ habet ex ſtatu ſeparationis pertinet ad metaphyſicam, ibidem.
Sed hæc etiam commodius tractantur hic, ibid. num. 18.
Anima eſt ſubiectum huius operis, q. 2. p. 12. n. 30.
Et hoc illi conuenit, etiam ſi opus iſtud cum puris naturalibus, vnum integret. p. 13. num. 34.
Animam eſſe in rerum natura probatur, l. 2. c. 2. tract. 1. p. 31. n. 24.
Anima non eſt accidens, ſed ſubſtantia, l. 2. c. 2. tract. 1. ibid. n. 26.
Animam eſſe corpoream, qui dixerint, ibid. q. 2. p. 34. n. 36. & 37.
Anima non eſt corpus, ibid. n. 39.

Ani-

Anima est actus corporis, q.2.p.36.n.46. 47 & 48
Actus primus, & secundus in quo differant, ibidem p.37.n.50
Anima est actus primus prioritate naturæ, l.2.q.4 p.38 n 54
Actus primus substantialis, non solum entitatiuè, sed sub ratione formali actus absolutè perfectior est actu secundo, ibidem, p.39 num.61
Actus primi omnes, siue sint potentiæ naturales, siue supernaturales habitus, perfectiores sunt actibus secundis ab eis elicitis, ibid. p.40.n.65
Actus quo generatur habitus adquisitus perfectior est illo, ibid p.41.n 69
Actus primus perficitur per secundum accidentaliter tanquam principium actuum eius, ibid.n.72
Anima optimè potest definiri per materiam organicam, & per corpus animatum, q.5 p.44.n.1
Anima melius definitur per corpus animatum quàm per materiam organicam, ibidem, & per hoc definiuit eam Ar. ibidem p.45.n.2
Arist. sumit illa verba (potentia vitam habē tis) in definitione animæ pro vita secunda accidentali, ibid.p.46 n.8
Animæ definitio expenditur, ibidem, numero 10
Anima prima definitione essentialiter definitur, l.2.q.6.p.47.n.17 & 18
Animæ non est essentialis actualis informatio, sed aptitudinalis, ibid.
Anima duplex, informans, & assistens, l.2.c.2.q.7.p.50 n.36
Anima hic definita vniuoca est respectu animæ vegetatiuæ, & sensitiuæ, pag. 51. num.38
Anima assistens non definitur vllo modo definitione animæ tradita ab Arist. ibid. p.52 n.50
Anima rationalis est vera forma informās corpus, 53.n.52
Non solum secundum alios gradus, sed etiā secundum gradū rationalitatis informat corpus, ibid.p.54.n.59 & 60
Animæ definitio vniuoca est ad omnes animas informantes, ibid.p.55.56 à n.50.vsque ad 70
Anima in communi, in quantum se extendit ad particulares definitur secunda definitione animæ, cuius sensus est distributiuus & copulatiuus, distributiue tamen, ac cōmoda, in qua definitione particula, viuimus, sumitur pro speciali operatione animæ vegetatiuæ, l.2.c.2.q 8. p.59. & 60 à n.90 vsque ad 96
Arist. definiuit animam secunda definitione descriptiuè, q.9 p.62 n 104. & sequentib.
Anima accidentaliter est principium operationum actuale, aut aptitudinale formale, ibid.p.63 n.108
Essentialiter tamē est principium radicale potentiarum vitalium, & operationū, & sic per vtrasque potest definiri essentialiter, ibid.p. 64.n.115 & 116
Anima quomodo sit principium radicale, vel formale, ibid.n.118
Anima quo modo potest duplici definitione essentiali definiri, ibid.p.65 n.122
Animarum genera tantum sunt tria, l. 2.c.3 q.1.p.74.n.7
Anima vegetatiua est verè anima à sensitiua distincta, ibid.p.75.n.11
Anima sensitiua continet gradum vegetandi, & animam vegetatiuā formaliter, & eminenter, & eodem modo anima rationalis vtrumq; gradum, & vtramq; animā includit, c.3.q.2.p.81.n.40.& 41
Anima rationalis est formaliter corporea, vt quo, non vt quod, ibid. p.84.n.53
Anima singularis dicit indiuidualem ordinem ad determinatum corpus, q. 5. p.86 num.62
Anima vnitur materię, propter bonum proprium, & composit. ibid.p.87 n.63
Animæ eiusdem speciei possunt esse inæquales in perfectione substantiali indiuiduali, ibid p.86.n.61.62 & 63
Plures vero æquales esse possunt, ibid. p.88 num.70
Anima quæcumque omnes partes corporis informat, quæ aliquam operationem vitalem exercet, quęlibet iuxta propriam naturam, lib. 2.cap.3 .quæst.4.p.103 n.133 & 134
Non tamen ex omni totalitate essentiali, in tegrali, & potestatiua, ibid.n.136
Animæ plures non sunt in eodem viuenti etiam rationali, q.5.pag.106 n.146 vsque ad 150
Et oppositum in hoc saltem temerarium ad minus videtur, ibidem, numero 148 & 149

In generatione tamen humana tres animæ introducuntur, & non simul perseuerant, ibid. p. 108 nu. 153. vsque ad 157. secus res se habet in nutritione.
Animæ singulæ sunt in singulis viuentibus secundum Ar. rationem naturalem. Et secundum fidem, q. 10. p. 132. n. 241
Arist. quid de hoc sentiat. ibid. p. 133. n. 243 & 244
Animæ possunt multiplicari numero, etsi careant materia, ibidem pag. 134. num. 247
Anima concurrit ad productionem potentiarum, vt instrumentum, q. 6. pag. 112. num. 171
Auditus structura explicatur, l. 2 ca. 8. q. 6. p. 306. num. 114
Auditus organum, & subiectum est substantia aerea tympano contecta, quæ anima informatur, ibidem p. 307. num. 119. 120 & 121

Anima separata.

Anima rationalis non educitur de potentia materiæ, sed producitur à solo Deo ex nihilo per creationem, lib. 3. q. 1. p. 481. num. 3. Non creatur prius tempore, quam formetur corpus: sed in eodem instanti, in quo completa est dispositio eiusdem corporis pro receptione eiusdē animæ, p. 482. num. 10. Non est vllo modo composita ex materia, & forma corporeis, aut spiritualibus, nec omnino ex potentia reali receptiua, & actu reali in ea recepto: sed simplex ac perfectissima forma corporis, pag. 484. num. 17. nihil corporeum, etiam subtilissimum habet: sed purè spiritualis, est, pag. 486. num. 27. Immortalem esse censuit maior, & melior antiquorum pars: & præsertim Aristoteles, & Plato, p. 489. nu. 44. Quod docet etiam fides catholica, p. 493. num. 69 Et probat euidenter naturalis ratio, pag. 491. num 54. & 55. Et immortalitatem quidem habet ex propria natura sicut Angeli, & non ex gratia Dei. Habet duplicē statum, informationis, & separationis à corpore, p. 495 num. 76. Et vterque est ei simpliciter naturalis, quāuis magis prior pagina 496. numero 81. & 84. In statu separationis retinet apud se species, & habitus, quos acquisiuit in corpore, pag. 502 num. 115. & 116. Quamuis nullam potentiam sensitiuam, neque organicam: sed sed solas spirituales, etiam intellectum agentē. p. 501. num. 105. & 106. Et operatur quidem in statu separationis per easdem species, quas habuit in corpore ex phantasmatibus, nec solum per eas, sed etiam per alias, quas de nouo accipit, non quidem ab intellectu agente: sed à solo Deo per infusionem, sicut acceperūt Angeli in prima sua conditione, p. 502 num. 114. & 115 Non est tamen exploratum per quasnam species intelligat, videlicet per acquisitas in corpore, vel infusas in separatione, sed valdè dubium, p. 503. n. 118. & 119

Appetitus.

Appetitus triplex explicatur naturalis, sensitiuus, & rationalis, lib. 3. c. 13. q. 1 p. 473. num. 39
Appetitus rationalis, & sensitiuus specie, & realiter distinguuntur, ibid. nu. 40 & 41
Appetitus rationalis actus sunt per se, vel simpliciter liberi: sensitiui verò actus in homine habent libertatem participatā, & imperfectam, p. 474. n. 42
Appetitus sensitiuus mouetur à rationalis imperio, non seruili, sed ciuili, ibidem, num. 43
Appetitus rationalis reflectitur supra proprios actus, non sensitiuus, ibid.
Appetitus sensitiuus subditur rationali sicut plures aliæ potentiæ, sed aliquando non sine resistentia, ibid. n. 44
Appetitus sensitiuus est potentia distincta realiter, & essentialiter ab intellectu, ibi. num. 47
Appetitus rationalis realiter, & essentialiter distinguitur ab intellectu, p. 475. num. 48 & 49
Appetitus rationalis, & intellectus habent intrinsecam connexionem, ita vt non solum implicet voluntatem ferri in incognitum, sed etiam ei proponi obiectum, nisi ab intellectu, ibid. n. 50
Appetitus sensitiuus, aut rationalis, qui est volitas, non est causa physica motus progressiui: sed ad eum concurrit quasi morali modo per imperium, p. 478. n. 63

Cer-

C

Certitudo scientiarum duplex est, lib. 1. q.3.pag.16.n.45
Continentia alicuius alia formalis, alia emi nentialis,l.2 c.3.quæst.2.p.79.n.29
Alia continentia,vt quo,alia,vt quod, ibidē p. 80 num.37
Cadauera distinguuntur ex distinctione cor porum viuentium,quibus succedunt & as similantur,l.2.c.3.q.6 p.159.n.96

Color.

Colores veri sunt secundæ qualitates resultantes ex permixtione primarum,at que adeo distincti à lumine,l.2. c.7.q.1.p. 252 num.15 & sequentibus
Colores verò apparentes sunt lumen diuersi mode in corporibus receptum , ac proinde distincti à coloribus,ibid.
Coloris vtraque definitio expenditur , ibid. 253.n.19.20 & 21 & 22

D

Diuisio huius operis,lib.1 q. 5.p.19
Dignitas huius scientiæ,vtilitas, & methodus,l.1.c.1.p.20 num.1 & 2
Dialecticus quare dicatur definire per formam,physicus per materiam, libro 1.q.1 p.22
Demonstratur prior definitio animæ per posteriorem,lib.2 cap.2 q.10.p.66.n.125 & 126
Demonstratio est à posteriori si operationes sumantur,vt effectus, ibidem, pag.68 num.136
Quod etiam est, si viuere sumatur in definitione pro gradu substantiali vitæ in com mune,ibid.p.69.n.137
Si operationes animæ sumantur per modum causæ formalis , vt possunt , aliquo modo demonstrabitur prior definitio per secundam,quasi à priori,ibidem,n.139
Diuisibilitas in omnes partes integrantes conuenit animabus animalium imperfectiorum,& plantarum,lib.2.c.3.q.2.p.95 num.101
Habent tamen quamdam rationem indiuisibilitatis,ibid.p.97.n.112
Quid de hoc sentiat August.ibidem n.110
Diuisibilitas,aut indiuisibilitas formæ ex per fectione eius , & ex entitate desumenda est,ibidem,n.111
Diuisibilitas etiam conuenit animabus animalium perfectiorum, ibidem, q.3.p.99 num.119
Sunt tamen indiuisibiles in ordine ad consistentiam,p.101 num.128

E

Emanatio naturalis,& alia actio in quo di stinguatur,libro 2.cap.3.quæst.1.pag.76 num.16

F

Forma corporeitatis nullo modo ponenda est in composito substantiali viuenti,aut non viuenti, lib.2.c.3. q.6.pag. 111 num.164
Vnde in morte Christi nihil fuit miraculosum, sed fuit verum cadauer per formam cadaueris ipsius corporis , ibidem, p.112 num.171.& 173. Habuit tamen idem sup positum , non verò eandem naturam forma cadaueris, per se producitur tantum à vniuersalibus , ibidem dubio in fine quæstionis,p.214 n.175
Forma quæ dat esse genericum dat esse specificum,q.7. p.113 n.193

G

Gradus essendi vegetatiuus continetur in sensitiuo, & vterque in rationali formaliter,aut eminéter,l.2.c.3.q.2. p.79 num.30
Generatio est duplex propria,& impropria c.4.q.4 p.187.n 71
Generatio propria definitur, ibidem numero 72
Generatio propria non est quando genitum non est eiusdem speciei ex vi generationis,licet sit aliunde,ibidem, pag.188. numero 76
Generatio proprijssima erit si genitum pro cedat in eadem numero natura; vt generatio Verbi diuina,ibid.n.77
Generare sibi simile est naturalissimum opus viuentis, id est animæ vegetatiuæ, quia in tendit conseruationem sui in specie , vel quia communicat alijs,quantum potest, ibidem,

dem, p. 189. num. 80. 81. & 82
Gustus organum sunt nerui per mediam lin guam pergentes, & vsque ad palatum, l. 2 c. 10. q. 2. p. 326. n. 24
Gustus magis viget in cuspide linguæ, ibid. num. 25
Gustus, & tactus sunt ex Arist. in corde remota tamen, p. 327 n. 26
Gustus caret medio extrinseco, habet tamen internum, id est spongiosam carnem, qua tegitur neruus ibidem, num. 26 in fine
Gustus distinguitur specie essentiali à tactu, q. 3. p. 327. n. 29 vsque ad 32
Gustus conuenit cum tactu, quia etiam contactum obiecti petit, p. 328 n. 33

I

INdiuisibile tribus modis dicitur, l. 2 c. 3. q. 1. p. 91. n. 83
Indiuisibilitas partium integrantium conuenit animæ rationali, & oppositum est periculosum, lib. 2. cap. 3. quæst. 1. pag 92 num. 87

Intellectus.

INtellectus agentis nomine quid significetur, lib. 3. c. 5. q 1. p 403 n. 18
Intellectus agens necessario ponendus est in anima, p. 404. n. 21 & 24
Intellectus creatus quicunque indiget speciebus ad percipienda alia obiecta creata, ibid. n. 22
Intellectus noster in instanti creationis nullam habet speciem alicuius rei, sed est sicut tabula rasa, ibid. n. 23
Intellectui Angelico in instanti creationis infunditur species à Deo, ibid.
Intellectus agens formaliter non intelligit, p 405. n. 26. 27 & 28
Intellectus agens non illuminat phantasmata per solam assistentiam, pag. 406. num. 34
Intellectus agens non illuminat phantasmata producendo in illis qualitatem realem ibid. n. 32
Intellectus agens per solam assistentiam nō efficit in phantasmatibus, quod repræsentent naturam vniuersalem, ibid.
Intellectus possibilis non potest per se immutari à phantasmatibus illustratis, sine specie intelligibili, 407. n 35
Intellectus agens vnicam habet actionem intellectioni præuiam circa intellectum possibilem, quæ est productio speciei intelligibilis spiritualis in eo, & de eius potentia eductæ, per quam repræsentatur obiectum materiale repræsentatū in phātasmate, ibid. n. 37. 38. 39. & 40
Intellectus agens per eandem actionem, qua producit speciem, illustrat phantasmata, p. 408. n. 41. & 42
Intellectus agens concurrit ad productionē speciei intelligibilis, vt præcipua causa, q. 2 p. 409. n. 51 & 52
Intellectus agens est virtus animæ spiritualis, & immaterialis, sicut ipsa in qua immediate inhæret, q 4 p. 412. n. 64
Intellectus agens non est habitus principiorum, nec qualitas tertiæ speciei, pag. 413 num. 66
Intellectus agens est potentia animæ realiter distincta ab intellectu possibili, ibid. n. 70 & sequentibus.
Intellectus agens in statu separationis non est superfluus, p. 415. n. 78 & 79
Intellectus possibilis secundum proprium actum intelligendi vitalem, longè, & simpliciter perfectior est intellectu agente, at vt recipit speciem, & secundum quid imperfectior est illo, p. 416. n. 81
Intellectus possibilis est potentia animæ rationalis ei inhærens ad intelligendas res omnes, ca. 5. quæst. 1. pag. 418. num. 86. 87 & 88
Intellectus possibilis non est potentia organica, sed est in corpore sicut anima, cui inhæret, ibid. n 89. & 90
Intellectus possibilis indiget necessario speciebus intelligibilibus, quæst. 2. p. 419. nu. 93 & 94
Intellectus possibilis conseruat apud se species intelligibiles, p. 420. n. 98
Intellectus cognoscit per se singularia sensibilia, q. 3. ibid. n. 100
Intellectum non recipere speciem impressam repræsentantem singulare materiale, valdè probabiliter defendit S. Thom, p. 422. n. 112
Intellectus agens per se, & directè producit in intellectu possibilem speciem repræsentantem distinctè singulare materiale determinatum, ibid. n. 114 & 114

In-

Intellectus agens naturaliter non poteſt producere ſpeciem repræſentantem naturam vniuerſalem, ſed ſemper & neceſſario ſingularem, p.423 num.115
Intellectus primo cognoſcit ſingulare, ibid. num.117
Intellectus noſter non cognoſcit ſingulare materiale cognitione reflexa, ſed directa, ibid.n.118.119.& 120
Intellectiui non repræſentatur ſingulare, & vniuerſale per eandem ſpeciem, pag 424 n.121 & 122
Intellectus agens non facit relucere in phantaſmatibus naturam vniuerſalem, p.425 num.124
Intellectus noſter cognoſcit vniuerſale per conuenientiam ſingularium, cognoſcendo naturam in qua conueniunt non conſideratis differentijs indiuidualibus, & eliciendo ſpeciem expreſſam illius, ibid. num.126
Intellectus media cognitione, & ſpecie expreſſa vniuerſalis, imprimi ſibi aliam ſpeciem impreſſam vniuerſalis, ibidem, num.127
Intellectus agens non poteſt imprimere in poſſibili propriam ſpeciem ſubſtantiæ, p.427.n.135
Intellectus agens non poteſt producere ſpeciem repræſentantem coniunctum ex ſubſtantia, & accidenti, ſicut nec phantaſma illud poteſt repræſentare, ibidem, num.136
Intellectus primo non poteſt cognoſcere ſubſtantiam, ſed ex aliqua proprietate, ibid.n.137
Intellectus non cognoſcit primo coniunctũ ex ſubſtantia, & accidenti, ibid.
Intellectus noſter primo, & per ſe ſolum cognoſcit accidentia per ſe ſenſibilia, ſecus ſubſtantiam, & alia accidentia, ibid. num.138
Intellectus cognoſcit ſubſtantiam, & accidentia inſenſibilia ex ſpeciebus ſenſibilium eliciendo propriam ſpeciem expreſſam; & ex hac aliam impreſſam, p.428. num.140
Intellectus noſter qualem conceptum proprium eliciat de ſubſtantia, & inſenſibilibus, ibid.n.142
Intellectus noſter aliquo modo cognoſcit pro hoc ſtatu ſubſtantias ſpirituales, q.5. p.430.n.151
Intellectus pro ſtatu corporis non cognoſcit ſubſiſtentias ſeparatas per proprias ſpecies, à quibus immediatè repræſentetur, pag.431.numero 157. vſque ad numerum 164
Intellectus in corpore proprios conceptus format rerum ſpiritualium per alienas ſpecies corporearum rerum, ibid.
Intellectus pro hoc ſtatu aliquo modo cognoſcit propriam animam, quæſt.6.p.433 num.168
Intellectus pro hoc ſtatu non cognoſcit propriam animam per ſe ipſam immediatè, ſicut Angelus ſe cognoſcit, pag.434. numero 171
Intellectus in corpore non cognoſcit propriam animam per propriam ſpeciem, à qua per ſe immediatè repręſentetur, ibid. num.173
Intellectus cognoſcit propriam animam cognoſcendo proprium actum, vel per ſpecies rerum materialium, ibidem vſque ad num.181
Intellectus ſeparatus intelligit propriam animam per ſe ipſam, & per ſe ipſam habet intime vnitam, 435.n.177
Intellectus aliquo modo cognoſcit ſe, ſuos actus, habitus, & ſpecies, nec non voluntatem, & eius actus, & habitus, q.7.p.436 num.186
Intellectus non cognoſcit ſe, & ipſius ſpecies, voluntatem, actum, & habitus vtriuſque per ſe immediatè, nec per ſpecies proprias, 437.n.194
Intellectus cognoſcit prędicta omnia per alienas ſpecies rerum materialium, p.438. n.197. & ſeq.
Intellectus habet prædicta omnia præſentia per ſe, ſecundum propriam eorum rationem, & entitatem, non verò præſentia obiectiua, p.439.n 206.& 207
Intellectus cognoſcit prædicta per reflexionem, & diſcurſum, pagina 440 num. 209. & 210
Intellectus cognoſcit ſenſus tam internos, quam externos per ſpecies organorum in quibus reſident, pagina 441. numero 116
Intellectus cognoſcit actus externorum ſenſuum per actus internorum vel phantaſmata, ibid.
Intellectus cognoſcit actus internorum ſenſuum per ſpecies obiectorum, quæ phantaſ-

tasmata ipsi repræsentant, & si cognoscuntur ipsa phantasmata, ibid.

Intellectus cognoscit actus appetitus per speciem obiecti circa quod versantur, vt sensatum, ibid. n.217

Intellectus nostri duplex status, & obiecti ipsius variæ acceptiones explicantur, p.442 n.118 & 119

Intellectus nostri secundum se obiectum adæquatum vniuersalissimum est vniuersalissimum ens, quodcunq; cognoscibile cōprehendens, ibid. n.222

Intellectus nostri pro statu corporis adæquatum obiectum per se est tantum ens, vel accidens per se sensibile, ibid. n.221

Intellectus speculatur phantasmate, quia eo operante simul phantasia operatur circa idem obiectum, vel alterum simile, q.1 444 n.226

Intellectus pro hoc statu semper operatur speculando phantasmata, hoc est, dependenter naturaliter ab operatione phantasiæ, 445. numero 231 quæ dependentia non est data in pœnam peccati originalis, num.234

Intellectus dependet in sua operatione à phantasia ex imperfecto modo, quo anima informat corpus corruptibile, cui in modo operandi se accommodat, 446 nu. 236 & sequentib.

Intellectio, & quælibet cognitio præsupponit speciem obiecti, & receptionem eius in potentia, q.2 448. n.249

Intellectio, & alia cognitio non consistit in receptione speciei, sed ad illam requirit concursus vitalis eiusdem potentiæ informatæ specie, ibid. n.250.251 & 252

Intellectio qualibet, aut alia cognitio seu actus appetitus dicit verā actionem realem, & verbum, aut alium terminum de prædicamento qualitatis, q.3.451. n.267 vsque ad 275

Intellectio, vel cognitio quęlibet formaliter non consistit in vera, & reali actione, sed in qualitate, hoc est in specie expressa informante potentiam, 453. num.276. vsq; ad 281

Intellectio, & cognitio formaliter præter veram actionem præsuppositam dicit, & terminum, & actionem Grammaticalē, 454 n.280

Intellectio, sensatio, & appetitio formaliter, hoc est qualitates istæ nō possunt per potentiam absolutam à solo Deo in subiecto vitali, & notionali, sine actuali potentiæ vitalis efficientia produci, q.4.457. n.99 vsque ad 212

Intellectio formalis distinguitur ex natura rei ab actione reali, qua producitur, 460 num.314

L

Lumen.

LVmen, & lux non distinguuntur essentialiter, l.2. c.7 q.2.254 n.28

Lumen non est corpus, ibidem pag.255 numero 29

Lumen non est forma substantialis, nec substantia solis, aut ignis, ibidem, num. 31. & 32

Lumen est qualitas realis, physica, naturalis, & non intentionalis, 256 n.37

Luminis reflexio fit per reproductionem luminis versus anteriores partes, ibidem, num.38

Lumen videtur per speciem intentionalem, sicut color, q.3.258 n.46

Lumen recipitur in corpore opaco, & non in sola extima superficie, quæst. 4. 261. num. 56

Lumen, aut aliud visibile percipi non potest sine medio intercedēte inter ipsum, & potentiam, q.5 262 n.62

Lumen non semper impedit visionem, sed aliquando, si non sit contemperatum potentiæ, vt obiectum, n.63

Lumen non est necessarium ex parte medij ad videndum aliud lumen, quæst. 5. 264 num.69

Lumen est necessarium ex parte totius medij ad visionem coloris, 265. num. 71. 72 & 73

Lumē nullo modo requiritur ex parte obiecti colorati ad illius visionem, qu.6. 268. vsque ad 271

M

Memoria.

Memoria neceſſario ponenda eſt in parte intellectiua,& non in ſenſitiua,l. 3 c.5 q. 5.dub. 1.491 n.317

Cur huius rei potius, quã illius recordemur, cum ſpecies vtriuſque in memoria retineantur,462.n.324

Memoria verſatur circa obiectum iam ſenſatum,& vt præteritum,eſtque quaſi theſaurus ſpecierum,463.n.328

Memoriæ ratio proprius, & perfectius reperitur in parte intellectiua quam in ſenſitiua,ibid.n.332

Memoria intellectiua eſt eadem omnino potentia realiter,& eſſentialiter cum intellectu,464 n. 335.336 & 337

O

Ordo.

Ordo iſtius tractationis de anima cum cæteris partibus Philoſophię quis ſit, lib.2.q.4.38 num.55.56,& 57

Organum.

Organum eſt pars animati corporis certa diſpoſitionis potentia vitali informata, & ordinata ad operationem vitalē exercendam,l.2.q 6.49.n.27

Oculi ſtructura quinque conſtat tunicis, tribus humoribus,& ſeptem muſculis,c.7.q. 8.276 num.115 & ſeq.

Organum potentiæ viſiuæ nec eſt neruus, nec neruorum coniunctio,ſed oculus,278 num.124

Oculi humor cryſtallinus eſt pupilla,& proprium ſenſorium viſus,ibidem,num.127 & 128

Humor cryſtallinus informatur anima ſenſitiua,279 n.131

Obiectum.

Obiectum diuerſo, modo multiplicat ſpeciem rectam,& reflexam,q.9.281 num.142

Obiectum per reflexionem non repræſentatur cum tota diſtantia,ibid.

Odor.

Odor non eſt fumoſa ſubſtantia, aut exhalatio,l. 2.c.9.q.10.p 310.n.1

Odor eſt qualitas per ſe ſenſibilis ab olfactu,311 n.4

Odor eſt ſecunda qualitas cauſata ex certa permixtione primarum, in qua ſiccum comprehendit humidum, ibidem, num. 5.& 6

Odorifera corpora, & ſimul ſapida habent quod ſecundum diuerſas partes ſiccitas comprehendat humiditatem, & econtra 312.num.12

Odor non neceſſario immutat olfactũ vſq; ad illum pertingens in exhalatione, q.2 314 n.20

Odor nec medium, nec organum immutat per multiplicationem realem, 315.nu.24 & 25

Odor non ſemper defertur per medium in exhalatione ad aliquam diſtantiam, ſed aliquando, numquam tamen fit olfactio per exhalationem ipſam immutantem organum,p,316.n.27 vſque ad 30

Olfactus.

Olfactus medium eſt aer,vel aqua,q.2.p. 313.& 17

Olfactus organum, illiuſque ſtructura exponitur,q.3.317 n.34 & 35

Olfactus non eſt in receptaculis anteriorib. cerebri,ibid.n.37

Nec in ramis neruorum deriuatis à cerebro, ibid.num.38

Nec minus in tota reſpirationis via, p.318 num.29

Olfactus organum ſunt proceſſus mamillares,ibid.n.40

Olfactus æque perfectus eſt eſſentialiter in omnibus animalibus, quæſtio.4. pag.319 num.44

Accidentaliter verò perfectior eſt in multis animalibus,quam in homine,ibidem, num.46

P

Pars.

PArtes triplices sunt, lib. 2. c. 3. q. 1. pag. 91 num. 83
Pars qualibet animæ diuisibilis est animæ, sed definitio animæ illis nõ conuenit, nisi inadæquate: datur enim per corpus organicum, tanquam per adæquatum perfectibile, q. 2. 98 n. 115
Partes corporis animati in multiplici sunt differentia, q. 7. 58 n. 82
Partes heterogeneæ eiusdem compositi substantialis viuentis, vel non viuentis non habent partiales animas, vel formas distinctas ab anima, vel forma totali, lib. 2 c. 3. q. 7. 116 n. 182
Nec partes eiusdem animæ diuisibilis informantes diuersas partes heterogeneas, nec partes ipsæ heterogeneæ specie partiali distinguuntur, pag. 118. numero 188 189. & 190
Partes heterogeneæ eiusdem viuentis non distinguuntur solum accidentaliter, q. 7. 120 num. 195
Nec sunt specie essentiali diuersæ propter diuersum modum vnionis, 119. num. 192 & 193
Nec differunt differentia partiali indiuiduali ex modo solum vnionis indiuidualiter distincto prouenientе, 120. num. 196 & 197
Partes organicæ eiusdem viuentis sunt diuersæ perfectionis substãtialis indiuidualis partialis, quæ diuersa perfectio prouenit per se ex diuersitate perfectionis indiuidualis partium animæ diuisibilis, & in anima indiuisibili ex eo, quod perfectius, aut minus perfectè informet diuersas partes, 121 n, 198

Potentia.

POtentiæ vitales quinque, lib. 2. cap. 3. p. 72 num. 2
Potentiarum distinctio sumitur ex diuerso modo operandi, quæst. 1. p. 77. num. 21. & seq.
Perfectio duplex, specifica, & indiuidualis, q. 3. p. 85. n. 55
Potentiæ vitales sunt accidentia realiter distincta à substantia animæ, q. 1. p. 72. à n. 6 vsque ad 12
Tribuuntur animæ propter imperfectionẽ illius, p. 77. n. 20
Nec aliqua creatura est producibilis, quæ sine his potentijs superadditis operetur, p. 78 n. 22 & 23
Potentiæ vitales, & propriæ passiones per potentiam Dei absolutam ab anima possunt separari, ibidem, q. 2. pag. 79. num. 27 & 28
Et separatione mutua, ibid.
Potentia vitalis nequit per vllã potentiam vniri subiecto extraneo, ibid. n. 31
Potentia vitalis separata, aut aliud accidens non haberet modum perseitatis superadditum, sed negationem inhærentiæ in subiecto, quæst. 3. pag. 145. à num. 38. vsque ad 48
Modus iste perseitatis duplex, lib. 2 cap. 3 p. 148 n. 49
Modus perseitatis positiuus non potest communicari potentiæ separatæ per vllam potentiam, ibid. n. 50
Potentiæ vitales naturaliter procedunt ab anima, tanquam ab efficiente, qu. 5. p. 156 n. 83 vsque ad 86
Sed ab anima procedunt tanquam ab instrumento in instanti generationis à generante, vel creante principaliter, ibid. p. 157. n. 86
Potentiæ vitales procedunt ab anima per veram, & realem actionem distinctã à generatione cõpositi, vel creatione animæ, quamuis non per transmutationem, q. 6. p. 158. n 92. & seq.
Potentiæ productio, non est mutatio, sed naturalis emanatio, p. 159. n. 96
Tot sũt actiones, aut productiones, quot potentiæ, vel passiones procedentes à subiecto, p. 160. n 98
Potentiæ vitales procedunt ab anima ordinatè, ita vt imperfectiores ordinẽtur ad perfectiores, ordine perfectionis, & finalis causæ, duratione vero omnes sunt simul, q. 7. ibid n. 100. 101 & 102
Nullus est ordo inter potentias, & passiones efficientiæ, sed omnes per se immediatè manant à subiecto, p. 161 n. 105
Quo sensu D. Thom. ordinis prioris, & posterioris, inter potentias vitales posuerit, p. 162 n. 108
Potentiæ organicæ sunt in aliqua parte deter-

terminata corporis: & eo corrupto corrumpuntur, p.164. num.113.

Potentiæ vitales, & eis inferiores sumunt vnitatem, ac distinctionem specificam ex actibus, & obiectis, ibidem, num.115.116. & 118.

Actus tamen, & obiecta non sunt de essentia potentiarum, sed ordo ad illa, pag. 165. num.119.

Duplex potentia actiua, & passiua, ibid.

Potentia sumit distinctiones ab actibus, & obiectis adæquatis, p.166.n 121.

Potentia visiua hominis, & leonis, & sic de cæteris sunt eiusdem speciei, ibidem, nu. 122.

Ad desumendam vnitatem vt distinctionem specificam potentiarum, præsupponenda est distinctio generica, q.9.p.168. num.126.

Potentiæ distinguuntur specie sub eodem genere, per obiecta formalia diuersa: hoc est secundum specialem modum immutandi potentiã desumpta, ibid. nu.127. vsque ad 133.

Ex quo simul probatur distinctio realis potentiarum, & non est necessarium eam præsupponi, p.170.n.132.

Potentia nutritiua est qualitas superior, quæ vtitur calore, aut temperamento ad nutritionem, c 4.q.1.pag.174.n.15.

Potentia nutritiua, augmentatiua, & generatiua vna, & eadem est realiter habens tria officia diuersa, quæst.2.pag 178. numero 33.

Potentia nutritiua est in omnibus partibus corporis ab anima informatis secundum diuersas partes, qua partes inæquales sunt imperfectione indiuiduali, q.3.p.182 num.50.

Potentia generatiua neque est in semine coniuncto, neque in deciso, sed in ea parte viuentis in qua semen fit, quæst.4.p.186 num.68.

Potentia non est duplex in quolibet organo actiua, & passiua, cap.6.quæst.1. pag.193. num.13.

Cur ad intelligendum ponatur duplex potentia intellectiua, & non ad sentiendum, p.195.n.19.

Potentia sensitiua non est passiua tantum, & receptiua speciei, vt virtutis obiecti cum aduertentia potentiæ, pag.194. numero 17.

Potentia sensitiua habet veram efficientiam in sensationes, & non solum anima, pag. 195.n.22

Potentia sensitiua est ex parte passiua, & ex parte actiua, pag.196. numero 24.& 25. & 26

Potentia simul, & species impressa concurrunt effectiuè ad sensationes, q.2. p.197. num.28.& seq.

A neutra tamen procedit sensatio, vt à principio totali, ibid.n 30

Concurrunt partialiter cum subordinatione non sine illa, p. 198.n.32

Potentia & species impressa sunt instrumenta ad operationes vitales, pag. 199. nume.37

Potentia loco motiua in viuentibus alia est pure naturalis, & vitalis altera, l.3.ca.9.p. 468.num.16

Sed hæc non est appetitus sensitiuus, neq imaginatio, aut intellectus practicus seu voluntas in homine: sed in omnibus est qualitas in parte corporis residens, vt in musculis, quæ tamen operatur directa ab imaginatione, aut intellectu practico, & mota ab appetitu, aut voluntate per modum imperij, p.477.n.61.& 62

Perspicuum.

Perspicui definitio expenditur, l.2.c.7.q.1 p. 252.n.18

Phantasma.

Phantasmatis præsentia necessaria est, ut intellectus agens producat speciem intelligibilem, l.3.c.5.q.5.p.408.n 45

Phantasma cõcurrit ad productionem speciei intelligibilis vt instrumẽtum, p.409. num.51.& 52

Phantasma habet verãm efficiẽtiam in speciem intelligibilem, pag.410.num.53. & sequentib.

Phantasma solum concurrit instrumentaliter, ibid.num.57

Phantasma quomodo producat effectum similem, p.411.n.59

S

Scientia.

Scientiam de anima cum primis posuit Aristot, non præcipuam, lib, 1.q.3.p 14 num.38
Scientia de anima essentialiter est nobilior cæteris omnibus scientijs naturalibus prę ter Metaphysicam, à qua exceditur, lib. 1. q.3.p.15.n.43
Certitudine demonstrandi exceditur à Metaphysica, & Mathematica, cæteras verò scientias excedit, libro 1. pag. ibidem, num.44
Certitudine accidentali, & impropria excedit cæteras philosophię partes, non essentialiter, q.3.p.16 n.46
Scientia de anima vtilis est ad reliquas omnes, etiam ad Theologiam, q.4 p.17.num. 52.53.& 54

Sanguis.

Sanguis est aliquo modo pars integralis viuentis, lib. 2.quæst. 8. pag.124. numero 208
Idem est de alijs humoribus, ibid.
Sanguis non est duplex specie distinctus, p. ibid.n.112.& 113.& 114
Sanguis, & alij humores non informantur anima, sed forma inferiori, p.125. nu.115 & seq.

Subsistentia.

Svbstantia per potentias Dei absolutas potest esse sine vlla subsistentia, lib.2.c.3. q.3.p.149.n.54 & 55
Subsistentia procedit effectiuè à natura substantiali, & actualis inhærentia à natura accidentali, q.4.p.152. n 65
Vtraque verò producitur distincta actione aliquo modo ab ea, qua producitur natura, ibid.n.66

Semen.

Semen animalis non fit ex sanguine excrementitio, lib.2.c.4.q.3.p.183.n.56
Semen animalis non viuit, p.184.n.59
Semen in decisione animas non acquirit, p. 185.n.63.& 64
Semen fit solum in parte determinata corporis, ibid.n 66.& 67
Seminalis virtus non est vitalis, pag. 186. num 69
Semen vt generationi deseruiat, non prius conuertitur in sanguinem, ibid.n 7[illegible]

Species.

Species impressæ ab obiecto in potentijs dantur, lib.2.c.6.q.3. p.201. n.43. vsque ad 48
Species est ratio cognoscendi obiecta extrinseca non habens eundem modum essendi cum obiecto, p.202.n.49
Species sensibilis est diuersæ naturæ ab obiecto, q.4.p.203.n.52
Species quæcumq; externorum sensuum imperfectior est obiecto repræsentato, q. 5. p.204.n.56
Species impressa non est similitudo formalis obiecti, sed virtualis tantum, q.6.p.206 n 61.& 62
Species sensibiles non sunt substantiæ, sed accidentia educta de potentia subiecti, q. q.7.p.208.n.70.& 71
Species procedit ab obiecto tanquam à causa æquiuoca, p.207.n.68
Species est ratio cognoscendi obiecti, quamuis ipsa non cognoscatur à potentia, pag. 202.num.49
Species sensibilis per se solam repræsentat obiectum secundum accidentia sensibilia p.204 n.54
Quare species sensibiles, aut intelligibiles dicantur intentionales, p.205.n.57
Ex speciebus, & potentia fit vnum accidentale, si sumantur vt accidentia, si verò vt sunt similitudines obiectorum non efficitur aliquod tertium, sed potentia fit quodammodo obiectum, pag.208. num.73. & 74
Species impressæ sunt diuisibiles subiectiuæ quoad extensionem, quæst.8. pag.209 num.76
Sunt etiam diuisibiles secundum extensionē obiectiuam, p.211.n.81
Species sic producitur ab obiecto in toto subiecto, vt etiam producatur in qualibet eius parte secundū omnes partes obiectiuas, ibid.n.84

Quæ-

Quælibet pars extensionis obiectiuæ specierum, & quodlibet indiuisibile continuatiuum extensum est per totum subiectum p.212.n.85
In qualibet parte subiecti producunt omnes & singulæ partes extensionis obiecti partes specierum, ibid.n.87
Per species non procedit ab obiecto sicut lumen à luminoso, ibid.n.88
Cur species pluribus corporibus calorũ immutent potentias cum vniuscuiusque species non sufficiat, p.213.n.91
Species impressa diuisibilis est secundum intensionem in ordine ad plures gradus intensionis obiecti, q.9.p.215.n.96
Species habet diuisibilitatem intensionis respectu eiusdem gradus obiecti, aut obiecti non intensi, p.217.n.104
Species productæ ab obiecto in medio multiplicant alias cum actuali tamen dependentia ab obiecto, quæst. 10. p.221.num. 119.& 120
Species producit aliam vt instrumentum obiecti, p.222.n.124
Species insensatæ non producuntur à Deo immediatè, neque in prima generatione, neque in præsentia obiecti, q.vlt. p.244. n.206.& 207
Species insensatæ concedendæ sunt animalibus etiam imperfectis, p.245.n.209
Species insensatæ producuntur ab æstimatiua medijs sensatis quas recipit à potentia inferiori, ibid.n.211
Species insensata expressa producitur ab impressa sensata, & ab æstimatiua, quæ rursus per speciem expressam imprimit sibi aliam impressam rei insensatæ pro vsibus futuris memoriæ, p.247 n.219
Phantasia vtitur duabus speciebus simplicibus impressis per modum vnius principij partialis sensationis per quam producit vnam speciem expressam repræsentantẽ compositum ex monte, & auro, & media hac producit aliam impressam talis entis, p.398.n.196
Substantia non repræsentatur per phantasma, nec per vllas species sensibiles proprias potest percipi à sensu, & idem est de accidentibus per accidens sensibilib. c.5.q.4.p.456.n.292.& 293.& 294

Sensibile.

Sensibile indiuisibili modo existens non potest naturaliter percipi per aliquẽ sensum, lib.2.c.6 p.229. n.146
Sensibile indiuisibili modo existens nullum habet ordinem ad extrinseca corpora, nec potest agere in ea, aut ab eis pati, ibidem.
Sensibile sub modo indiuisibili existens nec videri potest, nec alio sensu percipi, nisi viso, aut percepto modo ipso indiuisibili p.231.n.159
Sensibile commune est quod pluribus sensibus percipi potest, q.11.p.223.n.127
Sensibilia communia quinque numerantur, & quomodo accipienda sint exponitur, ibid.n.128.& 129.& 130
Extensio quantitatiua, & non alia, est sensibile commune, p.225.n.133
Sensibile commune non percipitur sine specie, nec per aliquam propriam, sed per speciem sensibilis proprij modificatam, aut per modum illius speciei, p.226. à nu. 138 vsque ad 149
Sensibile proprium est sensibile per se primo, commune verò per se secundo, & tanquam aliquid eius, p.227.n.140
Quoties variatur sensibile, commune, variatur modus speciei sensibilis proprij, ibid. num.141
Sensibile commune non potest percipi sine proprio, ibid.n.143
Sensibile proprium sine communi naturaliter percipi non potest, quæst.12. pag.228 num.146
Sensibile proprium prout habet modum indiuisibilem percipi nequit etiam de potentia Dei absoluta, p.31.n.156

Sensus.

Sensus externus naturaliter non potest percipere obiectum absens, q.12.p.230 num. 155. potest tamen illud percipere supernaturaliter per speciem sui conseruatam à Deo, aut de nouo productam, ibid.
Notitia intuitiua non petit terminari ad rem secundum esse reale præsentem, sed

satis est adesse repræsentatum præsens, p. 237. n 161
Sensus, & quælibet potentia cognoscitiua potest elicere cognitionem circa obiectū absens, etiam sine specie impressa supplẽte Deo absoluta potentia concursum obiecti, q. 14. p. 240. n. 193
Sensus externi per se loquendo non possunt falli circa sensibilia propria siue in communi, siue in particulari considerata, sed solum per accidens, quæst. 15. p. 243. num. 201
Sensus externi circa sensibilia communia etiam per se possunt falli, & multò magis circa sensibilia per accidens, ibidem.
Sensus secundum communem modum operandi rarò decipiuntur circa sensibilia propria etiam secundum speciales rationes, circa communia verò frequenter, & multo magis circa sensibilia per accidẽs, ibid. n 204
Sensus, positis omnibus requisitis, ita raro circa communia, ac circa propria errat, ibid. n. 205
Sensus non semper errant, pag. 244. numero 207
Sensus dum errat operatur per speciem veri sensibilis, ac si non erraret, q. 16. p. 245 n. 211. vsque ad 216
Sensus decipitur, quia percipit sensibile aliter ac est in se, & aliter ac per speciem repræsentatur propter nimiam distantiam, aut ex indispositione organi, vel medij, p. 247. n. 217
Sensus læditur à vehementi sensibili, c. 12. q. 1. p. 249. n 86
Sẽsus, & organum illius non potest vllo modo lędi ab obiecto per se sumpto, & vt tali, p. 350. n. 91. vsque ad 96
Sensus læditur aliquando, imò & destruitur ab obiectis sub ratione agentium naturalium, ibid.
Sensus non potest per se, & immediatè lædi ab obiectis, etiam sub ratione agentium naturalium, sed per accidens, & mediatè ex læsione organi, ibid.
Sensus externi sunt tantum quinque, lib. 3. c. 1. q. 1. p. 355. n. 9
Sensus alij externi præter quinque non sunt impossibiles, p. 356. num. 12
Sensus esse tantum quinq; probabiliter tantum ostenditur à D. Th. & Arist. ibid. n. 14
Sensus esse tantum quinq; experiẽtia potest euidenter probari, p. 357. n. 18. & 19
Sensus tactus, & gustus in homine superant cætera animalia perfectione accidentali, q. 2. p. 358. n. 24
Sẽsu visus, & olfactus vincitur homo à multis animalibus, ibid.
Sensus tactus, gustus, & olfactus per se non habent medium externum, per accidens verò habent internum, & olfactus etiam externum, quæst. 3. p. 361. num. 42. vsque ad 47
Sensus auditus, & visus per se habent mediū externum, ibid.
Sensus tamen omnes habent medium internum per accidens, ibid.
Sensus interni quinque sunt officia vel actus in alijs animalibus, in homine verò septem, lib. 3. c. 3. q. 1. p. 367. num. 22. vsq; ad 27
Sensus internus vnicus tantum est realiter pro illis omnibus officijs, ibid. n. 24 vsque ad 68
Phantasia, & imaginatio sunt idem sensus realiter, p. 372. n. 51. & 52
Sensus communis non distinguitur à phantasia, ibid. n. 53 vsque ad 59
Memoria non distinguitur ab æstimatiua, p. 373. n. 60 61. & 62
Sensus communis idem est realiter cum æstimatiua, & memoria, ibid. num. 63 64. & 65
Sensus interni non sunt plures distincti formaliter, & essentialiter ratione diuersorum actuum, sed sicut identificantur realiter, ita, & essentialiter secūdum atomam speciem, q. 2. p. 376. n. 78. & 79
Actus aut sensus isti secundum rationes proprias, & inadæquatas respectu eiusdem potentiæ possunt definiri, pag. 377. num. 85
Sẽsus externus cognoscit non solum obiecta externorum, sed etiam eorū sensationes, q. 3. p. 378. n. 89. & seq.
Sẽsus internus percipit obiectum sensatum, & sensationem ipsam per eandem speciem impressam modificatam, p. 379. nu. 93. & seq.
Sensus externus, & internus nullo modo cognoscunt propriam sensationem, neq; eodem actu, neque alio distincto, q. 4. q. 381. n. 107. 108. & 109
Hoc conceditur intellectui, & suo modo voluntati

luntati propter immaterialitatem propriam, & vniuersalitatem obiectorum, pag.383.n.115.

Sensus interni obiectum est sensibile vt sic, in toto suo ambitu, pag.384 n.120.

Sensus internus distinguitur ab intellectu,& sensibus externis per rationem obiectiuã, quasi mediam, ibidem, num.121.

Sensus interni adæquatum obiectum est sensibile sensatum sensu externo, aut dependens aliquo modo a sensatione eius, ibid.

Sensu interno, imo etiam externo aliquale iudicium conuenit, q.5.ibid.n.125.

Sensui interno, etiam in homine, non est concedendum proprium iudicium, p.385 nu.130.& seq.

Sensus internus per nullum actum cognoscit obiectum sub ratione formali præsentis, præteriti, aut futuri, q.6. pag.386. n.134.135.& 136.

Sensus internus percipit obiectum sub his differentijs temporum secundum rationem materialem, ibid.n.137.

Sensus interni subiectum est cerebrum non cor.q.7.p.387.n.140.141.& 142.

Sensus interni organum non potest ex cellulis cerebri colligi, p.388.n.142.

Sensus interni organa sunt cauitates oculis superiores, ibid.n 145.

Sensus aliquis internus omnibus animalib, etiam imperfectissimis est concedendus, q.8.p.390 n 156.& 157.

Sensus internus in animalibus imperfectissimis debet habere saltem duos actus communis sensus,& æstimatiuæ, p.391.n.158

Sensus internus animalium imperfectorum realiter, & specie distinguitur a gustu, & tactu, ibid.n.159.

Memoria, vel actus eius imperfectissimis animalibus non conceditur, p.390.n.156.

Sensus internus secundum omnes actus reperitur in animalibus perfectioribus, ibid.

Imaginationis triplex gradus exponitur, p. 391 n.157.

Sensus iste secundum totum ambitum omnibus animalibus conuenit ex mente Arist. ibidem.

Imaginationes trium graduum specie differunt inter se, p.390.n.156.

Sensus internus speciebus intentionalibus indiget ad operandum, quæst.9. pag 391. num.158.

Species istæ sunt diuersæ rationis ab speciebus sensuum externorum, p.395.n.177.

Sensus agens producens speciem impressam in sensu interno non est ponendus, p.396. num.184.

Sensus externus non producit speciem in sensu interno determinatus a propria sensatione,& illa nõ concurrente, p.397.n.185 & 186.

Species impressa interni sensus producitur ab obiecto sensus externi, vt per eum cognito per cognitionem,& speciem expressam externi tamquam virtutes proprias obiecti, ibid.n.187 188.& 189.

Sensus interni aliæ species sensatæ insensatæ aliæ nuncupantur, q.10.pag.398.n 190 & 191.

Sensus internus secundum actus æstimatiuæ & memoriæ vtitur speciebus insensatis, pag.394.num.171.& 172.

Sensibilis rei conuenientia cum nata sensibili non est relatio, est tamen cognoscibilis per sensum, ibid.

Sonus.

Sonus non est motus aeris resilientis, sed qualitas distincta. cap.11.q 8.p.285.n.19. & 20.

Sonus est qualitas cito transiens producta per se in corpore resiliente, per alterationem, per accidens vero per motum localem, ibidem, num.23.

Sonus est qualitas media inter purè successiua,& purè permanentia, p.286. num.26.

Sonus dependet in fieri,& conseruari à motu resilientis corporis, a motu verò corporis sonatiui in fieri tantum, ibid.n.27.

Sonus quo modo audiatur successiuè, p.287. num.30.

Ad soni productionem tria corpora distincta realiter necessario requiruntur, sed nõ semper discontinua, q.2.ibid nu.31.

Soni nulla datur particularis causa per se: pag.289.num.39.

Soni causa per accidens proxima, & principalis sunt corpora sonantia, resilientia medij, & impulsus ei impressus est instrumentum, ibidem, num.40.

Sonus non recipitur in corporibus sonantibus, tamquam in subiecto, sed in solo medio.q.3.p.291.num.46.vsq; ad 54.

Medium verò est aer,& aqua, aut corpus fluidum, pag.293.num.57.

Sonatiua corpora sunt etiam fluida: ad per-

perfectum verò sonū necessaria sunt corpora dura, & solida, pag. 294. n. 64. & 65.
Sonum realem vsq; ad auditum semper peruenire impossibile est, & nullo modo necessarium, q. 4. p. 297. n. 77. 78. 79. 80. & 81.
Sonus a principio, quo fit multiplicat speciē per quam fit auditio, nec est necessaria realis soni multiplicatio, p. 298. n. 83.
Sonus realis nullo modo multiplicatur, sed ad aliquam distātiam defertur per aerem commotum, p. 299. n. 87.
Sonus minorem habet quam visibilem sphæram actiuitatis, postulatq; fieri successiuè, p. 301. n. 92.
Sonus reflexus vel echo quid sit, q. 5. p. 302. num. 98.
Sonus reflectitur per species intentionales, p. 304. n. 106.
Idem sonus nu. 1. auditus iterum auditur in echo, ibid. n. 107.

Sapor.

Sapor est secunda qualitas resultans ex permixtione primarum, in qua humidum cō prehendit siccum, immutatiua gustus, li. 2. c. 10. q. 1. p. 322. n. 6.
Saporis septem sunt species, p. 323. n. 9.
Sapor dulcis, & amarus sunt prima extrema immutatiua gustus, & prima contrarietas ibid. n. 11.
Sapor mouet gustum non per se ipsum immediatè, sed per speciem intentionalem, p. 324. n. 14. vsq; ad n. 21.

T

Temperamentum.

Temperamētum primarum qualitatum necessarium est ad nutritionem, & cętera officia vegetatiuæ animæ, lib. 2. c. 4. q. 1. p. 173. n. 10. & 11.

Tactus.

Tactus organum est neruus, & caro, imò & pellicula eius, lib. 2. c. 11. q. 1. pag. 332. num. 4. 5. & 6.
Temperamentum neruorum quomodo sit aptum ad sensum tactus, ibid. p. 333. n. 11.
Tactus non est in ossibus, ibid. n. 12.
Tactus per se non habet medium externum neq; internum, q. 2. p. 334. n. 18. & 19.
Tactus per accidens habet aliquando mediū externum, p. 335. n. 20.
Tactus per accidens, & quasi materialiter habet medium internum, ibid. n. 21.
Tactus ad sensationem requirit necessariò immutationem per species intentionales, q. 3. p. 337. n. 29. 30. & 31.
Tactus præter immutationem intētionalem requirit etiam, ad sensationem immutationem aliquā naturalē, ib. n. 33. 34. & 35
Tactus solum sentit excellentes qualitates, q. 4. pag. 341. num. 47.
Refutātur, qui dicunt hoc prouenire propter alterationem requisitam ad productionem specierum, ibid. n. 49. & 50.
Refutantur, qui alterationem requirunt ad vsum specierum, p. 342. n. 53.
Tactus species producitur in instanti, & in eodem fit sensatio, ibid. n. 56.
Omnis qualitas tangibilis solum producit speciem in tactu secundum gradus superiores, in quibus excedit intensionem organi, & secundum hos tantum sentitur. pag. 343. n. 58. & 59.
Tactus non recipit qualitatem tangibilem existētem in proprio organo, sed quæ est in obiecto externo, q. 5. p. 344. n. 64. & 65.
Tactus doloriferi tam diuisio continui quam discēperies alicuius partis causa sufficiens esse potest, p. 345. n. 66.
Quæ ad dolorem, & quæ ad voluptatē concurrant, p. 347. n. 76. 77. & 78.

V

Vita.

Vita dupliciter sumitur, l. 2. q. 5. p. 46. n. 7.
Viuentium gradus sunt quatuor, l. 2. c. 3. p. 76. n. 13. & 14.
Sed hæc distinctio sumitur in ordine ad diuersa subiecta in quibus gradus reperiuntur separati: essentialiter verò tres tātum distinguuntur, c. 3. q. 1. p. 77. n. 18. & 19.

Vngues.

Vngues, & capilli non informantur anima vegetatiua distincta specie a sensitiua bruti, & rationali hominis: sed anima totius viuentis secundum omnes gradus, q. 9. p. 129. n. 229.

Hæ

Hæ partes licet non simpliciter necessariæ ad constitutionem animalis, iuuant tamen ad operationem, & conseruationem illius, ibid. n. 230.

Vnio.

VNio animæ cum corpore est substantialis, q. 10. pag. 134. n. 248.

Violentia.

VIolentia potest inferri creaturæ a Deo, q. 4. p. 150. num. 60.

Violentum non solum est principium efficiens aut formale, sed etiam contra materialo, licet non æquè perfectum, q. 4 p. 153 n. 72. 73. 74. & 75.

Violenta esset materia sine vlla forma non cum aliqua, p. 154 n. 77.

Humanitas Christi non est violenta sine propria subsistentia, quia habet aliam continentem perfectionem illius, p. 155. num. 78.

Violentum esset quodlibet accidens separatum a subiecto, ibid. num. 79.

Quod verum est de potentia vitali etiam si haberet modum perseitatis, ibid. n. 80.

Visio.

VIsio non fit per extramissionem a potentia, sed per receptionem speciei ab obiecto. c. 7. q. 274. n. 110. & 111.

Visiua potentia est duplex numero in singulis animantibus duos oculos habentibus, q. 7. p. 279 n. 129. & 139.

Non videtur p r reflexionem in speculo species obiecti, sed obiectum dumtaxat, q. 9. p. 280. n. 135.

Vox.

VOx quibus instrumentis fiat, lib. 2. q. 5. pag. 301. n. 95.

Vox quid & in quo differat a sono, & sermone, pag. 302. n. 97.

Vitales.

VItales aliquæ operationes infimi ordinis, non sunt factibiles a Deo sine concursu potentiæ vitalis, sed termini earum possunt a Deo produci, lib. 3. c. 5. quæst. 4. pag. 456. n. 292.

F I N I S.